COLLEGII

SALMANTICENSIS

CARMELITARUM

DISCALCEATORUM

CURSUS THEOLOGICUS

ANICII. — EX TYPIS MARCHESSOU FILIORUM.

COLLEGII
SALMANTICENSIS
FR. DISCALCEATORUM
B. MARIÆ DE MONTE CARMELI
Primitivæ Observantiæ

CURSUS THEOLOGICUS
Juxta miram Divi Thomæ Præceptoris Angelici doctrinam.

TOMUS DECIMUS SEPTIMUS

TRACTATUS XXII. — DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D.
CAROLO AMABILI DE LA TOUR - D'AUVERGNE - LAURAGUAIS
ARCHIEPISCOPO BITURICENSI
DICATUS

EDITIO NOVA, CORRECTA

E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ
RECTOREM GENERALEM
76, via Sanctorum Patrum, 76

BRUXELLIS
APUD J. ALBANEL
SUCCURSALIS RECTOREM
12, via Parochianorum, 12

GENEVÆ
APUD HENRICUM TREMBLEY
4, via vulgo dicta *Corraterie*, 4

1881

INDEX TRACTATUS

QUÆSTIONUM, DISPUTATIONUM ET DUBIORUM

QUÆ IN HOC TOMO XVII CURSUS THEOL. SALMANT. CONTINENTUR.

TRACTATUS XXII

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

QUÆSTIO LXV.

Disputatio IX.

Disputatio X.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC TOMO DECIMO SEPTIMO CONTINENTUR

UBI PRIOR NOTA ARITHMETICA PAGINAM,
POSTERIOR MARGINALES NUMEROS DESIGNANT.

EX VETERI TESTAMENTO.

—

Ex Genisi.

Ex Exodo.

Ex lib. 1. Paralipomenon.

Ex Tobia.

Ex Ecclesiastico.

Ex Ezechiele.

EX NOVO TESTAMENTO.

—

Ex Mattheo.

Ex Luca.

Ex Joanne.

LAUS DEO

TRACTATUS XXII

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI

PROŒMIUM.

1. Illud profecto, cum Tractatum de Incarnatione (a prima scilicet hujus tertiæ partis quæstione ad usque vigesimam septimam commentantes), absolveremus, animo volvebamus, ut Cursus nostri Theologici ibi figeremus metam; ne labor supra vires, reluctantemque inclinationem ad illa, quæ nobis minime necessaria apparebant, progrederetur. Fatiscebat namque jam animus circa alia ad Theologiam practicam majori ex parte attinentia, et quæ Lectores hujus Collegii in operibus moralibus accurate delibaverant. Unde sic decrevimus, sic despondimus in prologo ad ultimum voluminum hactenus editorum, pedem scilicet ab inchoatis, quæ censebamus finita, retrahentes. Sed ecce Tractatum de Incarnatione, cui ultimam manum adhibuisse videbamur, colophonemque imposuisse, modo advertimus non omnibus numeris absolutum, nisi molestus hic noster labor ultra protendatur. Ad exactam quippe tanti Mysterii considerationem, cui in quatuor præcedentibus voluminibus graviter incubuimus, reliquias quasdam desiderari minime diffitemur. Et quænam illæ? Plane divina ea Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta, quæ sunt insignes Incarnationis dominicæ velut appendices, ut Angelicus Doctor in prologo Quarti ad Annibaldum egregie observavit his verbis : « Sicut nebulæ sunt « pluviarum reliquiæ, ut Philosophus di- « cit : ita et Sacramenta novæ legis sunt « quædam velut divinæ Incarnationis reli- « quiæ, de quibus dicitur Eccles. 43 : Aper- « ti sunt Thesauri, et avolaverunt quasi « aves. Latere enim Christi in cruce pen- « dentis aperto, in quo sunt omnes The- « sauri sapientiæ, et scientiæ Dei abscon- « diti, ut dicitur ad Coloss. 2, profluxerunt « Sacramenta, quibus Ecclesia constituitur, « et per quæ in cœlum evolatur. » An non Incarnationis reliquiæ Sacramenta, septem scilicet illæ columnæ, quas Incarnata Dei sapientia adfabre excidit, polivitque, ut domum Ecclesiæ, cœlum culmine attingentem, inædificaret, superstrueret? An non Incarnationis reliquiæ Sacramenta, illi nimirum limpidissimi fontes apud Isaiam, unde aquam in gaudio haurimus, nempe gratiam saluberrimam a latere Salvatoris scaturientem, et in Sacramentornm canalibus uberrime profusam? An non Incarnationis reliquiæ Sacramenta, intrumenta equidem nobilissima divinæ virtutis, quæ cum particularia, et separata existant, efficaciam mutuantur a Verbo in humanitate assumpta, viresque ab hac sicut ab universali, et conjuncto Deitatis organo identidem derivant, atque in nos reflant, refluunt, et redundant? Plane dum hæc perpendimus, liquido regnoscimus, et palam fateri compellimur tractatum de Incarnatione, in quo largissime operam posuimus, mancum tamen, atque imperfectum relinqui, si in Tractatu alio appendicem nobilium adeo reliquiarum ipsius continuo eisdem adjicere non curemus.

2. Et quidem Doctor noster, cujus non tantum sensa, sed methodum etiam tenere indivulse cupimus, hunc nobis ordinem præmonstravit, præfixitque in prologo ad 3 part. his verbis : « Necesse est, ut ad con- « summationem totius Theologici negotii, « post considerationem ultimi finis huma- « næ vitæ, et virtutum, ac vitiorum : de « ipso omnium Salvatore, ac beneficiis *Idem ordo ex D. Tho.*

« ejus humano generi præstitis, nostra con« sideratio subsequatur. Circa quam pri« mo considerandum occurrit de ipso Sal« vatore. Secundo de Sacramentis ejus, « quibus salutem consequimur. » Et absoluta eorum consideratione, quæ ad Salvatorem spectabant, et partim pertinent ad Theologiam Scholasticam (de quibus agit a quæst. 1 usque ad 26, inclusive, egimusque, et nos in quatuor Tomis præcedentibus), partim pertinent ad Theologiam expositivam, et historialem (quæ elucidavit a quæst. 27 usque ad 59, inclusive, et nos omittenda duximus, quippe quibus mens erat scholasticas præcise disceptationes versare), statim cœpit disserere de Sacramentis a quæst. 60, quam sic orditur : « Post « considerationem eorum, quæ pertinent « ad mysteria Verbi incarnati, consideran« dum est de Ecclesiæ Sacramentis, quæ « ab ipso Verbo incarnato efficaciam ha« bent. » Quibus manifestam significavit connexionem inter Verbi incarnati considerationem, et Sacramentorum notitiam illamque minime perfectam censeri, nisi hæc illi statim subsidio sit : et sicut naturam, et virtutem arboris probe non agnoscere convincitur, qui fructus ejus ignorat, et indolem, quam imbibunt ex radice. Hac itaque de causa operæ pretium duximus D. Thomam imitari, agereque de nobilissimo, et nobis apprime necessario Incarnationis corollario, nempe de Sacramentis. Quæ subinde erunt præsentis Tractatus, et nostræ considerationis subjectum.

Multiplex sacramenti significatio. 3. Quod ut specialius determinemus, animadvertendum est hanc vocem *Sacramentum* multifariam usurpari, ut communiter notant Doctores : oportet enim nominis cognitionem rei cognitioni præmittere ; quia sine ejus notitia impossibile est rem ipsam perfecte capere, ut docent Aristot. *lib.* 1 *Poster. cap.* 2, et D. Thom. ibi *lect.* 2. [Aristot. D. Tho.] Primo itaque Sacramentum (quod a sacro derivari satis innotescit), apud priscos Latinos, ut Varronem *lib.* 4, *de lingua Latina*, Ciceronem *epist.* III, et alios dicebatur pignus, quod litigantes apud Pontificem deponebant, ut qui causa caderet, illud perderet : applicabatur autem ærario publico, et dicebatur Sacramentum, quod servaretur in sacro loco. [Varron. Cicero] Secundo apud eosdem Auctores Sacramentum dicitur juramentum, et quidquid jusjurandi sacratione interposita geritur. Unde apud Festum, et Vegetium [Vegetius.] *lib.* 2, *de re militari* non semel occurrunt juramentum militum, et sacramentum militiæ, quo se obstringebant milites ad fidelem Reipublicæ operam exhibendam : hinc etiam factum est, ut milites hujusmodi vocarentur sacramentarii. Hæcque sacramenti pro juramento usurpatio frequens est in jure tam canonico, quam civili, ut constat ex *cap. Qui Sacramento* 22, *q.* 4, *et cap. Parvuli, quæst.* 5, *et leg.* 2, *Cod. Si adversus venditionem.* Occurrit etiam eadem acceptio apud Patres, ut videre est in Tertulliano *lib. de corona militis, cap.* II. D. Cypriano *epist.* 9, *ad Martyres, et Confessores.* D. Hieronymo *epist.* 1 *ad Heliodorum, et aliis.* [Ter... D. ... D. ...] Tertio, et frequentius sumitur sacramentum pro re abdita, occulta, et secreta. Quæ significatio frequenter occurrit apud Scriptores sacros promiscue utentes hac voce, et voce mysterii, cum de re occulta sermonem faciunt. Sic Tobiæ 12, ubi græchice scribitur : *Mysterium regis abscondere bonum est*, vulgata nostra vertit, *Sacramentum regis abscondere bonum est.* [Tob...] Quo loco tam mysterium, quam sacramentum significant regis secretum. Similiter Sapient. 2, dicitur : *Nescierunt sacramenta Dei*, id est occulta. [Sap. 2.] Et ad Ephes. 1 : *Ut notum faceret nobis sacramentum* (nempe arcanum) *voluntatis suæ.* [Ep...] Et 1, ad Timoth. 3 : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, etc.* [1 ... mo...] In quibus, et similibus testimoniis liquet sacramentum idem valere, ac mysterium, significareque rem occultam, et ab hominum cogitatione semotam. Eademque acceptio tam frequenter occurrit in Patribus, ut supervacaneum sit illos ad hunc sensum recensere. Quarto, et ultimo sacramentum sumitur pro illis rebus, ac vocibus, quæ rem sacram, divinam, et occultam nobis repræsentant, suntque ejus signa : sicut Baptismus, sive exterior corporis ablutio cum legitima verborum formula dicitur sacramentum ; quia rem sacram occultam significat, nempe internam animæ renovationem per gratiam sanctificantem. Invaluit autem hæc sacramenti usurpatio adeo communiter apud scholasticos cum Magistro *in* 4, *disp*, 1, et Theologos cum D. Thom. *in præs. quæst.* 60, *art.* 1, ut præ cæteris omnibus locum singularem obtinuerit. Et sacramentum in hac ultima acceptione sumptum est subjectum proprium præsentis considerationis, de quo agemus cum Angelico Doctore, qui in eodem sensu

resolvit

resolvit artic. 1 : « Specialiter autem nunc « loquimur de sacramentis, secundum quod « important habitudinem signi : et secun- « dum hoc sacramentum ponitur in genere « signi. »

Hæreticorum objectio. 4. Sed hæretici, qui in Catholicis, et res, et voces criminari pro more habent, sacramenti nomen impugnant, præsertim in ultima acceptione apud Theologos celebriori, et rebus Ecclesiasticis magis familiari, ut sanam doctrinam ab isto latere oppugnent. Lutherus. Unde Lutherus *in lib. de captiv. Babyl. cap. de matrimonio, sacramenti nomen detestatur : et in lib. de abroganda Missa*, eo uti non licere affirmat. Et similia evomunt Melanc. Melanchthon *in lib. locorum communium, cap.* 1, Zwinglius *in lib. de vera, et falsa religione*, Calvin. Calvinus *lib.* 4 *Institution. cap.* 14, Kemnitius *in secunda parte examinis, et alii sectarii.* Et commune illorum fundamentum est, quod nomen sacramenti secundum acceptionem apud Catholicos usitatam in scripturis divinis minime reperiatur : unde irreligiosam censent hujus novitatis introductionem, et nullatenus sustinendam. Notat autem Kemn. protervia. Kemnitius *loco allegato*, et non absque stomacho profert D. Augustinum primum fuisse, qui vocem istam invexerit in hujusmodi acceptione.

Confunditur. 5. Verum enimvero, et impiorum hominum argutiæ nugæ sunt mere grammaticales, quas fundamento nullius ponderis convulso pessumire necesse fit. Nam *in primis* falsum omnino assumunt, cum prædictam sacramenti usurpationem in scripturis occurrere universaliter negant. Falsos namque convincit, vel unus locus Apostoli ad Ephes. 5. Ephes. 5 : *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Quo loco perspicuum est nomen sacramenti (esto, de rigoroso sacramento sermo non fiat), supponi pro signo rei sacræ, et occultæ. Et quod græce pro sacramento *mysterium* habeatur, veritati non præjudicat : quia mysterium idem est, quod sacramentum : quippe utraque vox ibidem usurpatur pro signo alicujus rei sacræ latentis, ut ex contextu liquet. Sicut etiam Apoc. 17. cum Apocalyp. 17, dicitur : *Et in fronte ejus nomen scriptum. Mysterium*, nomen *Mysterium* stat pro sacramento, id est, signo rei occultæ : nam infra subjungitur, *Ego dicam tibi sacramentum mulieris.* Falsum itaque est sacramenti nomen pro signo rei occultæ, aut sacræ apud scripturam in universum non usurpari. Unde Ecclesia Catholica per scripturam edocta potuit sacramenti vocabulum signis quibusdam, in quorum usu sanctificamur, non immerito applicare. *Præterea* etsi concederemus hæreticis expressam sacramenti, quam intendimus, acceptionem in scriptura non reperiri; adhuc tamen eorum argumentatio invalida foret, et straminea : quippe non pauca, eisdem etiam consentientibus, habemus, quæ in verbo scripto expresse non recensentur, sed ad nos derivantur per traditionem. Ostendant ipsi in verbo scripto nomen *Trinitatis*, vel *hypostasis*, aut *personæ*. Proferant voces *consubstantialis*, et *Deiparæ*. Doceant ex scripturis, quæ palam asserant, vel parvulos esse baptizandos, vel non fore rebaptizandos hæreticos. Sicut igitur ipsi hæc, quæ minime rejiciunt, fundant non in verbo scripto expresse docente, sed in verbo tradito, aut in legitima ab scripturis deductione : sic Ecclesia potuit sacramenti vocabulum signis sacrantibus applicare, quamvis prædictus hujus nominis usus in scripturis expressus non haberetur. Præsertim cum insolens, aut novum non sit, novis adjunctis rebus, aut novis occurrentibus difficultatibus nova adaptare nomina, quibus sensa explicemus, et objectorum conditiones vividius proferamus, ut affirmat Cicero *lib.* 1 *Acadam. qq.* et productis Cicero. exemplis ostendimus in prooemio *ad Tract. de Incarnatione*, ut hanc ipsam vocem, quæ nec in scripturis, nec apud antiquos Latinos occurrit, a simili calumnia vindicaremus. *Denique* quod sacramentum recte usurpetur pro signis sacrarum rerum, constat ex Patribus, qui eadem voce in prædicto sensu utuntur, ut D. Dionysius *cap.* 1 *Eccles.* Sacri DD. *Hierarch.* Tertullianus *lib.* 1, *contra Marcionem, cap.* 28, *et lib. de præscript. hæret. cap.* 40, D. Cyprianus *lib.* 1, *epist.* 6, *et lib.* 2, *epist.* 6, *et lib.* 4, *epist.* 7, Lactantius *lib.* 3, *cap.* 30, D. Hilarius *in Psalm.* 121, D. Hieronymus *in Malach. cap.* 1, et in Ezechiel. *cap.* 44, et in Matth. *cap.* 28, D. Augustinus *epist.* 18, *et epist.* 118, *et lib.* 2, *de doctrina Christiana, cap.* 3, Victor Papa *epist.* 2, Anastasius Secundus *in epist. ad Anastasium Imperatorem, cap.* 8, Nicolaus Primus *in suis rescriptis, tit.* 11, *cap.* 5, et alii satis communiter. Unde falsitatis convincitur Kemnitius loco allegato, retundi-

turque ejus calumnia, dum profert D. Augustinum primum fuisse, qui sacramenti vocabulum in præmissa acceptione, quam intendimus, usurpaverit : nam, ut alios omittamus, liquet Dionysium, Lactantium, Tertullianum, Cyprianum, Hilarium antiquiores fuisse Augustino: cujus vel sola auctoritas censuris Novatorum præferri debet. His itaque de causis jam pridem Ecclesia Catholica sacramentorum vocabulo usa fuit ad significandum illa signa, aut symbola, in quorum applicatione sacramur, ut legitimam de sacramentis doctrinam fidelibus proponeret: sic enim procedunt, et in hoc sensu loquuntur Concilia generalia, Lateranense sub Innocentio III, Constantiense, Florentinum, et Tridentinum, ut constabit ex eorum decretis in hoc opere allegandis.

Concilia.

Methodus observanda.

6. Materia igitur, sive subjectum præsentis considerationis est sacramentum, sumptum (aliis acceptionibus nunc prætermissis), pro signo rei sacræ, et occultæ. Porro ne ab scopo, in quem principaliter collimamus, ex parte aberremus, et a semita, quam hactenus prosecuti fuimus, et modo premere intendimus, deflectamus: oportet hanc ipsam materiam, aut potius modum illam tractandi, methodumque observandam ulterius, ac pressius determinare. Tria namque disputationum genera, queunt in consideratione sacramentorum occurrere. Primum dogmaticum, ad stabiliendum veritatem sacramentorum contra hæreticos, qui Catholicam eorum doctrinam, atque assertionem labefactare moliuntur. Secundum scholasticum, sive speculativum, quod complectitur quæstiones inter ipsos catholicos, salvis semper fidei articulis, agitatas. Tertium est practicum, seu morale, illa præcipue considerans, quæ ad debitam sacramentorum administrationem, et receptionem, ut rite fiant, desiderantur. Nostri autem instituti est secundum, sive medium seligere, illique ex more, quem in præcedentibus observavimus, toto conatu incumbere, et difficultates scholasticas circa sacramenta occurrentes pro virili enucleare Illas enim, quæ fidei dogmata important, Controversistis, ad quos pertinent, relinquimus, eo tantum studio contenti, ut id ex illis præcise delibemus, aut supponamus, quod pro introductione difficultatum scholasticarum prætermitti non valeat. Similiter illas, quæ circa praxim versantur, ad Magistros casuum conscientiæ referre oportet: quocirca eas tantum, idque breviter, attingere in animo habemus, quæ absque claritatis dispendio non attingi nequeant. Cæterum quamvis ita statuamus, timemus non pœnitus stare præintentis, atque promissis: plurima enim sese offerent tam dogmatica, quam moralia, quæ occasione, vel diluendi argumenta, vel præmittendi dubiorum thesim, vel colligendi necessaria consectaria discutere opus sit. At mentem, sicut diximus, et præcipuum studium in eo ponere curabimus, ut difficultates mere scholasticas extricemus, assignando metaphysice sacramentorum essentiam, constitutionem, vires, effectus, causas, subjecta, et reliqua, quæ ejusmodi notitiam speculativam concernunt, et per se ad institutum nostrum spectant.

Dignitas præsentis Tractatus.

7. Porro necessitatem, utilitatem, ac jucunditatem hujus considerationis nemo non videt, qui sciat, quot nobis bona ex sacramentis proveniant, vita scilicet gratiæ, robur, confirmatio, et augmentum, ut superfluum censeamus lectorem ad capessendum hujusmodi notitiam pluribus allicere. Satis itaque superque erit verba expendere Sacræ Synodi Tridentinæ in procemio ad sess 7: « Ad consummationem salutaris de « justificatione doctrinæ, quæ in præce- « denti proxima sessione uno omnium Pa- « trum consensu promulgata fuit, consen- « taneum visum est de sanctissimis Eccle- « siæ Sacramentis agere, per quæ omnis « vera justitia, vel incipit, vel cœpta auge- « tur, vel amissa reparatur. » Deterrere tamen nos posset materiæ obscuritas, quam opus est, afferant sacramenta, mysteria scilicet, symbola, et typi rerum abditarum, quæ sacros quosdam, et secretos ab infimis cogitationibus nostris recessus obtendunt. Unde Angelicus Præceptor in prologo supra relato optime observavit sacramenta assimilari nebulæ, quæ perspicuam, distinctamque objectorum visionem, atque liberum prospectum impedire solet. Sic enim ait: « Medicina omnium in festinatione « nebulæ, Eccles. 43. Sacramenta novæ « legis per nebulam designantur triplici « ratione. » Et propositis duabus, subjungit: « Tertio propter occultationis effectum. « Nam per nebulam occultantur res a nos- « tris aspectibus: ita, et in sacramentis « occultatur invisibilis gratia, quæ opera- « tur salutem. 3, Reg. 8, dixit Dominus, ut inhabitaret

Conci. Trid.

Difficultas, obscuritas.

D. Th.

« inhabitaret in nebula. Hujus ergo nebu- « læ, scilicet Ecclesiæ sacramenta descri- « buntur in verbis præmissis. » At non est, quare ad obscuram nebularum istius modi præsentiam derreamur, et refugiamus : nam Aquinatis Sol has nebulas non dispellit, sed illuminat ; non dispergit, sed doctrinæ radiis adornat, et summæ claritatis lumine temperat nobis conspicuas. Quare non desperantes ipsius gloriosa suffragia apud Deum patrem luminum, quæ identidem petimus, difficultatem etsi impares aggredimur, et textum S. Doctoris, facem videlicet inter nebulas prælucentem, jam submittimus.

QUÆSTIO LX

De Sacramentis in octo articulos divisa.

Post considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati considerandum est de Ecclesiæ sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent. Et prima consideratio erit de sacramentis in communi. Secunda de unoquoque sacramento in speciali. Circa primum quinque consideranda sunt. Primo quid sit sacramentum. Secundo de necessitate sacramentorum. Tertio de effectibus sacramentorum. Quarto de causa eorum. Quinto de numero. Circa primum quæruntur octo. Primo, etc.

ARTICULUS I.

Utrum sacramentum sit in genere signi ?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim sacramentum dici a sacrando, sicut medicamentum a medicando. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causæ, quam ad rationem signi. Ergo sacramentum magis est in genere causæ, quam in genere signi.

Præterea, sacramentum videtur aliquid occultum significare : secundum illud Tob. 12 : *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Et Ephes. 3. Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo. Sed illud quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi. Nam signum est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire : ut patet per August. *in* 2 *de Doctrin. Christ.* Ergo videtur quod sacramentum non sit in genere signi.

Præterea, juramentum quandoque sacramentum nominatur : dicitur enim in *Decr.* 22, *quæst.* 5 : Parvuli, qui sine ætate rationabili sunt, non cogantur jurare : et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum (id est) juramentum accedat. Sed juramentum non pertinet ad rationem signi. Ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi.

Sed contra est, quod August. dicit *in* 10 *de Civit. Dei*, Sacrificium visibile, invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est.

Respondeo dicendum, quod omnia, quæ habent ordinem ad unum aliquid (licet diversimode) ab illo denominari possunt, sicut a sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum, non solum animal, quod est sanitatis subjectum, sed dicitur, medicina sana, in quantum est sanitatis effectiva : diæta vero in quantum est conservativa ejusdem, et urina, in quantum est significativa ipsius. Sic igitur sacramentum potest aliquid dici, vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam (et secundum hoc, sacramentum idem est quod sacrum secretum), vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causæ, vel signi, vel secundum quamcumque aliam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de sacramentis, secundum quod important habitudinem signi, et secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi.

Ad primum ergo dicendum, quod quia medicina se habet ut causa effectiva sanitatis, inde est, quod omnia denominata a medicina, dicuntur per ordinem ad unum primum agens, et propter hoc medicamentum importat causalitatem quandam. Sed sanctitas, a qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causæ efficientis, sed magis per modum causæ formalis, vel finalis : et ideo non oportet. quod sacramentum semper importet causalitatem.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod sacramentum idem est quod sacrum secretum. Dicitur autem non solum Dei secretum, sed etiam Regis, esse sacrum , et sacramentum , quia secundum antiquos sancta, vel sacrosancta dicebantur, quæcumque violari non licebat : sicut etiam muri civitatis, et personæ in dignitatibus constitutæ. Et ideo illa secreta, sive divina, sive humana, quæ non licet violari , quibuslibet publicando, dicuntur sacra, vel sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod etiam juramentum habet quandam habitudinem ad res sacras : in quantum scilicet est quædam contestatio facta per aliquid sacrum. Et secundum hoc dicitur juramentum esse sacramentum, non eadem ratione, qua nunc loquimur de sacramentis, non tamen æquivoce sumpto nomine sacramenti, sed analogice, scilicet secundum diversam habitudinem ad aliquid unum, quod est res sacra.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS II.

Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum ?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum. Omnes enim creaturæ sensibiles sunt signa rerum sacrarum, secundum illud Rom. primo, invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intelllecta, conspiciuntur. Nec tamen omnes res sensibiles possunt dici sacramenta. Non ergo omne signum rei sacræ, est sacramentum.

Præterea : Omnia quæ in veteri lege fiebant, Christum figurabant, qui est sanctus sanctorum : secundum illud primæ ad Corinth. 10 omnia in figura contingebant illis. Et Coloss. 2 : Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Nec tamen omnia gesta Patrum veteris testamenti, vel etiam omnes cæremoniæ legis sunt sacramenta : sed quædam specialiter : sicut in secunda parte habitum est. Ergo videtur. quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum.

Præterea : Etiam in novo Testamento multa geruntur, in

signum alicujus rei sacræ, quæ tamen non dicuntur sacramenta : sicut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, et similia. Non ergo omne signum rei sacræ, est sacramentum.

Sed contra est, quod definitio convertitur cum definito. Sed quidam definiunt sacramentum per hoc quod est sacræ rei signum, et hoc etiam videtur ex auctoritate Aug. supra inducta. Ergo videtur, quod omne signum rei sacræ, sit sacramentum.

Respondeo dicendum, quod signa proprie dantur hominibus, quorum est, per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacræ ad homines pertinentis : ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.

Ad primum ergo dicendum, quod creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet sapientiam, et bonitatem divinam, in quantum sunt in seipsis sacra : non autem in quantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

Ad secundum dicendum, quod quædam ad vetus Testamentum pertinentia, significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est. Quædam vero significabant sanctitatem ejus, in quantum per ea nos sanctificamur : sicut immolatio agni Paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod res denominatur a fine, et complemento : dispositio autem non est finis neque perfectio. Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta (de quibus procedit objectio), sed solum ea quæ significat perfectionem sanctitatis humanæ.

Conclusio : *Sacramentum proprie dicitur signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.*

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non sit signum nisi unius rei. Id enim, quo multa significantur, est signum ambiguum, et per consequens fallendi occasio : sicut patet de nominibus æquivocis. Sed omnis fallacia debet removeri a Christiana Religione : secundum illud Coloss. 2 : Videte, ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam. Ergo videtur, quod sacramentum non sit signum plurium rerum.

Præterea, sicut dictum est, sacramentum significat rem sacram, in quantum est humanæ sanctificationis causa. Sed una sola est causa humanæ sanctificationis, scilicet sanguis Christi, secundum illud Hebr. ult. : Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Ergo videtur, quod sacramentum non significet plura.

Præterea : Dictum est, quod sacramentum proprie significat ipsum finis sanctificationis. Sed finis sanctificationis est vita æterna : secundum illud Rom. 6 : Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Ergo videtur, quod sacramentum non significet nisi unam rem, scilicet vitam æternam.

Sed contra est, quod in sacramento altaris est duplex res significata, scilicet corpus Christi verum, et mysticum, ut Augustin. dicit *in lib. sentent. Prosperi.*

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) sacramentum proprie dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet, ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, et forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia, et virtutibus : et ultimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est, et signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet passionis Christi, et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, et prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ.

Ad primum ergo dicendum, quod tunc est signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud. Sed quando significat multa secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum : sicut hoc nomen homo, significat animam, et corpus, prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria prædicta, secundum quod quodam ordine sunt unum.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, prout est sanctificans.

Ad tertium dicendum, quod sufficit ad rationem sacramenti quod significet perfectionem, quæ est forma : nec oportet quod solum significet perfectionem, quæ est finis.

Conclusio : *Sacramentum significat causam, formam et finem sanctificationis nostræ.*

DISPUTATIO I.

De essentia Sacramenti in communi.

Licet quæstio *an sit* regulariter præcedat quæstionem *quid sit ;* non semel tamen oportet ordinem prædictum invertere : quia nisi præmittatur notitia essentiæ rei, vix, aut nullo modo determinari valet, an in rerum natura existat. Et hac ratione ductus D. Thom. cum ostensurus esset sacramentorum existentiam argumento desumpto a necessitate, quam eorum habemus, non potuit non præmittere eam notitiam, quæ ad cognoscendum illorum quidditatem desideratur : quippe illa non præambula, vanum videretur rei incognitæ existentiam asserere. Manifestatur autem rei essentia per diffinitionem : et hæc constat genere, et differentia. Unde D. Thom. ut præintentum scopum attingeret, in primo hujus quæstionis articulo statuit proprium sacramenti genus; et in duobus sequentibus assignavit ipsius differentiam. Cui ordini utpote præstantissimo hærebimus in dicendis. Et ideo sit

DUBIUM I.

In quo genere Sacramentum formaliter sumptum essentialiter constituatur?

Diurna experientia compertum habemus nulla nos dubia difficilius proponere, discutere, atque decidere, quam quæ in limine similium Tractatuum occurrunt : quoniam eis terminis agitari debent, quorum perfecta notitia pendet plane ex dicendis in

ipsorum

ipsorum Tractatuum progressu : unde plura, vel anteverti debent non sine ordinis inversione; vel indigeste proponi non absque dispendio lucis. Idque nobis accidit in præsenti : non enim possumus propositam difficultatem superare, nisi aliqua rudi saltem minerva attingamus, quorum exacta discussio ad subsequentes disputationes spectat, et ab eisdem mutuari debet. Curabimus tamen circa illa non diffluere, sed ea tantum delibare, quibus omnino, ut dubium decidamus, opus habemus.

§ I.

Aperitur status quæstionis.

(a- li tio.) 1. Primo itaque observandum est præsentem difficultatem non procedere circa hanc vocem *Sacramentum* : manifestum namque apparet sacramentum sic acceptum esse in genere signi ; cum sit vox significativa ad placitum, sicut hæc nomina *homo*, *animal*, quæ sunt signa ad placitum repræsentantia objecta, pro quibus supponuntur, ut docet Aristot. lib. 1 *de Interpr. cap.* 1. Sed sermo est de sacramento objective sumpto, hoc est, de re, quam hoc nomen *Sacramentum* repræsentat : idque in titulo sacramenti nomine significamus. Secundo nota sacramentum sic objective sumptum esse quoddam concretum, sive compositum, in quo plura, et plures compositiones concurrunt. (ti- in a- ito po- o.) Quod facile exemplo aliorum concretorum accidentalium, et aptissimum occurrit in moneta : quippe in hac invenitur materia prima, et forma substantialis, ex quibus componitur æs : rursus hoc compositum se habet ut materia, ex qua et ex forma artis, sive sigillo regis componitur moneta : denique moneta sic sigillata comparatur tanquam materia ad ulteriorem formam, nempe ad impositionem valorantem, ex qua habet significationem, et causalitatem moralem in contractibus. Et aliunde etiam non repugnat, quod moneta ex parte formæ physicæ habeat aliquas virtutes, quibus physice influat in quosdam effectus, ut puta, dividendo, impellendo, infrigidando, etc. Sic ergo plura, et plures formas, et compositiones in sacramentis distinguere possumus exemplo deducto ab his, quæ nobis notiora sunt. Nam in baptismo v. g. occurrit primo materia remota, nempe, aqua ex materia, et forma substantiali coalescens, quæ fit materia proxima, cum ablutione applicatur, et determinatur : deinde hoc ipsum compositum se habet ut materia, ex qua, et ex verbis tanquam ex forma resultat compositum, sive concretum morale, quod denominatur baptismus : denique hoc ipsum compositum se habet ut materia ad ultimiorem formam, nempe ad significationem, per quam constituitur in ratione signi significantis gratiam regenerantem ex institutione divina. Aliunde vero habet etiam baptismus virtutem causativam, qua influit in gratiam.

2. Cum igitur baptismus (et idem intellige de aliis sacramentis) tot, adeoque diversa importet ; manifestum est, quod secundum differentes rationes, et considerationes pertinet ad genera valde diversa. (Sacramentum potest ad plura genera revocari.) Nam consideratum ex parte materiæ remotæ, nempe aquæ, est in prædicamento substantiæ : consideratum vero ex parte materiæ magis proximæ, nimirum ablutionis, constituitur in prædicamento actionis: et rursus hæc ipsa actio, si religioso modo fiat, est in genere ritus, et cæremoniæ, pertinetque ad virtutem religionis. Porro si in baptismo attendamus ad virtutem causativam, constituendus est in genere causæ : sed si consideremus ipsum ut significat, in genere signi collocandus erit. Unde negari nequit, quod baptismus secundum diversas rationes, expressiones, et modificationes sumptus pertineat ad differentes ordines, eosque valde diversos. Quare secundum omnes illas rationes consideratus non potest in uno aliquo determinato genere collocari. Nec in hoc sensu locum habet proposita difficultas.

Cæterum cum certum sit sacramentum formaliter sumptum in ratione sacramenti non esse ens omnino per accidens, nec importare formaliter, et per se cuncta illa, quæ recensuimus; sed plura dicere de materiali, et præsuppositive; aliud vero de formali, sive ex parte formæ, per quam in esse sacramenti constituitur, ut facile declarari potest exemplo aliorum concretorum, et compositorum accidentalium : plane fateri oportet sacramentum formaliter sumptum in aliquo determinato genere collocari, sicut et formam, per quam in esse sacramenti constituitur. (Sacramentum formaliter sumptum debet in uno determinato genere constitui.) Unde controversiæ obnoxium relinquitur, quodnam sit illud ? idque dubii titulus investigat, cum inquirit, *in quo genere Sacramentum formaliter sumptum, etc.* Et ut alios tituli terminos expli-

cemus, observandum est hæc duo valde differre, esse realiter, et physice aliquid; et esse essentialiter aliquid : nam ad primum sufficit identitas, et inclusio ex parte materiæ; ad posterius vero requiritur quidditativa, et metaphysica constitutio. Ex quo fit optime componi posse, quod aliquid pertineat realiter, et identice ad aliquod genus; et quod nihilominus in eo essentialiter non collocetur. Sic enim album (et idem intellige de aliis concretis, et compositis accidentalibus), realiter, aut identice est substantia, et in prædicamento substantia constituitur : et tamen non est essentialiter in tali genere, sed in genere qualitatis, sicut et albedo, quæ ipsum in esse albi constituit. Quare licet ex præmissis habeatur, quod sacramentum realiter, et identice possit pertinere ad genus substantiæ, aut etiam actionis, vel qualitatis juxta diversitatem materiæ, vel remotæ, vel proximæ, quas præsupponit, et concernit : nihilominus adhuc discutiendum restat, in quo genere *essentialiter constituatur*, ut titulus dubii proponit. Quod profecto habebit juxta conditionem formæ, aut rationis, per quam constituitur in esse sacramenti, sicut in aliis concretis accidit. Unde in idem revera recidit inquirere (ut nos facimus), in quo genere sit essentialiter sacramentum; ac inquirere (ut faciunt alii), per quam rationem, aut formam in conceptu communi sacramenti constituatur.

Trahitur sacramentum ad specialiora genera

3. Ne vero immoremur circa non necessaria, et quæ in omnium sententia materialiter, aut accidentaliter se habent ad sacramenta; tria principaliter occurrunt, de quibus dubitari potest, an sacramentum in eorum genere constituendum sit. Est namque sacramentum in primis quidam ritus, aut cæremonia sacra ad cultum Dei, ac perinde ad religionem spectans. Nam sacramentorum usu sensibiliter profitemur nos quærere salutem a Deo salvatore : quod pertinere ad ipsius Dei cultum manifestum est. Unde D. Thom. 1, *quæst.* 102, *art.* 5, ait : « Sacramenta proprie dicuntur illa; « quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quan- « dam consecrationem, per quam scilicet « deputabantur quodammodo ad cultum « Dei. » Deinde sacramentum solet esse, et dici causa alicujus sanctificationis, idque repræsentatur in ejus diffinitione, ut constat ex D. Isidoro lib. 6, Eyim. cap. 8 : « Sacramentum est, per quod sub tegumento « visibilium divina virtus sacratius opera- « tur. » Et ex Magistro in 4, dist. 1: « Sa- « cramentum est invisibilis gratiæ visibi- « lis forma, ita ut ejus imaginem gerat, et « causa existat. » Et plura alia similia testimonia proferemus infra num. 24. Denique sacramentum est signum sanctitatis, ut liquido probant, quæ expendimus in proœmio num. 5, et probabunt dicenda num. 5. Idque intendit, atque optime ostendit D. Thom. in præs. art. 1, ex analogia attributionis, quam habent omnia illa, quæ denominantur sacramenta. Sicut enim sanum dicitur non solum, quod habet formaliter sanitatem, ut animal, sed etiam omne id, quod importat habitudinem ad talem sanitatem, vel per modum causæ, ut medicina, vel per modum signi ut vrina : sic etiam sacramentum dicitur non solum quod habet sanitatem occultam, sed etiam quod tanquam signum, aut causa importat habitudinem ad prædictam sanctitatem : ergo aliquod signum, nempe talis sanctitatis, est, et denominatur sacramentum : atque ideo procedendo cum simplici conversione, aliquod sacramentum est signum. In quo non amplius immoramur, quia satis constabit ex dicendis a num. 5.

D. Tho. · D. Isid. · Mag.

Sacramentum non constituitur solo genere cæremoniæ

4. Dubitari itaque potest, an sacramentum essentialiter constituatur in omnibus prædictis generibus ritus causæ, et signi, vel saltem in eorum aliquo, et in quo? Ut autem ad controversiam scholasticam, et inter Theologos Catholicos agitatam magis accingamur, atque a disputatione dogmatica cum hæreticis nos explicemus juxta ea, quæ in proœmio proposuimus: supponendum duximus sacramentum non constitui essentialiter in solo genere ritus, aut cæremoniæ exclusis causæ, atque signi rationibus. Sic supponimus contra Lutheranos aliquos, et Calvinistas omnes, qui cum sentiant sanctificationem, aut justificationem nostram non fieri per formam aliquam inhærentem, sed per solam applicationem justitiæ Christi fide apprehensæ; consequenter negant baptismum, cæteraque sacramenta, quæ admittunt, esse causas nostræ justitiæ : et ulterius cum eadem consequentia negant, quod sint signa justificationis nostræ, quæ scilicet in sacramentorum applicatione contingat, ut Catholici e contra affirmant. Quare prædicti hæretici solum concedunt sacramenta esse præcise ritus quosdam, et cæremonias, et oppignorationes,

oppignorationes, quibus homo se Deo obstringit, et quibus Deus suæ erga nos benevolentiæ promissiones obsignat, ut constat ex pluribus eorum diffinitionibus, aut descriptionibus, quas refert Sayrus lib. 1, cap. 2, art. 5, appendice. Innituntur autem fundamento proxime insinuato : quoniam ex una parte sacramenta nullam habent similitudinem cum nostra justitia interna : ergo nequeunt illam repræsentare, atque ideo nec ejusdem signa esse. Ex alia vero parte sacramenta nullum influxum habere queunt in prædictam justitiam ; cum ista non sit forma producta, ut ipsi hæretici affirmant : vel esto, sit, ut Catholici docent, transcendit tamen vim rerum sensibilium, in quibus sacramenta consistunt. Restat igitur, quod sacramenta non sint signa, vel causæ ; sed solum quidam ritus, et cæremoniæ, per quæ Deum colimus, et quibus annexa sit aliqua Dei promissio, vel executæ promissionis obsignatio.

Sayrus

Concilium Tridentinum.

Sed suppositio nostra est certa secundnm fidem, ut patet ex Concilio Tridentino *sess.* 7, ubi oppositam hæresim, et in sensu ab ejus Auctoribus intento condemnat. *Can.* 2, his verbis : « Si quis dixerit ea ipsa novæ « legis sacramenta a sacramentis antiquæ « legis non differre, nisi quia cæremoniæ « sunt aliæ, et alii ritus externi, anathe- « ma sit. » Et Can. 6. « Si quis dixerit « sacramenta novæ legis non continere « gratiam, quam significant, aut gratiam « ipsam non ponentibus obicem non con- « ferre, quasi signa tantum externa sint « acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, « et notæ quædamChristianæ professionis, « quibus apud homines fideles discernun- « tur ab infidelibus, anathema sit. » In quibus decretis manifeste improbatur contraria hæreticorum assertio, quod sacramentum est præcise in genere ritus, aut cæremoniæ. Et quamvis Concilium loquatur specialiter de sacramentis novæ legis ; nihilominus inde efficaciter colligitur, quod conceptus communis sacramenti non sit sola ratio ritus, aut cæremoniæ : si enim res ita se haberet, opus foret sacramenta antiqua, et nova participantia communem, sive genericum conceptum ritus, vel cæremoniæ, solum differre sub illo penes particulares differentias intra illud genus, atque ideo penes esse alios, et alios ritus, atque alias, et alias cæremonias, sive differentes cultus, et professionis notas externas : quod tamen expresse damnat Concilium.

Motiva, ne Sacramentum sit præcise ritus.

Occurrunt etiam rationes Theologicæ, quæ id ipsum satis evincunt : quoniam cum inquiritur, in quo genere sit sacramentum, sermo est formalis, et minime refertur ad id, quod ex parte materiæ se habet in sacramento, sed illud, per quod in esse talis formaliter constituitur. Quamvis autem in omnibus sacramentis inveniatur quidam ritus, aut cæremonia ; nihilominus id se tenet ex parte materiæ, quæ elevatur ad rationem sacramenti, ut patet in ablutione, vel unctione religiose factis. Ergo inepte dicitur sacramenta non aliud esse, quam ritus, et cæremonias ; sed ulterius investigare, et assignare oportet aliquid aliud, per quod illæ cæremoniæ constituantur in esse sacramenti, et trahantur ad participandum genericam, aut communem hujus rationem. Accedit primo innumeros esse ritus, sive cæremonias, qui sunt externæ notæ diversæ professionis ; et tamen sacramenta non sunt : ergo communis sacramenti ratio in solo conceptu ritus, vel cæremoniæ minime salvatur ; sed oportet aliquid ulterius pro ejus constitutione assignare. Accedit secundo, quod licet in eadem re, vel actione externa coincidant aliquando ratio cæremoniæ sacræ, et ratio sacramenti ; nihilominus hujusmodi rationes sunt valde differentes, ut liquet ex terminis, ad quos earum habitudines terminantur : quippe ritus, et cæremoniæ, cum importent Dei cultum, et a religione imperentur, Deum respiciunt, et internam religionem, quam protestantur. Sed sacramenta, cum ordinentur ad bonum hominum suscipientium ; ipsos respicit, atque justitiam, qua sacrantur, ut insinuavit D. Thom. 1, 2, quæst. 101, art. 4, simili ratione distinguens inter sacramentum, et sacrificium. Sequitur ergo, quod sacramentum formaliter sumptum non constituatur essentialiter in solo genere ritus, aut cæremoniæ. In quo amplius non immoramur, quia id ex dicendis a fortiori constabit, sicut et responsio ad hæreticorum motiva. Unde proposita difficultas revocatur tandem ad genus signi, vel ad genus causæ, vel ad utrumque. Pro cujus resolutione sit

§ II.

Prior, et communis assertio.

5. Dicendum est primo sacramentum formaliter sumptum constitui essentialiter in genere signi. Sensus hujus conclusionis satis liquet ex prænotatis : significat enim, quod de sacramento formaliter considerato in esse sacramenti prædicatur essentialiter signum tanquam genus, in quo sacramentum convenit cum aliis signis, quæ sacramenta non sunt. In quo sensu Arauxo in præs. art. 2, dub. 1, conclus. 3, judicat assertionem nostram esse certam certitudine conclusionis Theologicæ ; ita ut ejus oppositum absque erroris nota nequeat sustineri. Prado autem dub. 1, num. 18, admiratur hanc censuram, asserens se nescire, unde illam desumpserit Arauxo, et quod illam minime adhiberet, si quæ pro parte contraria ipse affert, ponderasset, aut vidisset. Sed Prado non bene sententiam illius Auctoris expendit : nam longe diversum est, quod sacramentum sit essentialiter signum, et quod sacramentum solum sit essentialiter signum, aut constituatur præcise in genere signi. Et cum Arauxo primum illud statuerit, illique applicuerit relatam censuram, minime statuens secundum (sicut etiam nos in præsentiarum procedimus). et quod ipsum munierit excessiva censura, Inquo plane ipse decipitur. Fatendum itaque est sententiam, quæ docet sacramentum constitui non solum in genere signi, probabilem esse, nullique censuræ obnoxiam. Illam vero, quæ negat sacramentum esse essentialiter signum, aut in genere signi, nullo modo judicamus probabilem, sed magis dignam censura aliqua. Quæ apud nos, (quidquid amplius intenderit Arauxo) est ad minus nota temeritatis : et quantum ad hoc illi subscribimus. Nam assertionem nostram simpliciter, et prout jacet, tam communiter, et unanimiter docent omnes Theologi antiqui, et moderni, ut temerarium appareat illorum auctoritati se opponere. Fundamentum etiam statim expendendum evincit non solum assertionis veritatem, sed gradum etiam certitudinis, quem illi attribuimus.

6. Probatur igitur urgentissime : nam cum aliquid esse sacramentum, et sacramenti habere essentiam, et conditiones, proveniat ex institutione Dei, quæ nec aliter, nec congruentius nobis innotescit, quam per Scripturam, Concilia, Patres, Theologos ; in illo equidem genere fatendum est sacramentum constitui, in quo satis aperte ipsum collocant Scriptura, Concilia, Patres, et Theologi. Et oppositus discurrendi modus circa hæc, et alia, quæ ex divina institutione dependent, est plane voluntarius, irrationalis, et (ut rem dicamus) Deo injuriosus, cujus latentem providentiam dimetiri audet solo naturalis discursus palmo, omissa doctrinæ revelatæ regulatione. Sed Scriptura, Concilia, Patres, et Theologi, quando de sacramentis agunt, nihil frequentius prædicant, nihil evidentius affirmant, quam sacramenta esse signa. Ergo sacramentum formaliter consideratum constituitur essentialiter in genere signi. Major hujus discursus debet esse omnino certa apud Theologos, ut motivum eidem insertum liquido evincit, quin opus sit alia expendere. Consequentia vero legitime infertur ex præmissis, præsertim arguendo ab opposito consequentis : nam si sacramentum formaliter sumptum non pertineret essentialiter ad genus signi ; sed hujus ratio pure materialiter, aut accidentaliter, aut identice se haberet ad sacramentum in esse talis : profecto fieret Scripturam, Concilia, Patres, et Theologos prorsus diminute, imperfecte, et obscure processisse in proponendo nobis sacramentorum doctrinam ; cum tam serie, semper, et perspicue diffiniant ea esse signa. Quod absque omnium illorum gravi injuria dici non potest.

Minor autem, in qua poterat esse difficultas, demonstratur quoad singulas partes. Nam in primis Scriptura cum loquitur de circumcisione (sacramento scilicet in lege antiqua notissimo, de quo nemo dubitat), illam plane vocat *signum*, ut constat Gen. 17: *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, et vos.* Et ad Rom. 4: *Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei.* Et idem intelligendum est de aliis sacramentis antiquis, de quibus D. Thom. *infra quæst.* 62, *art.* 6, generaliter concludit : « Circumcisio, sicut « et alia sacramenta veteris legis, erat so- « lum signum fidei justificantis. Unde « Apost. dicit ad Rom. 4, quod Abraham « accepit signum circumcisionis, signacu- « lum justitiæ fidei. Et ideo in circumcisio- « ne conferebatur gratia, in quantum erat signum

Sacramentum signum in scriptura.

Genes. 17.

Ad Rom. 4.

D. Tho.

« signum passionis Christi futuræ. » Idem satis aperte significat scriptura de sacramentis legis gratiæ. Nam de Baptismo di- l Rom. 6. citur ad Rom. 6, *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem Christi*, hoc est, similitudinem, et configurationem mor- Chry- sost. Ad phes 5. tis Christi, ut exponit D. Chrysost. *hom.* 40, *in* 1, *ad Corinth.* De matrimonio dicitur ad Ephes. 5, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia*, nempe est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut omnes interpretantur. Denique de Eucharistia manifeste constat ex scriptura, quod est signum repræsentans Christum, et mortem ejus, juxta illud Lucæ 22. I. d Co- inth. II. Lucæ 22 : *Hoc facite in meam commemorationem*. Et 1, ad Corinth. 11 : *Mortem Domini annuntiantes* (id est repræsentantes, et significautes), donec veniat. Constat igitur sacrementa in scriptura vocari signa.

i Con- ciliis. Præterea idem aperte significant Concilia : nam ut alia omittamus, in Concil. lorcn- tin Florentimo post ultimam sess. § *Quinto Ecclesiasticorum* dicitur : « Sacramenta « antiquæ legis non causabant gratiam, « sed eam solum dandam per passionem « Christi figurabant, » hoc est significabant. ident Et in Tridentino sess. 7, *Can.* 6 : « Si quis « dixerit Sacramenta non continere gra- « tiam, quam significant, etc. anathema « sit. » Et sess. 13, cap. 3 : « Commune « hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ « cum cæteris sacramentis symbolum esse « rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam « visibilem, » nempe signum. Et similia Const. occurrunt in Concilio Constantiensi, et in Latera- nense. Cathec. Rom. Lateranensi sub Innocentio III. Unde in Catechismo Romano jussu Pii V edito dicitur sacramentum esse *rem subjectam sensibus, quæ Dei institutione sanctitatis, et justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet*. Ergo ex sacrorum Conciliorum sententia sacramentum est quoddam signum.

i Patri- bus. Dion. 7. Deinde Patres non minus expresse loquuntur : nam D. Dionysius *de Eccles. Hierarch.* cap. 5, diffinit sacramenta esse mys- Clem. Alex. teriorum signa. Clemens Alexandrin. lib. 5, *strom.* illa vocat *mysteriorum symbola*. Basil. D. Basilius *in exhort.* ad baptismum, affirmat ipsum esse *militiæ christianæ symbo-* Aug. Amb. *lum*. D. August. epist. 109 et lib. 2, *de doctrina christiana*, cap. 3 *et* lib. 10, *de Civi-* Dam. *tate*, cap. 5, Sacramenta appellat *signa* Bern. *sacra*, et lib. *de catechizand. rudib.* cap. 26, *sacra signacula*. Et lib. 19, *contra Faustum*, cap. 16, *verba visibilia*. Et lib. 10, *de Civitate*, cap. 5, quem locum allegat D. Thom. in præs. art. 1, ait : « Sacrificium « visibile invisibilis sacrificii sacramen- « tum, id est, sacrum signum est. » Et epist. 5, statuit : « Longum est convenien- « ter disputare de varietate signorum, « quæ cum ad res sacras pertinent, sacra- « menta appellantur. » Eodem modo loquuntur D. Ambros. lib. 4, *de Sacramentis*. D. Damascen. lib. 4, *de fide*, cap. 10, D. Bernard. *in serm. de Cœna Domini* affirmans sacramentum esse *sacrum signum*, et alii Patres.

Tandem si veniamus ad Theologos, nihil Apud Theolog. frequentius ab eis audiemus, quam sacramenta quædam signa esse. Unde, ut prolixitatem non necessariam vitemus, satis erit audire illorum duces. Magister in 4, Magis- ter. dist. 1, cap. *de sacramentis diffinit*, quod sacramentum est *invisibilis gratiæ visibilis forma, cujus similitudinem gerit, et causa existit*. Quam diffinitionem explicant, et amplectuntur communiter Scholastici. Angelicus Doctor Theologorum Princeps, sic D. Tho. determinat in præs. art. 2 : « Proprie dici- « tur sacramentum, quod est signum rei « sacræ ad homines pertinentis : ut scilicet « proprie dicatur sacramentum, secundum « quod nunc de sacramentis loquimur, « quod est signum rei sacræ, in quantum « est sanctificans homines. » Scotus etiam Scotus. in 4, dist. 1, quæst. 2, § *De tertio principali* in hunc modum resolvit : « Sacramentum « est sensibile signum gratiam Dei, vel ef- « fectum ejus gratuitum ex institutione di- « vina efficaciter significans, ordinatum ad « salutem hominis viatoris. » Atque ista est velut communis vox Scholasticorum, et Theologorum : qualibet enim via, aut diffinitione describant sacramentum, semper explicant esse signum, ut D. Thom. in præs. art. 1, merito dixerit : « Specialiter autem « nunc » (idest, secundum considerationem Theologicam, et quantum ad Theologos attinet), « loquimur de sacramentis secun- « dum quod important habitudinem signi : « et secundum hoc sacramentum ponitur « in genere signi. » Ad quæ verba egregie adnotavit Suarez *in Comment. prædicti art.* Suarez. D. Thomam resolvere sacramentum esse signum rei sacræ. « Quod autem in præs. « materia, in hac significatione hæc vox « sumatur, supponit ex communi usu eo- « rum, qui de ea scribunt, aut loquuntur :

« significatio enim vocum ex usu tantum « probari potest. Quæstiones autem, quæ « sunt de quidditate, vel essentiis rerum, « nec tractari, nec expediri a nobis possunt, « nisi vocum significatio ex communi « modo loquendi supponatur. » Conveniunt igitur omnes Theologi in eo, quod sacramentum est signum.

[I]nstau-ratur moti-vum. 8. Unde colligendo quæ pro suadenda minore expendimus, reintegratur propositum fundamentum : nam cui congrue aptatur aliquod nomen, convenit etiam ratio per tale nomen significata: sed sacramento congrue aptatur nomen signi, ut liquet ex usu Scripturæ, Conciliorum, Patrum, et Theologorum : ergo sacramento convenit ratio per tale nomen significata : atqui non convenit per modum differentiæ essentialis, et constitutivæ; siquidem non omne signum est sacramentum, ut ex se liquet: ergo convenit per modum rationis genericæ, et communis tam sacramentis, quam aliis signis, quæ sacramenta non sunt. Consequens igitur est sacramenta constitui essentialiter in genere signi. Confirmatur, et declaratur : nam quando Scriptura, Concilia, et Patres, ac præsertim Theologi tam disserte affirmant sacramentum esse signum, minime loquuntur in sensu materiali, aut identico, aut mere accidentali : non enim id illorum gravitatem decebat, aut exactam rei discussionem : est ergo apud ipsos formalis hæc prædicatio, *Sacramentum est signum:* atqui in ea non prædicatur species de individuo: ergo prædicatur genus de specie, et consequenter sacramentum in signi genere collocatur.

[C]obo-[r]atur.

Ad hæc: quia omnes affirmant nomina esse signa, recte colligitur nomina formaliter sumpta constitui in genere signi, istudque tanquam genus de nominibus prædicari: sed omnes etiam affirmant sacramenta esse signa, ut evidenter constat ex relatis testimoniis: ergo ex communi hoc usu legitime infertur sacramenta formaliter considerata collocari in genere signi, et hoc ad illa per modum generis comparari. Nec hic opus erit præcludere effugium ad sensus improprios : quoniam verba Scripturæ, Conciliorum, et Patrum in sensu proprio accipienda sunt (alioquin nihil erit adeo firmum, quod his subterfugiis non ruat): præsertim vero Theologorum, qui pro sui muneris conditione res non tractant vocibus impropriis, sed materias versant subtiliter, et cum proprietate. Nec præterea opus erit alia fundamenta pro assertione nunc adjicere: tum quia præmissum sufficit: tum quia § 4 aliud satis efficax expendemus.

§ III.

Eliditur difficilis objectio, et explicatur, quod signi genus competat sacramentis.

9. Hic autem statim occurrit difficultas, Difficultas. quam hæretici num. 4 relati objiciunt, et dissimulare non debemus. Etenim signum in communi dividitur adæquate in signum naturale, et in signum ad placitum : sed sacramentum sub nullo ex his duobus generibus essentialiter constituitur : ergo nec sub communi signi ratione : atque ideo sacramentum formaliter sumptum in esse talis non est essentialiter signum. Cætera constant. Et minor ostenditur quoad utramque partem: nam in primis signum naturale repræsentat signatum ratione naturalis similitudinis, et connexionis cum illo : sed sacramentum non habet naturalem similitudinem, aut connexionem cum re sacra, quam repræsentant; quippe manifestum est aquam, aut ablutionem corporis in baptismo non esse similem gratiæ justificanti, nec illi naturaliter connecti : ergo sacramentum non est signum naturale. Deinde signum ad placitum est essentialiter ens rationis; siquidem constituitur per habitudinem ad signatum, quæ non est realis, sed rationis, ut constat in nominibus : sed de sacramentis formaliter sumptis dici non valet, quod sint essentialiter entia rationis; alias non essent in rerum natura, sed in sola intellectus consideratione ; quod est ridiculum : ergo sacramentum non est signum ad placitum.

Ad hanc difficultatem quidam respon- Aliquorum responsio. dent negando minorem quoad primam partem: existimant enim sacramenta habere naturalem similitudinem cum rebus, quas significant. Quod fundant in D. Augustino D. Aug. epist. 23, *ad Bonifacium*, ubi ait: « Si sa« cramenta quandam similitudinem ea« rum rerum, quarum sacramenta sunt, « non haberent, omnino sacramenta non « essent. » Similitudo autem constituit signum naturale : ergo ex sententia D. Augustini sacramenta dicenda sunt signa naturalia. Et conformiter ad mentem S. Doctoris

Hugo Victor. Magist. ris procedunt Hugo de S. Victore lib. 1, *de sacram.* part. 9, cap. 2, et Magister in 4, dist. 1, cap. 1, nam ille ait: « Sacramentum est corporale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine, repræsentans, etc. » Et iste inquit: « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut imaginem gerat, et causa existat. »

Confutatur. 10. Sed cujuscumque hæc responsio fuerit, communiter refellitur, et quidem merito: tum quia minime satisfacit objectioni, et probationi, qua objectio utitur: nam res per sacramenta significata est aliquid supernaturale, quod proinde excedit omnem naturam corporalem, quæ est sacramenti materia: ergo fieri non valet, quod sacramentum habeat similitudinem cum tali re, aut quod illam naturaliter repræsentet. Tum quia signum naturale habet repræsentare ex se, atque independenter ab alia extrinseca institutione: sacramentum autem non habet repræsentare res sacras ex se, sed ex institutione divina, ut palam expressit Hugo Victorinus in verbis relatis, *Ex institutione significans*, et liquet ex verbis Catechismi Romani relatis num. 6; ergo sacramentum non est signum naturale. Et sic censet communis Theologorum senten- D. Tho. tia cum D. Thom. in præs. quæst. art. 5, in corp. ubi ait: « Sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significantur: ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc, vel illo sacramento. » Et in resp. ad 2, addit: « Res sensibiles ad sanctificandum non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione divina. Et ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum. » Quæ satis demonstrant sacramenta non esse signa naturalia rerum, quas significant. Adde, quod licet sacramenta habeant de facto aliqualem similitudinem cum rebus significatis sensu statim declarando; nihilominus dubitari non debet, quod Deus possit elevare ad rationem sacramenti res prorsus dissimiles, et improportionatas: Joan. 9. sicut Christus illuminavit cœcum natum ponendo lutum super oculos ejus, quod ex se cœcitatem potius, quam illuminationem causare poterat. Non est igitur de conceptu sacramenti habere similitudinem cum re significata, aut illam naturaliter repræsentare. Et tunc procedit objectio, cui proinde præmissa responsione satisfieri non valet.

Et quod affertur ex D. Augustino, non urget: quia non loquitur de similitudine propria, quæ consistit in participatione naturæ, aut formæ ejusdem rationis, ut dicitur 5 *Metaph.* text. 16 et 30, quippe certum est talem similitudinem inter res corporeas, cujusmodi sunt sacramenta, et res spirituales, supernaturalesque, quales significant sacramenta, non reperiri. Sed loquitur de similitudine impropria, quæ dici solet proportionalitatis, sive inter proportionata, quamvis dissimilia simpliciter sint; sicut cum dicimus, quod Deus Pater ita relatione reali refertur ad Filium, quemadmodum homo pater refertur ad filium. Decuit enim, quod Deus elevaverit ad rationem sacramenti illas res, quæ aliquam similitudinem proportionalitatis habent cum rebus per sacramenta significatis. Verbi causa, quod sicut se habet aqua, quæ est materia baptismi ad abluendum corporis sordes: ita gratia baptismalis, quam sacramentum baptismi significat, se habet ad diluendum animæ maculas. Et sic de aliis. In quo sensu, et eadem proportionalitate dixit Tertulian. *lib. de resurrect. carnis*, cap. 8: « Caro abluitur in baptismo, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur: caro corpore, et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » Sed tamen hæc proportionalitas solum est quædam aptitudo remota ad repræsentandum tales effectus: quare de se non habet illos determinate, et efficaciter, ut sic loquamur, repræsentare: quod tamen ad munus signi naturalis requirebatur. Quocirca, ut determinate, et efficaciter significent, necessaria est extrinseca institutio Dei, qui juxta placitum suum res materiales designet, determinetque ad hujusmodi significationem, ut optime tradit D. Thom. infra quæst. 64, art. 2, *ad secundum*, his verbis: « Dicendum, quod res sensibiles aptitudinem quandam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura. Sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex ins-

Explicantur opposita testimonia. Tertulianus. D. Tho.

« titutione divina. Et hoc est, quod Hugo « de S. Victore dicit, quod sacramentum « ex institutione significat. Præelegit ta- « men Deus quasdam res aliis ad signifi- « cationes sacramentales; non quia ad eas « contrahatur ejus effectus, sed ut sit con- « venientior significatio, » nempe ob analogiam, et proportionalitatem jam assignatam. Ex quibus satis constat, quid D. Augustinus, Hugo, et Magister voluerint in verbis relatis.

Sacramenta nec sunt, nec esse possunt signa naturalia.

11. Quæ doctrina tam certa nobis videtur, ut censeamus implicare per respectum ad quamlibet potentiam, quod sacramentum sit signum naturale rei, quam significat. Sic statuimus contra Lugum disp. 1, sect. 3, qui in oppositum inclinat. Et probatur nostra resolutio destruendo contrarium illius fundamentum: nam licet non negemus posse dari res corporeas, quæ habeant connexionem cum gratia (utputa dotes corporis gloriosi profluentes ex gratia consummata), atque ideo, quæ semel cognitæ ducant naturaliter in notitiam, et repræsentationem talis gratiæ: id tamen minime sufficit ad hoc, quod per modum sacramenti significent. Et rationem insinuavit D. Thom. *loco proxime citato:* quoniam sacramentum est signum significans efficaciter, sive infallibiliter (quantum est ex parte talis signi), gratiam justificantem, ut productam in usu, sive applicatione talis signi, ut ex dicendis dubio seq. constabit. Nulla autem res, sive corporalis sit, sive spiritualis, et sive naturalis sit, sive supernaturalis, id habet ex natura sua, quod in ejus usu, et applicatione adsit infallibiliter gratia justificans. Quippe si dantur aliqui actus supernaturales (ut tacitam sic objectionem præoccupemus), qui cum prædicta gratia infallibiliter connectantur, hi ipsi ab eadem gratia procedunt, et sunt illa simpliciter posteriores, ut perfecta contritio, et amor charitatis juxta dicta in tract. 15, disp. 7, dub. 6, § 4. Ergo quod aliqua res significet gratiam justificantem ut infallibiliter in ejus usu, atque applicatione productam, non convenit illi naturaliter, sive ex se, sed præcise ex sola extrinseca institutione divina. Repugnat itaque sacramentum esse signum naturale rei, quam significat :« Cum virtus sacramenti, *inquit* « *D. Thom.* sit a solo Deo, consequens est, « quod solus Deus sit sacramentorum ins- « titutor. »

Objectio.

Per quæ facile dispellitur communis quædam objectio : nam hæc verba : *Ego te absolvo a peccatis tuis*, quæ sunt pars sacramenti pœnitentiæ, absque ulla nova, aut extrinseca Dei impositione, vel institutione significant remissionem peccatorum, quæ est res principaliter significata per hujusmodi sacramentum : ergo non est universaliter verum sacramenta esse signa ad placitum, sive ex sola institutione divina.

Solvitur.

Dispellitur, inquam, prædicta objectio : quoniam sacramenta sunt signa non quidem mere speculativa, quæ abstrahant a vera, et falsa significatione, sive a conformitate cum objectis significatis : sed sunt signa practica, idest, infallibiliter significantia (quantum est ex parte ipsorum), gratiam præsentem, sive in eorum usu, et applicatione productam. Licet autem illa verba : *Ego te absolvo*, habeant independenter a nova institutione divina significare peccatorum remissionem : nihilominus illam non significant practice, sive ut infallibiliter præsentem ; sed solum significant speculative, et abstrahendo a vera, et falsa significatione : quippe hominum impositio minime potuit illis conferre intimiorem connexionem cum rebus significatis. Ut igitur significarent practice, atque ideo subirent sacramenti munus, necessaria fuit institutio Dei illa determinantis, et præmoventis. Aliunde vero (et est alia responsio), nec illa verba sunt signa naturalia objectorum, quæ speculative repræsentant ; sed sunt signa ad placitum juxta hominum impositionem, ut ex se liquet.

Responsio ad principalem objectionem.

12. Ad objectionem ergo num. 9 propositam, ut sic ad propositum regrediamur, respondetur negando minorem quoad secundam partem : nam plane fatendum est sacramentum esse signum ad placitum. Cum vero subinfertur, *signum ad placitum est ens rationis : ergo sacramentum est ens rationis*, respondemus in concretis accidentalibus aliud esse id, per quod concretum formaliter constituitur, et aliud esse id, pro quo concretum supponit : constituitur namque per formam accidentalem, et tamen supponit pro subjecto, aut materia talis formæ. Unde consequitur, quod de concreto accidentali non prædicetur absolute forma, sed magis subjectum, sive materia : non enim dicimus, album est qualitas, sed album est corpus : nec dicimus, cathedra est figura, sed cathedra est lignum : nec dicimus

dicimus, currens est cursus, sed currens est animal. Signa autem ad placitum sunt quædam concreta accidentalia rationis, quæ componuntur ex significatione tanquam ex forma, et ex verbis, aut rebus, quæ ad significandum assumuntur, tanquam ex subjecto, aut materia : quare licet constituantur per significationem tanquam per formam, nihilominus non supponunt pro illa ; sed pro subjecto : unde non est dicendum signa ad placitum esse significationem, sed esse res, aut voces significantes. Cum ergo certum sit voces, et res esse entia realia (quidquid fuerit de significatione) ; consequens est signa ad placitum, ac proinde sacramenta, non posse absolute vocari, aut dici entia rationis, sed magis entia realia, sive habentia esse non præcise objective in intellectu.

Replica. 13. Pungit tamen semper in hac materia replica minime dissimulanda : quia licet ea, quæ proxime diximus, ita absolute se habeant in ordine ad communem loquendi modum ; nihilominus fateri omnino oportet, quod concreta accidentalia formaliter sumpta sunt, et dicuntur talia juxta talitatem formarum : unde formaliter sumpta sunt accidentia ; siquidem ita considerata important pro explicito ipsas formas, quibus in esse talium constituuntur. Ergo quamvis signa ad placitum non debeant absolute dici entia rationis ob ea, quæ respondimus ; tamen formaliter sumpta sunt, et dici debent entia rationis : quippe ita considerata explicant significationem tanquam formam, quæ hujusmodi signa in esse talium constituit : significatio autem ad placitum, ens rationis est, non habens esse in rebus ante intellectus considerationem. Unde si sacramenta sunt signa ad placitum, ut affirmamus, sequitur sacramenta formaliter sumpta, atque ideo sacramenta, ut sacramenta, esse entia rationis. Id autem quam absurdum sit (omissis aliis probationibus), vel ex eo liquet : nam inde ulterius sequeretur non dari sacramentum in actu antecedenter ad operationem intellectus fingentis, aut apprehendentis in eo ens rationis. Quod ita demonstratur : nam impossibilis est effectus formalis in actu absque forma in actu : unde implicat esse album in actu sine albedine in actu, et esse cathedram absque figura : sed forma constituens signum ad placitum, et sacramentum in ésse signi est significatio ad placitum, sive relatio rationis : ergo impossibile est dari signum ad placitum, et perinde sacramentum in actu, quin detur in actu significatio ad placitum, sive relatio rationis : atque ideo intellectu non fingente, sive apprehendente respectum rationis, minime dabitur sacramentum in actu. Et si res ita se habet ; qualem securitatem habemus de effectibus sacramentorum, quos ipsa non causant, nisi cum actu sunt sacramenta ?

Ab hac difficultate nullo fere negotio se expedit Suarez in præs. disp. 1, sect. 3, § *Secundo objici*, negando formam, aut rationem formalem constituendi signum ad placitum esse relationem ad signatum. Quod de relatione reali est per se notum. De relatione vero rationis probat ipse motivo immediate proposito, additque relationem rationis tandiu esse, quandiu ab intellectu cognoscitur, quippe cujus esse non aliud est, quam cognosci : signa autem ad placitum nullo etiam considerante sunt signa, et significata nobis repræsentant : ergo non habent esse formaliter talia a relatione rationis. Si autem ab illo inquiramus, per quid constituantur ? Respondet constitui per deputationem, sive denominationem ab actu imponentis : quæ denominatio, sive deputatio afficit moraliter res, aut voces, quatenus in eis constituit quandam habilitatem, sive aptitudinem ad excitandum intellectum, (quod est significare, aut repræsentare), ut in notitiam rei significatæ ducatur. Quam doctrinam declarat, et confirmat exemplo aliorum entium moralium, ut sunt tituli dignitatum, et officiorum, ut judicis, doctoris, et similium : non enim constituuntur relatione rationis, sed sola extrinseca denominatione determinantis, et conferentis hujusmodi titulos : idque sufficit ad auctoritatem, jurisdictionem, et alios effectus reales. Et juxta hæc cessat omnino objecta difficultas. Soluti ex Sua rio.

14. Sed hanc responsionem refellunt communiter Thomistæ. Tum quia Baptismum esse sacramentum, et sacramentum esse signum sunt denominationes intrinsecæ, atque ideo exposcunt formam intrinsece denominantem : sicut proportionabiliter se habent animal esse genus, et hominem esse speciem : ergo sicut juxta communem Dialecticorum sententiam animal non constituitur in esse generis, nec homo in esse speciei per denominationem extrinse- Impu natur

cam ab actu intellectus cognoscentis animal, et hominem cum ordine ad inferiora; sed constituuntur formaliter per ipsum ordinem, qui non est realis, sed rationis, nempe secunda intentio logicalis genereitatis, et specieitatis : ita similiter sacramenta, et alia signa ad placitum non constituuntur formaliter per denominationem extrinsecam ab actu imponentis, et ordinantis res, aut voces ad repræsentandum objecta ; sed potius constituuntur per hunc ipsum ordinem, sive respectum, quem Suarius recognoscit non esse realem, sed rationis. Tum præterea quia etsi denominatio extrinseca desumpta ab actu imponentis non sit aliquid reale in rebus, aut vocibus impositis ad significandum ; nihilominus extrinsece imponens debet ordinare signum ad signatum, sive, et in idem recidit, debet res, et voces, quas ad significandum assumit, ordinare ad objecta, quæ repræsentare intendit ; ergo formalis ratio signi ex impositione non est denominatio extrinseca, sed ordo ille sive habitudo signi ad signatum : qui tamen ordo non est realis, sed rationis, quippe cum nihil ponat in signis, sed derivatur ex apprehensione, et applicatione imponentis. Ob ista ergo, et alia motiva, quæ opus non habemus expendere, docent Thomistæ significationem, sive rationem formalem constituendi signum ad placitum esse relationem rationis.

[...]tus. Quod etiam affirmant Scotus in 4, dist. 1, quæst. 2, § De secundo vers. *Tertio dico*,
[...]q. et Vazquez in præs. disp. 128, cap. 4, num. 42, dicens esse sententiam communem, et contrarium Suarii motivum frivolum appellat.

[...]en- [...]ur [...]gis [...]ica.

Cæterum hac doctrina (quam censemus veram), supposita, procedit, pungit, et crescit proposita difficultas, qua nos haud leviter premi fatemur. Si enim sacramentum est signum ad placitum, et istud constituitur per relationem rationis, manifeste sequitur non dari sacramentum in actu absque relatione rationis in actu. Et si res ita se habet; quomodo perficiuntur sacramenta, et proprios effectus sortiuntur absque intellectu considerante, et formante illud rationis idolum ? Id vero sæpissime contingere negabit nemo, qui advertat ad valorem sacramentorum sufficere, suppositis aliis conditionibus ex parte materiæ, et formæ, quod illa ministrans, et suscipiens intendant facere, quod facit Ecclesia : hæc autem intentio minime exposcit apprehensionem, aut formationem entis rationis in sacramentis, quæ ministrantur, et suscipiuntur, ut ex se, atque ipsa experientia liquet. Ergo ad constituendum sacramentum in actu, formaliter, et in esse sacramenti, nullo modo requiritur illa forma, sive relatio rationis.

Observanda pro responsione.

15. Propter hæc cogimur responsiones Suarii, et Thomistarum temperare, aliquid ab utrisque desumendo, quo objecta difficultas superetur. Et prius observamus illam, vel ab ipsis hæreticis objicientibus diluendam esse. Nam quidquid fuerit de sacramentis, quæ illi constituunt non in genere signi, sed cæremoniæ ; negare non possunt verba sacræ Scripturæ esse signa ad placitum, ubi occurrit eadem difficultas, quam in præsenti materia urgent. Etenim si significatio ad placitum est relatio rationis, ut communior sententia fert, sequitur, quod ubi nullus intellectus illam relationem cognoscit, et format, scriptura non sit signum in actu, et subinde nec scriptura : quo nihil absurdius dici valet. Si autem scriptura salvatur in actu absque relatione rationis in actu ; fatendum erit rationem propriam scripturæ ab hujusmodi relatione non dependere, sed alia via salvari. Et quolibet modo illud explicetur ; eadem expositio applicabitur sacramentis, ut independenter a relatione rationis sint signa in actu. Pro eodemque deservit exemplum non incongruum a Suario allatum dignitatum, et officiorum, licet proveniant non ex naturis rerum, sed ex deputatione superioris, quæ nihil ponit in personis : salvatur enim aliquem esse prætorem, et doctorem in actu, licet nullus intellectus consideret relationem rationis illarum personarum ad superiores, vel ad actus exercendos.

Legitima difficultatis explicatio.

Hoc supposito respondemus, quod de signis ad placitum dupliciter loqui possumus : uno modo in rigore metaphysico attendendo ad meram essentiæ constitutionem : alio modo moraliter in ordine ad denominationes, ac locutiones inter homines usitatas. Et quidem metaphysice agendo, veram censemus communem Thomistarum assertionem, eamque evincunt eorum motiva : unde consequenter concedimus non dari metaphysice in actu, et formaliter signum ad placitum, sine relatione rationis in actu, utpote cum tale signum

gnum per talem relationem tanquam per formam metaphysice constituatur. Sed moraliter considerando : et in ordine ad communem hominum apprehensionem, et loquendi modum ; verius existimamus, quod signa ad placitum non constituuntur per relationem rationis, sed per rationem proximam fundandi hujusmodi relationem : et in hoc Suarii opinioni subscribimus. (Quamvis intersit discriminis, quod ille existimat talem rationem proximam esse denominationem extrinsecam ab actu imponentis : nos autem verius putamus prædictam rationem esse ipsam entitatem signorum connotando extrinsecam illam impositionem : illa enim denominatio nihil est in rebus denominatis, ut recte probant Thomistæ; entitas vero, ut connotans est aliquid intrinsecum saltem ex parte recti. Circa quod necessaria non est longior controversia.) Ad rem igitur : licet metaphysice ratio formalis constituendi signum ad placitum sit relatio rationis ; moraliter tamen non est ipsa relatio, sed proxima ratio fundandi ipsam; ita quod hæc ratio fundandi transit moraliter in rationem formalem denominandi, et constituendi signum. Quod vero res ita se habeat, liquet ex commuui modo apprehendendi, et loquendi apud omnes : qui modus constitutionem moralem fundat, ut in aliis moralibus contingit. Porro adesse talem modum apprehendendi, et loquendi evidentius est, ut probari debeat : omnes enim excitamur vocibus ad significandum impositis, et venimus in notitiam objectorum significatorum ; quamvis nullam ibi rationis relationem apprehendamus ; sed per hoc solum quod formalem, aut virtualem impositionis memoriam conservemus.

ma- am- us on- . Accedit primo id, quod parum distat ab actu, nihil moraliter differre videri, et computari moraliter pro actu : ratio autem proxima fundandi relationem parum distat ab ipsa : ergo nihil moraliter ab illa distingui videtur, sed pro illa moraliter computatur. Et consequenter licet metaphysice considerando, ratio formalis constituendi signum ad placitum sit relatio rationis : tamen moraliter loquendo id ipsum præstat ratio proxima fundandi talem relationem, nempe extrinseca impositio, aut potius res, et voces, ut connotant prædictam impositionem. Atque ideo moraliter loquendo datur signum ad placitum in actu, sive adsit, sive non relatio rationis. Accedit secundo signa ad hoc institui, atque in id ordinari, ut aliud a se faciant in notitiam duci, juxta illud D. Augustini *lib.* 2, *de doctrina Christiana, cap.* 1 :« Signum est res præter « speciem, quam ingerit sensibus, aliud « aliquid ex se faciens in cognitionem « venire. » Unde ratio, munusque signi in hoc consummatur, saltem moraliter et quantum ad usum hominum, cui deserviunt, ut aliud a se faciant in cognitionem venire. Hunc autem finem assequuntur antecedenter ad relationem rationis, qua referantur ad signata : quippe experientia compertum est nos auditis vocibus, quæ sunt signa ad placitum, statim excitari ad notitiam objectorum, quæ repræsentant ; quamvis nullam rationis relationem concipiamus, aut formemus. Ergo licet metaphycice loquendo signa ad placitum constituantur ultimo, et formaliter per hujusmodi relationem : nihilominus ea non egent, ut sint actu signa moraliter, sive in ordine ad usum humanum, et communem apprehensionem. D. Aug.

16. Hæc autem doctrina generaliter procedens in signis ad placitum applicanda specialiter est sacramentis, quæ juxta superius dicta in genere signi ad placitum constituuntur. Et sic a fortiori dicendum existimamus : tum quia Deus instituit sacramenta pro multitudine, in qua occurrunt plures simplices, qui nihil minus cogitant in sacramentorum usu, quam respectum rationis ad signata : et tamen certum est illos posse perficere sacramenta intendendo facere, quæ Deus instituit : ergo sacramenta sic ex Dei institutione sunt signa ad placitum, quod tamen in ordine ad fines, et effectus intentos non egent metaphysica constitutione per rationis respectum ; sed sufficienter constituuntur constitutione morali per extrinsecam impositionem. Tum etiam quia ex opposito fieret non dari sacramentum in actu, nisi quamdiu intellectus considerat, et format relationem rationis : quod quam absurdum, et incredibile sit, satis supra significavimus : ergo vice versa colligendum est dari sacramentum in actu moraliter, sive in ordine tam ad usum humanum, quam ad fines a Deo intentos, independenter ab existentia relationis rationis, et per hoc solum, quod fuerint a Deo instituta ad significandum, et adhibeantur eo modo, quem Applicatio doctrinæ.

Deus præscripsit; resultet, aut non rationis habitudo. Tum denique quia cum sacramenta instituta a Deo fuerint pro usu hominum; eorum constitutio magis moraliter, quam metaphysice pensari debet, in ordine scilicet ad finem a Deo intentum, et communem hominum apprehensionem: quod satis liquet in compositione sacramentorum ex rebus, et verbis tanquam ex materia, et forma; quippe talis compositio non est physica, sed moralis, ut docent omnes, et infra declarabimus *disp.* 2, *dub.* 2; ergo idem sentire debemus de forma totali, qua in esse signi ad placitum constituuntur: et consequenter licet hujusmodi forma sit metaphysice relatio rationis, quæ aliquando adest, et aliquando non; moraliter tamen est institutio, et deputatio divina, quæ semper durat, quandiu Deus vult sacramentorum durationem.

Corollaria. Juxta quam doctrinam cessant plures objectiones, in quibus expendendis, et diluendis quidam usque ad nauseam redundant: liquet enim, qualiter etsi relatio sacramentorum, et aliorum signorum ad placitum ad sua significata sit relatio rationis; nihilominus independenter a tali relatione exercita dicuntur esse in actu, nempe moraliter, sive in ordine ad fines a Deo intentos, et communem apprehensionem: quippe ad id sufficit extrinsea Dei deputatio, et ratio proxima fundandi talem relationem, quæ moraliter pro eadem forma reputantur. Liquet etiam qualiter influxus sacramentorum sit independens ab illa relatione rationis exercita: quia ut sacramenta influant, satis est, quod existant actu complete moraliter juxta Dei institutionem: Deus autem non alligavit, vel existentiam, vel influxum sacramentorum cuidam rationis relationi, quæ nemine cogitante evanescit; sed applicationi earum rerum, quas ad rationem sacramenti elevavit: et talis applicatio fit independenter ab omni relatione rationis. Liquet præterea, quod licet ad constitutionem metaphysicam sacramentorum pertineat relatio rationis ad res significatas, et propterea sacramenta non sint completa metaphysice absque tali relatione: tamen eorum constitutio moralis a prædicta relatione exercita minime dependet, atque ideo possunt sine illa esse completa moraliter in ordine ad omnes effectus, quos vel significandos, vel causandos Deus intendit. His itaque, et aliis difficultatibus facile, et perspicue fiet satis juxta præmissam distinctionem, si præ oculis habeatur rationem proximam fundandi relationem rationis, quæ signum in esse signi metaphysice constituit, esse moraliter rem fundatam, sive constitutivum morale in ordine ad cuncta, quæ circa sacramenta possunt occurrere.

§ IV.

Proponitur principalior assertio, dubio directe respondens.

17. Dicendum est secundo sacramentum formaliter sumptum in esse talis, solum constitui essentialiter in genere signi. Contrariam huic assertioni sententiam docuerat satis expresse D. Thom. *in* 4, *dist.* 1, *q.* 1, *quæstiunc.* 3 *ad* 5, his verbis: « Sacramentum simpliciter est, quod causat « sanctitatem: quod autem signat tantum, « non est sacramentum, nisi secundum « quid. Et ideo esse causam potest poni in « diffinitione sacramenti, etc.» Unde in toto illo opere sæpius approbat, et explicat diffinitionem Magistri; « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut imaginem gerat, et causa existat. » Quibus manifeste significavit sacramentum pertinere essentialiter non solum ad genus signi, ut in superioribus ostendimus, sed etiam et potissimum ad genus causæ. Cæterum prædictam sententiam revocavit S. Doct. *in præs. art.* 1, *in corp.* ubi resolvit: « Specia« liter autem nunc loquimur de sacramen« tis, secundum quod important habitudi« nem signi: et secundum hoc sacramentum « ponitur in genere signi. » Et art. 2, in corp. ait: « Proprie dicitur sacramentum, « quod est signum alicujus rei sacræ ad « homines pertinentis: ut scilicet proprie « dicatur sacramentum, secundum quod « nunc de sacramentis loquimur, quod est « signum rei sacræ, in quantum est sanc« tificans homines. » Quibus locis cum ex proposito investigaverit, et assignare voluerit propriam rationem quidditativam sacramenti; unice illam constituit in genere signi, nullam causæ, aut causalitatis faciens mentionem. Quin causæ, et causalitatis conceptum evidenter, ut non necessarium exclusit in priori *art. in solut. ad* 1, his verbis: *Non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem.* Quam tamen non posset non importare, si in genere causæ

Alia conclusio.

D. Th.

causæ essentialiter collocaretur. Quare his ultimis locis tanquam proprio S. Doctoris testamento standum est. Præsertim cum in scripto super sententias egerit officium Commentatoris, non tam proprium revelantis judicium, quam explicantis mentem, et diffinitionem Magistri. Unde assertionem nostram tuentur communiter Thomistæ, Sotus *in* 4, *dist.* 1, *quæst.* 1, *art.* 1, § *Ex his ergo.* Martinus de Ledesma *in* 1, *p. Quarti, quæst.* 1, *art.* 1, § *Ultimo notandum*, adjunctis, quæ docet *quæst.* 3, *art.* 6, Viguerius *in instit. cap.* 16, *vers.* 2. Nugnus *in præs. art.* 1, *conclus.* 1, *et art.* 2, *dub.* 2 *ad.* 2. Caprera *disp.* 1, *et* 2. Arauxo *dub.* 1. Joan. a S. Thoma *disp.* 22, *art.* 1, *dub.* 3 *et* 4. Serra *art.* 1. Ruiz *dub.* 1, *conclus.* 2. Sylvius *art.* 2, *quæst.* 1, § *Sexto loco.* N. Philippus *disp.* 1, *dub.* 1, *et alii.* Idem etiam tuentur D. Bonavent. *in* 4 *distinct.* 1, *quæst.* 2, Vazquez *in præs. disp* 127, *cap.* 5. Ochagavia *quest.* 3, *num.* 6, *et* 7. Sayrus *lib.* 1, *cap.* 2, *quæst.* 3. *art.* 2, *et alii.*

(Sotus. Ledesm. Viguer. Nugnus. Cabrera. Arauxo. Joan. a S. Thom. Serra. Ruiz. Sylvius. Philipp. D. Bon. Vazq. Ochagavia. Sayrus.)

Primum assertionis fundamentum. Probatur primo ratione desumpta ex hactenus dictis: quoniam sacramentum formaliter sumptum constituitur essentialiter in genere signi: ergo non constituitur essentialiter in genere causæ: ergo unice, et præcise in signi genere collocatur. Antecedens statuimus § 2, et docent omnes Theologi, quos viderimus, et illi præsertim contra quos agimus. Prima vero consequentia probatur: quia eadem species nequit constitui essentialiter in duobus generibus primo diversis: sed genus signi, et genus causæ sunt primo diversa; siquidem nullam habent essentialem subordinationem: unde videmus dari causas, quæ nullo modo sunt signa, et similiter dari signa, quæ nullo modo sunt causæ: ergo si sacramentum formaliter sumptum constituitur essentialiter in genere signi; sequitur sacramentum formaliter sumptum non collocari essentialiter in genere causæ. Secunda denique consequentia legitime infertur ex præmissis: quoniam sacramentum solum potest collocari essentialiter vel in genere causæ, vel in genere signi, vel in utroque, ut observavimus *num.* 4; ergo si constituitur in genere signi, et non constituitur in genere causæ; liquido colligitur sacramentum formaliter sumptum unice, et adæquate collocari in solo genere signi.

Evasio. 18. Nec satisfacit, si dicatur, quod licet unum ens per se nequeat esse essentialiter in duobus generibus primo diversis; id tamen non repugnat enti per accidens: nam cum simpliciter sit non unum, sed plura, potest ad plura genera pertinere. Sacramentum autem est ens per accidens, utpote coalescens ex multis valde diversis, nimirum ex rebus, vocibus, significatione, virtute, etc. Quare ex eo, quod sit in genere signi, minime impeditur esse in genere causæ.

Non, inquam, satisfacit hæc responsio: quoniam sacramentum non esse ens per accidens docet communis sententia Theologorum, dum communiter diffiniunt sacramentum, ut dub. 3 vidimus: quippe manifestum est ens per accidens non posse diffiniri; cum non sit unum aliquid, sed plura ut plura. Tenendum itaque est, atque supponendum (et in hac hypothesi argumentamur), quod sacramentum est aliquod unum per se, non quidem per simplicitatem, sed per compositionem, aut ordinem. Unitas namque per se omnibus his modis, licet cum aliqua inferioritate, reperiri valet, ut optime tradit D. Thom. 7 Metaphys. *lect.* 10, his verbis: « Compositum « quandoque sortitur speciem ab aliquo « uno, quod est vel forma, ut patet in cor« pore mixto; vel compositio, ut patet in « domo; vel ordo, ut patet in syllaba, et « numero. » Et conformiter ad hanc doctrinam infra *quæst.* 73, resolvit Eucharistiæ sacramentum, licet constet speciebus realiter diversis, et quandoque separatis, esse absolute unum. « Quia sicut (inquit) dicitur « 5, Metaphys. unum dicitur non solum, « quod est indivisibile, vel quod est conti« nuum; sed etiam quod est perfectum: « sicut dicitur una domus, et unus homo. « Est autem unum in perfectione, ad cujus « integritatem concurrunt omnia, quæ re« quiruntur ad finem ejusdem, etc. » Ex quibus infert, quod quia finis Eucharistiæ est refectio spiritualis, ad quam (ob analogiam ad corporalem) requiritur cibus, et potus: propterea hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter, et perfective. Et in resp. ad 2, addit: « Panis, et vinum materialiter quidem sunt « plura signa: formaliter vero, et perfective « unum, in quantum ex eis perficitur una « refectio. » Quæ doctrina extendi generaliter debet ad omnia sacramenta: quia licet importent multa, quæ entitative sunt

(Præcluditur. D. Tho.)

plura; includunt tamen illa ordinate, sive in ordine ad unum, et constituuntur per unam formam, et institutionem: atque ideo non sunt plura ut plura, quod constituit ens per accidens, sed plura ut unum quod sufficit ad unum per se in gradu saltem infimo unitatis, ut liquet in artefactis.

Confirmatur, et declaratur: quia numerus includit plures unitates: et tamen non est unum per accidens, sed ens, et unum per se: ergo licet sacramentum includat plura, potest esse unum per se. Major est evidens. Minor autem probatur: tum quia illam expresse docent Aristot. 5 Metaph. *cap.* 13, et D. Thom. *ibi, lect.* 15, et Euclides in sua Arithmetica. Tum etiam quia numerus est objectum Arithmeticæ, ut omnes affirmant: sed de ente per accidens nequit esse scientia; quippe tale ens cum non habeat unam essentiam, nequit habere proprias passiones, quas scientia de illo demonstrat: ergo numerus non est ens per accidens, sed ens, et unum per se. Consequentia vero constat a paritate: nam ideo numerus, licet habeat plures unitates, est ens per se; quia importat illas ordine quodam, nempe ut subordinatus ultimæ unitati, quæ habet rationem formæ: sed hæc eadem ratio militat in sacramento; siquidem etsi importet plura, illa tamen non dicit ut disparate se habentia, sed quatenus subduntur eidem institutioni, et ordinantur ad eundem finem, et participant eandem formam totalem: ergo sacramentum est ens, et unum per se. Ex quibus facile convellitur motivum evasioni insertum, quin opus sit alia respondere.

[Conti-]iatur [im]pug-[na]tio. — [Ar]istot. — [D.] Tho. — [E]uclid.

19. Nec iterum satisfacit, si dicatur, quod licet in duobus generibus primo diversis nequeat collocari illa species, quæ est vel aliquid simplex, vel compositum substantiale; bene tamen illa, quæ est concretum accidentale. Et ratio disparitatis est satis nota: quippe in re simplici, et composito substantiali non datur nisi unica forma, quæ essentiam constituit, atque in uno, et determinato genere collocat: cæterum in concreto accidentali dantur plures formæ, quarum ratione potest ad diversa genera pertinere, ut patet in quanto albo, quod ratione quantitatis spectat ad unum prædicamentum, et ratione albedinis ad aliud. Cum igitur sacramentum sit quoddam concretum accidentale, mirum non est, quod in duobus generibus primo diversis, signi scilicet, et causæ constituatur.

Aliud effugium.

Hæc, inquam, evasio vim propositi argumenti non diluit,sed relabitur in præcedentem responsionem, atque eadem impugnatione præcluditur. Quia unum compositum sive sit substantiale, sive accidentale,debet per unam formam constitui: sed implicat, quod per unam formam constituatur essentialiter in duobus generibus primo diversis: ergo repugnat unum compositum collocari essentialiter in prædictis generibus: atque ideo implicat sacramentum formaliter sumptum in esse sacramenti constitui essentialiter in genere signi et in genere causæ. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quæ legitime ex præmissis infertur. Major autem est evidens: quia compositum habet unitatem a forma, per quam constituitur: ergo impossibile est, quod compositum sit unum, nisi a forma una. Minor denique est non minus manifesta: quia una forma, cum sit quid simplex nequit pertinere ad duo genera primo diversa: ergo implicat, quod compositum constituatur essentialiter per unam formam in prædictis generibus. Unde corruit doctrina in hac evasione insinuata: quia licet in eodem subjecto reperiri queant plures formæ accidentales, istæ tamen non constituunt unum concretum accidentale, sed plura simpliciter, et formaliter diversa: sic enim albedo constituit album, et quantitas quantum,quæ formaliter distinguuntur, ut ex se liquet. Quare mirum non est, quod quantum formaliter ut tale pertineat ad unum genus. Et album formaliter ut tale pertineat ad aliud: sunt enim simpliciter plura. Sed sumendo, aut considerando formaliter unumquodque eorum, impossibile est, quod ad duo genera pertineat: quia unumquodque formaliter sumptum constituitur per unam formam, quæ nequit ad duo genera pertinere. Et sic contingit etiam in sacramento: non enim dubitamus, quod baptismus, ut est ablutio, pertineat ad genus actionis; et ut importat aquam, ad genus substantiæ; et ut causat gratiam, ad genus qualitatis: sed tamen secundum hæc omnia consideratus non est formaliter unum quid, sed plura. Sumendus itaque est formaliter in esse sacramenti, secundum quod

Confutatur.

quod per hoc nomen significatur : et sic est aliquid unum ; et subinde constitui debet per unam formam, quæ ad duo genera primo diversa spectare non valet. Qui discursus sicut probat album formaliter sumptum in esse albi non constitui in diversis generibus non subordinatis ; licet illud, quod est album, queat pertinere ad genus distinctum : sic etiam evincit sacramentum sumptum formaliter in esse talis non posse in diversis generibus, nempe signi, et causæ collocari ; quamvis illud, quod sacramentum denominatur, valeat in diverso genere secundum diversas alias rationes constitui.

Secundum assertionis fundamentum. 20. Secundo probatur eadem assertio alia ratione satis efficaci, quam insinuavit D. Thom. in verbis relatis *num.* 17, quoniam sacramentum formaliter sumptum in eo genere essentialiter constituitur, quod prædicatur de omnibus sacramentis : sed esse causam non prædicatur de omnibus sacramentis : ergo sacramentum formaliter sumptum non constituitur essentialiter in genere causæ : ergo constituitur unice, et adæquate in genere signi. Utraque consequentia patet tam ex præmissis, quam ex supra prænotatis. Major autem est evidens : quia genus prædicatur de omnibus speciebus sub eo constitutis, ut vel sola inductione demonstrari potest. Minor denique, in qua poterat esse difficultas, probatur : nam sacramenta antiquæ legis non causabant gratiam : ergo esse causam non prædicatur de omnibus sacramentis. Patet consequentia : nam si sacramenta sunt causæ, id præsertim exercerent respectu gratiæ sanctificantis, quam significant.

Multiplex responsio. Mirum est, quanta excogitaverint Adversarii, ut ab hoc argumento se expediant. Quidam respondent sacramentum non prædicari univoce de sacramentis legis antiquæ, et de sacramentis legis gratiæ, sed solum analogice : unde ex eo, quod sacramenta antiqua non fuerint causæ, minime infertur, quod sacramenta nostra non debeant in genere causæ essentialiter collocari. Alii vero respondere audent sacramenta antiqua non fuisse sacramenta simpliciter, sed solum secundum quid : quare non oportet, quod fuerint causæ : licet hujus ratio conveniat tanquam ratio generica omnibus sacramentis simpliciter talibus, qualia nostra sunt. Suarez autem respondet sanctitatem, quam sacramenta ex generica sacramenti ratione debent causare, præscindere a sanctitate propria per gratiam internam, et à sanctitate legali, sive extrinseca per adhibitas cæremonias : et quamvis revera sacramenta antiqua non causaverint priorem illam sanctitatem, bene tamen hanc ultimam : quocirca participarunt conceptum genericum causæ, et non meri signi. Denique Lugo censet de ratione cujuscumque sacramenti esse causare gratiam sanctificantem, idque habuisse antiqua sacramenta : nam etsi illam non causaverint in subjectis illa tunc suscipientibus, fuerunt tamen causa gratiæ, quæ nunc nobis datur : quia fuerunt signa, figura, et repromissiones illius: promissio autem est causa moralis rei promissæ. Nullum itaque sacramentum occurrit, de quo non prædicetur esse causam.

21. Has omnes sententias, atque evasiones placuit simul referre, non quia in animo habeamus singulas modo impugnare (quod ex professo in suis sedibus faciemus), sed ut illas (quod ad præsentem considerationem attinet), uno, ut fieri potest, impetu prosternamus. Ad quod unico, sed certissimo principio utendum erit, nempe sacramenta antiquæ legis fuisse vere, et proprie sacramenta. Quod probatur, tum ex eo, quod Concilia sacramenta illa vocant absolute sacramenta absque ullo addito diminuente, ut constat ex Florentino *in instruct. Armenor. in doctrina de sacramentis*, ibi : « Differunt autem sacramenta « nostra a sacramentis veteris legis, etc. » Et Tridentino *sess.* 7, *Can.* 2, ibi : « Si quis « dixerit sacramenta novæ legis a sacra- « mentis veteris legis non differre, etc. » Et similiter in Catechismo Romano *in tract. de sacramentis in genere*, dicitur : « Ideo sa- « cramenta novi testamenti, veteris legis « sacramenta excellere, etc. » In quibus locis, et aliis, quæ omittimus, sacramenta antiqua non cum addito, sed absolute vocantur sacramenta, sicut sacramenta legis gratiæ, quæ nemo negat esse sacramenta vere, et proprie. Tum etiam quia sacramenta necessaria sunt ad constituendum religionem, cui deserviunt. Unde D. August. *lib.* 19, *contra Faustum cap.* 11, inquit : « In nullum nomen religionis, seu « verum, seu falsum coadunari possunt « homines, nisi aliquo signaculorum, vel « sacramentorum visibilium consortio col- « ligentur. » Sed religio veteris legis fuit vera, et propria religio ; ergo sicut alia,

Observatio. Concil. Florent. Concil. Triden. Catech. Roman. D. Aug.

quibus constabat, utputa sanctitas, charitas, fides, spes, devotio, vota, ritus, et hujusmodi, fuerunt vere, et proprie talia ; sic etiam sacramenta, quæ ad constituendum ejusmodi statum concurrerunt, fuerunt vere, et proprie sacramenta. Quam doctrinam minime impugnat, sed fundat potius, et corroborat Apostolus, *cum* 4, *ad Galatas*, ait : « Quandiu hæres parvulus est, nihil « differt a servo, etc. Ita et nos cum esse« mus parvuli, sub elementis mundi era« mus servientes. » Nam per hæc significat religionem veteris legis, pertinentia ad ipsam non fuisse meras, et puras figuras, ut homo pictus comparatur ad hominem verum : sed habuisse esse verum, et proprium, imperfectum tamen comparatione habita ad legem gratiæ, et ad illam spectantia. Sicut puer vere, et proprie est homo; imperfecte tamen, si cum viro conferatur. Recolantur quæ diximus *Tract.* 20, *disp.* 3, *a num.* 3, ubi hanc suppositionem, quæ communis est, late firmavimus.

Ea vero præmissa, omes adhibitæ responsiones confutantur efficaciter : nam si sacramentum constitueretur essentialiter in genere causæ ; sacramenta antiqua non fuissent vere, et proprie sacramenta : consequens est falsum, ut proxime ostendimus : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : quia eo ipso, quod sacramenta constituuntur essentialiter in genere causæ eodem modo habebunt esse sacramenta, quo habuerint esse causas : sed sacramenta antiquæ legis non habuerunt esse vere, et proprie causas ; siquidem vel non causarunt effectum vere, et proprie talem, vel non causarunt influxu vero, et proprio, ut ex dicendis magis constabit ; ergo si sacramentum constituitur essentialiter in genere causæ ; sequitur sacramenta antiquæ legis non fuisse vere, et proprie sacramenta.

22. Unde corruunt omnes adhibitæ responsiones. Prima quidem : quia vim modo non facimus in eo, quod conceptus communis sacramenti dicatur univoce de sacramentis antiquis, et novis, sed in eo, quod dicatur vere, et proprie. Idque optime contingere valet absque univocatione, ut patet in Deo, et homine, qui sunt vere, et proprie substantia ; quamvis hæc non prædicetur de illis univoce, sed analogice. Sacramenta vero antiqua non fuerunt vere, et proprie causa ejus, quod significabant. Quare si conceptus causæ est gradus genericus sacramenti ; recte colligitur quod non fuerint vere, et proprie sacramenta. Secunda etiam deficit : quoniam jam ostendimus sacramenta antiquæ legis fuisse vere, et proprie sacramenta, et sic docet communis Theologorum sententia : quare nequit præmissus a nobis discursus labefactari per oppositum effugium. Tertia similiter corruit : quia si sacramenta sunt causa, debent causare illud, quod principaliter significant : significatum autem principale sacramenti, non est sanctitas abstrahens a sanctitate vera et propria, ut Suarius intendit, sed est sanctitas proprie talis. Ex opposito quippe fieret sacramentalia, quæ significant aliquam sanctitatem dispositivam, et secundum quid, esse vere, et proprie sacramenta ; quod est contra fidem, et similiter fieret omnes ritus, et cæremonias veteris legis fuisse vere, et proprie sacramenta, siquidem significabant aliquam sanctitatem, consecrationem, aut emundationem legalem ; quod est falsum, et sacramentum cum non sacramento confundit. Ergo ut aliquid sit vere, et proprie sacramentum, debet causare (si Suarius consequenter loquitur), sanctitatem veram, et propriam. Cum igitur sacramenta antiqua, prædicto Auctore concedente, non causaverunt veram, et propriam sanctitatem ; sequitur, quod vere, et proprie non fuerint sacramenta. Denique quarta, et ultima etiam evanescit : nam sacramenta antiqua non fuerunt formaliter promissiones Dei, sicut nec Dei actiones, aut locutiones, sed ad summum illarum signa : quamvis autem promissio possit dici causa rei promissæ, nemo tamen dixit signum promissionis esse vere, et proprie causam rei promissæ. Et ex opposito fieret omnes antiquorum cæremonias, quæ promissionem gratiæ nobis dandæ præfigurabant, fuisse vere, et proprie causas illius, ac proinde juxta Lugonis sententiam vera, et propria sacramenta ; quod est ridiculum. Et aliunde gratis huic Auctori concesso, quod promissio sit causa rei promissæ ; nihilominus influxus, aut causalitas promissionis non est talis simpliciter, sed solum secundum quid, et cum addito, nempe ut manifestans voluntatem promittentis : præsertim ubi promissio, et res promissa nunquam concurrunt, sicut in sacramentis antiquis, et gratia nobis data contigit. Ergo juxta prædictam opinionem non salvatur,

quod

quod sacramenta antiqua fuerint vere, et proprie causa ejus, quod significabant. Atque ideo si ratio causæ pertinet ad conceptum genericum sacramenti ; manifeste infertur sacramenta antiquæ legis non fuisse vere, et proprie sacramenta.

Confirmatur : quia de eo, quod est vere, et proprie tale, nequit absolute negari esse tale : sed de sacramentis veteris legis negatur absolute, quod fuerint causæ ejus, quod significabant: ergo non fuerunt vere, et proprie causa illius. Minor constat ex Concilio Florentino loco citato, ubi ait : « Differunt autem sacramenta nostra a sa- « cramentis veteris legis,quod illa non cau- « sabant gratiam, sed eam solum per Pas- « sionem Christi dandam significabant. » Et loco relato ex Catechismo Romano dicitur : « Ideo sacramenta novi testamenti « veteris testamenti sacramenta excellere, « quod nostra gratiam justificantem cau- « sant ; illa vero signa tantum erant re- « rum,quæ in nostris sacramentis efficiendæ « essent. » Et D. Thom. quæst. sequenti, artic. 3 ad 2, ait : « Dicendum, quod sa- « cramenta veteris legis Apostolus vocat « egena, et infirma elementa, quia gra- « tiam non continebant, nec causabant.... « Nostra autem sacramenta gratiam con- « tinent, et causant. Et ideo non est « de eis similis ratio. » Et in 4, dist. 1, q, 1, art. 4, quæstiunc. 1, in *sed contra* inquit : « Hæc differentia assignatur com- « muniter inter sacramenta novæ legis, « et veteris, quod sacramenta novæ legis « efficiunt, quod significant : quod sacra- « mentis veteris legis non competit. » Et in corp. addit : « Dicendum, quod omnes « coguntur ponere sacramenta novæ legis « aliquomodo causas gratiæ esse, propter « authoritates, quæ hoc expresse dicunt, « etc. » Quam excellentiam negat antiquis sacramentis. Itaque sicut absolute conceditur, « Sacramenta novæ legis causant gra- « tiam:» sic absolute negatur, «Sacramenta « antiquæ legis causabant justitiam. » Cum hac autem absoluta negatione minime cohæret,quod fuerint causa vere,et proprie.Unde stat propositum fundamentum ; nam si sacramentum constitueretur essentialiter in genere causæ, eo modo foret sacramentum, quo esset causa : id vero esse falsum constat ex dictis ; siquidem sacramenta antiqua fuerunt vere, et proprie sacramenta, et tamen non fuerunt vere, et proprie causæ : ergo sacramentum non constituitur essentialiter in genere causæ. Quod a fortiori constabit ex dicendis dub. 4.

[Margin: ...rgen- ...r res- ...onsio- ...m im- ...ugna- ...tio.] [Margin: ...oncil. ...orent.] [Margin: ...atech ...oman.] [Margin: ...Tho.]

§ V.

Refertur opinio secundæ assertioni contraria.

23. Adversus primam nostrarum conclusionem non reperimus apud Theologos sententiam, quæ ipsis probetur ; omnes enim fatentur sacramenta esse in genere signi, saltem inadæquate. Sed sacramenta esse non solum in genere signi sed etiam in genere causæ (quod negavimus in secunda assertione), plurium est sententia. Sic enim docent Magister *in* 4, *dist.* 1, Hugo Victorinus *in summa, tract.* 4, *cap.* 1 *et lib.* 1, *de Sacramentis,part.* 9, *cap.* 1, Guillelmus Parisiensis *lib.* 4, *cap* 1, Richardus *in* 4, *dist.* 1, *art.* 1, *quæst.* 3, Suarez *in præs. disp.* 1, *sect.* 2, *fere per totam*, et precipue *conclus.* 2, *et* § *Dices, si ratio.* Aversa *in hac quæst. sect.* 3, Bauni *tract.* 1, *quæst.* 4, Lugo *disp.* 1,*sect*,2, *et* 3, Dicastillo *disp.* 1, *sect.*2 et *alii.* Ad quam sententiam accedunt ex Thomistis Prado *dub.* 1, *et* 3, *concl.* 2, et Gonet *disp.*1, *dub.*1, *conclus.*2,dum expresse affirmant, quod abstrahendo a causa propria influente physice, et comprehendendo causam late dictam, sacramentum constituitur essentialiter non solum in genere signi, sed etiam in genere causæ. Sed hi duo Auctores parum consequenter loquuntur, dum in tertia assertione statuunt, quod licet sacramenta constituantur in genere causæ, melius tamen, et convenientius dicuntur esse in genere signi. Et rationem assignant : quia ratio propria signi convenit omnibus sacramentis, quibus tamen non convenit ratio causæ,nisi large, et improprie. Qui discursus, vel nihil valet, vel probat sacramenta non constitui in genere causæ, ut arguebamus a *num.* 20, quippe manifestum est, quod genus vere et proprie convenit speciebus sub eo constitutis : quare vel sacramentum non est in genere causæ,vel debet participare vere, et proprie causæ conceptum. Sed quidquid de hoc sit.

[Margin: Magist. Hugo. Victor. Guil. Paris. Rich. Suarez. Aversa. Bauni. Lugo. Dicast. Prado. Gonet.]

24. Arguitur primo ab auctoritate pro prædicta opinione : quia diffinitiones sacramenti a Doctoribus traditæ significant illud esse causam : sed ratio causæ nequit

[Margin: Primum argumentum.]

sacramento convenire, ut differentia constitutiva; siquidem constat dari alias plures causas, quæ sacramenta non sunt: ergo convenit sacramento, ut conceptus genericus, sibi, et aliis non sacramentis communis: atque ideo sacramentum in genere causæ essentialiter constitueretur. Cætera constant. Et major etiam liquet: nam Magister *loco cit.* diffinit, « Sacramentum est in« visibilis gratiæ visibilis forma, ita ut « imaginem gerat, et causa existat. » Quam diffinitionem communiter explicant, amplectunturque scholastici. Hugo diffinit: « Sacramentum est corporale elementum fo« ris sensibiliter propositum ex similitu« dine repræsentans, et ex institutione signi« ficans, et ex sanctificatione aliquam invisi« bilem, et spiritualem gratiam continens, » ac subinde causans. Quas diffinitiones recipit, et approbat D. Thom. *in* 4, *dist.* 1, *quæst.* 1. *artic.* 1, *quæstiunc.* 3 *et* 5. Denique Catechismus Romanus: « Sacramentum est res « subjecta sensibus, quæ Dei institutione « sanctitatis, et justitiæ tum significandæ, « tum instituendæ vim habet.

Confirmatio. Tho. Confirmatur ex D. Thom. qui nec semel, nec obscure significat esse de ratione sacramenti, quod sit causa: nam *in* 4, *dist.* 1, *quæst.* 1, *artic.* 1, *quæstiunc.* 3 *ad* 5, affirmat, « quod illud est simpliciter sacra« mentum, quod causat sanctitatem; quod « autem significat tantum, non est sacra« mentum, nisi secundum quid. Et ideo « esse causam ponitur in diffinitione sacra« menti. » Et in eod. art. *quæstiunc.* 1, affirmat, « quod sacramentum importat sanctitatem active. » Et 1, 2, *quæst.* 101, *artic.* 4, inquit: « Ex parte colentium Deum duo « possunt considerari, scilicet eorum ins« titutio ad cultum divinum: quod fit per « quandam consecrationem vel populi, vel « ministrorum: et ad hoc pertinent sacra« menta. » Et *quæst.* 102, *art.* 5, ubi ex professo disputat de causa convenienti sacramentorum veteris legis, resolvit: « Sa« cramenta proprie dicuntur illa, quæ ad« hibebantur Dei cultoribus ad quandam « consecrationem, per quam scilicet depu« tabantur quodammodo ad cultum Dei. » Ergo ex sententia S. Doctoris sacramenta veteris legis causabant ad minus hunc effectum, nempe passivam hominum consecrationem, et deputationem ad cultum Dei. Est igitur de ratione cujuscumque sacramenti, ac perinde, et sacramenti in communi causare aliquem effectum. Per quæ specialiter evertitur fundamentum, quod a *n.* 20 proposuimus: jam enim assignatur aliquid, quod sacramenta antiqua causaverint, et in ordine ad quod habuerint officium causæ.

Ad argumentum respondetur distinguendo, aut explicando majorem: quia aliquæ diffinitiones sacramenti, quas DD. tradunt, formantur specialiter pro sacramentis novæ legis, quibus convenit esse vere causam justitiæ: sed minime extenduntur ad sacramenta veteris legis, atque ideo nec adaptari possunt sacramento ut sic, et secundum communem rationem sacramenti. Hujusmodi autem sunt omnes illæ diffinitiones, quæ ad probandam majorem referuntur. Unde ex vi illarum nihil concludi valet. Quod si quis contendat Magistrum, et Hugonem diffinivisse sacramentum in communi: illorum auctoritate non implicabimur, qui alia longe majori munimur Angelici Præceptoris. Et minus refert, quod D. Tho. prædictas diffinitiones *loc. cit.* approbaverit: nam ibi gerebat munus Commentatoris juxta mentem Magistri. At ubi propriam revelavit, generaliter conclusit: « Non « oportet, quod sacramentum semper im« portet causalitatem. » Et sic ablegavit oppositam nobis sententiam, ut *num.* 17 jam observavimus. Satisfit argumento.

Unde patet ad confirmationem: nam priora testimonia, quæ ex D. Thom. allegantur, sunt ex scriptis super sententias, quæ ipse postea revocavit. Idque evidenter, vel ex eo constat, quod ibi scripsit *Sacramentum jam portat sanctitatem active*, ut nobis objicitur: et tamen *in præs. art.* 1 *ad* 1, resolvit: « Sanctitas, a qua denomi« natur sacramentum, non significatur per « modum causæ efficientis, sed magis per « modum causæ formalis, vel finalis. Et « ideo non oportet, quod sacramentum « semper importet causalitatem. » Illa vero loca, quæ allegantur ex summa, minus adhuc urgent: fatemur namque sacramenta antiquorum induxisse quandam deputationem, aut consecrationem; quippe erant signa protestativa religionis, et distinguentia inter homines eo proportionali modo, quo pecudes diversorum dominorum solent per diversa signa, aut stigmata distingui. Sed hoc minime constituit conceptum causæ veræ, et propriæ; sed spectat ad lineam signi, quatenus a causæ genere differt. Præsertim Solvitur confirmatio

sertim ubi concursus signorum nihil intrinsecum imprimit, ut in antiquis contingebat et contingit modo in investitura Episcopi per annulum, et Canonici per librum, et in similibus : non enim ibi intervenit vera aliqua causalitas, sed signum præcise externæ deputationis. Unde cum D.Thom. *in hac* 3, *part.quæst.seq.art.*2, retulisset aliquorum sententiam, qui prædicto modo explicabant causalitatem sacramentorum legis gratiæ, statim illam rejecit his verbis : « Sed si « quis recte consideret, iste modus non « transcendit rationem signi. Nam liber « est quoddam signum, quo designatur tra- « ditio canonicatus. Secundum hoc igitur « sacramenta novæ legis nihil plus essent, « quam signa gratiæ : cum tamen ex mul- « tis sanctorum auctoritatibus habeatur « quod sacramenta novæ legis non solum « significant, sed causant gratiam. » Ex quibus a contrario sensu infertur sacramenta antiqua, quæ solum importabant extrinsecam illam consecrationem, aut deputationem ad cultum Dei, et nihil intrinsecum inducebant in subjectis consecratis, et deputatis, non fuisse vere causas, sed mera signa.

25. Sed replicabis (et sit secundum argumentum) : quia ut tradit D.Thom. quodlib. 11, *q.* 6 *ad* 3, *et in* 4, *dist.* 4, 4, *q.* 1, *art.* 1, *quæstiunc.* 2 *ad* 4, et alibi frequenter, artefactum constituitur in duplici genere, nempe suæ materiæ, et suæ formæ, et principalius in genere suæ materiæ : sed sacramentum est quoddam artefactum constans materia, et forma : in quo ratio causæ se tenet ex parte materiæ, quæ assumitur, et elevatur ; ratio vero signi se tenet ex parte formæ : ergo sacramentum constituitur non solum in genere signi, sed etiam in genere causæ, et principalius in hoc.

Confirmatur : quia unumquodque constituitur formaliter per id, quod est principalius, sive nobilius in ipso : sed in sacramentis reperiuntur ratio signi, et ratio causæ, et ista est nobilior, quam illa ; cum hæc sit realis, illa vero rationis, ut statuimus § 3; ergo sacramentum constituitur per rationem causæ : atque ideo non solum in genere signi, sed etiam in genere causæ collocandum est.

Ad replicam, sive argumentum respondetur excessive probare : evincit enim si quid valet, sacramentum formaliter sumptum constituendum esse in genere substantiæ, aut qualitatis, aut actionis quippe quod omnia hæc importare solet ex parte materiæ. Id vero esse falsum, atque destruere hypothesim præsentis difficultatis constat ex prænotatis § 1. Unde dicendum est artefacta dupliciter considerari, nempe absolute, et in esse entis, vel formaliter, et determinate in esse artis. Et quidem in priori consideratione constituitur in genere ratione materiæ, sive subjecti ; quia ab hac parte habet simpliciter esse : et sic domus, et cathedra in esse entis collocantur in prædicamento substantiæ sicut, et subjectum, quo constant. Cæterum in secunda consideratione constituitur in genere ratione formæ, per quam habet esse formaliter artefactum : et sic domus, et cathedra collocantur in prædicamento qualitatis, sicut figura, per quam in esse artefacti constituuntur. Modo autem loquimur de sacramentis non consideratis in esse entis, quæ est consideratio communis sibi, et omnibus artefactis, atque concretis accidentalibus : sed agimus de illis, ut sacramenta sunt, et secundum id, quod habent ex institutione, sive elevatione ad rationem sacramenti. Secundum quam proinde rationem debent constitui in genere signi, sicut artefacta in genere artis. Ad quæ attendens D.Thomas *in præs.artic.* 1, dixit : « Specialiter autem nunc loquimur de sacramentis, « secundum quod importabant habitudinem « signi : et secundum hoc sacramentum « ponitur in genere signi. » Quod, præter allata, facile declarat exemplum monetæ : hæc enim absolute, et in esse entis constituitur in genere metalli : sed ut moneta constituitur in genere figuræ, vel signi.

Ex quibus constat ad confirmationem : nam unumquodque constituitur formaliter per id, quod est absolute nobilius in re, non quidem considerata in esse entis ; sed in ordine ad ejus constitutionem, prout hunc, aut illum determinatum conceptum importat. Qua de causa licet album consideratum absolute, et in esse entis constituatur per formam substantialem : nihilominus consideratum formaliter in esse albi non constituitur per formam substantialem, sed per albedinem : hæc enim licet in esse entis sit ignobilior, quam illa ; tamen est principalior in ordine ad prædictam constitutionem. Idemque, et ob eandem causam contingit in demonstratione objectiva, cu-

jus materia solet esse ens reale ; et nihilominus in esse talis non constituitur formaliter nisi per ordinem objectivum rationis, quem intellectus in ea materia apprehendit, atque constituit : quæ etsi ens rationis sit simpliciter ignobilius ente reali ; nihilominus est principalius in ordine ad constituendum demonstrationem objectivam, quæ est quoddam rationis artefactum. Et similiter accidit in præsenti materia : nam cum sacramentum sit suo modo aliquod artefactum, quod ex communi sui ratione ordinatur non ad causandum, sed ad significandum ; idcirco constituitur in conceptu generico sacramenti non per rationem causæ, sed per rationem signi : quippe quamvis minus nobilis in esse entis, est principalior in ordine ad constituendum pro formali tale artefactum. Et profecto confirmatio in objicientes retorquenda est : quia si quid probat, suadebit sacramenta non constitui formaliter per rationem causæ, aut signi, sed per rationem substantiæ, utputa, vel aquæ, vel olei, quas necessario important : ista namque illas excedit absolute, et in esse entis. Id vero nemo imaginatus est. Sicut igitur confirmatio non evincit sacramentum formaliter sumptum collocandum fore in prædicamento substantiæ ; ita non probat constituendum esse in genere causæ.

Tertium argumentum. 26. Arguitur tertio : nam sacramenta sunt signa non utcumque, sed practica : atqui de ratione signi practici est efficere, quod significat : ergo de conceptu generico sacramenti est efficere : atque ideo constitui debet non solum in genere signi, sed etiam in genere causæ. Utraque consequentia patet. Et major est certa : quia si de ratione sacramenti non foret esse signum practicum ; plurima darentur, et dicerentur sacramenta, quæ tamen nequeunt admitti : quippe crux, imagines, et similia repræsentant speculative sanctitatem. Minor etiam liquet : quia practicum in eo distinguitur ab speculativo, quod concernit opus, a quo speculativum præscindit, sicut constat in scientiis, quæ ob hanc differentiam dicuntur practicæ, aut speculativæ.

Confirmatio. Confirmatur : quia sacramenta novæ legis formaliter considerata constituuntur essentialiter in genere, aut ordine causæ : ergo idem de omnibus aliis sacramentis dicendum est : et consequenter sacramentum ut sic formaliter sumptum in prædicto ordine, aut genere collocari debet. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quæ legitime ex antecedenti infertur : nam omnia sacramenta in eodem genere, vel ordine collocantur. Antecedens vero probatur : quia genus, et differentia, quibus constat species, debent esse ejusdem ordinis : sed differentia constitutiva sacramentorum novæ legis est peculiaris ratio causæ : ergo talia sacramenta constituuntur in genere aut ordine causæ. Minor hujus syllogismi constat ex doctrina Concilii Florentini sæpius allegata : constituit enim differentiam, et peculiarem rationem sacramentorum novæ legis in eo, « quod antiqua non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant : hæc vero nostra, et continent gratiam, et eam digne suscipientibus conferunt. » Ergo differentia constitutiva sacramentorum legis novæ est peculiaris ratio causæ. Concil. Florent.

Diluitur argumentum. Ad argumentum respondetur negando minorem : quia de ratione signi practici non est efficere illud, quod significat, vel ex ipso conceptu signi habere virtutem causandi : ut patet in horologio, quod practice signat tempus, et horam, quæ non efficit. Minoris autem probatio nihil evincit : nam ut practicum distinguatur in genere ab speculativo, satis est ordinari ad opus, sive illud efficiat, sive non : speculativum enim ab opere, et executione præscindit. Unde sacramentum merito appellatur signum practicum : quoniam ad id instituitur, ut in ejus usu, et applicatione aliquid fiat, illud scilicet, quod repræsentat ; sive id fiat virtute sacramenti, ut in nostris accidit ; sive absque ulla causalitate sacramenti, ut in antiquis contingebat juxta dicta *a num.* 20, quod satis evincit esse causam non constituere communem conceptum signi practici, quem sacramentum importat. Idque vel liquet in ipsa scientia habituali, vel actuali practica : nam ut talis sit, opus non habet efficere objecta, quæ attingit ; sed sufficit, quod ordinetur ad aliquid extra intellectum. Stat itaque potissimum differentia inter signum speculativum, et practicum non quidem in efficiendo, vel non ; sed ex parte finium : nam in speculativo solum intenditur repræsentatio signati : in practico autem intenditur conjunctio signi cum opere ; quamvis opus non fiat per signum

num

num, sed per virtutem alterius, qui signum instituit, et per illud explicat intentionem. Videatur Joannes a S. Thom. *disp.* 22, *art.* 1, *dub.* 5, *per totum*, ubi hanc doctrinam optime prosequitur.

Ad confirmationem negandum est antecedens : nam licet sacramenta novæ legis habeant quatenus talia esse essentialiter causas, id tamen non convenit illis ex parte formæ, sive significationis ; sed solum ex parte materiæ, et actionis, cui divina virtus elevans adjungitur ex institutione Christi. Et cum unumquodque constituatur in genere non per id, quod materialiter importat, sed per illud, quod formaliter dicit (et in hoc sensu tractamus præsentem difficultatem, ut a principio observavimus): propterea nec sacramenta novæ legis formaliter sumpta constituuntur essentialiter in genere causæ, sed in genere signi. Ad antecedentis autem probationem negamus minorem : quia peculiaris ratio constitutiva sacramentorum novæ legis non est peculiaris ratio causæ, sed peculiaris ratio signi : quandoquidem non conveniunt cum sacramentis legis antiquæ in communi conceptu causæ, sed in communi conceptu signi ; et differentiæ debent generi proportionari, et contineri in potentia sub illo. (Per quod directe contradicimus menti, et methodo arguentis, qui genus probat ex differentia ; cum nos et melius probemus differentias ex genere.) Nec oppositam doctrinam tradit Concilium Florentinum : quippe solum statuit differentiam essentialem inter sacramenta antiqua, et nova, quod illa fuerint præcise signa, ista vero sint etiam causæ. Ad hoc enim sufficit, si ratio causæ conveniat essentialiter nostris sacramentis ex parte materiæ, vel actionis, quibus constant ; sed non requiritur, quod eis competat ex parte formæ, per quam formaliter constituuntur in ratione sacramenti. Sicut Cathedra lignea distinguitur essentialiter ab alia Cathedra non lignea : sed distinctio non est ex parte formæ, sed ex parte materiæ: quia una constat materia ligni, quam alia non habet. Quare ex præmissa Concilii doctrina vehementer fulcitur assertio nostra retorquendo illud testimonium in Adversarios : nam si nostra sacramenta differunt ab antiquis in eo, quod nostra significant, et causant, antiqua vero significabant, et non causabant ; liquido convincitur nostra, et antiqua sacramenta non convenire in conceptu communi causæ, sed convenire in communi conceptu sacramenti. Illud autem, in quo non conveniunt, non potest habere rationem generis respectu illorum ; bene autem id, in quo conveniunt, ut ex se liquet. Ergo genus sacramentorum non est genus causæ, sed signi. Unde ulterius legitime consequitur rationem differentialem constitutivam sacramentorum nostrorum intra illud genus non esse peculiarem rationem causæ, sed peculiarem signi rationem, quam *dub. seq.* assignabimus. Quare, quod sicut causa, nec est genus, nec differentia essentialis, nec proprietas rigorosa ; sed modus quidam ex parte materiæ, qui ex institutione Christi illis necessario convenit : sicut essentiæ hominis posset ex institutione Dei adjungi modus aliquis, illi necessario ex institutione, quin essentialiter, ex suppositione, conveniens.

27. Nec refert, si opponas quidquid habent sacramenta nostra, habere ex institutione Christi : sed non implicat, quod Christus voluerit sacramenta nostra habere simul essentialiter rationem causæ, et rationem signi : ergo nullum occurrit solidum fundamentum, ut oppositum statuamus. Quin potius adest pro parte contraria: nam illud præcipue voluit Christus in nostris sacramentis, quod rationabilius est ipsum intendisse ; et rursus ipse intendit, quod nobilius est in eis : longe autem perfectius est in sacramentis nostris, quod causent gratiam, quam quod significent : ergo Christus voluit, et quidem principaliter sacramenta nostra esse gratiæ causam. Replica.

Id, inquam, non refert : concessa namque majori, distinguenda, et explicanda est minor : quia licet non repugnet Christum voluisse sacramenta nostra habere simul essentialiter causas esse ex parte materiæ, et esse signa ex parte formæ, ut supra jam diximus : implicatio tamen est (quam minime velle potuit Christus), Sacramenta ex parte formæ, atque ideo formaliter sumpta esse simul signa, et causas, et in utroque genere collocari. Quodlibet enim concretum, ut unum est, una forma constituitur : quam implicat ad duo genera non subordinata essentialiter pertinere, ut expendimus num. 25. Unde ex suppositione, quod sacramenta nostra sint formaliter in genere signi, ut probavimus § 2, et Adversarii Eliditur.

non negant; impossibile est, quod juxta institutionem Christi sint in genere causæ. Id autem, quod in hac objectione additur, jam exclusimus num. 25, quia non semper illud, quod perfectius est in esse entis, et quod subinde cadit sub præcipua intentione vel instituentis, vel operantis, constituit formaliter artefactum in esse talis. Sic enim formans demonstrationem objectivam non intendit principaliter ens rationis, sed scientiam realem, et virtutem realem demonstrationis ad generandum scientiam, quæ longe nobilior est: et tamen forma constitutiva illius artefacti, nempe demonstrationis, non est scientia intenta, aut generatio scientiæ, sed quidam rationis ordo. Et similiter qui fabricatur aliqua instrumenta mathematica, non intendit principaliter eorum figuram, sed scientiam mediis illis comparandam: et nihilominus instrumenta non constituuntur formaliter per scientiam, vel per vim illam inducendi, sed per figuram. Sic igitur Christus instituendo sacramenta nostra principaliter voluit gratiam, et illorum virtutem ad hanc producendam: sed tamen eorum forma nec est gratia, nec virtus hanc producendi, ob ea, quæ supra diximus. Intendit itaque Christus omnia hæc: at cum distributione accommoda, nempe gratiam, et virtutem ut finem; significationem autem ut formam: quæ rationes sunt longe diversæ, et non omnes constituunt formaliter sacramentum, sed sola forma.

Quartum argumentum. 28. Arguitur quarto: nam de singulis sacramentis verificatur esse causam saltem moraliter: ergo omnia sacramenta conveniunt in conceptu causæ: atque ideo nulla est ratio, quare non constituantur in genere causæ, corruitque proinde fundamentum a nobis secundo loco propositum. Cætera constant. Et antecedens suadetur: quia unumquodque sacramentum est signum passionis Christi, cujus intuitu Deus confert gratiam; idque verificatur de omnibus sacramentis tam antiquis, quam novis; cum hac tantum differentia, quod vetera significabant Christum futurum, nova vero præsentem: sed ab hujusmodi signo est insuperabilis vis excitativa moralis ad movendum Deum, ut intuitu passionis Christi conferat gratiam: ergo de singulis sacramentis verificatur esse causam saltem moraliter.

Solutio. Respondetur hoc argumentum, quo convincuntur Prado, et Gonet ut prosequantur eam partem, in qua a communi aliorum Thomistarum sententia recedunt, habere plures defectus. Nam in primis illa vis excitativa signorum, aut sacramentorum non constituit causam vere, et proprie talem, sed solum secundum quid, et impropriam, ut ipsimet recognoscunt: et tamen sacramenta antiqua, et nova conveniunt vere, et proprie in communi sacramenti conceptu; siquidem de singulis prædicatur esse vere, et proprie sacramentum: ergo ratio communis, in qua sacramenta in esse talium conveniunt, non est ratio causæ, quam illi assignant: alias non magis proprie forent sacramenta, quam causæ. Deinde concesso prædictis Authoribus, quod omnia sacramenta habuerint, habeantque rationem causæ; restat illis probandum, quod causæ ratio illis competat ex parte formæ; id quippe necessarium erat, ut sacramenta formaliter considerata constituerentur essentialiter in causæ genere: quod tamen ipsi minime persuadebunt. Nam sicut de omnibus sacramentis verificatur esse ritus, et cæremonias, quod illis competit ex parte materiæ: et sicut de omnibus sacramentis novis verificatur esse causas physicas gratiæ, quod eis etiam competit ex parte materiæ: sic pariter quamvis de omnibus sacramentis verificaretur esse causas saltem morales, non propterea colligeretur, quod ratio causæ conveniebat eis ex parte formæ, qua in esse sacramenti constituuntur: sed id probare debuerant Adversarii. Quod minime exequentur: nec poterunt, nisi inconsequenter agendo. Cum enim ipsi doceant sacramentum in esse talis constitui per significationem sicut per formam (quippe cum illud formaliter, et principaliter in genere signi constituant), non possunt aliam formam ejus constitutivam assignare. Unicum enim formaliter concretum, quale sacramentum est, constituitur per unicam formam; et hæc nequit ad duo genera pertinere, nec in eisdem collocari, ut ex se constat. Unde sequitur quamlibet causalitatem sive physicam, sive moralem, quæ sacramentis competat, et a significatione differat, sive contra significationem distinguatur, non se tenere ex parte formæ, sed ex parte materiæ. Et si oppositum contingeret, sequeretur (et est ultimus opponentium defectus), sacramenta tam principaliter constitui per causalitatem, quam per

per significationem, atque in generibus causæ, et signi æqualiter collocari; quod ipsi negant, ut observavimus num. 23.

Juxta hæc igitur respondetur ad argumentum negando antecedens intellectum de causalitate morali, quæ a significatione distinguitur. Et ad antecedentis probationem dicendum est excitationem illam coincidere cum sacramentorum significatione : quare non extrahit illa a mero signi conceptu. Præsertim cum ea excitatio non referatur immediate ad ullum sacramenti effectum, sed solum ad Deum sacramentorum institutorem, qui per sacramenta tanquam per signa suam intentionem, et influxum repræsentat. Quod tam non est sacramenta Deum excitare, quam Deum per sacramenta significare, atque in eorum præsentia, sive applicatione influere. Et hac ratione dicuntur signa practica in sensu, quem n. 26, explicuimus. Alia non pauca argumenta expendit Mag. Joann. a S. Thom. disp. 22, art. 1, dub. 4, quæ omittere duximus, quia eorum responsio facile constat ex dictis.

DUBIUM II.

Per quam differentiam essentialem constituatur Sacramentum in esse talis?

Cum qualibet species constet genere, in quo convenit cum aliis, et differentia, per quam ab aliis distinguitur; oportet, quod postquam ostendimus genus, in quo sacramentum in communi, sumptum formaliter, sive ex parte formæ constituitur, et in quo convenit cum omnibus signis; ulterius procedamus ad assignandum propriam ejus differentiam essentialem, per quam sub illo genere distinguitur ab aliis signis, quæ sacramenta non sunt. Manifestum namque est non omnia signa esse sacramenta. Et ideo designari debet aliqua distinguendi ratio, per quam signum, quod dicitur sacramentum, contrahat communem signi rationem, atque in esse sacramenti constituatur. Sed ut id cum majori claritate constet

§ I.

Præmittuntur aliqua notabilia.

29. Si ea, quæ dubio præced. diximus, vera sunt, haud obscure nos ducent ad legitimam præsentis resolutionem. Nam generale est in omnibus respectivis, quod speciem adæquatam sortiantur ex terminis, quos respiciunt, et per habitudinem ad eos. Ratio autem signi est respectiva ad signatum : quare sicut communis ratio signi ut sic sumitur per habitudinem ad significatum ut sic, ita etiam peculiaris ratio signi debet desumi per habitudinem ad peculiare, et determinatum signatum. Quocirca cum sacramentum sit peculiare signum sub generali signi ratione constitutum; oportet, quod propria ratio differentialis, et constitutiva hujus signi, quod est sacramentum, attendi debeat per respectum ad signatum speciale. Porro sicut species in aliis respectivis attenditur per habitudinem ad terminos sumptos non præcise materialiter, sive quantum ad materiam terminantem, quæ solet dici ratio *quæ;* sed consideratos formaliter quantum ad modum, quo respiciuntur, et terminant, quæ solet vocari ratio *sub qua* (et hac de causa idem materialiter terminus attingi potest per diversa specifice respectiva) ; sic etiam species, et differentia constitutiva signi, quod dicitur sacramentum, attendi debet non præcise ex parte rei significatæ, sed etiam, et multo magis ex modo illam significandi. Unde differentia sacramenti ab aliis signis venari potest, et debet tum ex eo, quod significant alias res aliis signis non significatas: tum ex eo, quod easdem res diverso modo significant. Quippe manifestum est signum repræsentans alias res, vel alio modo, distingui ex hoc ipso essentialiter ab aliis signis, atque in propria specie constitui : sicut constat habitum scientificum attingentem vel diversum objectum, vel diverso modo, differre essentialiter ab aliis scientiis, et propriam speciem sortiri. Quod etiam contingit in cunctis aliis respectivis, ut facile constabit consideranti. Nota I.

Procedendo igitur juxta hanc regulam, et illam præsenti materiæ applicando, nullo negotio reperiemus sacramenta distingui ab innumeris signis, ab omnibus scilicet, quæ res profanas, aut saltem non determi-

nate sacras repræsentant: quoniam sacramenta habent ex propria ratione repræsentare determinate res sacras. Cæterum quia certo constat significationem rei sacræ non sufficere ad constituendam propriam rationem sacramenti: reperiuntur enim plura, quæ res sacras repræsentant, et tamen sacramenta non sunt, ut patet in imaginibus Divorum, in cæremoniis, et generaliter in cunctis pertinentibus ad antiquam legem, quæ mysteria præsentis gratiæ præfigurabant: ulterius videre oportet, quæ res debeat significari, et quo modo, ut signum, quod dicitur sacramentum, in esse talis constituatur, et ab omnibus signis differat, quæ sacramenta non sunt.

Hæreticorum imaginatio. 30. Et in primis rejicienda ab ipso limine est hæresis plurium Calvinistarum, qui, ut refert N. Philippus disp. 1, dub. 2, negant sacramenta significare sanctitatem, aut sanctificationem internam, quæ in usu eorundem contingat, et asserunt esse præcise signa divinæ benevolentiæ, et prædestinationis, atque sigilla quædam, et obsignationes justitiæ prius per fidem acceptæ. Quod probant tum ex eo, quod Circumcisio, quæ fuit sacramentum veteris legis, dicitur ad Rom. 4: *signaculum justitiæ fidei*, quæ fuit in Abraham: non ergo significabat justitiam dandam in ejus usu, sed obsignabat eam, quæ in Abraham supponebatur. Tum ex D. Gregorio Nazianzeno orat. 11, in laudem Gorgoniæ, ubi dicit baptismum non tam fuisse illi gratiam, quam *sigillum:* non igitur pertinet ad rationem baptismi, et aliorum sacramentorum significare justitiam, sed obsignare, et testificari divinam benevolentiam.

Ad Rom. 4.

D. Naz.

Explo-ditur. Refellenda, inquam, est hujusmodi positio non tantum ut hæresis, sed ut delirium. Nam in primis nullum offert divina scriptura, nec Calvinistæ proferunt locum, in quo vel leviter insinuetur sacramenta signa esse prædestinationis. Deinde sacramenta signa sunt indifferenter instituta pro prædestinatis, et reprobis: atque ideo debent aliquid significare utrisque commune: id vero nequit esse prædestinatio, ut ex terminis liquet. Et plane Judas aliquod verum sacramentum suscepit, quippe fuit baptizatus, et ordinatus, et accepit Eucharistiam: et tamen reprobus erat, ut ab effectu constat. Denique sacramenta non esse obsignationes divinæ benevolentiæ, et justitiæ per fidem prius acceptæ manifestum est in parvulis: mundantur enim a peccato originali, cum baptizantur: unde baptismus non supponit in eis justitiam, sed practice inducit. Et si hæretici recurrant, quod faciunt, ad justificationem per fidem, qua tunc parvuli credunt; eorum fuga risum magis, quam seriam impugnationem meretur. Nam, ut egregie arguit D. Augustinus, si parvuli fruerentur accelerato usu rationis, qui requiritur ad credendum; peccarent potius, quam justificarentur in baptismo: quippe qui flent, dolent, et resistunt, eduntque hujus displicentiæ, et renitentiæ signa; quæ profecto impia, et peccaminosa forent, si ex usu rationis descenderent. Non ergo baptismus obsignat justitiam, quam ipsi habeant per fidem, sed dat practice gratiam regenerantem. Nec allata ab hæreticis aliquid probant. Non primum: nam ex eo, quod circumcisio fuerit signaculum distinguens fideles illius temporis ab infidelibus (quod intendit Apostolus loco citato), non infertur fuisse præcise hujusmodi signaculum. Sicut etiam baptismus distinguit modo fideles ab infidelibus: et tamen in hoc non sistit, sed significat præsentem sanctificationem, ut exemplo parvulorum ostendimus. Idemque proportionabiliter contingebat in Circumcisione, ut disp. 3, dub. 4, dicemus. Nec etiam secundum: quia Nazianzenus loquitur de S. Gorgonia sorore sua, quæ magnam consecuta fuerat gratiam etiam ante baptismum, idque illa exaggeratione repræsentat. Sed minime negat, quod baptismus conferat aliis primam gratiam, aut quod sorori contulerit gratiæ augmentum.

31. Rejecto itaque Hæreticorum errore, supponendum est sacramenta significare plura, nempe justitiam nostram, Passionem Christi, et futuram gloriam, ut aperte resolvit D. Thom. in præsenti, art. 3, et probatur ratione desumpta ex S. Doctore in tribus primis hujus quæstionis articulis. Quoniam cum sacramentum ex una parte sit signum ad homines spectans, et ex alia parte significet rem sacram occultam, ut ex ejus nomine constat, et in proœmio ostendimus; nequit non significare rem sacram, occultam, et ad homines pertinentem: hujusmodi autem est justitia, sive gratia, qua justificamur; quippe quæ est quid sacrum, occultum, et ad homines spectans: ergo Nota.

sacramentum

sacramentum significat prædictam justitiam, seu gratiam. Ulterius quamvis hujusmodi justitia secundum speciem considerata non dependeat essentialiter a Christo, nec ab ejus Passione, et merito; nihilominus omnia sacramenta, quæ hactenus Deus instituit, significant gratiam ut dependentem a Christo, et Passione ipsius: quia sicut omnia sacramenta sunt instituta post peccatum, ac in remedium illius; sic etiam significant gratiam ut medicinalem, et redemptivam, quod ipsa habet ex Passione, et meritis Christi: atque ideo debent significare ipsum medicum, et redemptorem tanquam specialem gratiæ causam. Denique ipsa gratia, seu justitia dicit ordinem ad gloriam, et per illam completur juxta illud ad Rom. 6: *Gratia Dei vita æterna*: ergo sacramenta significant etiam gloriam.

Ad Rom. 6.

Quam doctrinam magis elucidare, et confirmare facile possemus discurrendo per singula sacramenta. Sed quia id nimis prolixum foret, sufficiet unum, aut alterum exemplum perducere. Nam de baptismo agens Apostolus ad Rom. 6, inquit: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus:* per quæ significat baptismum esse signum commemorativum mortis Christi. Deinde subdit: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris; ita, et nos in novitate vitæ ambulemus:* per quæ significat baptismum esse signum repræsentans gratiam, sive justitiam, qua novam vitam vivimus. Tandem addit: *Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul, et resurrectionis erimus:* per quæ significat baptismum repræsentare gloriam, ad quam resurgemus. Significat itaque baptismus gratiam, gloriam, et Passionem Christi. Eadem significata ocurrunt etiam in sacramento Eucharistiæ. Nam cum Joann. 6, dicitur: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me,* significatur vita gratiæ, qua vivimus cum ordine ad Deum sicut finem ultimum. Et cum dicitur: *Qui manducat hunc panem, Vivet in æternum,* significatur gloria. Et ex Lucæ 22: *Hoc facite in meam commemorationem,* et ex 1, ad Corinth. 11: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat,* innotescit Eucharistiam esse signum commemorativum Christi, et Passionis ejus. Quæ omnia significata amplectitur Ecclesia in quadam antiphona festi corporis Christi his verbis: « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. »

Idem. Joan. 6. Lucæ. 22. 1. ad Cor. 11.

Eadem etiam significata concurrebant in sacramentis antiquis, sicut patet (ut alia interim exempla omittamus), in Circumcisione. Nam ablatione præputii significabat gratiam auferentem peccatum originale, quod per actum generationis traducitur, ut observat D. Thom. infra quæst. 70, art. 3 ad 3; significabat etiam gloriam ob ea, quæ notat idem S. Doct. in resp. ad 3: « Octavus, *inquit,* dies determinatur Circumcisioni tum propter mysterium: quia in octava ætate (quæ erit ætas resurgentium), quasi in octavo die perficietur per Christum spiritualis Circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam, sed etiam omnem pœnalitatem. » Denique significabat Christum ob ea, quæ egregie observat idem Angelicus Præceptor in resp. ad 2, his verbis: « Leguntur tamen aliquæ Circumcisiones famosæ, cultello lapideo factæ: sicut legitur Exod. 4, quod tulit Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui. Et Josue 5, dicitur: Fac tibi cultellos lapideos, et circumcide secundo filios Israel. Per quod figurabatur circumcisionem spiritualem esse fiendam per Christum, de quo dicitur 1, ad Corinth. 10: Petra autem erat Christus. » Convenit itaque omni sacramento significare tria illa, quæ D. Th. recenset art. 3 hujus quæst. Quo etiam loco observat, quod juxta diversa hujusmodi significata: « Sacramentum est et signum rememorativum ejus, quod præcessit, scilicet Passionis Christi: et demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi Passionem, scilicet gratiæ: et prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ. » Quæ, ut liquet, procedunt in sacramentis legis novæ præsupponentibus Christum. Sed applicanda etiam sunt sacramentis antiquis cum hac tantum differentia, quod erant demonstrativa gratiæ, quæ tunc dabatur propter Christum: et erant prognostica, sive prænuntiativa tam gloriæ, quam Christi tunc futuri.

D. Tho.

32. Communiter tamen contra hanc

Objectio. doctrinam objicitur ex ea inferri, quod sacramentum sit signum non univocum, sed æquivocum, aut saltem analogum: quia non significat unam rationem omnibus significatis communem, sed significat plura proportionabiliter se habentia, aut saltem cum dependentia ab uno: sicut proportionabiliter contingit in nomine *Sanum*, quod significat, et sanitatem formalem, et causam sanitatis, et signa ejusdem; et hac ratione non est univocum, sed analogum.

Dispellitur. Sed huic objectioni respondendum est negando sequelam, et suppositum consequentis: quia signum esse univocum, vel æquivocum, vel analogum, non pertinet ad res, sed ad nomen, ut ex eorum diffinitione liquet, in qua dicitur: « Quorum no« men est commune, etc. » Modo autem non agimus de hoc nomine *Sacramentum*, sed de re quæ hoc nomine significatur, et cui competit repræsentare illa tria. Unde non sequitur sacramentum esse signum æquivocum, vel analogum: sicut nec nos affirmamus, quod sit univocum. Cæterum si terminos impropriando objectio applicetur signis, quæ res, et sacramenta sunt; nihil adhuc concludet: quia ut optime tradit D. Thom. in præs. art. 3 ad 1: « Tunc « est signum ambiguum præbens occasio« nem fallendi, quando significat multa, « quorum unum non ordinatur ad aliud. « Sed quando significat multa, secundum « quod ex eis quodam ordine efficitur « unum, tunc non est signum ambiguum, « sed certum: sicut hoc nomen, homo, si« gnificat animam, et corpus, prout ex eis « constituitur humana natura. Et hoc « modo sacramentum significat tria præ« dicta, secundum quod quodam ordine « sunt unum. » Quo loco S. Doctor summo ingenio declinavit a vocibus univocationis, æquivocationis, aut analogiæ, optime noscens has rationes esse proprietates nominum, quæ in rebus ipsis, quales tractabat, non reperiuntur. Curavit autem vitare præcise ambiguitatem, sive causam deceptionis: hæc enim locum etiam habere potest in rebus aliud a se repræsentantibus. Vitavit vero illam, quia sacramentum significat illa tria, non quidem ut plura, sed ut ordine sunt unum, et ad unam sanctificationem concurrunt, gratia ut forma, Christus ut efficiens, gloria ut finis. In quo (admissa etiam improprietate), non æquivocatio, vel analogia, sed magis univocatio relucet: quia æquivoca significantur ut plura: similiter analogata ut plura simpliciter, et unum secundum quid: unde utraque egent pluribus ejusdem nominis impositionibus. Sacramentum autem significat illa tria non ut plura, sed ut constituunt unum significatum unitate saltem ordinis, idque ex vi ejusdem impositionis divinæ: quod magis redolet univocationem in repræsentando.

D. Tho.

33. Dubitari autem potest, an sacramentum significet omnia illa formaliter, et expresse; an vero solum virtualiter, et implicite? Ad quod respondendum est id dependere ex intentione, et deputatione Dei sacramenta instituentis. Nam cum sacramenta non sint signa naturalia, sed ad placitum, ut diximus dub. præced. § 3, tam eorum significatio, quam significandi modus in Dei dispositionem revocari debent. Porro non apparet implicatio, quod Deus voluerit per sacramentum significare formaliter, et expresse unum aliquod, virtualiter autem, et implicite aliqua alia ob connexionem cum primo. Sicut signum vestigii hominis repræsentat formaliter, et expresse solum vestigium, sed tamen virtualiter, atque implicite repræsentat ipsum hominem ut vestigii causam; et sic ducit in ejus cognitionem. Et hoc modo quamvis sacramenta significarent formaliter, et expresse solam gratiam sanantem; adhuc tamen repræsentarent virtualiter, et implicite Christum, et gloriam: quia gratia sanans connectitur cum Christo tanquam cum causa, et cum gloria sicut cum fine: quare qui formaliter, et explicite cognoscit gratiam, quæ significatur in sacramentis, ibi implicite, et virtualiter Christum, et gloriam attingit. Sed tamen absolute censemus dicendum esse, quod sacramenta formaliter, et expresse omnia prædicta significant. Quia ex una parte Deus non virtualiter, et implicite, sed formalissime, et expressissime illa cognoscit pro sui intellectus nobilitate: et ex alia parte non occurrit fundamentum, ut dicamus Deum voluisse per sacramenta unum tantum formaliter repræsentare, et alia virtualiter ob connexionem: sed potius adest oppositum; cum omnia prædicta sint principaliter intenta, et repræsentatione dignissima. Cum igitur sacramenta habeant significare ex dispositione Dei ipsa instituentis, et ad repræsentandum ordinantis;

Incidentis difficultatis solutio.

nantis : absolute tenendum est, quod formaliter, et explicite gratiam, gloriam, et Christum.

Principalius sacramentorum significatum. Sed cum hac resolutione cohærere, ac simul affirmandum censemus, quod gratia sit principalius significatum : quippe quæ significatur omnino per se, alia vero etsi explicite, et formaliter, significantur tamen cum ordine ad gratiam. Tum quia sacramenta sunt signa practica ordinata ad nostram sanctificationem : ad hanc autem potissimum concurrit gratia, utpote causa formalis, atque inhærens, et per se ipsam justos constituens ; alia vero concurrunt ut causa extrinseca, vel efficiens, vel finalis : ergo licet sacramentum formaliter, et expresse repræsentet omnia illa, tamen principalius significat gratiam. Tum etiam quia sacramenta sunt signa rerum sacrarum, quibus homines sanctificantur : sed sola gratia est, quæ immediate, formaliter, et per se sanctificat : ergo illa est, quæ magis principaliter in sacramentis significatur. Tum denique quia licet Christus non esset, et quamvis gloria non fuisset repromissa ; adhuc tamen possent esse sacramenta, per hoc tantum quod forent signa practica gratiæ præsentis ; in quo nulla apparet contradictio, et videtur insinuari a D. Thom. in præs. artic. 3 ad 3, illis verbis : « Dicendum, quod sufficit ad ra« tionem sacramenti, quod significet per« fectionem, quæ est forma. » E contra vero si gratia non esset danda, nec existerent sacramenta : quod satis declarat ipsam esse principalissimum in sacramentis significatum. Cui resolutioni favet celebris illa, atque admodum apud Doctores recepta, et in Concilio Tridentino sess. 19, cap. 3, approbata sacramenti diffinitio : *Invisibilis gratiæ visibilis forma :* denotat enim gratiam esse, si non adæquatum, ut præmisimus, significatum ; esse tamen principalius, in quod cætera referuntur. Quod non evincit (ut tacitæ objectioni occurramus), ipsam esse digniorem absolute, et in esse rei ; sed tantum principalitatem habere in ratione rei in sacramento significatæ : quæ sunt longe diversa, et non pugnant inter se.

Aliud dubium decernitur. 34. An vero juxta præmissam resolutionem inferri debeat, quod significare Christum, et gloriam non pertinet ad essentialem significationem, et constitutionem sacramentorum, sed solum sit quædam integritas, et quasi complementum prædictæ significationis ; quæstio est in præsenti non admodum necessaria. In qua affirmativam partem tuetur Cabrera art. 2, disp. 3, negativam autem Joan. a S. Thom. disp. 22, artic. 3, dub. unico, in respons. ad 4. Sed distinctione opus est : nam loqui possumus de sacramentis, vel attendendo ad metaphysicam constitutionem secundum ea, quæ ex generali sacramenti ratione exposcunt : vel attendendo ad modum institutionis, quem de facto habent. Et in priori consideratione præferri debet Cabreræ opinio: quia sicut gratia metaphysice considerata non dependet a Christo, et posset in alia rerum serie communicari independenter ab illo : sic etiam possent institui signa practica significantia gratiam cum prædicta independentia, et proinde non repræsentantia Christum : forent autem prædicta signa absque dubio sacramenta : ergo considerando metaphysicam, et non repugnantem sacramenti constitutionem, non est essentia, aut de essentia sacramenti Christum repræsentare, sed solam gratiam. Cæterum in secunda consideratione verior censeri debet posterior sententia : quia sicut de facto omnis gratia, quæ in sacramentis datur, et significatur, est gratia medicinalis, et sanativa, pendensque ex meritis Christi : sic oportet, quod sacramenta omnia in hac rerum serie instituta Christum repræsentent : atque ideo convenit eis essentialiter significare non solam gratiam, sed Christum. Accedit, quod signis ad placitum in quantum talibus ea significare essentialiter convenit, ad quæ repræsentanda instituuntur: quippe quæ non aliam, aut alio modo significationem habent, nisi quam imponens vult habere. Sacramenta autem sunt signa ad placitum, ut diximus dub. præcedent. § 3. Deus illa ordinavit ad significandum non tantum gratiam, sed etiam Christum, ut num. præced. statuimus. Ergo de facto, et in præsenti rerum serie convenit essentialiter sacramentis Christum repræsentare ; atque ideo Christi significatio non se habet per modum integritatis ; aut complementi significationis essentialis, sed hanc ipsam significationem ingreditur.

35. Regrediendo igitur ad præcipuum propositæ difficultatis punctum, pro quo hæc expendimus (quæ licet videantur prolixe dicta, inutilia non sunt, explicantque inci- Punctus difficultatis.

Margin notes: D. Tho. (beside "ri a D. Thom."); Concil. Trident. (beside "in Concilio Tridentino"); Cabrera. Joan. a S. Tho. (beside "Cabrera art. 2").

denter non pauca D. Thomæ asserta in his articulis), habemus ex eisdem, quid præcipue significent sacramenta : incipitque apparere, quæ sit eorum ratio, sive differentia constitutiva: desumunt enim signa suam speciem per habitudinem ad signata. Sed cum aliæ res, quæ sacramenta non sunt, queant hæc eadem, quæ per sacramenta significantur, repræsentare : adhuc minime ex præmissis determinatur, quæ sit sacramentorum propria, et specifica ratio, per quam in esse talium constituuntur. Quocirca obligamur recurrere supra significata ad ipsum modum repræsentandi, qui dici valet ratio, *sub qua* in terminos, quos significant, dirigantur.

Nota 3. Pro cujus luce ulterius observare oportet sanctitatem, sive justitiam intrinsecam, quam diximus esse præcipuum sacramentorum significatum, bifariam accipi. Nam alia est sanctitas impropria, et secundum quid talis, et consistit in aliqua depuratione, aut deputatione, ex vi cujus aliquis dicitur legaliter mundus, ut sæpe occurrit in scriptura veteris testamenti. Alia est sanctitas simpliciter, quæ nimirum importat internam renovationem, et rectitudinem voluntatis coram Deo : quæ renovatio fit per gratiam habitualem, ut modo supponendum est ex dictis in tract. *de Justificatione*. Porro prædictas sanctitates esse valde distinctas constat ex eorum separatione. Nam in veteri lege sæpe contingebat quempiam esse legaliter sanctum, et simpliciter immundum coram Deo ; et e converso esse sanctum simpliciter coram Deo, et tamen immundum legaliter. Sic enim mulier alienigena, licet sancta coram Deo, erat immunda legaliter ; quia non licebat Judæo illam ducere in uxorem : et e converso mulier Judæa, quamvis peccatrix coram Deo, erat legaliter sancta, quia Judæus licite poterat illam uxorem habere. Quod productis aliis exemplis recte declarat Gonet. in (Gonet.) præs. disp. 1, art. 2, nu. 28. Et prædictam differentiam insinuat Apost. ad Rom. 9, (Ad Rom. 9.) dum justitiam, sive sanctitatem legalem vocat *emundationem carnis :* sanctitatem vero simpliciter appellat *emundationem conscientiæ :* quia prior illa conferebat præcise sanctificationem externam ; posterior autem confert internam, et absolutam hominis renovationem, ut declarat D. Thom. (D. Tho.) ibidem lect. 3, et in 1, 2, quæst. 102, artic. 5, et quæst. 109, art. 2. Deinde nota hanc ipsam sanctitatem simpliciter talem, quæ fit per internam gratiam, dupliciter considerari posse : uno modo practice, et prout de præsenti, atque in actuali usu confertur : altero modo quasi speculative, et signate, nempe non tam prout confertur, quam ut alio tempore conferenda. Quibus distinctionibus præmissis, quæ magis ex dicendis innotescent, facile intelligi potest, qualiter sanctitas, quæ est principale sacramentorum significatum, queat multipliciter accipi, et terminare illorum habitudinem, ac ipsa subinde in propria, et peculiari sacramentorum ratione constituere, per quam distinguuntur ab aliis signis. Quod si determinemus, propositæ difficultati liquido satisfiet.

§ II.

Legitima dubii resolutio aliquibus assertionibus explicatur.

36. Dicendum est primo differentiam propriam, per quam sacramentum constituitur in esse talis, et distinguitur ab aliis signis, quæ sacramenta non sunt, non consistere in sola significatione sanctitatis abstrahentis a sanctitate proprie dicta, et a sanctitate legali, et secundum quid : sed importare significationem sanctitatis simpliciter talis, quæ fit per gratiam internam. Sensus hujus conclusionis satis constat ex prænotatis. Illam autem non obscure docet D. Thom. nam artic. 2, in resp. ad 3, inquit : « Res denominatur a fine, « et complemento : dispositio autem non « est finis, neque perfectio. Et ideo quæ « significant dispositionem ad sanctitatem, « non dicuntur sacramenta : sed solum « ea, quæ significant perfectionem sancti- « tatis humanæ. » Constat autem perfectionem sanctitatis humanæ non consistere in sanctificatione externa, et legali, sed in renovatione interna per gratiam justificantem, cujus comparatione externa illa, et legalis sanctificatio vix nomen dispositionis meretur. Ergo ex sententia D. Thomæ, ut aliquid constituatur in vera, et propria sacramenti ratione, non sufficit significare sanctitatem quamlibet, sed debet repræsentare determinate veram, et rigorosam sanctitatem per gratiam internam. Quod adhuc magis perspicue tradit artic. 3, in corp. his verbis : « Sacramentum proprie dicitur,

(Prima conclusio.) (D. Tho.)

« dicitur, quod ordinatur ad significan- « dum nostram sanctificationem. In qua « tria possunt considerari, videlicet ipsa « causa sanctificationis nostræ, quæ est « passio Christi : et forma nostræ sancti- « ficationis, quæ consistit in gratia et vir- « tutibus etc. » Ubi manifestum est sermonem non fieri de quacumque sanctificatione, sed de illa, quæ proprie talis est, et fit per gratiam internam. Unde sic communiter docent Thomistæ, Sotus in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 1, et 2. Nugnus in præsenti. art. 2, dub. 1, et art. 3, dub. 1, Cabrera art. 2, disp. unica, § 3. Arauxo art. 2, dub. 2, Joann. a S. Thom. disp. 22, dub. 4, § *Sumendo autem.* Serra art. 2, dub. 1. Prado dub. 3, nuct. 19. Gonet disp. 1, art. 2, concl. 1. N. Philippus, (quem immerito refert Gonet pro parte contraria), dub. 2, et 3. N. Franciscus tract. 1, cap. 1, dub. 4, alii. Idem etiam tuentur Sayrus lib. 1, cap. 2, quæst. 5, art. 1, Valencia quæst. 1, punct. 1, Vazquez disput. 125, cap. 5, Alanus lib. 1, cap. 8. Chamerota tract. 1, cap. 1, dubio 1. Lugo disput. 1, sect. 2, num. 8, et 16. Dicastillo disp. 1, dub. 2, num. 12, et alii.

Probatur primo ratione desumpta ex D. Thom. locis relatis : quoniam sacramentum per eam significationem debet constitui in ratione specialis signi, quod est sacramentum, per quam distinguatur ab omnibus aliis, quæ sacramenta non sunt : sed per significationem sanctitatis legalis, extrinsecæ, et secundum quid nequit habere hujusmodi distinctionem : ergo non constituitur in esse sacramenti per solam significationem prædictæ sanctitatis, sed debet importare significationem sanctitatis veræ, et propriæ quæ fit per gratiam internam. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur: quia plura sunt significantia sanctitatem legalem, et extrinsecam, quæ tamen sacramenta non sunt. Liquet hoc tum in omnibus cæremoniis legis antiquæ, conferentibus aliquam sanctitatem legalem juxta illud Apostoli ad Hebræos 9: *Solummodo in cibis, et potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis :* et tamen certum est non omnes illas cæremonias fuisse sacramenta. Tum etiam in prima tonsura, per quam homo incipit deputari Divino cultui, et quæ proinde confert aliquam consecrationem, et sanctificationem externam : et nihilominus sacramentum non est. Tum ultimo in omnibus sacramentalibus, utputa in aqua lustrali, signo crucis, quæ aliquam sanctificationem repræsentant ; cum tamen veram sacramenti rationem non participent. Ergo sacramentum nequit distingui a non sacramentis per significationem solius sanctitatis legalis, aut extrinsecæ, et secundum quid.

37. Nec momenti erit, si respondeatur hæc omnia, quæ in probatione minoris recensuimus, habuisse illas significationes non ex institutione Divina, sed ex institutione Synagogæ, vel Ecclesiæ : ad rationem autem sacramenti requiritur, quod significet ex institutione Divina ; cum solus Deus queat esse principalis auctor, et institutor sacramentorum, ut jam insinuavimus dub. præcedenti § 3, et ex professo ostendemus disputat. 5, dub. 1. Unde mirum non est, quod prædicta significent aliquam sanctitatem, et tamen sacramenta non fuerint, aut sint. Hæc, inquam, responsio nihil valet. Primo, quia cæremoniæ antiquæ legis Deum habuerunt auctorem, ut constat ex Scriptura in libris Exodi, et Levitici : ergo omnes fuerunt vera sacramenta, si ad sacramenti constitutionem sufficit significare sanctitatem extrinsecam , et legalem. Et cum consequens sit absurdum ; satis manifestat veram sacramenti rationem non constitui per hoc, quod illam sanctitatem significet. Secundo, quia si vera sacramenti ratio salvaretur in significatione solius sanctitatis extrinsecæ, et legalis, illa auctoritas sufficeret ad instituendum sacramenta, quæ sufficiens foret ad ordinandum res, ut significarent sanctitatem legalem, extrinsecam, et secundum quid : Ecclesia autem habet hujusmodi auctoritatem, ut liquet in sacramentalium institutione : ergo Ecclesia posset sacramenta instituere : id tamen minime Adversarii concedunt. Præciditur evasio.

Quod si iterum dicant aliam esse rationem sacramentorum legis novæ, et aliam sacramentorum legis antiquæ : quia sacramenta nostra sunt omnino perfecta, utpote proportionata perfecto statui Ecclesiæ, cui deserviunt : quare debent perfectam sanctitatem significare, cujus solus Deus est auctor : et consequenter nec Ecclesia potest sacramenta instituere, nec sacramentalia nostra sacramenti rationem participant Sacramenta autem legis antiquæ erant imperfecta juxta imperfectionem status, cui Aliud effugium.

applicabantur : unde opus non habuerunt significare sanctitatem perfectam; sed satis fuit, quod vel imperfectam, atque legalem repræsentaverint. Et tamen non inde sequitur, quod Moyses, aut Synagoga potuerit sacramenta instituere : quia nec instituendi sacramentalia habuerunt potestatem, qua modo Ecclesia utpote perfectior gaudet.

Præcluditur. Id, inquam, si dicatur, absque fundamento dicitur, et refellitur eadem facilitate. Tum quia si semel verum est ad salvandam veram rationem sacramenti in communi, et prout ab aliis signis distinguitur, sufficere, quod significet sanctitatem secundum quid, aut externam ; nullum est motivum, quare sacramentalia de facto non sunt vere, et proprie sacramenta; licet sint minus perfecta, quem septem illa, quæ fides docet esse sacramenta :sicut quia ad salvandum verum conceptum animalis in communi sufficit esse vivens sensibile ; Leo, et Canis, et similes participantes prædictum conceptum sunt vere, et proprie animalia, etsi minus perfecta, quam homo. Unde ulterius fiet, quod eadem auctoritate, qua Ecclesia potest instituere sacramentalia, quæ sunt signa alicujus sanctitatis, possit etiam instituere sacramenta : sicut qui potest producere vivens sensibile, potest etiam producere animal. Tum etiam quia falso dicitur Ecclesiam in statu legis scriptæ non potuisse instituere sacramentalia ad eum modum, quo illa instituit in statu legis gratiæ : hujusmodi namque auctoritas, qua Ecclesia modo gaudet, non provenit, (ut bene observat Prado dub. 3, num. 17), ex speciali aliqua Christi concessione, cum de illa non constet ; sed consequitur ad potestatem reipublicæ spiritualis, bene in spiritualibus gubernatæ : ergo Ecclesia non solum in statu legis gratiæ, sed in statu etiam legis scriptæ potuit instituere sacramentalia. Cum igitur ista significent aliquam sanctitatem saltem imperfectam, dispositivam, et legalem ; et signa hujuscemodi fuerint juxta Adversarios vera sacramenta saltem pro statu legis antiquæ : manifeste sequitur Ecclesiam potuisse sacramenta instituere : quod tamen ipsi negant cum communi sententia. Tum præterea quia prædictis subterfugiis minime vitatur inconveniens a nobis objectum, nempe omnes legis antiquæ cæremonias fuisse vera sacramenta ; utpote repræsentantes aliquam sanctitatem, saltem imperfectam, et propriam illius status : id vero est contra communem sententiam Interpretum, et Theologorum recognoscentium plures in antiqua lege cæremonias, quam sacramenta : sicut etiam modo in Ecclesia cæremoniæ, et sacramentalia numerum sacramentorum excedunt. Tum denique nam ex præmissa Adversariorum responsione fit, quod sicut sanctitas simpliciter, et sanctitas secundum quid nequeunt convenire in uno conceptu communi veræ, et propriæ sanctitatis ; sic prædictarum sanctitatum signa non possint convenire in uno conceptu communi veri, et proprii sacramenti : id vero quan absurdum sit, ostendemus dub. 4. Unde non expetit alia nunc addere.

(Margin: Prado.)

38. Probatur secundo eadem assertio alia ratione, quæ simul evertat principale Adversariorum motivum : nam sacramenta antiqua fuerunt signa significantia sanctitatem simpliciter talem, quæ fit per gratiam habitualem internam : ergo sacramentum in communi constituitur in ratione peculiaris signi distincti ab omnibus aliis, per significationem prædictæ sanctitatis : atque ideo non per solam significationem sanctitatis utcumque, et abstrahentis a sanctitate simpliciter, et a sanctitate secundum quid. Probatur utraque consequentia : nam ideo Adversarii id negant, quia censent aliqua vera sacramenta, nempe antiqua significasse præcise sanctitatem legalem, et secundum quid : ergo si oppositum ostendatur ; fateri, et amplecti oportet oppositam doctrinam, scilicet sacramentum in communi, et participatum in omnibus inferioribus constitui per significationem sanctitatis veræ, et propriæ, quæ fit per gratiam internam habitualem. Antecedens vero probatur primo ex Concilio Florentino post ultimam sess. § *Quinto Ecclesiasticorum*. Ubi assignat differentiam inter sacramenta antiqua, et nova, illamque minime constituit ex parte rei significatæ, sive in eo, quod antiqua significaverint sanctitatem secundum quid, et nova sanctitatem simpliciter ; sed eam statuit ex parte modi significandi, quatenus antiqua significabant gratiam non causando ipsam ; nova vero significant gratiam, quam efficiunt : ergo ex mente Concilii sacramenta antiqua fuerunt signa significantia gratiam internam, qua simpliciter sanctificamur. Secundo quia sicut « eadem est fides modernorum, et antiquorum.

(Margin: Secunda assertionis ratio. — Concil. Florent.)

Aug. « quorum,» ut tradit expresse D. Augustinus tract. 45, in Joann. ita eadem justitia interna moderni, et antiqui sunt, et fuerunt justi coram Deo : sed sacramenta sunt signa justitiæ, qua homines sanctificantur ; ergo sacramenta antiqua significaverunt justitiam internam simpliciter talem, quam nova sacramenta repræsentant ; licet cum diverso significandi modo, quam proxime insinuavimus. Tertio quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus instituerit in lege antiqua signum aliquod repræsentans gratiam sanctificantem productam in ejus usu, non tamen ex vi talis signi, nec ex opere operato : hujusmodi vero signum non posset non esse sacramentum ratione significationis : et aliunde non pertineret ad sacramenta legis novæ ob defectum continentiæ, et causalitatis : ergo foret sacramentum legis antiquæ : ergo stat bene, quod sacramentum legis antiquæ sit signum repræsentans gratiam internam, et sanctificationem simpliciter talem.

Confirmatio. Confirmatur : nam aliquod ex antiquis sacramentis significavit justificationem internam per gratiam habitualem : ergo idem de aliis dicendum est. Consequentia patet tum a paritate. Tum ex eo, quod si prædicta significatio non est contra conditionem alicujus sacramenti antiqui, et illud non extrahit a proprio ordine, aut evehit ad conditionem, et dignitatem sacramenti legis gratiæ ; idem contingere potuit in aliis sacramentis legis antiquæ. Antecedens autem probatur auctoritate, et ratione D. Thom. D. Thom. infra quæst. 62, art. 6 ad 3, ubi relatis, et rejectis aliquibus dicendi modis circa sacramentum Circumcisionis, concludit : « Ideo melius dicendum videtur, quod « Circumcisio, sicut et alia sacramenta « veteris legis, erat solum signum fidei jus- « tificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4, « quod Abraham accepit signum Circum- « cisionis signaculum justitiæ fidei. Et ideo « in Circumcisione conferebatur gratia, « in quantum erat signum passionis Christi « futuræ, ut infra patebit. » Nempe quæst. 70, art. 4, ubi hæc habet : « Et ideo dicen- « dum, quod in Circumcisione confereba- « tur gratia quantum ad omnes gratiæ ef- « fectus, aliter tamen quam in baptismo. « Nam in baptismo confertur gratia ex vir- « tute ipsius baptismi : quam habet in quan- « tum est instrumentum Passionis Christi « jam perfectæ. In Circumcisione autem « conferebatur gratia, non ex virtute Cir- « cumcisionis, sed ex virtute fidei Passio- « nis Christi, cujus signum erat Circum- « cisio : ita scilicet, quod homo, qui acci- « piebat Circumcisionem, profitebatur se « suscipere talem fidem, vel adultus pro « se, vel alius pro parvulis. Unde, et « Apostolus dicit Rom. 4, quod Abra- « ham accepit signum Circumcisionis « signaculum justitiæ fidei : quia scili- « cet, justitia erat ex fide significata, « non ex Circumcisione significante. » Hactenus S. Doctor : ex quibus constat sacramentum Circumcisionis fuisse signum fidei vivæ, et justificantis, quæ necessario, et formaliter importat gratiam internam ; sive et in idem recidit, significasse gratiam sanctificantem, quam recipiebant antiqui mediante fide in Christum venturum. Constat etiam D. Thomam non constituisse differentiam inter Circumcisionem, et baptismum ex parte justitiæ, aut sanctificationis significatæ, sed solum ex parte modi significandi : nam baptismus significat gratiam, quam efficit : sed Circumcisio gratiam repræsentabat, quam non efficiebat. Nec hæc doctrina restringenda est ad solam Circumcisionem, sed extendi debet ad omnia antiquorum sacramenta, ut extendit ipse S. Doctor, quæst. 61, art. 4, his verbis : « Dicendum quod Idem. « sicut antiqui Patres salvati sunt per fi- « dem Christi venturi, ita, et nos salva- « mur per fidem Christi jam nati, et passi. « Sunt autem sacramenta quædam signa « protestantia fidem, qua homo justifica- « tur. » Sicut ergo est eadem fides modernorum, et antiquorum : sic oportuit, quod sacramenta antiqua, et nova significaverint eandem fidem justificantem. Et quæst. 62, art. 6, in fine corp. ait : « Sic ergo patet, « quod sacramenta veteris legis non habe- « bant in se aliquam virtutem, qua ope- « rarentur ad conferendum gratiam justi- « ficantem : sed solum significabant fidem, « per quam justificabantur. » Atque ideo, et ipsam internam per gratiam justificationem.

39. Dicendum est secundo propriam rationem differentialem, et constitutivam sacramenti in esse talis sitam non esse in eo, quod gratiam internam sanctificantem significet utcumque, sive abstrahendo ab ejus præsentia, et futuritione ; sed in eo, quod illam significet præsentem, et pro- Alia conclusio.

ductam in eo subjecto, cui sacramentorum applicatur. Hanc assertionem docet D. Thom. ut statim ostendemus. Cui subscribunt communiter discipuli, Cajetanus in præs. artic. 2, ubi verba illa D. Thomæ : « Sacramentum est signum rei sacræ in « quantum est sanctificans homines, egregie glossat hoc modo : « Et scito duo. Primum « quod Auctor non solum pro reverentia « sic definientium sacramentum, sed etiam « pro firmando usu Ecclesiæ, quo sacra- « mentum dicimus, non cujusque rei sa- « cræ signum, sed hominis sanctificantis, « descriptionem hanc in diffinitionem ere- « xit. Secundum est, quod ly sanctifican- « tis, intelligitur in actu exercito : hoc est, « quod est signum rei sacræ, ut actualiter « exercet sanctificationem hominis : quia « ad hoc adhibetur ut signum, ut sanctifi- « cetur homo per illius significatum.» Petrus de Ledesma *in summa*, in tract. *de Sacramentis* cap. 1. Petrus Soto *in instruct. Sacerdotum*, lect. 7. Nugnus, Cabrera, Arauxo, Joann. a S. Thom. N. Philippus, et N. Franciscus locis supra relatis, Serra concl. 2, Gonet. concl. 2, et alii. Idem etiam docent Alexander, D. Bonaventura, et Scotus, quos refert, et sequitur Sayrus lib. 1, cap. 2, quæst. 5, artic. 1.

(D. Tho. — Cajet. — Ledesm. — Petrus de Soto. Nugn. — Serra. — Alex. D. Bon. Sayrus etc.)

(Fundamentum ex D. Thom.) Probatur primo ex D. Thom. in præs. art. 2, in corp. ubi ait : « Proprie dicitur « Sacramentum, quod est signum alicujus « rei sacræ ad homines pertinentis : ut « scilicet proprie dicatur sacramentum, se- « cundum quod nunc de sacramentis lo- « quimur, quod est signum rei sacræ, in « quantum est sanctificans homines. » Ubi manifestum est exigere ad propriam rationem sacramenti significationem rei sacræ, non utcumque aut signate, sed in quantum actu sanctificat homines : homines autem sanctificantur actu non per gratiam futuram, vel aliis dandam, sed per gratiam præsentialiter exhibitam, et in sacramenti applicatione productam. Et hanc in isto loco esse propriam Sacri Doctoris sententiam liquet ex aliis ejus testimoniis, in quibus duo asserit, quæ rem satis evincunt. Primum, sacramenta etiam antiqua significasse gratiam sanctificantem præsentem : secundum, alia, quæ significarunt gratiam, aut sanctitatem secundum se, vel aliis, et alio tempore dandam non fuisse propria sacramenta. Primum liquet ex omnibus locis num. præced. relatis et modo sufficit unum illum refricare ex quæst. 62, artic. 6: «Circumcisio, sicut et alia *sacramenta* ve- « teris legis, erat solum signum fidei justifi- « cantis (sive justificationis per fidem). Et « ideo in circumcisione conferebatur gra- « tia, in quantum erat signum passionis « Christi futuræ. » Ubi manifestum est ipsum docere sacramentum circumcisionis significasse justitiam, quæ tunc conferebatur per fidem in Christum venturum : idque extendit ad alia veteris legis sacramenta. *Secundum* etiam constat ex eodem in 4, distinct. 1, quæst. 1, artic. 2, quæstiunc. 1 ad 8, ubi statuit serpentem æneum non fuisse sacramentum, et rationem assignat his verbis : « Quamvis serpens æneus « esset signum rei sacræ sacrantis ; non ta- « men, in quantum sacrans est actu : quia « non ad hoc adhibebatur, ut aliquis sancti- « ficationis effectus perciperetur. » Et quod loquatur de re sacra sacrante simpliciter sanctificatione interna, patet ex ejus testimoniis relatis num. præcedenti. Fuit itaque S. Doctor in ea sententia, quod ad rationem propriam sacramenti necessaria est significatio gratiæ sanctificantis ut præsentis, et productæ in applicatione sacramenti ; et quod minime sufficit significatio gratiæ ut futuræ, aliisque, et in alio tempore dandæ. Nec momenti erit dicere hanc S. Doctoris intelligentiam non posse universaliter verificari : quia non semper gratia sanctificans in usu antiquorum sacramentorum producebatur. Nam respondetur hanc evasionem, sive objectionem eodem modo applicari posse sacramentis novæ legis : quia non semper in eorum usu gratia fit : cum tamen nemo Catholicorum neget sacramenta nostra significare gratiam præsentem. Quare id ab omnibus dilui debet. Legitimam vero responsionem adhibuit D. Thom. in 4, distinct. 2, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 2 ad 4, his verbis : « Nec « obstat, si aliquis sanctitatem non recipit; « quia non est ex defectu sacramenti, quod « quantum est in se, natum est gratiam « conferre. » Intellige vel ex vi ipsius sacramenti, ut modo contingit : vel saltem quod in ejus usu gratia conferretur a solo Deo, ut antiquitus contingebat.

40. Probatur secundo eadem assertio ratione desumpta ex D. Thom. in testimoniis relatis : quoniam sacramentum per eam rationem debet constitui formaliter in esse sacramenti, per quam distinguitur ab omnibus

nibus aliis signis, quæ sacramenta non sunt : sed hanc distinctionem non habet ex eo, quod significet gratiam sanctificantem futuram, et aliis dandam : ergo ad veram rationem sacramenti non sufficit significare gratiam futuram, et aliis dandam, sed requiritur, quod significet gratiam præsentem, atque in usu ipsius sacramenti productam, qua homines in exercitio, sive applicatione ipsius sacramenti sanctificantur, ut significat D. Thomas locis relatis. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur : quia plura fuerunt signa in antiqua lege significantia tam Christum, quam gratiam, quæ nobis nunc ex ejus meritis datur : et tamen non omnia illa signa fuerunt vera sacramenta : ergo sacramentum non habet distinctionem ab aliis signis, quæ sacramenta non sunt, ex hoc, quod significet gratiam sanctificantem futuram, et aliis dandam. Utraque hujus secundi syllogismi præmissa constat tum exemplo proxime relato serpentis ænei, qui repræsentavit Christum Salvatorem, et salutem gratiæ, quam habemus ex ejus meritis : et tamen non fuit sacramentum, ut ex D. Thoma vidimus. Tum in omnibus sacrificiis legis antiquæ, quæ significaverunt passionem Christi, et fructum ejus, atque ideo gratiam sanctificantem dandam in lege evangelica, ut docet D. Augustin. lib. 5, *contra Julian.* cap. 9, et nihilominus non omnia sacrificia antiqua fuerunt simul vera sacramenta, ut non obscure tradit D. Tho. 1, 2, quæst. 101, art. 4, ad 2. Ergo distinctio sacramenti ab aliis signis non stat in eo, quod sacramentum significet gratiam futuram, et aliis dandam.

[…]Aug. […]Tho.

[…]verti- […]r quædam […]esponsio.

Et si Adversarii dicant se non constituere propriam sacramenti rationem in sola significatione gratiæ sanctificantis futuræ ; sed adjungere etiam aliquam consecrationem sive sanctificationem præsentem, saltem legalem, et extrinsecam ; ita ut illud tantum dicatur proprie sacramentum, quod conferendo actualiter aliquam sanctificationem saltem legalem, significet sanctitatem veram, et propriam, quæ fit, aut facienda sit per gratiam internam habitualem. Unde mirum non est, quod serpens æneus, et aliqua sacrificia antiqua non fuerint sacramenta : quoniam etsi gratiam nostram significaverint, nullam tamen communicaverunt actu sanctificationem, adhuc legalem, et secundum quid. Id, inquam, si respondeant, nihil valet. Tum quia voluntarie, et absque fundamento negant sacrificia antiqua contulisse aliquam sanctificationem legalem, et propriam illius status : deserviebant enim eorum aliqua ad expiationem legalem, quæ cum legali sanctificatione coincidit : aliunde vero significaverunt internam justitiam nostram quandoque futuram, ut Adversarii non negant : ergo ex eorum principiis sequitur quod fuerint sacramenta. Tum et urgentius, quia omnes cæremoniæ antiquæ legis fuerunt signa Christi futuri, et gratiæ, quam per ipsum habemus : et similiter omnes illæ cæremoniæ conferebant aliquam sanctitatem legalem subjectis, quæ eisdem utebantur : ergo si vera est Adversariorum doctrina optime colligitur omnes cæremonias antiquæ legis fuisse vera sacramenta. Quod tamen ab eis negatur, et communi Theologorum sententiæ repugnat. Videatur D. Th. 1, 2, quæst. 101, art. 4.

Ultima conclusio.

41. Dicendum est tertio, et ultimo sacramentum constitui in propria sacramenti ratione, distinguique ab omnibus aliis signis, quæ sacramenta non sunt, per hoc, quod significat immediate gratiam sanctificantem internam, prout in applicatione sacramenti producitur : sive producatur medio sacramento tanquam instrumento divinæ virtutis, ut in nostris accidit : sive producatur a solo Deo ad præsentiam sacramenti, ut contingebant in antiquis. Sic docent Auctores relati nu.39, docent etiam Magister in 4, dist. 1, Hugo de S. Victore *in summa*, trac. 4, cap. 1, et lib. 1, de *Sacram.* par. 9, cap. 1, D. Bonavent. in 4, dist. 1, artic. 1, quæst. 51, quatenus conveniunt in asserendo, quod de ratione veri sacramenti est causare, et significare veram sanctitatem. Unde Hugo, et D. Bonaventura sentientes sacramenta antiqua fuisse vera sacramenta, consequenter asserunt effecisse veram sanctitatem : Magister autem sentiens illa non causasse veram sanctitatem, negat fuisse vera sacramenta : de quo dub. 4, dicemus. Sed assertio nostra facile colligitur ex verbis D. Thom. ibidem relatis : « Proprie dicitur sacramentum, quod est signum rei sacræ ad homines pertinentis : ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines. » Nam sensum illum

Magist. Hugo de S. Vict. D. Bon. D. Tho.

hæc verba faciunt, quem recte expendit Cajetanus, « quod sacramentum est signum « rei sacræ, ut actualiter exercet sanctifi- « cationem hominis : quia ad hoc adhibe- « tur ut signum, ut sanctificetur homo « per illius significatum. »

Ratio assertionis. Fundamentum hujus assertionis consistit ex hactenus dictis : nam sicut signum in communi constituitur per significationem sive habitudinem ad signatum ; ita sacramentum, quod est speciale signum sub illo genere, debet constitui per specialem significationem, sive per habitudinem ad speciale signatum, et modum illud repræsentandi, ut satis constat ex toto § præcedenti. Porro hujusmodi speciale signatum debet esse aliquid sacrum, et ad sanctificationem formalem hominis spectans, ut omnes concedunt. Atqui hoc sacrum non est sanctificatio externa, legalis, et secundum quid, ut statuimus in prima assertione : nec est gratia interior sanctificans, ut abstrahens a præsenti, et futura, ut constat ex dictis pro secunda conclusione. Restat igitur, quod sit ipsa gratia sanctificans ut præsens, sive in actuali usu, atque applicatione sacramenti collata. Atque ideo sacramentum constituitur in peculiari sua ratione, differtque ab omnibus non sacramentis per hoc, quod significet gratiam sanctificantem prout in usu ejusdem sacramenti sacrantem, atque productam. Utraque consequentia patet a sufficienti partium dinumeratione.

Roboratur. Confirmatur : nam sacramentum in esse talis, sive in ratione peculiaris signi constituitur per respectum significationis ad id, quod immediate, et principalius significat : sed immediatum, et principalius sacramentorum significatum est gratia sanctificans, ut diximus § I ;ergo sacramentum in esse talis constituitur per habitudinem significationis ad gratiam sanctificantem:atqui non per significationem prædictæ gratiæ præcise ut futuræ; id quippe commune est aliis signis, quæ sacramenta non sunt, ut num. præcedenti ostendimus : ergo sacramentum constituitur in esse talis per hoc, quod significat gratiam ut præsentem, atque in applicatione ipsius sacramenti collatam. Explicatur amplius : nam per illam rationem constituitur sacramentum in communi ratione sacramenti, distincti ab omnibus aliis signis, in qua omnia sacramenta conveniunt, et quæ non competit aliis rebus, quæ sacramenta non sunt. Sed hoc, quod est significare gratiam præsentem, atque productam in applicatione sacramenti, convenit omnibus, et singulis sacramentis ; et non competit aliis rebus, quæ non sunt sacramenta. Ergo propria sacramenti ratio sita est in significando gratiam sanctificantem præsentem, et in usu, sive applicatione sacramenti productam. Major apparet evidens inductione facta in similibus : nam illa est ratio constitutiva animalis in communi animalis conceptu quæ convenit omnibus animalibus, et non convenit his, quæ animalia non sunt : et in illa est ratio constitutiva hominis, in qua omnes homines conveniunt, et quæ non hominibus repugnat : et sic de aliis : ergo idem dicendum est in præsenti materia. Minor autem probatur quoad utramque partem : nam in primis cum sacramenta sint signa practica, conveniunt in significando id, quod in eorum applicatione producitur : sed in omnibus, et singulis sacramentis producitur gratia sanctificans : quod de nostris concedunt omnes ; et de antiquis ostendimus n. 38; ergo omnia sacramenta conveniunt in significando gratiam præsentem, sive in eorum applicatione productam. Deinde nihil, quod sacramentum non sit, habet hujusmodi significationem : (vel permissa fingendi licentia, designent Adversarii aliquod signum, quod significet gratiam ut præsentem, et productam in ejus applicatione ; et tamen non sit sacramentum) : ergo prædicta significatio repugnat omnibus, quæ sacramenta non sunt.

§ III.

Expenduntur opiniones contrariæ, et convelluntur earum motiva.

42. Prima sententia nobis contraria docet propriam rationem constitutivam sacramenti in communi, et prout ab aliis signis distinguitur, consistere in significando sanctitatem, sive aliquid sacrum, abstrahens a sanctitate perfecta per gratiam internam, et a sanctitate imperfecta, seu legali. Unde consequenter docet sacramenta antiquæ legis fuisse vera sacramenta ; et tamen non significasse gratiam, sed solum legalem sanctitatem, Ita Cano *in relect. de Sacramentis*, par. 1, Bellarmin. tom. Prima opinio contraria. Cano. Bellarm

tom. 3, lib. *de Sacramentis*, proposit. 2, Caspensis disp. 1, sect. 3, a n. 19, Aversa quæst. 60, sect. 2, Coninckus dubit. 2, Zechus cap. 1, § *ulterius*, et alii. Quod probant primo : nam de ratione sacramenti est efficere, quod significat : sed non est de ratione sacramenti efficere gratiam internam ; bene autem efficere aliquam sanctitatem abstrahentem a perfecta, et imperfecta : ergo sacramentum in communi, et vera sacramenti ratio non constituitur per significationem gratiæ internæ, quæ simpliciter sanctificat : sed per significationem sanctificationis abstrahentis a propria, et impropria, sive legali. Consequentia est legitima. Et minor facile probatur : quia sacramenta antiqua non causabant sanctitatem internam per gratiam justificantem, ut concedimus : ergo de conceptu communi sacramenti non est efficere prædictam sanctitatem. Major autem suadetur : tum quia sacramentum est signum practicum : de ratione autem signi practici est efficere, quod significat, et penes hoc ab speculativo distinguitur. Tum etiam quia sacramentum magis dicitur a sanctificando, et sacrando, quam a significando : unde sacramenta in veteri testamento rarissime dicuntur significare, frequentissime autem sanctificare, consecrare, et initiare, ut constat Exod. 28, et Levit. 8, quin et in novo testamento videmus ad Titum 3, Sacramentum baptismi vocari *lavacrum regenerationis* ; regenerare autem magis efficere, quam significare importat. Est igitur de ratione communi sacramenti efficere illud, quod eo significatur.

[Margin: Suspens. Aversa. Coninc. Zechus. Argumentum. — Exodi 28. Levit. 8. Ad Titum 3.]

Respondetur negando majorem. Ad cujus primam probationem dicendum est sufficere ad rationem practici, et ad distinctionem ejus ab speculativo, quo ordinetur ad opus, hoc est, quod repræsentet signatum non signate, et præcisive, sed ut productum in praxi, sive applicatione ipsius signi. Quod vero simul ingrediatur lineam causæ, et efficiat significatum ; est prorsus accidentale signo practico considerato in propria linea signi, utpote spectans ad diversam lineam causæ. Unde omne sacramentum significat practice suum signatum saltem principale : sive istud fiat per sacramentum, sive fiat per aliam causam, in sacramenti tamen usu, et applicatione. Atque ideo ex eo, quod signum practicum sit, minime infertur debere efficere, quod significat. Ad secundum respondemus admittendo (quidquid sit de radice vocis, quæ non semper rei quidditati quadrat, nec illam evincit), quod sacramentum dicitur a sacrando. Sed tamen ex communi sacramenti ratione non aliter sacrat, quam significative, nempe significando sanctitatem, quæ in ejus applicatione producitur, et qua homo simpliciter sacratur, seu sanctificatur. Ad quod ex genere nulla causalitas desideratur, quæ sacramentum extrahat a linea signi. Nec aliud denotant scripturæ loca, quæ aliquam causalitatem, vel sacrandi, vel deputandi attribuant sacramentis antiquæ legis. Quæ vero loquuntur de sacramentis nostris, causalitatem illis attribuunt, et quidem veram, propriam, ac effectivam. Sed tamen hæc causalitas non eis convenit ex generali sacramenti ratione ; sed ex peculiari modo sibi adjuncto, quia sacramenta novæ legis sunt, ut suo loco dicemus. Recolantur, quæ supra diximus a num. 26.

[Margin: Solutio.]

43. Arguitur secundo : quia si sacramentum ex communi sacramenti ratione significaret sanctitatem simpliciter, quæ fit per gratiam internam ; singula sacramenta, utpote participantia illam communem rationem, deberent significare prædictam gratiam : consequens est falsum : ergo et antecedens. Probatur minor : quia ad sacramenta propria alicujus status sufficit significare propriam illius status sanctitatem : sed sanctitas propria legis scriptæ erat extrinseca, legalis, et secundum quid, et quasi umbra, et figura sanctitatis legis gratiæ : ergo sacramenta antiquæ legis non debuerunt repræsentare sanctitatem simpliciter, quæ fit per gratiam internam, sed præcise sanctitatem legalem.

[Margin: Secundum argumentum.]

Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est sacramenta ad aliquem statum pertinentia debere significare præcipuam sanctitatem tunc exhibitam ; quamvis non detur ex vi pertinentium ad illum statum, sed ob alias causas, et motiva. Quælibet enim alia sanctitas hac inferior comparatur ad illam tanquam via, et dispositio ad formam, et sicut medium ad finem. Quare signum non denominatur sacramentum ex eo, quod significet sanctitatem inferiorem, et secundum quid ; sed ex eo, quod repræsentat sanctitatem propriam, et completam, ut tradit D. Thom. in præs. art. 2 ad 3, his verbis : « Dicendum, quod « res denominatur a fine, et complemento :

[Margin: Responsio. — D. Tho.]

« dispositio autem non est finis, neque per« fectio. Et ideo quæ significant dispositio« nem ad sanctitatem, non dicuntur sacra« menta (de quibus procedit objectio), sed « solum ea, quæ significant perfectio« nem sanctitatis humanæ.» Porro in statu legis scriptæ fuit non solum sanctitas legalis, extrinseca, et secundum quid, quam et non majorem habebant homines ex vi legis : sed fuit etiam sanctitas simpliciter, interna, et per gratiam ejusdem rationis cum nostra, quam participabant homines ex vi fidei in Christum venturum. Unde Angelicus Doctor in hac 3, par. quæst. 8, art. 3 ad 3, inquit : « Sancti Patres non « insistebant sacramentis legalibus tam« quam quibusdam rebus ; sed sicut imagi« nibus, et umbris futurorum. Idem autem « est motus in imaginem, in quantum est « imago, et in rem, ut patet per Philoso« phum in lib. de memoria, et remin. Et « ideo antiqui Patres servando legalia sacra« menta, ferebantur in Christum per fidem, « et dilectionem eandem, qua et nos in ipsum « ferimur. Et ita Patres antiqui pertine« bant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod « nos pertinemus.» Et quæst. 68, art, 1 ad 1, ait : « Nunquam homines potuerunt « salvari etiam ante Christi adventum, nisi « fierent membra Christi : quia, ut dici« tur Act. 4, non est aliud nomen datum « hominibus, in quo oporteat nos salvos « fieri. Sed ante adventum Christi homines « Christo incorporabantur per fidem futuri « adventus, cujus fidei signaculum, » (hoc est signum, et sacramentum) erat « circum« cisio, ut Apost. dicit ad Rom. 4.» Quod magis adhuc illustrat in 4, dist. 27, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 3, ubi refert aliquos Synagogam appellasse concubinam, idque refellit his verbis : « Sed hoc est valde absurdum : quia « sicut est una fides antiquorum, et mo« dernorum, ita una Ecclesia. Unde illi, qui « tempore Synagogæ Deo serviebant, ad « unitatem Ecclesiæ, in qua Deo servimus, « pertinebant. Et præterea hoc est expresse « contra id, quod habetur Hierem. 3. Eze« chiel. 16, et Oseæ 2, ubi expresse fit « mentio de desponsatione Synagogæ : unde « non fuit sicut concubina sed sicut uxor.» Ex quibus, et pluribus aliis, quæ expendimus tract. 20, disp. 3 dub. 1, § 1, satis liquet antiquos in statu legis scriptæ justificatos fuisse per fidem, et gratiam ejusdem rationis cum nostra : et consequenter constat sanctificationem illam legalem, et secundum quid, quam ex vi legis nudæ consequebantur, non se habuisse per modum formæ, et complementi, sed magis per modum figuræ, et dispositionis, et viæ. Quare sacramenta prædicti status non debuerunt significare principaliter sanctitatem legalem, sed gratiam internam simpliciter sanctificantem. Conveniebant itaque illa sacramenta cum nostris in re significata ; et distinguebantur ab eis ex parte modi significandi supra jam insinuati, quem dub. 4 magis explicabimus.

Idem.

44, Nec refert, si opponas esum Agni Paschalis fuisse veteris legis sacramentum : et tamen non significabat sanctitatem internam : ergo idem de aliis illius legis sacramentis dicendum est. Probatur minor : quia sacramenta illius temporis non aliter poterant significare internam sanctitatem, quam conferendo aliquam sanctificationem, aut consecrationem externam, et legalem : in esu autem Agni Paschalis nihil horum conferebatur. Replica.

Non, inquam, refert objectio hæc, sed se ipsam destruit evertendo doctrinam nobis oppositam, pro qua expenditur : quia si esus Agni Paschalis non significabat sanctificationem internam, ut objectio intendit ; et aliunde nec repræsentabat sanctificationem, aut consecrationem legalem, utpote quam non causabat, ut in eadem objectione dicitur : manifeste sequitur vel esum Agni Paschalis non fuisse sacramentum, cujus contrarium objectio supponit : vel de ratione sacramenti non esse significare sanctitatem aliquam, aut sacrationem, cujus contrarium docent hujus opinionis patroni : qui proinde obligantur eidem replicæ occurrere. Nos autem respondemus negando minorem. Et ad ejus probationem respondetur vel negando, quod esus Agni Paschalis non contulerit aliquam sanctificationem legalem : neque enim occurrit motivum aliquod rationale, ut sic sentiamus. Vel eo etiam admisso, negando, quod non significaverit sanctificationem internam per fidem passionis Christi venturi, quam comestio illius Agni repræsentabat. Nam quidquid de illo primo fuerit ; hoc ultimum ad rationem veri sacramenti pro eo tempore sufficiebat, sicut etiam, et modo sufficit. Unde D. Thom. in præs. art 2 ad 2, similem objectionem diluit his verbis : « Dicendum quod quædam ad vetus testamentum Eliditur.

D. Tho.

» mentum pertinentia significabant sancti- « tatem Christi, secundum quod in se sanc- « tus est, » (et de his, quantum est ex vi hujus præcise significationis supponit non fuisse vera sacramenta). « Quædam vero « significabant sanctitatem ejus, in quan- « tum per ea nos sanctificamur : sicut im- « molatio Agni Paschalis significabat im- « molationem Christi, qua sanctificati su- « mus. » (Et qua tunc pariter homines justificabantur). Et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta. Ubi liquet S. Doctorem salvare veram sacramenti rationem etiam pro antiquis, independenter ab alia extrinseca sacratione : quod magis firmat nostram sententiam.

Tertium argumentum. 45. Arguitur tertio : quia si sacramentum in esse talis constitueretur per significationem gratiæ internæ sanctificantis ; hoc esset immediatum, et principalius significatum in omnibus sacramentis ut supra n. 33, non solum insinuavimus, sed admisimus, et statuimus. Id vero esse falsum ostenditur in sacramento Eucharistiæ, quæ principaliter, et immediate non significat nostram gratiam internam, qua justificamur, sed Christum. Tum quia species sacramentales, in quibus tale sacramentum consistit, repræsentant immediate, et principaliter illud, quod continent : hoc autem est corpus Christi. Tum etiam quia verba consecrationis, quæ sunt forma prædicti sacramenti immediate significant corpus Christi ut terminum conversionis panis in ipsum, ut evidenter liquet in iis, *Hoc est corpus meum.* Tum denique nam cum Christus sit simpliciter nobilius quid, quam gratia interna, qua sanctificamur ; admisso etiam, quod Eucharistia significet gratiam hujusmodi, debet nihilominus Christum immediatius, et principalius repræsentare. Ergo sacramentum in esse talis non constituitur per significationem gratiæ internæ sanctificantis

Aliquorum responsa. Nugnus. Huic argumento diversimode occurrunt Auctores. Nugus etiam in præs. art, 9, dub. 2, quasi difficultati succumbens docet a generali nostra doctrina excipiendum esse Eucharistiæ sacramentum : quia continet gratiam substantialem, quam verba consecrationis immediate repræsentant. Scotus. Scotus autem in 4, distinct. 1, quæst. 2, § *De tertio* docet Sacramentum debere significare, vel gratiam, vel effectum gratuitum: et hoc ultimum addidit propter Eucharistiam, quæ significat corpus Christi sub speciebus : et hoc signatum non est gratia accidentalis, sed gratuitus effectus, sicut Incarnatio. Quam differentiam parum referre asserit Suarez disp. 1, sect. 3, quia de re constat. Suarez. Ipse vero sentit Eucharistiam solum significare gratiam mediate : quia est sacramentum permanens, et ante usum nequit repræsentare gratiam præsentem.

Sed omnes prædictæ responsiones in eo deficiunt, quod nostram, et communem assertionem vel deserunt, vel absque urgenti motivo limitant. Rejiciuntur. Et quod ad sententiam Scoti attinet, quam Suarius approbare videtur, illam rejicit Concilium Tridentinum. Nam Scotus censet non esse de ratione sacramenti significare accidentalem internam ; sed vel hanc, vel alium gratuitum effectum. Concilum vero determinate statuit sacramentum significare gratiam, nempe inhærentem, et formaliter sanctificantem, ut et nos affirmamus. Nam sess. 7, can. 6, inquit : *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, etc. anathema sit.* Concilium Trident. Ubi notum est sermonem fieri de gratia interna, atque inhærenti : hanc igitur ex mente Concilii significant sacramenta : ergo nisi contra illam agendo nequit fieri disjunctivus ille discursus vel ad hujus modi gratiam vel ad alium effectum gratuitum ab ea diversum. Et agens de Eucharistia, (ob quam solam Scotus illam disjunctionem, aut limitationem adhibuisse videtur), generalem doctrinam firmavit sess. 13, cap. 3, his verbis : *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ visibilem formam.* Gratia autem invisibilis, quam alia sacramenta significant, est gratia interna, inhærens, atque in usu sacramentorum producta. Cum igitur sacra Synodus asserat, quod Eucharistia convenit cum aliis sacramentis in hac, et hujus communi significatione: necessario fateri debemus Sacramentum Eucharistiæ significare non utcumque gratuitum effectum, sed determinate prædictam gratiam. Unde pariter rejicitur additamentum, vel temperamentum Suarii : quia cætera sacramenta gratiam internam, atque inhærentem immediate significant : ergo si Eucharistia communem habet cum illis significationem, ut Concilium docet,

debet prædictam gratiam immediate significare. Quo etiam medio excluditur opinio Nugni adhibentis exceptionem non necessariam, quamvis nec ipse neget, quod Eucharistia significet principaliter gratiam ; sed intendat, quod Christum principalius repræsentat.

Melior responsio. 46. Rejectis ergo his dicendi modis, respondetur ad argumentum cum Arauxo, Cabrera, Serra, Prado, et aliis Thomistis, concedendo sequelam, et negando minorem. Ad cujus omnes probationes simul sumptas dicendum est cum D. Th. infra quæst. 73, art. 1 ad 3. Corpus Christi sub speciebus sacramentalibus esse rem, et sacramentum, et ut tale significari : eo scilicet proportionali modo, quo character est res, et sacramentum simul in sacramento baptismi. Id autem, quod est res, et sacramentum simul, ordinatur ad id, quod est res tantum in sacramentis, sive ad id, quod ita significatur, ut ulterius non significet, uti se habet gratia in omnibus sacramentis. Quare licet Sacramentum Eucharistiæ significet immediate, atque expresse Corpus Christi ; nihilominus ejus significatum principalius, et ultimo intentum, atque in hoc sensu immediatum, est gratia sanctificans, inhærens, et nos reficiens, ut proportionabiliter in aliis sacramentis contingit. Juxta quam doctrinam satis constabat ad omnes probationes in communi, quin oporteret ad singulas in particulari descendere.

Sed tamen respondemus ad primam, Sacramentum Eucharistiæ continere Corpus Christi, non utcumque, sed per modum cibi spiritualis reficientis animam gratia, quam producit, et ad quem effectum illa continentia ordinatur. Quare immediate, et principaliter significat tam Christum, quam gratiam reficientem ; sed principaliter gratiam : quia ad hanc ordinatur, et sacramentum tantum, quod est Eucharistia ; et res, et sacramentum simul, quod est Christus in Eucharistia contentus. Et quod Christus videatur significari in recto, gratia autem in obliquo, nihil refert. Sicut nec refert, quod album significet in recto corpus, et in obliquo albedinem : quia corpus, licet in recto, est significatum materiale ; et albedo, licet in obliquo significatur per modum formæ. Quod proportionabiliter accidit in præsenti : corpus enim Christi non est ultimatum significatum ; sed ordinaatur ad gratiam sicut ad complementum, et finem totius significationis sacramentalis : quemadmodum ipsa spiritualis refectio non consummatur formaliter, nisi per gratiam. In quo sensu accipiendus est D. Thomas infra quæst. 73, art. 1 ad 2, cum ait : « Sicut autem se habet virtus « Spiritus Sancti ad aquam baptismi, ita se « habet corpus Christi verum ad species « panis, et vini. Unde species panis, et vini « non efficiunt aliquid, nisi virtute corpo- « ris Christi veri. » Quibus verbis non obscure significat S. Doctor corpus Christi verum sub speciebus existens comparari per modum virtutis ad gratiam sicut ad terminum, et finem, qui præcipue in eo sacramento intenditur. Unde patet ad secundam : nam verba consecrationis significant quidem corpus Christi, non tamen utcumque sumptum, sed per modum panis spiritualis, cibantis nos per gratiam in usu talis sacramenti productam. Et si illorum verborum significatio aliter accipiatur; erit utique grammaticalis; sed non sacramentalis : sicut proportionabiliter contingit in sacramento Ordinis, cujus forma consistens in iis verbis : *Accipe potestatem*, etc. videtur eam potestatem repræsentare tanquam principalius significatum ; et ita res se habet grammaticaliter loquendo. Sed tamen significatio sacramentalis non ad eam potestatem principaliter dirigitur ; sed magis ad gratiam, quæ est res tantum illius sacramenti, et potissimum intenditur. Patet etiam ad tertiam : quia excessus in ea repræsentatus procedit solum in esse rei, non autem in esse rei significatæ, et prout ad sacramentum spectat. Quare sicut sacramentum non constituitur formaliter in esse talis, per id, quod in eo est nobilius in esse entis, utputa per esse substantiam, qualitatem, vel actionem ; sed per id, quod habet rationem formæ in ordine ad constituendum ipsum in esse signi, videlicet per significationem, sive habitudinem ad signatum : sic etiam istud non constituitur formaliter per id, quod in eo est nobilius in esse entis, sed per id quod habet rationem termini producti in applicatione sacramenti, et præcipue intenditur. Quæ ratio magis convenit gratiæ per Eucharistiam productæ, quam corpori Christi in ea existenti.

Secunda opinio contraria. 47. Secunda opinio nobiscum sentit in asserendo esse de ratione sacramenti

in

in esse talis, quod significet determinate gratiam sanctificantem, cive sanctificationem simpliciter talem : addit tamen non requiri, quod significet prædictam gratiam ut præsentem, et in applicatione sacramenti productam ; sed sufficere, si vel illam ita significet, vel saltem repræsentet eam ut dandam de futuro, et aliis subjectis. Quod addit propter antiqua sacramenta, quæ affirmat communicavisse quidem de præsenti aliquam sanctificationem legalem ; gratiam autem sanctificantem non repræsentavisse, ut datam de præsenti in usu talium sacramentorum, sed ut dandam de futuro in applicatione sacramentorum legis gratiæ. Sic ex Thomistis docent Sotus in 4, dist. 1. q. 1, art. 2, Martin de Ledesma ibid. et Prado in præs. dub. 5, § 2. Ex aliis vero docent frequentius Juniores, Suarez disp. 1, sect. 2, et disp. 5, sect. 1, Vazq. disp. 128. ca. 5, Granados tra. 1, disp. 2, n. 10, Lugo disp. 1, sect. 2, Cartagena disp. 1, diffic. 4, Dicastillo disp. 1, dub. 2, Bernal. disp. 1, sect, 1, Pasqualigus disp. 64, sect. 5, et alii plures.

otus. edesm. rado. uarez. azq. anad. ugo. rtag. castil. ernal. squal.

rinci- ile il- us ar- umen- um

Præcipuum autem, et quasi unicum hujus sententiæ argumentum est, quod ad essentialem rationem sacramenti in esse talis spectat significare veram animæ sanctificationem per gratiam internam : sed nequit ad essentialem sacramenti rationem pertinere, quod significet prædictam sanctificationem, vel gratiam ut de præsenti datam in applicationé sacramenti : ergo de essentiali ratione sacramenti solum est significare hujusmodi sanctificationem, aut gratiam vel datam de præsenti, vel dandam de futuro ; atque ideo abstrahendo ab ejus præsentia, et futuritione. Probatur minor : quia sacramenta veteris legis fuerunt vera sacramenta : et tamen non significabant gratiam sanctificantem ut datam de præsenti in eorum usu : ergo hujusmodi significatio non potest ad quidditativam rationem sacramenti in communi pertinere. Minor hujus secundi syllogismi, in qua poterat esse difficultas, ostenditur multipliciter. Primo, quia in applicatione antiquorum sacramentorum non producebatur gratia : ergo sacramenta antiqua non potuerunt significare gratiam sanctificantem ut datam de præsenti in eorum usu. Antecedens probatur ex D. Thom. 1. 2, quæst. 98, art. 1 ad 2, ubi ait : « Dicendum quod lex dicitur occidisse, non quidem effective, sed occasionaliter ex sua imperfectione, scilicet « in quantum gratiam non conferebat, per « quam homines implere possent, quod « mandabat : vel vitare, quod vetabat, etc. » Quam doctrinam tradit non solum, ibidem in corp. et ad 1, sed etiam quæst. 100, artic. 12, et quæst. 103, art. 2, et in hac 3 par. quæst. 62, artic. 3, et alibi sæpe. Juxta illam vero salvari non valet, quod in usu antiquorum sacramentorum producetur gratia : nam quantum ad fructum recipientium, et virtutem servandi legem, de materiali omnino est, et per accidens se habet, quod gratia producatur mediis sacramentis, vel a solo Deo in præsentia sacramentorum : quippe easdem vires habet, et præstat gratia, sive fiat medio instrumento, sive independenter ab illo.

D. Tho.

Probatur secundo eadem minor : quia si sacramenta antiqua fuissent signa practica repræsentantia gratiam præsentem in eorum usu productam ; de eisdem verificaretur, quod sanctificarent, et conferrent salutem. Id vero expresse negat D. Augustinus in Ps. 73, ubi ait : *Sacramenta novi testamenti dant salutem : sacramenta veteris testamenti promiserunt salvatorem.* Tum epist. 19, ubi agens de veteris legis sacramentis inquit : *Eis homines non justificantur : umbræ enim sunt, prænuntiantes gratiam, qua justificamur.* Ergo in prædictis sacramentis non producebatur gratia sanctificans, nec significabatur ut præsens. Tertio, et urgentius suadetur eadem minor : quia distinctio inter sacramenta antiqua, et nova in eo potissimum consistit, quod nostra sunt signa demonstrativa gratiæ : illa vero fuerunt signa præcise prognostica, quorum tota ratio, atque esse posita erat in præfigurando statum legis gratiæ, et pertinentia ad ipsum, inter quæ computatur gratia sanctificans. Unde Concilium Florentin. post ultimum sess. agens de sacramentis antiquis affirmat : *Illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant.* Et Catechismus Pii V de eisdem disserens ait : *Signa tantum earum rerum, quæ mysteriis nostris efficienda essent, instituta sunt.* Et D. Thom. infra q. 61, art. 4, ad 3, inquit : Vetera sacramenta congrua fuerunt gratiæ præfigurandæ : hæc autem sunt congrua gratiæ præsentialiter demonstrandæ. Et quæst. 38, art. 6 ad 5, dixerat : Sacramenta nostra sunt signa præsentis gratiæ : sacramenta

D. Aug. Concil. Florent. Catech. Roman. D. Tho.

vero veteris legis fuerunt signa gratiæ futuræ. Et in 4, dist. 1, q. 1, quæstiunc. 1, ad 4, statuit : Sacramenta veteris legis erant totaliter signa prognostica. Et in eodem sensu possunt produci alia plura testimonia non solum S. Doctoris, sed aliorum etiam Patrum, et gravium Theologorum. Cum prædicta vero doctrina minime cohæret, quod in usu antiquorum sacramentorum produceretur gratia : atque ideo talia sacramenta non potuerunt significare gratiam de præsenti, et in eorum usu productam ; sed solum ut futuram, sive producendam in tempore legis gratiæ.

Confirmatio. Confirmatur totus discursus : quia ad rationem propriam sacramenti sufficit significare gratiam sanctificantem per modum causæ finalis : sed ad rationem causæ finalis non requiritur ejus præsentia : ergo ut salvetur vera sacramenti ratio, necessarium non est, quod significet gratiam sacramentalem præsentem, sed sufficit, quod illam repræsentet ut futuram, et alio tempore dandam. Cætera constant. Et minor

D. Tho. est D. Tho. in præs. art. 2 ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod res denominatur a fine, « et complemento : dispositio autem non est « finis, neque perfectio. Et ideo, quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non « dicuntur sacramenta (de quibus procedit « objectio), sed solum ea quæ significant « perfectionem sanctitatis humanæ. » Ubi manifestum est Angelicum Doctor. sanctitati, quæ debet esse significatum principale sacramentorum, attribuere rationem causæ finalis. Si autem hujusmodi gratia deberet esse actu præsens : magis indueret rationem causæ formalis ; siquidem per seipsam sanctificaret subjectum, cui sacramentum applicaretur. Sufficit ergo, quod repræsentetur ut finis aliquando futurus. In quo sensu plane videtur loqui idem D. Tho. quando eo loco occurrens argu-

Idem. mento immediate præcedenti ait : « Quæ« dam pertinentia ad vetus testamentum « significabant sanctitatem Christi,... in « quantum per ea nos sanctificamur : sicut « immolatio Agni Paschalis significabat « immolationem Christi, qua sanctificati « sumus. Et talia dicuntur proprie veteris « legis sacramenta. » Quo nihil expressius dici potuit, ut intelligeremus sacramenta antiquæ legis non significasse gratiam tunc præsentem, sed ut futuram, et per modum finis.

48. Ad argumentum respondemus, negando minorem, Et ad probationem, iterum neganda est minor, quam nulla evincit inductarum probationum, ut singulis occurrendo constabit. Ad primam negamus antecedens : oppositum enim constat ex supra dictis num. 38, ubi ostendimus, quod in usi circumcisionis, et aliorum antiquorum sacramentorum producebatur gratia sanctificans. Nec oppositum docet Divus Thomas in testimonio ad suadendum antecedens inducto : quippe solum intendit, quod lex antiqua, et omnia ad illam spectantia, (secundum id, quod participabant ab ipsa), non habebant ex se virtutem inducendi veram sanctificationem : quod aperte concedimus. Sed minime negat, quod in lege antiqua, et in usu sacramentorum ejus produceretur gratia sanctificans, et ejusdem rationis cum nostra : non quidem ex vi legis illius, sed per fidem in Christum. Id namque non solum tradit in locis supra relatis, sed in ipso etiam articulo, qui nobis objicitur in responsione ad ultimum, ubi ait : « Dicendum, quod jugum legis servari non D. Tho. « poterat sine gratia adjuvante, quam lex « non dabat. Dicitur enim ad Rom. 9 : Non « est volentis, neque currentis, scilicet velle, « et currere in præceptis Dei, sed miserentis Dei. Unde in Ps. 118, dicitur : Viam « mandatorum tuorum cucurri, cum di« latasti cor meum, scilicet per donum « gratiæ, et charitatis. » Et hæc dixit David in antiqua lege. Videatur idem S. Doctor 1, 2, quæst. 106, art. 2 ad 3, ubi hæc habet : « Illi, qui in veteri testa« mento Deo fuerunt accepti per fidem, se« cundum hoc ad novum testamentum per« tinebant : non enim justificabantur, nisi « per fidem Christi, qui est author novi « testamenti. Unde et de Moyse dicit Apos« tolus ad Hebr. 11, quod majores divitias « æstimabat Thesauris Ægyptiorum im« properium Christi. » Hæc omnia S. Doctor : ex quibus liquet, quæ fuerit ejus mens in objecto testimonio.

Satisfit argumento.

Liquet etiam responsio ad secundam probationem desumptam ex testimoniis Divi Auugstini : respondendum namque est longe diversum esse, quod sacramenta antiqua effecerint gratiam, ac sanctificaverint ; et quod in usu antiquorum sacramentorum producta fuerit gratia sanctificans. Primum illud negat et merito D. Augustinus :

gustinus: quia antiqua sacramenta fuerunt mera signa non continentia gratiam, nec habentia virtutem ejus productivam : in quo sensu Apostolus talia sacramenta vocat elementa vacua, et egena : atque opposita excellentia est propria sacramentorum legis gratiæ. Sed non negat Divus Augustinus secundum, nec negare potuit, qui expresse affirmat peccatum originale remitti solere in sacramento circumcisionis : nullum autem peccatum grave deleri valet
Aug. absque sanctificantis gratiæ infusione. Sic enim habet S. Doctor in lib. *de nuptiis, et concup.* cap. 11, in fine, dicens : « Ex quo « instituta est circumcisio in populo Dei, « quæ erat signaculum fidei justitiæ Dei, « ad sanctificationem purgationis valebat « parvulis originalis, veterisque, peccati : « sicut et baptismus ex illo cœpit valere « tempore ad innovationem hominis, ex « quo institutus est. » Quem locum, et ad hunc finem allegat D. Thomas infra quæst. 70, artic. 4, in *Sed contra*. Et similia fusius adhuc tradit D. Augustiuus lib. 3, contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4, et lib. 19, contra Faustum cap. 16, et lib. contra adversarium legis, et Prophetarum, et alibi sæpe. Cum igitur docet sacramenta antiqua solum promisisse, prænuntiasse, aut figurasse gratiam, et salutem ; excludit quidem ab eis rationem causæ, relinquendo ipsa in solo, ac nudo conceptu signi : quod et nos affirmamus. Cæterum non refert, aut restringit hanc signi rationem ad solam gratiam de futuro dandam : nec id ad ejus propositum referebat. Quare prædictam signi, ac figuræ rationem permittit in ordine ad gratiam tunc præsentem : quam quia repræsentabant, et nullo modo efficiebant, merito dicuntur mera prænuntiatio, et figura ipsius. In quo valde differebant illa sacramenta a nostris : hæc enim efficiunt, quod præfigurant.

49. Juxta quam doctrinam diluitur etiam tertia et ultima probatio negando antecedens : distinctio enim inter antiqua, et nova sacramenta non in eo consistit, quod nova sint signa : demonstrativa, et antiqua fuerint præcise prognostica: utraque enim in eo convenerunt, quod habuerint præsens principale significatum, nempe gratiam sancticantem, ut constat ex dictis. Sed eorum differentia in eo præcipue stat, quod antiqua erant præcise figuræ, et signa illius gratiæ, non causa ; quia non efficiebant, quod significabant nova autem efficiunt, quod significant : quare utramque signi, et causæ rationem in se conjungunt. Nec oppositum probant, quæ pro suadendo antecendenti inducuntur. Nam cum Concil. Florent. Concil.
docet : *Sacramenta antiqua non causavisse gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam præfigurasse;* in prima hujus dicti parte statuit quidem id, quod concedimus : Florent.
sed in secunda non negat sacramenta illa significasse gratiam præsentem ; quæ dabatur per passionem Christi futuram : quippe gratia danda per Christi passionem complectitur non solum gratiam, quæ nobis nunc datur, sed illam etiam gratiam, quæ tunc de præsenti dabatur antiquis per fidem in Christum venturum, ut constat ex testimoniis D. Thom. allegat n. 38. Nec amplius evincunt verba Catechismi : constituunt namque inter sacramenta illud discrimem, quod nostra sint causa gratiæ in eis productæ : antiqua vero fuerint mera signa talis gratiæ. Sed minime negant, quod in eorum usu infunderetur gratia, quam ipsa repræsentaverint actu præsentem.

Et eadem explicatio adhibenda est D. Thomæ in duobus primis locis, ne contradicat sibi in aliis num. 38, relatis : solum enim intendit sacramenta fuisse præfigurativa futuræ gratiæ, quæ est effectus sacramenti : hæc enim nunquam fuit, nisi in præsenti hoc statu legis gratiæ. Sed minime negat, quod habuerint præsentem, et ut præsentem significaverint aliam gratiam, quæ non erat effectus sacramentorum, sed dabatur in sacramentis per fidem Christi venturi. Quam expositionem tradit D. Tho.
ipse Angelicus Doctor in primo ex objectis testimoniis in corp, artic. ubi ait : « Dicen« dum, quod sicut antiqui Patres salvati « sunt per fidem Christi venturi ; ita et nos « salvamur per fidem Christi jam nati, et « passi. Sunt autem sacramenta quædam « signa protestantia fidem, qua homo justi« ficatur. Oportet autem aliis signis signi« ficari futura, præterita, seu præsentia. « Ut enim dicit Augustin. in lib. 19, contra « Faustum , eadem res aliter enuntiatur « facienda, aliter facta : sicut ipsa verba, « passurus, et passus aliter sonant. Et ideo « oportet quædam alia sacramenta esse in « nova lege, quibus significentur ea, quæ « præcesserunt in Christo, præter sacra« menta veteris legis, quibus prænuntia-

« bantur futura. » Ex quibus constat D. Thom. eo collimasse, non ut negaret sacramenta antiqua significasse gratiam, aut fidem jusficantem in eorum applicatione a solo Deo productam, quam in verbis relatis expresse adstruit : sed ut statueret fuisse signa prænuntiativa gratiæ futuræ , quæ modo datur, estque effectus non solum Dei, sed etiam sacramentorum nostrorum. Ad ultimum testimonium ex 4 sentent. non oportet respondere : quia D. Thom, in eo scripto loquitur ad mentem Magistri docentis sacramentum constitui formaliter in genere causæ : quare cum sacramenta antiqua non causaverint gratiam ; consequenter asseruit fuisse signa totaliter prognostica, sive non demonstrantia gratiam a se productam. Sed D. Thomas in summa revocavit illud principium, ut supra num. 17, monuimus, et subinde negavit appendices ipsum consequentes. Quare non est, cur eo testimonio implicemur. Quamvis addi possit juxta doctrinam proxime traditam, quod sacramenta antiqua dicuntur signa totaliter prognostica respectu gratiæ, quæ est sacramenti effectus : per quod non excluditur fuisse signa demonstrativa illius gratiæ, quæ non fuit effectus sacramenti, licet produceretur in ejus usu.

Occurritur confirmationi. 50. Ad confirmationem negamus majorem : quia sanctitas interna, quæ est principalius sacramentorum significatum, debet significari non solum per modum finis, sed etiam per modum formæ causantis formaliter sanctificationem hominum, quibus sacramenta applicantur , ut manifeste significat D. Thom. in præsenti artic. 2, in corp. illis verbis : « Proprie dicitur sacra- « mentum, secundum quod nunc de sacra- « mentis loquimur, quod est signum rei « sacræ, in quantum est sanctificans ho- « mines. » Non enim res sacra est sanctificans homines ex hoc, quod respiciatur per modum finis ; sed ex eo quod fiat, et applicetur subjectis per modum formæ. Probatio autem antecedentis desumpta ex testimonio D. Thomæ nihil valet : quia in eo denotat quidem S. Doctor significatum sacramentorum debere habere rationem finis, et complementi : sed minime excludit, nec ex vi præcedentium excludere potuit, quod debeat etiam habere rationem formæ justificantis in actu. Frequentissimum namque est, quod rationes formæ, et finis, aut complementi in eadem entitate coincidant ; sicut apparet in gratia comparative ad totum justificationis processum : est enim et finis ejus, et simul forma justificans. Idemque contingit in hac materia : nam significatum principale sacramentorum non sufficit, quod sit aliquid justificans vialiter, et dispositive, sed debet comparari per modum finis, et complementi : at hoc ipsum etiam est, quod habet rationem formæ actu justificantis. Et consequenter concurrere debet non solum ut finis, qui quantum est de se, permittit distantiam, et absentiam ; sed etiam ut forma actu informans, quæ petit necessario præsentiam, et indistantiam. In alio autem testimonio, qui allegatur, asserit positive Divus Thomas agnum Paschalem , et alia antiqua sacramenta significasse Christum futurum, et gratiam futuram, quæ est effectus sacramentorum : sed non negat, quod significaverint etiam gratiam actu præsentem, quæ licet in sacramentis conferebatur, non erat illorum effectus, ut nu. præced. explicuimus. Nec ex illa positiva assertione colligitur hæc negatio.

DUBIUM III.

Utrum hæc sit bona Sacramenti diffinitio, signum rei sacræ ut sanctificantis nos.

Succedit (non arduum admodum postjam præmissa negotium) ut cognitis sacramenti genere, et differentia, formemus ejus diffinitionem. Multiplex vero a Doctoribus afferri solet, eaque unicuique magis probatur, quæ ejusdem vel principiis, vel consequentibus juxta varias opiniones magis hæret. Nobis autem curandum est assignare absolute meliorem : quod assecutos existimabimus, si pro duxerimus menti Angelici Præceptoris cohærentiorem. Et quidem ille in scripto super quartum plures sacramenti diffinitiones protulit, et explicuit desumptas tam ex Magistro, quam ex aliis. Duas tamen magis probasse videtur, nempe, *Sacramentum est signum rei sacræ, et Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma* : quæ eundem sensum referunt : nam ly *rei sacræ* positum in prima importat invisibilem, et justificantem gratiam, ut ponitur in secunda : et similiter ly *visibilis forma* positum in secunda idem valet, ac signum positum in prima. Attribuuntur autem prædictæ diffinitiones D. Augustino, et quidem merito : nam Celebriores Sacramentis diffinitiones. D. Aug.

nam licet eisdem prorsus verbis non utatur, adhibet tamen omnino æquivalentia, et idem significantia. Nam lib. 10, *de Civit.* cap. 5, Sacramenta vocat *signa sacra,* et epist. 166, docet *Deum per visibilem sacramenti formam donasse invisibilem gratiam.* Et lib. 3, de quæstion. *super Leviticum,* quæst. 84, affirmat *Sacramenta esse signacula visibilia invisibilis gratiæ.* Et similia scribit in lib. *de Catechiz. rudibus,* cap. 26, et lib. 3, *de doctr. Christ.* cap. 9. Unde satis liquet eas diffinitiones esse ex sententia Augustini, et eodem modo exponi.

ald. 51. Sed D. Thomas in summa magis adhuc probasse videtur priorem diffinitionem : nam illa frequentius utitur : quam etiam Venerabilis Doctor Thomas Waldensis lib. 2, *de Sacram.* cap. 20, recipit, atque affirmat esse Patribus receptissimam. Quia tamen ly *rei sacræ* non determinat saltem explicite modum, quo res sacra significatur per sacramenta, nempe ut formaliter, atque exercite sanctificat in eorum applicatione, juxta doctrinam dub. præced.
Tho. traditam, propterea D. Thomas curavit addere, *in quantum sanctificat homines.* Unde integra sacramenti diffinitio juxta illius sententiam est, *signum rei sacræ ut sanctificantis nos.* Constat id ex art. 9, in corp. ubi ait : « Proprie dicitur sacramentum, quod « est signum alicujus rei sacræ ad homines « pertinentis : ut scilicet proprie dicatur « sacramentum, secundum quod nunc de « sacramentis loquimur, quod est signum « rei sacræ, in quantum est sanctificans ho- « mines. » Et art. 4, seq. in argum. 1, ait : « Sufficit ad rationem sacramenti, quod sit « signum alicujus rei sacræ, in quantum per « eam homo sanctificatur, ut dictum est art. « 2. » Inquirimus ergo, an prædicta sacra-
irm. menti diffinitio bona sit? Et quamvis Bellarminus lib. 1, *de Sacram.* cap. 11, moneat non recte facere, qui circa hæc nimium altercantur : contendemus tamen, atque pro virili conabimur prædictam diffinitionem tueri : sic enim exposcit debita tanto Doctori reverentia, et obsignata nostri erga ipsum devotio.

[illegible] 52. Ne autem in eo ipso, quod dubium supponit, postea implicemur; rejiciendi ab ejus limine sunt Durandus in 4, dist. quæst. 1, Ochamus quæst. 1, Ricardus art. 1, quæst. 2. Argentinas quæst. 2, art 1, concl. 2, et alii affirmantes sacramentum diffiniri non posse, saltem proprie. Et principale illorum motivum est, quod ens per accidens diffiniri non potest, quia non dicit unam essentiam, una diffinitione explicabilem, ut docet Philosophus 7 Metaph. text. 15, 16, et 18 ; atqui sacramentum est ens per accidens, quippe quod constat rebus valde diversis, et ad genera distincta pertinentibus, cujusmodi sunt res, et verba juxta illud D. Augustini tract. 80, in Joann. D. Aug.
Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum : ergo sacramentum nequit diffiniri saltem proprie. Sed hæc illorum positio Contra- rejicienda, ut diximus, est, tanquam con- ria et traria torrenti Patrum, et Theologorum, vera po- quin, et Conciliorum, in quibus diffini- sitio. tiones sacramentorum tam in communi, quam in particulari frequentissime occurrunt : et quorum auctoritas longe anteferri debet. Oppositum autem motivum plane dejicitur negando minorem : sacramentum enim non est ens per accidens, sed artefactum quoddam rationis, quod proinde habet formaliter unam essentiam (saltem in infimo unitatis gradu) una diffinitione explicabilem. Quod evidentius intelligetur observando sacramentum posse bifariam Nota. accipi, nempe vel physice, atque in esse entis; vel moraliter, atque in esse sacramenti. Et in priori consideratione plura quidem complectitur, quæ unum physice constituere non valent : sed in secunda consideratione, licet plura de materiali supponat, constituitur tamen formaliter per formam unam, cujus ratione est unum quid, et ad unum determinatum genus spectat, ut supra insinuavimus dub. 1, nu. 25, et alibi. In quo sensu docuit Philosophus 5, Metaph. text. 7, contingere posse, Aristot. quod plura sint plura in uno genere, et sint unum in alio genere : sicut domus est plura in genere substantiæ, nempe lapides, arena, ligna, etc. et tamen est unum in genere qualitatis propter unam formam, sive figuram, cui alia subduntur. Idemque proportionabiliter contingit in aliis artefactis vel realibus, vel rationis. Hac itaque ratione quamvis sacramentum *physice,* sive *in esse entis* sit plura , *moraliter* tamen, et in ratione cujusdam artefacti, nempe signi, est aliquod unum : quia constituitur formaliter per unam significationem, cui cætera materialia subordinantur, ut fiant unum signum.

Quam responsionem, et doctrinam tradit optime D. Thom. in hac quæst. artic. 6 Firmatur ex D. Tho.

ad 2, his verbis : « Dicendum, quod quamvis « verba, et aliæ res sensibiles sint in di« verso genere, quantum pertinet ad natu« ram : conveniunt tamen in ratione signi« ficandi, quæ perfectius est in verbis, « quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis, « et rebus fit quodammodo unum in sa« cramentis, sicut ex forma, et materia, in « quantum scilicet per verba perficitur sig« nificatio rerum. » Et ut producto uno aliquo exemplo generalem hanc doctrinam declaremus, non aliud exhibendum duximus, quam propositum a S. Doctore infra quæst. 73, art. 2 in corp. his verbis : « Dicen« dum, quod sicut dicitur 5, Metaph. unum « dicitur non solum, quod est indivisibile, « vel quod est continuum ; sed etiam quod « est perfectum : sicut dicitur una domus, « et unus homo. Est autem unum in per« fectione, ad cujus integritatem concurrunt « omnia, quæ requiruntur ad finem ejus« dem : sicut homo integratur ex omnibus « membris necessariis ad operationem ani« mæ, et domus integratur ex omnibus « partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabi« tandum. Et sic hoc sacramentum (Eucha« ristiæ scilicet, de quo agit) dicitur unum. « Ordinatur enim ad spiritualem refectio« nem quæ corporali conformatur. Ad cor« poralem autem refectionem duo requi« runtur, scilicet cibus, qui est alimentum « siccum, et potus, qui est alimentum hu« midum. Et ideo etiam ad integritatem « hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet « spiritualis cibus, et spiritualis potus, se« cundum illud Joann. 6 : Caro mea vere « est cibus, et sanguis meus vere est potus. « Ergo hoc sacramentum multa quidem est « materialiter, sed unum formaliter, et « perfective. » Et ad 2, addit : « Dicendum, « quod panis, et vinum materialiter quidem « sunt plura signa : formaliter vero et per« fective unum, in quantum ex eis perfici« tur una refectio. » Hæc omnia D. Thomas : ex quibus satis constat, qualiter sacramentum formaliter sumptum habeat unitatem sufficientem, ut possit ejus ratio una diffinitione explicari : et ex eisdem liquet, quod nihil valeat objectum ab Auctoribus illis motivum. Unde supervacaneum ducimus alia addere, vel aliis objectionibus, ex præmissa tamen pendentibus occurrere. Qui plura tamen voluerit, consulat Nugnum art. 2, dub unico. Joann. a S. Thoma disp. 22, art. 2, dub. 1, § 2, et Vazquez disp. 128, cap. 2, ubi de hac re fusius disputant, præsertim vero ultimus, qui num. 20, observat : « Hæc omnia ita prolixe referre placuit, « ut mentem Aristotelis in hac re nunquam « hactenus sincere explicatam circa illam « vulgarem propositionem : Ens per acci« dens definiri non potest, explanaremus. » Quæ non videtur sincere ipse addidisse, nisi Auctores non legerit. Nam præterquam quod D. Thom. optime explicat mentem Philosophi 7, Metaph. lect. 4, et de ente, et essentia cap. 7 : moderni etiam Vazquio antiquiores idem, quod ipse, præstiterant. Nugnus loco allegato, et Sotus in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 2, § *contra hanc*. Sed negandum non est, quod prolixius egerit Vazquez. Et hæc præmisisse sufficiat, ut ad propositum descendamus.

Nugnus. Joann. a S. Tho. Vazq. Sotu[s]

§ I.

Ea diffinitio defenditur, et exponitur.

53. Dicendum est hanc sacramenti diffinitionem, *signum rei sacræ ut sanctificantis nos*, esse bonam. Sic docent omnes D. Thom. discipuli, et alii plures. Ex quibus Cajetanus in præs. art. 2, ait : « D. Tho« mam non solum pro reverentia sic diffi« nientium, sed etiam pro firmando usu « Ecclesiæ descriptionem hanc in diffini« tionem erexisse. » Cabrera art. 2, disp. 1, § 4, affirmat *esse optimam, et quidditativam*. Sayrus lib. 1, cap. 2, art. 2, § *cæterum*, pluribus, aliis relatis, profert *hanc omnium optimam esse*. N. Philippus disp. 1, art. 7, docet diffinitionem hanc esse *optimam, et meliorem quacumque alia*. Vazquez loco cit. cap. 3, num. 26, inquit esse *integram, et completam, nihilque esse, quod in ea desiderari possit*. Et similia proferunt alii.

Conc[lu]sio. Cajet[anus]. Cabr[era]. Sayr[us]. N. Ph[ilippus]. Vaz[quez].

Probatur prima ab auctoritate : nam prædictam diffinitionem tradunt D. August. D. Thom. et Magister sententiarum, ut in limine dubii observavimus : est etiam receptissima apud Patres, ut testatur Venerabilis noster Waldensis num. 51 relatus; hujusmodi vero usus, atque approbatio nequeunt non maximam illi conciliare auctoritatem. Quæ multum augetur ex doctrina Concilii Tridentini sess. 13, cap. 3 ubi ait : *Commune hoc idem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem*

Fun[da]ment[um] ab au[c]torit[ate]. Co[nc]. Trid.

bilem. Volebat enim sacra Synodus declarare, quod Sanctissima Eucharistia habet aliquid commune cum aliis sacramentis, nempe sacramentum esse, et aliquid particulare, in quo a cæteris differt, ut liquet ex verbis immediate sequentibus: *Verum illud in ea excellens, et singulare reperitur etc.* Rationem autem communem sacramenti non in alio posuit, quam in esse *symbolum, sive signum rei sacræ, et invisibilis gratiæ visibilem.* Censuit igitur hanc esse communem ejus rationem, sive diffinitionem in communi. Quod si nos cum D. Th. addimus illam particulam *ut sanctificantis nos* : non ideo facimus, quod sit simpliciter necessaria apud intelligeute ly *rei sacræ* sumi omnino formaliter, prout actu sacrat ; sed ut vim illius particulæ expressius denotemus, ne minus intelligentibus fiat æquivoca. Augetur præterea ejusdem diffinitionis auctoritas ex Catechismo Romano, de sacramentis in communi : nam volens explicare sacramenti essentiam per ejus diffinitionem dixit : « Nulla eam planius, « et dilucidius demonstrat, quam diffinitio « a D. August. tradita,quam deinde omnes « Doctores Scholastici secuti sunt. Sacra- « mentum est signum rei sacræ, vel ut aliis « verbis in eandem sententiam dictum est, « sacramentum est invisibilis gratiæ vi- « sibile signum ad nostram justificationem « institutum.» Ubi obiter notet Lector Bellarminum lib. 1, *de sacrament.* cap. 11, tanquam pulcherrimam, et valde compendiosam sacramenti diffinitionem commendare quandam aliam descriptionem, quam idem Catechismus paulo post relata snbjungit : « Sacramentum est res sensibus subjecta, « quæ ex Dei institutione sanctitatis, et « justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ « vim habet. » Sed nihil in hac diffinitione videmus, ob quod alteri jam propositæ præferri debeat. Et Catechismus illam non proposuit ut diffinitionem, sed ut quandam diffinitionis a se propositæ, et commendatæ declarationem, in qua plura tam ad causas, quam ad effectus pertinentia conjungerentur, ut liquet tum ex modo, quo illam introducit, dicendo : « Quare ut explicatius, « quid sacramentum sit, declaretur, sa- « cramentum est res sensibilis etc. » Tum ex pluribus, quæ in ea recensentur non necessaria, et a legitimis rerum diffinitionibus præcidenda : introducit enim causam efficientem, institutionem, significationem, effectum. Cum tamen diffinitio juxta regulam Ciceronis lib. 4 *Rhetor.* debeat esse *brevis, circunscriptaque rei explicatio.* Et quod caput est, prædicta descriptio solum conveniet sacramentis legis gratiæ, et adaptari nequit antiquis ; cum dicat sacramentum habere vim efficiendi sanctitatem, et justitiam : qua profecto virtute sacramenta antiqua destituebantur. Non est ergo illa, a Bellarmino commendata, perfecta diffinitio sacramenti, sed quædam descriptio non aliter sacramentis omnibus adaptabilis, quam per distributionem accommodam, ita ut quædam sacramenta habeant vim præcise ad significandum gratiam ; alia vero habeant, etiam vim producendi eam. Quare omnibus modis præferri debet proposita a nobis diffinitio.

[Margin: ...ch. ...an. | ...lar. | Ciceron.]

54. Secundo probatur eadem resolutio ratione : nam præcipua bonæ diffinitionis conditio, ad quam omnes alia revocantur, est, quod constet genere, et differentia, sive (et in idem recidit), quod explicet essentiam diffiniti per proprium ejus genus, et differentiam : sed diffinitio proposita est hujusmodi : ergo est bona. Major liquet sola terminorum declaratione : nam cum diffinitio sit oratio ordinata ad manifestandum essentiam rei diffinitæ ; et hujusmodi essentia habeat aliquem gradum communem, quem genus vocamus, in quo convenit cum aliis : et vendicet sibi specialem aliquam rationem, quam appellamus differentiam, per quam ab aliis distinguitur : illa profecto censenda est legitima rei diffinitio, quæ prædictas rationes expendit, sive quæ constat genere, et differentia rei diffinitæ. Minor etiam patet ex hactenus dictis : nam sacramentum formaliter sumptum constituitur in genere signi, et in eo convenit cum pluribus aliis signis, quæ sacramentum non sunt, ut statuimus dub. 1 ; deinde propria differentia sacramenti, per quam a cæteris signis distinguitur, consistit in significando speciale signatum, nempe gratiam ut sanctificantem homines in ipsius sacramenti usu, ut ostendimus dub. præcedenti. Hæc autem duo optime explicantur dicendo sacramentum esse *signum rei sacræ ut sanctificantis nos* : nam per ly *signum* manifestatur genus sacramenti ; et per ly *rei sacræ ut sanctificantis nos* manifestatur propria, et constitutiva sacramenti differentia, nempe habitudo significationis ad

[Margin: Ratio assertionis.]

illud speciale signatum. Ergo prædicta diffinitio constat genere, et differentia, ex quibus diffinitum constituitur. Qui discursus aliter proponi valet revocando præmissam bonæ diffinitionis regulam ad aliam inter Dialecticos communissimam nempe diffinitionem debere converti cum diffinito, hoc est, debere convenire omni, et soli diffinito. Sic autem se habet illa, de qua agimus : nullum quippe verum sacramentum assignabitur, quod non sit signum rei sacræ ut sanctificantis nos ; et similiter nulla res, quæ sacramentum non sit, assignabitur, cui conveniat esse signum rei sacræ ut sanctificantis nos.

Confirmatio. Confirmatur ; quia prædicta diffinitio (præterquam constat genere, et differentia rei diffinitæ, quod satis est ad manifestandum ejus essentiam, ut proxime diximus), affert saltem implicite quin et satis explicite omnes conditiones, quæ in communi Theologorum sententia desiderantur ad verum sacramentum constituendum. Sunt autem ejusmodi, quod signum, quod est sacramentum, sit *sensibile*, quod significet *ad placitum*, quod sit aliquid *sacrum*, quod habeat *significationem occultam*, quod sit *permanens*, et denique quod sit *practicum*. Quæ omnes conditiones non minus facile,

Omnes sacramenti conditiones. quam breviter ostenduntur necessariæ. Nam sacramentum est signum pro hominibus, quorum cognitio incipit a sensu. Oportet ergo signum, quod est sacramentum, esse *sensibile*, ut magis declarabimus in Commentario ad art. 4. Ordinatur præterea ad repræsentandum aliquid sacrum, nempe justitiam internam : cum igitur res sensibilis nequeat ex natura sua repræsentare rem sacram, sequitur esse signum ejus præcise *ad placitum*, ut fusius exposuimus dub. 1, § 3. Deinde sacramentum non solum significat aliquid sacrum, sed etiam est aliquid spectans ad religionem, cui deservit, et distinguit fideles ab infidelibus, ut docet D. Th. quæst. seq. art. 4. Oportet itaque quod sacramentum sit signum *sacrum*. Ulterius significatum principale sacramenti est interior justitia, quæ occulta est, ut ex terminis liquet : atque ideo sacramentum debet habere *occultam significationem*. Insuper sacramenta distinguunt religiones, et pertinent ad earum statum, ut tradit D. Thom. loco proxime relato : ergo sicut status Religionis est aliquid permanens, sic oportet sacramentum esse *permanens* signum, Ultimo sacramentum ordinatur ad hominum salutem, quam proinde non duntaxat signate, aut speculative debet repræsentare, sed magis practice : debet igitur signum *practicum* esse.

55. Porro quod proposita diffinitio explicite, vel implicite significet omnes has sacramenti conditiones, ostenditur : nam in primis cum prædicta diffinitio applicetur determinate sacramento pro hominibus instituto, ex hoc ipso, quod dicitur esse signum, manifestatur esse signum *sensibile*, aut sensibus perceptibile. Quin, et hoc videtur esse de ratione signi, quod D. Augustin. lib. 2, *de doctrina Christiana* cap. 1, diffinit esse, quod « præter speciem, quam « ingerit sensibus aliquid aliud facit in co« gnitionem venire. » Quare ly *signum* in diffinitione positum hanc conditionem satis explicat. Deinde signum sensibile nequit naturaliter significare rem sacram ob defectum similitudinis, et connexionis cum illa ; quare solum valet esse signum ejus ad placitum instituentis : ergo dicendo sacramentum esse signum rei sacræ, satis manifestatur esse signum *ad placitum*. Præterea illud, quod deservit hominum sacrationi, et justificationi, ex hoc ipso ordine habet esse sacrum, et pertinere ad Dei cultum : dicendo autem sacramentum significare rem sacram ut sanctificantem nos, manifestamus prædictum ordinem : atque ideo satis manifestatur esse signum *sacrum*. Ulterius cum hæc sanctificatio sit latens ; ex hoc ipso innuitur sacramentum habere *occultam significationem*. Insuper cum res sacra debeat permanere in religione, quam homines profitentur : oportet signa, quæ ad eam significandam ordinantur, et distinctioni religionis deserviunt, esse etiam *permanentia* : idque satis exprimitur dicendo sacramentum esse signum rei sacræ ad justificationem hominum pertinentis. Denique cum dicitur sacramentum esse signum rei sacræ, non utcumque sed *ut nos sanctificantis* ; liquido innotescit sacramentum esse signum non speculativum, ordinatum ad solam cognitionem sistendo ibi, sed signum practicum, sive ordinatum ad opus. Ergo prædicta diffinitio affert vel explicite, vel implicite omnes conditiones, quæ pro constituendo vero sacramento desiderantur. Non oportuit autem omnes prædictas conditiones totidem, ac formalibus verbis recensere in diffinitione : ne deficeret

ficeret in alia conditione, brevitate scilicet apprime in rerum diffinitionibus necessaria. Sed satis fuit, magisque decuit rem paucis verbis circunscribere, vividis tamen, et quæ breviter plura indicent, ut proxime explicui. A quo vitio non purgantur aliquorum diffinitiones satis prolixæ, atque redundantes, quas Soto ubi supra, graviter, et non sine sale *comatas*, vocat. Sed de illis redibit sermo a num. 61.

§ II.

Aliquibus contra præmissam diffinitionem objectionibus occurritur.

56. Quamvis non possimus auctores recensere, qui præmissam sacramenti diffinitionem ut a nobis propositam, et expositam oppugnent; nihilominus adversus illam referri possunt, quotquot sentiunt, vel sacramentum formaliter sumptum in communi constitui in genere causæ; vel præcipuum ejus significatum non esse determinate sanctitatem rigorosam, sed sanctificationem abstrahentem a propria, et impropria; vel denique significatum præcipuum esse sanctitatem rigorosam, non tamen determinate ut actu collatam, sed vel sic, vel ut dandam de futuro. Sic vero sentientes dedimus num. 23 et 42 et 47. Nam cum proposita a nobis diffinitio aperte denotet oppositas veri sacramenti conditiones; opus est eos, qui has negant, prædictam diffinitionem impugnare. Et plane argumenta, quibus illi utuntur, possent contra dictam diffinitionem expendi. Sed cum diluta a nobis fuerint locis relatis; nec difficultatem augent, nec indigent nova responsione. Unde, alias specialiores difficultates extricare oportet, si quæ supersunt. Unum autem Auctorem notare libet, qui non impugnando magis impugnasse videtur diffinitionem traditam a D. Thoma, Lugonem, inquam disp. 1, sect. 1, quæ sic inscribitur: «Variæ Theologorum sententiæ «circa diffinitionem communem sacramen«ti:» namcum ibi recenseat varios Doctores, ut titulus exigebat, diversasque ab eisdem productas diffinitiones, nec verbotenus meminit Angelici Præceptoris, cujus nomen ibi desideravimus, et legere non potuimus: cum tamen S. Doctor non solum in scripto super quartum, sed etiam in præsenti art. 2, sacramentum expresse diffinierit. Nos autem desperavimus apud illum reperire veritatis lucem in re Theologica, qui illam versare tentavit inconsulto Theologiæ lumine, quin et traducto: nam reipsa impugnat num. 2, diffinitionem ab ipso traditam, etsi ejus nomine non subscriptam. Larvata vero impugnatio ad unicum medium reducitur, quod (omissis his, quæ non multum referunt) jam submittimus.

Objicies ergo primo: nam plurima sunt signa repræsentantia res sacras, quibus sanctificamur, quæ tamen sacramenta non sunt: ergo prædicta sacramenti diffinitio convenit aliis a diffinito: atque ideo ut imperfecta rejici debet. Utraque consequentio patet. Et antecedens potest suaderi generaliter exemplo omnium rerum sensibilium, quibus manuducimur in notitiam rerum sacrarum, e quibus sanctificationem habemus, juxta illud Apostoli ad Rom. 1: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur:* et tamen ridiculum foret asserere cunctas hujus mundi visibilis res esse sacramenta. Sed suadetur idem antecedens magis specialiter exemplo rerum, quæ habuerunt majorem determinationem ad significandum sanctificationem nostram, quin tamen fuerint vera sacramenta. Sic serpens æneus, quem exaltavit Moyses præmonstravit salutem spiritualem nobis communicandam per Christum: transitus populi Israelitici par mare rubrum significavit liberationem a servitute peccati, quam per Christum habemus: aqua scaturiens de petra repræsentavit baptismi gratiam dandam per Christum. Idem adhuc magis confirmari valet exemplo sacræ Scripturæ, et Sanctarum imaginum, quæ expressius repræsentant mysteria gratiæ, et sanctificationem hominum, in idque ordinantur. Et tamen certum est nihil horum esse, aut fuisse sacramentum.

Objectio. Ad Rom. 1.

Respondetur nos minime affirmare, quod omne signum rei sacræ sit sacramentum, nec ita formamus sacramenti diffinitionem: sed illud præcise signum rei sacræ vocamus sacramentum, quod significat rem sacram ut sanctificantem nos, in ipsa applicatione, et significatione signi, ita quod sanctificemur ejus significato, ut supra satis exposuimus. In quo sensu nullum occurrit signum rei sacræ ut sanctificantis nos, quod vere, et proprie non sit sacramentum. Unde in eodem sensu negamus antecedens. Ea vero,

Responsio.

quæ ad suadendum ipsum inducuntur, diluit optime D. Thom. et primum, in resp. ad 1, his verbis : « Dicendum, quod creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum : scilicet sapientiam, et bonitatem divinam, in quantum sunt in se ipsis sacra : non autem in quantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis. » Quippe ad rationem sacramenti non sufficit significare aliquid sacrum in se, aut secundum se; sed requiritur, quod illud significet ut nos sanctificans in ipsa signi applicatione. Id vero non habent omnes creaturæ sensibiles, ut ex se liquet. Secundum, in resp. ad 2, his verbis : « Dicendum, quod quædam ad vetus testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est. » (Quæ ob doctrinam immediate traditam supponit non fuisse sacramenta; et hujusmodi erant, quæ in hac parte recenset objectio). « Quædam vero significabant sanctitatem ejus, in quantum nos per ea sanctificamur : sicut immolatio agni paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta. » Cum autem dicit nos sanctificari immolatione Christi, quam signa hujusmodi repræsentabant, minime excludit gratiam internam sanctificantem, quæ sit effectus immolationis Christi : quippe ejus passio non sanctificat formaliter, sed effective. Et quando dicit : *In quantum nos sanctificamur*, sermonem non restringit ad homines præsentis status, sed extendit ad omnes, qui in antiqua lege usu, atque applicatione sacramentorum justificabantur. De illis itaque signis, quæ repræsentabant sanctitatem Christi non tantum in se, aut secundum se; sed in quantum homines exercite justitiam consequebantur, ita quod sanctificarentur per suum significatum; affirmat fuisse proprie sacramenta. Cæterum hoc ultimum significationis genus commune non fuit omnibus rebus, aut symbolis, quæ Christum, et Christi sanctitatem significarunt, ut ex se liquet : unde non sequitur, quod omnibus illis adaptari queat sacramenti diffinitio, quæ amplius quid exprimit, et importat, ut explicuimus. Unde a fortiori excluditur ultimum : nam scriptura, et imagines repræsentant quidem res sacras in se ipsis; sed non in quantum sanctificamur per illas, ita quod applicatio scripturæ, et imaginum nos suo significato sanctificet.

57. Sed replicabis : nam verba Christi ad Magdalenam Lucæ 7 : *Remittuntur tibi peccata tua* significaverunt gratiam internam, in quantum illam sanctificabat; siquidem repræsentabant, quod illi conferebatur gratia remissiva peccatorum : sicut id ipsum significatur per verba sacerdotis. *Ego te absolvo* : et tamen illa verba Christi non fuerunt verum sacramentum : ergo tota sacramenti diffinitio, prout a nobis proponitur, et exponitur convenit aliis rebus, quæ sacramentum non sunt. Et eadem replica applicari potest aliquibus Symbolis ex veteri testamento, quæ non solum significaverunt gratiam secundum se, sed etiam ut nos justificantem, siquidem repræsentabant ipsam nostram formalem, et passivam justificationem : sic enim transitus filiorum Israel per mare rubrum repræsentavit transitum nostri a statu peccati ad statum gratiæ per sacramentum baptismi.

Respondetur primo illa verba Christi ad Magdalenam non significasse gratiam ut sanctificantem ipsam : nam per hoc ultimum denotatur, quod gratia sanctificet ut significata, sive ex vi applicationis signi. Gratia autem collata fuit Magdalenæ non ex vi applicationis illorum verborum, sed independenter ab eis non solum sicut a causa, sed etiam ut a signo. Quare prædicta verba non significaverunt sacramentaliter, sive practice gratiam remissivam peccati; sed solum speculative, et grammaticaliter, sicut etiam eodem modo possent significare prolata non a Christo, sed ab alio quolibet, qui illam Magdalenæ renovationem cognosceret. Unde valde aliter se habuerunt, ac verba sacerdotis absolventis : hæc enim ordinata sunt tanquam signum practicum, ad cujus applicationem (suppositis ex parte pœnitentis supponendis), gratia infunditur. Et eodem modo diluitur aliud exemplum : licet enim transitus maris rubri significaverit ipsam formalem justificationem nostram; nihilominus talis significatio fuit mere speculativa, non practica : quia licet Deus ordinaverit illum transitum ad repræsentandum justificationem nostram; nihilominus non ordinavit, quod esset signum, per cujus applicationem, et usum nos, aut antiqui justificaremur : quare se habuit, sicut se habere possent verba

verba prophetiæ id ipsum prænuntiantis : quæ profecto non significarent practice, et sacramentaliter, sed solum grammaticaliter, et speculative. Respondetur secundo (diluendo simul utramque instantiam) signum positum in diffinitione sacramenti esse signum permanens, et stabile saltem pro illo statu, cui deservit : commensuratur enim religioni, et distinguit fideles, ut supra diximus : ad quod opus est, quod a Deo firma et stabili lege instituatur. Verba autem illa Christi ad Magdalenam, et transitus maris rubri non fuerunt instituta a Deo stabili lege, ut sanctificarent significando utpote quæ nec repeti, nec aliis applicari deberent : atque ideo vel ab hoc latere excluduntur per prædictam diffinitionem, nec significatum ejus participant.

a so-tio.

Nec refert, si contra hanc secundam solutionem opponas durationem non variare essentiam rerum : quippe eadem est rei essentia, sive parvo, sive longo tempore duret : ergo signum positum in diffinitione sacramenti non determinat permanentem, et stabilem durationem : atque ideo nequit ex vi hujus vitari, quod tota diffinitio sacramenti a nobis proposita conveniat tam verbis Christi ad Magdalenam, quam similibus. Id, inquam, non refert : quia in primis, nec in physicis est universaliter verum, brevem, aut longam rei durationem ab intrinseco exactam non posse variare rerum essentias : nam qualitas fluida, et ab intrinseco transiens, cujusmodi solent esse auxilia actualia, et virtutes elevantes instrumenta, ex hoc ipso distinguuntur ab aliis qualitatibus ab intrinseco permanentibus, ut sunt gratia, et habitus cum ea infusi : quamvis hæ ipsæ qualitates, ab intrinseco permanentes queant peraccidens cito deficere. Quam responsionem amplius firmare poterit lector consulendo quæ scripsimus tract. 14, disp. 5, dub. 3. Sed modo ea doctrina licet vera non egemus : nam esto, quod in physicis diversa duratio nequeat variare rerum essentias ; secus tamen est in moralibus : quæ cum ex libera instituentis voluntate dependeant, ex eadem variari essentialiter possunt in ordine ad humanos usus per hoc, quod firma, atque stabili lege instituantur aut non. Et sic contingit in præsenti materia : nam signum permanenter institutum aptum est, ut eo insigniantur, atque adunentur fideles in ordine ad constituendum unam Ecclesiam, quæ statum, et subinde firmitatem importat : quam vim, sive aptitudinem minime habet signum aliquod semel tantum inductum per modum transeuntis. Signum autem positum in diffinitione sacramenti est signum permanens, sive stabili lege durans : quia sacramentum est signum protestativum fidei, et religionis ; ut docet D. Thom. quæst. seq. art. 4 ; fides vero, et religio statum firmum important. Quare, etsi aliquod signum repræsentet rem sacram, ut aliquem sanctificantem ; si tamen non stabiliatur firma lege, ut ejus repetitione, atque applicatione homines sanctificentur, minime participat rationem sacramenti, nec sub hujus diffinitione comprehenditur. Et quia hoc modo se habuerunt verba Christi ad Magdalenam, et transitus maris rubri ; siquidem unico præcise actui, sive repræsentationi deservierunt, et repeti non debuerunt : propterea non habuerunt rationem signi illius, quod ponitur in sacramenti diffinitione. Quare non sequitur talem diffinitionem eis convenire, aut aliis a diffinito.

(margin: ...plica. — ...ispelli-tur.)

58. Objicies secundo : nam aspersio aquæ benedictæ est signum rei sacræ ut sanctificantis nos ; et tamen prædicta aspersio non habet esse verum sacramentum : alias in Ecclesia darentur plura sacramenta quam septem : ergo diffinitio sacramenti a nobis proposita convenit aliis a diffinito. Cætera constant. Et major probatur ex cap. *Aquam* de Consecrat. dist. 3, ubi Alexander Papa ait : « Aquam sale conspersam benedicimus, ut et cuncti aspersi « sanctificentur, et purificentur. Nam si « cinis vitulæ aspersus populum sanctifi« cabat, atque mundabat : magis aqua sale « aspersa, divinisque precibus consecrata « populum sanctificat, et emundat. » Ergo aspersio aquæ benedictæ signum quoddam est rei sacræ, ut ea sanctificamur, atque mundamur. Eademque objectio fieri potest, si pluribus aliis applicetur, quæ sacramentalia dicuntur. 2. Objectio.

Confirmatur : quia sacrificium quatenus tale non est sacramentum : et tamen sacrificium est signum rei sacræ ut sanctificantis nos ; quippe significat Passionem Christi, qua sanctificamur : ergo diffinitio sacramenti a nobis proposita convenit alicui rei, quæ sacramentum non est. Confirmatur.

Ad objectionem respondetur negando majorem : quia ly rei sacræ ut sanctifican- [illegible]

tis nos denotat sanctificationem perfectam, quæ fit per gratiam sanctificantem : aliæ enim sanctificationes inferiores nequeunt dici sanctificatio absolute, sed solum cum addito diminuente, utputa sanctificatio dispositiva, aut extrinseca, aut carnalis. Et hanc vim habet quodlibet analogum, quod absolute prolatum stat pro analogato principaliori, non autem pro minus principalibus. Applicationi vero, aut aspersioni aquæ benedictæ non est annexa ex institutione divina, nec ex alia, infusio gratiæ sanctificantis, sed ad summum aliqua sanctificatio dispositiva per auxilia. Quare nequit verificari aspersionem aquæ benedictæ esse signum rei sacræ ut sanctificantis nos. Et hac ratione excluditur aqua benedicta tam a ratione veri sacramenti, quam a participando diffinitionem a nobis propositam. Eademque responsio applicanda est omnibus sacramentalibus, et desumitur ex D. Thom. in præs. art. 2, ad 3, ubi ait : « Res denominatur a fine « et complemento : dispositio autem non « est finis, neque perfectio. Et ideo quæ « significant dispositionem ad sanctitatem « non dicuntur sacramenta (de quibus « procedit objectio), sed solum ea, quæ si« gnificant perfectionem sanctitatis hu« manæ. » Ad majoris autem probationem dicendum est Pontificem non loqui de sanctificatione perfecta, sed de dispositiva, quæ aliqualem inquinationem excludat. Et satis liquet ejus intentio e similitudine, sive exemplo cinis vitulæ aspersi, quo utitur : hic enim non causabat sanctitatem simpliciter, sed quandam sanctificationem dispositivam, aut emundationem carnis legalem.

Ad confirmationem sunt, qui respondeant sacramentum, et sacrificium esse idem ex parte rei, et solo nomine distingui. Juxta quam doctrinam diluitur objecta difficultas negando majorem : et mirum non est, si sacrificio conveniat sacramenti diffinitio, cum ipsum sacrificium sit aliquod sacramentum. Cui responsioni favet Sanderus docens sacrificium novæ legis vocetenus præcise a sacramento differre. Tenet etiam Cano dicens, quod licet non omne sacrificium sit sacramentum, tamen omne sacramentum est sacrificium : datur enim speciale sacrificium, quod ordinatur ad expiandum peccata ; et quodlibet sacramentum in id ipsum ordinatur, atque ideo appellari potest sacrificium expiativum. Favet denique D. Thomas 1, 2, quæst. 101, articulo 4 ad 2, affirmans sacrificium novæ legis, quia continet Christum Sanctificationis auctorem, esse simul sacramentum. Sed non arridet præmissa solutio : tum quia sacrificium, et sacramentum habent rationes valde diversas : sacrificium enim est actus virtutis religionis, quæ primario respicit cultum Dei ob ejus reverentiam ; quare sacrificium exterius est signum primario repræsentans internam animi submissionem, qua Dei majestatem reveremur : Sacramentum autem est signum principaliter ordinatum ad repræsentandum rem sacram, nempe gratiam ut sanctificantem nos. Quare distinguuntur non solis vocibus, sed in significationibus, atque terminis primario significatis. Tum etiam quia sacrificium, et sacramentum non convertuntur adhuc ex parte rei significatæ : datur enim sacramentum, quod non sit sacrificium, et e converso sacrificium, quod non sit sacramentum. Olim namque Circumcisio, et esus agni paschalis fuerunt sacramenta, et non erant sacrificia, ut colligitur ex D. Thom. 1, 2, quæst. 102, art. 5. Econtra autem holocaustum, sacrificium pro peccato, et hostia pacifica pro gratiarum actione erant sacrificia, et non erant sacramenta, ut non obscure docet idem S. Doctor, 1, 2, quæst. 101, art. 4 ad 2. Non igitur affirmari potest, aut debet, quod sacramentum, et sacrificium sint formaliter idem, et solis nominibus differant.

59. Quare aliter diluenda est confirmatio concedendo majorem, et negando minorem : quia licet contingere possit eandem rem esse signum sensibile pertinens ad rationem sacrificii, et simul pertinens ad rationem sacramenti ; nihilominus significationes formales, et termini primario significati, et fines primario intenti plurimum differunt : quare sacrificio formaliter ut tali non convenit esse signum gratiæ ut sanctificantis nos. Quæ diversitas satis liquet ex distinctione assignata : nam sacrificium respicit principaliter cultum Dei ; sacramentum autem respicit principaliter Dei cultores ; sacrificium significat primario internam nostri animi submissionem erga majestatem Dei ob supremam ipsius auctoritatem ; sacramentum vero significat primario gratiam sanctificantem, quatenus nos in eorum applicatione sanctificat

Margin notes: D. Tho. — vitur confir-tio. — der. — no. — D. Tho. — D. Tho. — Melior responsio.

ficat : sacrificium manifestat excellentiam divinam ; sacramentum autem repræsentat sanctificationem humanam. Et quamvis sacrificium queat ordinari ad sanctificandum nos, et purgandum a peccatis ; hoc tamen habebit secundario,et ex consequenti : primario namque, et ex propria specie ordinatur ad Dei cultum : sicut etiam sacramentum potest ex imperio religionis ad hujusmodi cultum ordinari ; id tamen habet ex consequenti : nam quantum est ex propria sacramenti ratione ordinatur ad significandum rem sacram, quatenus per eam, atque in ejus applicatione sanctificamur.Ex quibus patet ad exemplum Eucharistiæ desumptum ex D. Thom. loco supra allegato,quo magis premi possemus : fatemur enim in ea conjungi rationem sacrificii,et rationem sacramenti : sed eæ satis diversæ sunt ob ea, quæ proxime diximus : habet enim Eucharistia rationem sacrificii, prout importat immolationem mysticam ad cultum Dei ; sed habet rationem sacramenti, quatenus significat specialem gratiam cibantem, qua spiritualiter nutrimur. Quin, et Arauxo, art. 2, dub. 1, num. 12, observat, quod in ipsa Eucharistia separari potest ratio sacrificii a ratione sacramenti : nam in die sancto Parasceves, inquit ille, offertur sacrificium a sacerdote consummente hostiam, et tamen tunc non conficitur Eucharistiæ sacramentum. Sed de hoc exemplo in proprio loco dicemus.

60. Objicies tertio : nam de ratione sacramenti est esse rem sensibilem, ut resolvit D. Thom. in hac quæst. art. 4. Sed signum rei sacræ nequit esse res sensibilis ; cum esse signum sit aliquid rationis : ergo minus recte diffinitur sacramentum, cum dicitur esse signum rei sacræ, ut sanctificantis nos.

Respondetur sacramentum consideratum ex parte materiæ, quæ assumitur, atque elevatur ad rationem sacramenti, semper esse aliquam rem sensibilem, ut D. Thomas affirmat : sed consideratum formaliter, sive ex parte formæ, per quam in esse sacramenti constituitur,esse aliquid rationis ; siquidem constituitur per significationem ad placitum, ut dubio 1, § 3, explicuimus. Nullum autem est inconveniens concreta, et artefacta collocari in uno genere ratione materiæ, et in alio genere ratione formæ. Sicut album ratione materiæ est substantia, et ratione formæ qualitas : cathedra ratione materiæ est lignum, et ratione formæ figura ; ac denique nomen ratione materiæ est vox realis, et ratione formæ est significatio, aut relatio rationis. Decuit autem magis sacramentum diffinire per esse signum, quam per esse rem sensibilem : quia licet utrumque importet,nihilominus de formali dicit rationem signi : et modo agimus de sacramentis formaliter consideratis, et quatenus signa sunt, ut sæpius in his articulis repetit D. Thom.

Sed replicabis : nam rectus modus diffiniendi concreta accidentalia, et artefacta rationis exposcit, quod subjectum, sive natura denominata collocetur loco generis,non autem aliquod concretum superius ; quare, quod in diffinitione generis, et aliorum prædicabilium, cum diffiniuntur in concreto, ponitur loco generis,non est universale, aut prædicabile, sed subjectum, et natura determinata, ut docent N. Complut. in Logica disput. 5, quæst. 4, conclus. 1. Cum igitur in præs. diffiniatur sacramentum, quod est aliquod concretum, et artefactum rationis ; non debuit diffiniri per gradum superiorem, et genericum, nempe esse signum ; sed magis oportuit, quod loco generis constitueretur in hac diffinitione materia, seu natura determinata, nempe res sensibilis, quæ sacramentum denominatur. Et confirmatur : quia genus, et species sub eo contentæ debent servare eundum modum diffinitionis atque sacramenta in particulari non diffiniuntur per gradum superiorem, qui est ratio signi, sed diffiniuntur per speciales materias, sive naturas denominatas : ergo idem modus servari debuit in diffiniendo sacramentum in communi. Minor liquet ex D. Thoma : nam ubi descendit ad diffiniendum specialia sacramenta, semper collocat materiam,sive naturam denominatam loco generis, ut liquet infra quæst. 66, artic. 1, ubi cum Magistro sic diffinit Baptismum : « est ablutio corporis exterior, « facta sub præscripta forma verborum. » Et eodem modo possunt diffiniri confirmatio, extrema unctio, et reliqua sacramenta in speciali collocando loco generis speciales eorum materias.

Ad replicam possemus respondere negando consequentiam : quia constituendo in diffinitione sacramenti signum loco generis, ibi virtualiter, et implicite colloca-

[Margin notes: Arauxo. — Tertia objectio. — Solvitur. — Replica. — Confirmatio. — Diruitur replica.]

mus rem sensibilem, sive naturam denominatam, quæ elevatur ad rationem signi specialis, quod est sacramentum : nam signum diffinitur a D. Augustino lib. 1, *de doctrina Christiana*, cap. 1. « Quod præter « speciem, quam ingerit sensibus, aliud ali- « quid facit in cognitionem venire. » Unde dicere : « Sacramentum est signum rei sacræ « ut sanctificantis nos, » idem valet, ac dicere, sacramentum est res, vel natura, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, repræsentat rem sacram. Ubi manifestum est salvari, quod et in objectione, et in confirmatione intenditur. Sed respondetur secundo, et melius cum N. Philippo disput. 1, dub. 7, utrumque modum diffiniendi concreta, et artefacta bonum esse, secundum diversas considerationes. Nam si diffiniantur metaphysice, melius diffiniuntur per concretum superius loco generis : quia in rigore ad id habet rationem generis. Si vero diffiniantur physice, melius diffiniuntur constituendo vice generis subjectum, sive materiam denominatam : quia hæc habet rationem partis physicæ materialis, qua constant, et in ordine ad quam habent esse. Et in hoc ultimo sensu exponendi sunt Complutenses loco citato. Juxta quam doctrinam posset bene sacramentum physice diffiniri : « Est res, vel actio sensibi- « lis, quæ significat rem sacram, ut sanctifi- « cantem nos. »

(Div. Augustin.) (N. Philippus.)

Sed potest non minus bene diffiniri methaphysice : « Est signum rei sacræ ut sancti- « ficantis nos. » Magis autem congruum fuit illud hoc ultimo modo diffinire : tum quia sic diffinitio compendiosior evadit : tum quia respectu sacramenti in communi non habemus materiam determinatam, per quam illud diffinire possimus. Ex quibus ad confirmationem respondetur negando minorem : quia etiam sacramenta in particulari possent methaphysice diffiniri optime per concretum superius, quod habet veram generis rationem, ut si diceremus : « Baptismus est sacramentum, vel signum rei « sacræ ut regenerantis nos. » Probatio autem antecedentis non amplius evincit, quam sacramenta in particulari posse physice diffiniri congrue per suas materias : quod non negamus. Et D. Thom. hoc ultimo modo illa diffinivit : quia habent materias certas, et determinatas : quod non sic accidit respectu sacramenti in communi. Unde idem S. Doctor, qui eo loco diffinivit baptismum esse ablutionem, etc. in præsenti art. 2 statuit sacramentum in communi esse signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.

(Solvitur confirmatio.)

§ III.

Quid censendum de aliis aliorum Auctorum diffinitionibus?

61. Supposito, quod diffinitio sacramenti a D. Thoma tradita recta sit, non multum refert censere de aliorum diffinitionibus : quamvis nec superfluum sit alias expendere, ut earum comparatione magis appareat bonitas ejus, quam prælegimus. Hæretici autem moderni communiter diffiniunt sacramenta esse testimonia, et obsignationes, sive sigilla promissionis divinæ, et justificationis per fidem, ut constat ex multis, quæ refert Sayrus lib. 1, cap. 2, quæst. 7, art. 5, cum sequent. Unde Calvinus dicebat in sacramentis « Deus ipse af- « firmat, et quodammodo jurat illum, qui « sacramentum suscipit, esse electum, et « justum. » Et Lutherus in assertione primi articuli a Leone X condemnati, asserebat : « Qui non credit verbo ministri dicentis : Ego « te baptizo, vel Ego te absolvo, Deum men- « dacem facit, cujus illa verba sunt. » Et Melanchton in apologia Confessionis Augustanæ affirmavit « sacramentum esse testimo- « nium gratiæ, et remissionis tam certum, « et infallibile, ac si Deus de Cœlo dice- « ret, hunc recepi in gratiam meam. » Sed hos hæreticos jam rejecimus supra num. 4, et in proœmio num. 4 Et modo breviter refelluntur : quia dum refugiunt concedere sacramenta esse signa rei sacræ sanctificantis nos in eorum applicatione ; manifeste convincuntur sentire, quod sacramenta nostra non sint causa justitiæ, sed quod solum testificantur justitiam alias acquisitam per fidem divinarum promissionum : quod est hæresis manifesta reprobata in Concil. Trident. sess. 7, can. 4, cum quatuor sequentibus. Errant præterea hæretici, dum justificationem tam connexam cum sacramentis asseverant, quod illam faciant omnino absolutam, sive ab omni conditione, atque dispositione suscipientis independentem. Contingere namque potest, ut quis valide sacramentum suscipiat,

(Refelluntur hæretici diffinientes.) (Calvin.) (Luther.) (Melanchton.)

suscipiat,et nihilominus justus non fiat,nec præsupponatur. Errant insuper,et gravius, cum significant sacramenta esse oppignorationes, et testimonia electionis æternæ : quia sacramenta instituta sunt non solum pro electis, sed ad salutem omnium hominum : et non solum ab electis, sed etiam a non electis recipiuntur valide. Et in has omnes hæreses incidunt illi homines negando sacramentum *esse signum rei sacræ ut sanctificantis nos*, nempe et semper a nobis supponitur), quantum est ex parte sacramenti, et institutionis divinæ.

Diffinitio ex Magistro.

62. Relictis ergo hæreticorum diffinitionibus, aut deliriis, veniamus ad Catholicos. Ex quibus Magister in 4, dist, 1, sacramentum sic diffinit: « Sacramentum est « invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut « imaginem gerat, et causa existat. » Quæ diffinitio est valde recepta,ut consat ex cap. *sacrificium de consecrat.* dist. 2, et Concil.

Tho.

Trident. sess. 13, cap. 3, et D. Thom. in 4, dist. 1, q. 1, art. 1. quæstiunc. 3, ubi affirmat,«quod illa diffinitio Magistri com-«pletissime designat rationem sacramenti, «prout nunc de sacramentis loquimur.»Sed tamen ut de illa judicemus, opus habemus distinguere : nam illa priora verba *invisibilis gratiæ visibilis forma* sunt formaliter, aut æquivalenter D. Augustini, ut a principio dubii observavimus. Sequentia autem verba : *Ita ut imaginem gerat,et causa existat*, addidit Magister de suo, quia in Augustino non reperiuntur. Si igitur accipiamus priora verba, recognoscendum est continere satis apte diffinitionem sacramenti in communi, et coincidere cum diffinitione supra explicata : nam idem re ipsa est sacramentum esse formam visibilem invisibilis gratiæ,ac esse signum rei sacræ sanctificantis nos, ut loco citato observavimus. Et solum addere oportet, quod ly *visibilis forma* non determinat sensibile per visum, sed sensibile absolute : nam quia visus est nobilissimus omnium sensuum, ideo ejus nomen ad omnes alios sensus extenditur, ut tradit D. Augustinus lib. 10, *de Civitate*, cap. 35. Si vero totam diffinitionem ut a Magistro propositam accipiamus ; convenit quidem sacramentis novæ legis, quæ causant gratiam : sed inepta est ad explicandam essentiam sacramenti in communi ; quia de hujus ratione non est, quod gratiam causet : sacramenta enim antiquæ legis fuerunt vera sacramenta. et tamen non erant causæ gratiæ, ut supra ostendimus a numero 38. Unde Magister ipse, qui eam diffinitionem statuit, consequenter asseruit sacramenta antiquæ legis non fuisse vere, et proprie sacramenta. Sed tamen nobis oppositum probandum est ab opposito consequentis, ut dub. seq. magis constabit. Nec refert commendatio illa ex D. Thoma relata : quia ut sæpius diximus D. Thom. ibi agebat officium Commentatoris, et loquebatur de sacramentis ad mentem Magistri, videlicet considerando ipsa in ratione causæ, ut expressit illis verbis : *Prout nunc de sacramentis loquimur.* Sed ubi subjicit Doctoris munus in summa, sententiam illam revocavit in præs. art. 1, ubi ait : « Specialiter « nunc loquimur de sacramentis, secun-« dum quod important habitudinem si-« gni : et secundum hoc sacramentum po-« nitur in genere signi. » Et conformiter ad hanc suppositionem, quæ verissima est, diffinivit : « Proprie sacramentum dicitur, « quod est signum rei sacræ, in quantum « est sanctificans homines.» Et huic ultimæ S. Doctoris resolutioni standum absolute est, ut jam monuimus num. 17.

Judicium de ea diffinitione.

Div. Augustin.

Alia apud alios diffinitio.

63. Aliam diffinitionem sacramenti referunt satis communiter Scholastici, et sic se habet : « Sacramentum est, in quo sub « tegumento rerum visibilium virtus di-« vina secretius nostram salutem opera-« tur. » Quam Durandus in 4, dist. 1, quæst. 1, num. 10, Alensis 4, part. summæ quæst. 1, artic. 1, memb. 1, et alii attribuunt D. Augustino. At revera ejus non est, sed D. Gregorii lib. 6, in lib. *Regum*, cap. 3, ubi exponit cap. 16, lib. 1 *Regum*, ut recte observarunt Catechismus Romanus de sacramentis in principio, et Soto in 4, dist. 1,artic. 2, ultra medium. Eadem diffinitio tradita fuit a D. Isidoro lib. 6, *Etymolog.* cap. 18, et refertur in cap. *multi.* 1, quæst. 1. Potest autem prædicta diffinitio optime adaptari omnibus sacramentis tam antiquis, quam novis : quia non determinat, quod sacramentum operetur salutem ; quod solis nostris sacramentis convenit : sed quod divina virtus in sacramentis salutem operetur, quod commune est omnibus sacramentis : nam etiam sub tegumento veterum sacramentorum divina virtus salutem operabatur : et solum intersit discriminis, quod olim sola divina virtus ad præsentiam, et applicationem sacramento-

Durand. Alensis. D. Greg. Catech. Rom. Soto. D. Isid. Non est improbanda.

rum operabatur ; nunc autem sacramenta ipsa etiam efficiunt salutem. Quare prædicta diffinitio facile revocatur in aliam D. Thomæ : quia in utraque idem denotatur, nempe sacramentum esse aliquod signum visibile rei sacræ, sive gratiæ sanctificantis, prout Deus illam operatur ad sacramenti præsentiam. Sed D. Thomæ diffinitio id expressius, et magis compendiose, sicut diffinitionem decet, declarat : et ideo præferri debet.

cra nitio ugo- 64. Diffusiorem adhuc diffinitionem proposuit Hugo Victorinus lib. 1, pars 9, cap. 2, his verbis : « Sacramentum est « corporale elementum foris sensibiliter « propositum, ex similitudine repræsen- « tans, et ex institutione sanctificans, et « ex sanctificatione aliquam invisibilem, « et spiritualem gratiam continens. » Duo autem contra hanc diffinitionem solent objici. Primum, quod materiam sacramenti, sive naturam denominatam appellet elementum ; cum unicum tantum sacramentum, nempe baptismus habeat pro materia elementum, quod est aqua ; reliqua vero sacramenta habeant pro materia non corpus simplex elementi, sed aliquod compositum, sive mixtum. Secundum, quod de sacramento, quod est compositum ex rebus, et verbis, prædicet solam materiam, nempe elementum, cum tamen sola materia de toto composito non dicatur. Sed hæc duo parum urgent. Nam Hugo elementi nomine significavit quodlibet corpus sublunare, sive elementum sit, sive elementatum, ususque illa voce fuit, ut imitaretur D. Augustin. tractat. 80, in Joann. ubi ait : *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Porro in artificialibus, et concretis accidentalibus materia solet prædicari de toto, et loco generis in eorum diffinitione constitui : ut cum dicimus, cathedra est ligneum figuratum tali modo, et sinus est nasus curvus. Unde citra vitium potuit Hugo dicere, quod sacramentum est elementum. Sed tamen ejus diffinitio non omnino arridet : tum quia plura inducit non necessaria ; cum diffinitio brevitatem exposcat. Tum et præcipue quia aperte significat esse de essentia sacramenti, quod efficiat, et contineat sanctitatem simpliciter talem : quod tamen solis novis sacramentis convenit : antiqua enim hanc perfectionem non habebant, ut sæpius diximus, et tamen vera sacramenta fuerunt : unde

en- ex e.

pli- ab- ite

prædicta diffinitio non convenit omni diffinito. Si autem dicatur, quod in prædicta diffinitione sanctificationis vocabulo non intelligitur determinate sanctificatio simpliciter, sed vel ista, vel legalis : inde fiet prædictam diffinitionem convenire aliis a diffinito, nempe sacramentalibus, et pluribus cæremoniis : ista enim conferunt etiam suo modo sanctificationem aliquam.

65. Propter hæc alii Doctores alias sacramenti diffinitiones excogitarunt. Scotus in 4, dist. 1, quæst. 2, § *De tertio principali*, rejectis aliis sic diffinit : « Sacra- « mentum est signum sensibile gratiam « Dei, vel effectum ejus gratuitum ex insti- « tutione divina efficaciter significans, or- « dinatum ad salutem hominis viatoris. » Quid autem censendum sit de prædicta diffinitione, constat ex dictis num. 45, ubi eam rejecimus. Aliam etiam diffinitionem sacramenti valde commendatam a Bellarmino proposuimus num. 53, et judicium circa ipsam. Suarius autem disput. 1, sect. 4, diffinit : « Sacramentum est sacra, et « sensibilis cæremonia, homines aliquo- « modo sanctificans, et veram animæ « sanctitatem ex institutione significans. » Per quod intendit ad rationem sacramenti sufficere, quod conferat actu aliquam sanctitatem saltem legalem, aut externam, et quod significet rigorosam sanctitatem, vel actu collatam, vel de futuro aliis hominibus conferendam. Et in hunc sensum conspirant plures alii Suarii socii. Sed tota illorum descriptio convenit pluribus, quæ vera sacramenta non fuerunt : quia omnes cæremoniæ antiquorum contulerunt aliquam sanctificationem legalem, et præmonstrarunt sanctitatem veram per gratiam internam, quæ nobis datur per Christum, ut contra Suarium supra ostendimus num. 40. Quare diffinitio ab eo tradita admitti non debet utpote conveniens aliis a diffinitivo. Quod inconveniens, ut vitaret Lugo, diffinivit disput. 1, sect. 2, num. 23: « Sacramentum est cæremonia sensibilis, « quæ suo usu sanctificando subjectum, « significat gratiam internam, cujus est « causa. » Sed non melius rem descripsit : nam ly *cujus est causa* absolute prolatum denotat causam proprie dictam : et sic prædicta diffinitio non potest adaptari nisi nostris sacramentis : antiqua enim non causarunt proprie gratiam, ut declaravit Concilium Florentinum *in instruct. Armenorum*

Aliæ diffinitiones.

Ex Scoto.

Ex Bellarmino.

Ex Suario.

Ex Lugone.

norum in doctrina de sacramentis. Si vero Lugo confugiat, ut quidem recursit, ad causam non ita stricte acceptam, sed magis large sumptam, quatenus sacramenta fuerunt promissiones gratiæ nobis dandæ, et promissio dicitur causa moralis rei promissæ : necesse est, incidat in aliud inconveniens, nempe diffinitionem a se traditam applicari posse aliis rebus, quæ vera sacramenta non fuerunt. Quoniam non alia ratione verificari valet sacramenta antiquorum fuisse promissiones gratiæ nobis dandæ, nisi quia illam præsignificaverunt tanquam symbola rei aliquando futuræ : hoc autem ipsum habuerunt omnes cæremoniæ, et ritus legis antiquæ ; siquidem præfigurabant Christum venturum, et effectus passionis ipsius, inter quos computatur gratia nos sanctificans : fuerunt igitur hujus gratiæ promisssiones non minus quam illa, quæ vocabantur specialiter sacramenta. Aliude autem sanctificabant suo usu homines aliqua sanctificatione legali. Atque ideo de quolibet ritu antiquo verificabitur juxta Lugonis sententiam, quod sit « cæremonia sensibilis, quæ suo usu sanctificando subjectum, significet gratiam internam, cujus est causa. » Cum igitur certum sit non omnes antiquorum ritus, et cæremonias fuisse vera sacramenta ; sequitur præmissam diffinitionem convenire aliis a diffinito, atque ideo esse defectuosam. Recolantur supra dicta num. 21, et 22, ubi hæc principia fusius expendimus.

Nota Recentiorum studium. 66. Prolixum nimis foret persequi id negotium expendendo, atque impugnando sacramenti diffinitiones a Recentioribus excogitatas : quorum multiplicitas processit ex defectu unitatis, atque concordiæ in principiis. Nam unusquisque illam diffinitionem fabricatur, qua opus se habere videt ad tuendum novitias opiniones, quas comminiscitur. In quo peccant contra ipsam diffinitionis naturam, quæ repræsentat communes animi conceptiones, et quantum fieri valet, abstrahit ab his, quæ sub opinione sunt ; ut disputantes in aliquo uno (et omnium primum est essentia diffinitione explicata) convenientes promoveant circa alia suas controversias. Sed hæc pax longe exulat ab aliquorum castris. Quas tamen facile conciliare valerent stando diffinitionibus antiquorum, et præsertim D. Thomæ in his Theologicis Principiis. Quare stabilita jam, et declarata sacramenti diffinitione, ab ipso tradita, supervacaneum ducimus studii plus ponere in recentibus aliorum descriptionibus convellendis. Sunt namque ut plurimum tales, quod se ipsis ruant. Sed tamen priusquam discedamus, libet observare, quod N. Bonæspei disput. 1, dub. 1, num. 16, refert hanc ex Arriaga diffinitionem : « Sacramentum est cæremonia sensibilis, stabilis in pignus gratiæ. » Quam ipse impugnat ex eo, quod pignus supponit aliunde debitum, et pignus gratiæ aliunde debitam gratiam : et cum aliunde non constet de istius modi dandæ gratiæ promississione, supponere debet debitam ex natura : quod est erroneum. Sed quidquid fuerit de hac impugnatione, aliter, atque efficacius refellitur ea diffinitio : tum ob similitudinem, quam habet cum diffinitionibus hæreticorum, qui ut vidimus num. 61, et locis ibi relatis, refugiunt vocare sacramenta signa, aut causas justitiæ, et solent illa appellare oppignorationes, et obsignationes divinarum promissionum. Tum et præcipue quia pignus substituitur loco rei promissæ, et de futuro solvendæ ; quocirca per se loquendo non conjunguntur in eadem duratione : superfluum quippe foret pignus ejus rei dare, quam præsentem habemus. Ergo si sacramenta sunt stabilita in pignus gratiæ, ut Arriaga describit ; sequitur quod per se loquendo sacramenta in sui usu et applicatione non habeant gratiam præsentem. Id autem loquendo de sacramentis novæ legis (quæ sub communi sacramenti diffinitione comprehendi debent), est, ut putamus, hæresis manifesta : nam prædicta sacramenta dant infallibiliter gratiam non ponentibus obicem, ut statuit Concilium Tridentin. sess. 7, can. 6, atque ideo, habent semper, quantum est de se, gratiam præsentem. Qua ergo ratione, et proprietate verificari valet sacramenta hujusmodi esse in pignus gratiæ ? Sed nauseamus jam in cogitationibus Recentiorum.

Alia valde improbanda ex Arriaga.

Concil. Triden.

DUBIUM IV.

An sacramenta nova, et antiqua conveniant univoce in ratione Sacramenti ?

Hæc difficultas est appendix præcedentium, atque ex eisdem haud obscure expediri valet. Sensus autem tituli facile innotescit ex prænotatis in primo dubio : nam

cum sacramentum sit quoddam concretum, et artefactum, potest considerari vel ex parte materiæ, sive naturæ denominatæ, vel ex parte formæ, per quam in ratione sacramenti formaliter constituitur. Dubium igitur procedit in sensu formali, unde non refertur ad convenientiam sacramentorum ex parte materiæ, in qua permittunt notabilem varietatem : sed refertur ad convenientiam ex parte formæ, a qua habent esse formaliter sacramenta. Et supponimus sacramenta nova differre ab antiquis, et esse simpliciter perfectiora. Tum quia antiqua in eo tantum sensu dicebantur signa practica, quo ordinabantur ad significandum gratiam præsentem, illam tamen non efficiebant : nostra vero sunt cum majori proprietate practica, quippe quæ non solum referunt gratiam præsentem, sed et producunt. Tum quia antiqua respectu passionis Christi erant præcise signa prognostica : nova vero sunt signa commemorativa. Tum quia, quod ad gloriam attinet, antiqua sacramenta non repræsentabant illam ut proxime dandam ; nostra autem illam ita repræsentant : quia nunc per Christum aperta est janua regni cœlestis, quæ tunc clausa erat per peccatum originale. Accedit nostra sacramenta expressius significare ob adjuncta verba, quibus constant : significatio autem antiquorum erat obscurior ex verborum defectu. Ob quas, et alias differentias D. Augustin. lib. 19, *contra Faustum*, cap. 13, merito dixit : « Instituta « sunt alia sacramenta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero « pauciora, fidei justitia revelata, et in « libertatem vocatis filiis Dei, jugo servi« tutis ablato, quod duro, et carni dedito « populo congruebat. » Et lib. 1, *de doctr. christiana* cap. 19, de eisdem sacramentis agens affirmat : « Sed quædam pauca « pro multis, eademque factu facillima, et « intellectu augustissima, et observatione « castissima ipse Dominus, et Apostolica « tradidit disciplina. » Difficultas autem est, an non obstantibus ejusmodi differentiis quæ evincunt distinctionem essentialem saltem specificam inter prædicta sacramenta; conveniant nihilominus univoce in omni sacramenti ratione, ita quod sacramentum univoce per modum generis de omnibus prædicetur.

§ I.

Pars affirmativa eligitur, et defenditur.

67. Dicendum est sacramenta antiqua, et nova convenire univoce in ratione sacramenti. Hæc conclusio est valde communis inter Theologos : sic enim ex Thomistis docent Soto in 4, distinct. 1, quest. 1, art. 1, § *Animadvertendum*, et art. 2, §. *Igitur*. Martinus de Ledesma 1, part. 4, quæst. 1, art. 2. Nuno in præs. art. 2, difficult. 2. Cabrera art. 1, disp. 3. Arauxo dub. 1, num. 10. Joann. a S. Thom. disp. 22, art. 2, dub. 2. Ruyz art. 2. dub. 4. Ochagavia quæst. 3, num. 6. N. Philippus disp, 1. dub. 6, et alii. Idem etiam docent Bellarminus lib. 1, *de Sacram*. cap. 12, propos. 3, Suarez, disp. 1, sect. 2. Vasquez disp. 128, cap. 5, num. 49. Lugo disp. 1, sect. 3, num. 47. Dicastillo disp. 1, dub. 3. Sayrus lib. 1, cap. 2, art. 2. Trullench *in præs. sacram*. lib. 1, cap. 1, dub. 2. Pasqualibus disp. 64, sect. 6. N. Bonæspei disp. 1, dub. 3. Bonacina, Coninckus, Aversa, Granados, et alii apud Prado in hac quæst. 60, dub. 4, num. 1.

Probatur primo ab auctoritate, quam possumus sub hac forma expendere : nam ratio sacramenti convenit vere, et proprie omnibus sacramentis novis et antiquis : ergo sacramenta vera, et antiqua conveniunt univoce in ratione communi sacramenti. Consequentia videtur manifesta : quoniam defectus convenientiæ univocæ inter sacramenta hujusmodi solum fundari posset in eo, quod aliqua eorum participarent improprie et secundum quid rationem sacramenti : ergo si res e contra se habet, et tam nova, quam antiqua sunt vere, et proprie sacramenta ; sequitur omnia convenire univoce in communi sacramenti ratione. Antecedens autem quantum ad sacramenta nova non indiget probatione. Et quantum ad antiqua suadetur : quoniam Concilia, et Patres, ubi de sacramentis agunt, antiqua vocant absolute, et sine addito sacramenta : quod minime facerent, si antiqua sacramenta non fuissent vere, et proprie sacramenta. Id vero liquet tum ex Concilio Florentino in instruct. Armenorum, in doctrina *de Sacram*. ubi ait : « Differunt autem sacramenta nostra a « sacramentis antiquæ legis, quod illa non « causabant gratiam, etc. » Tum ex Tri-dent.

Suppositio. Aug. Punctus controversiæ. Conclusio. Sotus. Ledesm. Nugnus. Cabrera. Arauxo. Joan. a S. Tho. Ruyz. Ochag. N. Phil. Bellarm. Suarez. Vazq. Lugo. Dicast. Bonæspei et alii. Fundamentum ab auctoritate. Concil. Florent. Concil. Trident.

dent. sess. 7, can. 2, ubi inquit: « Si quis « dixerit sacramenta novæ legis a Sacra- « mentis legis veteris non differre, nisi « quia, etc. » Tum ex D. Augustino lib. 19, contra Faustum per plura capita, ubi contra hæreticum probat antiquæ legis sacramenta fuisse sacramenta, et eo tempore salubria. In quibus omnibus locis perspicuum est sacramenta antiqua absolute, et sine addito appellari sacramenta.

D. Aug.

Confirmatio.

Confirmatur primo, et satis urgenter: quoniam sacramenta sicut et sacrificia necessaria sunt ad constituendum peculiarem religionem. Unde D. Augustin. lib. 19, *contra Faustum* cap. 11, inquit: « In nul- « lum nomen religionis seu verum, seu « falsum coadunari homines possunt, nisi « aliquo signaculorum, seu sacramento- « rum visibilium consortio colligantur. » Quem locum refert, et approbat D. Thom. infra quæst. 61, art. 1, et in 4, distinct. 1, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1. « Sunt « etiam sacramenta quædam signa protes- « tantia fidem, qua homo justificatur, » ut loquitur D. Thom. in illa quæst. artic. 4. Constat autem religionem antiquæ legis fuisse vere, et proprie religionem, et fidem antiquorum fuisse vere, et proprie fidem, et justificationem antiquorum fuisse vere, et proprie justificationem, ut late ostendimus tract. 20, disp. 3, dub. 1, § 1. Ergo fateri oportet, sacramenta antiquæ legis fuisse vere, et proprie sacramenta.

D. Aug.

D. Tho.

Alia confirmatio.

D. Tho.

Confirmatur secundo, et specialiter demonstrando hanc esse D. Thomæ sententiam: nam S. Doctor quæst. 61, artic. 1, inquirit: « Utrum sacramenta sint necessaria ad «humanam salutem?» et respondet affirmative. Ubi sermonem facere de sacramentis vere, et proprie talibus liquido constat tum ex textu, tum ex communi Interpretum intelligentia. Deinde art. 3, seq. inquirit: « Utrum post peccatum ante Christum sa- « cramenta debuerint esse? » ad quod etiam respondet affirmative. Et conferendo prædicta loca necessario fatendum vel S. Doctorem valde inconsequenter, atque in æquivoco processisse; quod dici non potest: vel sentisse sacramenta, quæ ante nostra sacramenta, et Christum eorum auctorem necessaria fuerunt, fuisse vere, et proprie sacramenta.

Responsio Adversariorum.

68. Hoc fundamentum divellere conantur Adversarii, et nominatim Prado ubi sup. num. 11, concesso, aut permisso antecedenti, negando consequentiam: nam ex eo, quod aliqua vere, et proprie participent aliquam rationem; non sequitur, quod univoce in ea conveniant. Sic enim in analogis proportionalitatis videmus quod ratio per nomen significata invenitur vere, et proprie in eisdem: et tamen si ibi admisceatur analagia attributionis, illa ratio est principaliter in uno tantum, in aliis autem solum est minus principaliter, et cum respectu dependentiæ ad primum: et ita non conveniunt univoce in tali ratione, sed solum analogice, ut ex ipsis terminis liquet. Qua ratione licet creaturæ sint vere, et proprie entia, non conveniunt univoce cum Deo in ratione entis, sed solum analogice: et similiter quamvis accidentia sint vere entia non conveniunt univoce cum substantia, sed dumtaxat analogice. Pari itaque ratione ex eo, quod omnia sacramenta sint vere, et proprie sacramenta; minime sequitur, quod participent univoce communem sacramenti rationem, sed analogice tantum. Et ratio est proportionabiliter eadem: quippe ratio sacramenti principalius reperitur in nostris; sed antiquis præcise convenit minus principaliter, et cum habitudine dependentiæ ad nostra, quorum erant figuræ, et umbræ.

Sed hoc effugium facile præcluditur: nam licet doctrina, qua utitur, alias vera sit, præsenti tamen materiæ applicari non valet. Etenim ubi aliqua ratio ita est communis, quod importet conceptum simpliciter unum, abstrahibilem ab inferioribus; omnia inferiora, de quibus istiusmodi conceptus vere, et proprie prædicatur, conveniunt univoce in ea ratione communi: qua de causa homo, et musca sunt univoce animal: et calor, et color sunt univoce qualitas, et sic de omnibus aliis, ut inductive potest ostendi, quin e converso afferri queat ullum exemplum, quod probet oppositum. Unde refelluntur in contrarium allata: nam quod Deus, et creaturæ, licet vere, et proprie sint entia, non conveniant univoce in communi entis ratione, provenit ex eo, quod ens non dicit aliquam rationem simpliciter unam, quæ abstrahat ab inferioribus: est enim transcendens et præscindere nequit ab ultimis differentiis: quocirca significat immediate inferiora, ut se habentia proportionabiliter. Aliunde etiam Deus est actus purissimus, et simpli-

Evertitur.

cissimus, in quo nec per imaginationem licet distinguere plures gradus, quorum unus sit genericus, ac proinde potentialis, actualisque, ac determinabilis per ultimam differentiam. Et ob primum etiam ex insinuatis motivis substantia, et accidens non participant univoce entis rationem; quamvis vere sint entia. Constat autem conceptum communem sacramenti esse de se unum, abstrahereque a differentiis, ut liquet comparando hujusmodi conceptum cum septem sacramentis novæ legis : quippe omnia prædicta sacramenta conveniunt univoce in participando talem conceptum, ut omnes concedunt. Ergo pari ratione cuncta sacramenta, quæ vere, et proprie sacramenta fuerint, univocabuntur in eo communi sacramenti conceptu. Cum igitur sacramenta antiqua fuerint vere, et proprie sacramenta, ut constat ex testimoniis supra relatis : sequitur sacramenta nova, et antiqua convenire univoce in ratione sacramenti.

Major versio. Quod autem in hac evasione insinuatur de dependentia antiquorum sacramentorum respectu novorum, quorum erant signa, nullius momenti est : nam prædicta dependentia, aut inæqualitas non attenditur penes illum gradum communem, qui de se æqualiter descendit, et participatur in inferioribus : sed provenit ex differentiis peculiaribus, per quas sacramenta in propria specie constituuntur, et secundum quas habere queunt inæqualitatem, et dependentiam. Id, quod liquet vel in ipsis sacramentis legis gratiæ, quorum unum, nempe Eucharistia, est aliis perfectius secundum specificam rationem, et reliqua ordinantur ad ipsum sicut ad finem, ut cum communi sententia suo loco ostendemus : et tamen inde minime infertur, quod sacramenta novæ legis non conveniant univoce in communi sacramenti ratione. Sic igitur quamvis sacramenta antiqua fuerint minus perfecta, quam nova ; et quamvis ad ista ordinata fuerint sicut ad finem, quem præfigurabant ; inde tamen non sequitur, quod eis defuerit convenientia antiquorum cum novis in communi sacramenti ratione : quia illa minor perfectio, dependentia, aut subordinatio non conveniebat illis ex ratione communi inæqualiter descendenti, sed competebat ex propria differentia, nempe quia antiqua erant, præfigurativa novorum. Quæ doctrina corroborari valet exemplis supra insinuatis fidei, et religionis : nam antiquorum fides, et religio præfigurabant fidem, et religionem legis gratiæ : omnia enim in figura contingebant illis, et ordinabantur ad hæc sicut ad finem perfectionis : et tamen nemo negat fidem, aut religionem antiquæ legis, et novæ legis convenire univoce in communi conceptu fidei, et religionis : quia illa inæqualitas non provenit ex gradu communi inæqualiter descendenti, sed ex peculiaribus differentiis, aut modis quibus ad inferiora contrahitur. Et si quis ex hoc exemplo colligere tentet unitatem specificam inter sacramenta antiqua, et nova, sicut profecto fuit inter fidem antiquam, et nostram : neganda est consequentia ob disparitatem num. 73 assignandam.

Ratio assertionis. 69. Secundo probatur assertio ratione sumpta ex hactenus dictis per totam disputationem : quoniam sacramentum in genere, sive in communi non aliud est, quam signum rei sacræ ut sanctificantis nos : sed in hac ratione conveniunt univoce sacramenta antiqua, et nova : ergo pariter conveniunt univoce in communi ratione sacramenti. Consequentia est legitima, et major patet ex dictis dub. præced. adjunctis etiam, quæ in superioribus diximus. Minor autem ostenditur: quia sacramentum esse signum rei sacræ ut sanctificantis nos, nihil aliud ex hac communi ratione importat, quam sacramentum repræsentare gratiam productam in ejus usu, et applicatione ; sive talis gratia producatur per ipsum sacramentum, sive producatur a solo Deo; id enim de materiali, et per accidens se habet ad repræsentandum gratiam præsentem. Sed sacramenta antiqua, et nova habent convenientiam in ejusmodi repræsentatione : quamvis enim antiqua non produxerint gratiam, tamen Deus in eorum præsentia gratiam efficiebat, et hæc per talia sacramenta repræsentabatur, ut num. 38 ostendimus. Ergo sacramenta antiqua, et nova conveniunt univoce in hoc, quod est esse signum rei sacræ ut sanctificantis. Confirmatur : quia convenientia univoca inter signa attendi debet penes primarium eorum significatum ; non vero penes alia, quæ non ita primario, et principaliter repræsentant : sed sacramenta antiqua, et nova conveniunt in repræsentando idem primarium significatum : ergo conveniunt univoce, quatenus signa Fulcitur.

signa formaliter sunt : ostendimus autem dub. 1, quod sacramentum constituitur determinate in genere signi : ergo sacramenta antiqua, et nova conveniunt univocein genere sacramenti. Cætera constant. Et minor primi syllogismi probatur ex supra dictis num. 33, ubi ostendimus, quod licet sacramenta plura significent, utputa gratiam, gloriam, et Christum; nihilominus principalius, et quasi omnino primarium eorum significatum est gratia sanctificans, ut sanctificans in eorum usu, et applicatione, ut explicuimus a num. 39 et 41. Sed significare gratiam sanctificantem præsentem, sive productam ad sacramenti præsentiam, commune est omnibus sacramentis tam antiquis, quam novis, ut eisdem locis, et dub. præced. declaravimus. Ergo sacramenta antiqua, et nova conveniunt in repræsentando idem primarium significatum.

70. Respondebis hoc argumentum cum sua confirmatione evincere, quod sacramenta antiqua conveniant cum nostris univoce solum ex parte, et secundum quid; non autem simpliciter, sicut asseruimus, et probare conamur. Nam sacramenta ordinantur non tantum ad significandum, sed etiam, et multo magis ad sanctificandum : quare non solum debent esse signa, sed etiam causæ nostræ sanctificationis. Quamvis autem sacramenta antiqua sanctificationem significaverint, illam tamen non causaverunt : et propterea vocantur ab Apostolo elementa vacua, et egena. Quocirca licet habuerint convenientiam univocam cum nostris in conceptu signi, quod ad summum discursus noster probat : dici tamen non valet, quod eam convenientiam habuerint in conceptu adæquato sacramenti.

Hanc evasionem ægre, aut nullo modo occludere valent Suarez, Lugo, Dicastillo, et plures Auctores extra scholam D. Thom. quos dedimus num. 67. Tentant nihilominus eam evertere : quoniam etsi sacramenta antiqua non causaverint gratiam internam, causaverunt tamen sanctificationem extrinsecam, seu legalem. Causa autem causans illam gratiam, et causa causans hanc sanctificationem conveniunt univoce in communi causæ conceptu. Nec hanc univocationem impedire valet, quod una sanctitas sit talis simpliciter, et alia sanctificatio sit talis secundum quid : quoniam hæc differentia ex parte effectuum, sive terminorum, inquit Dicastillo, se habet de materiali ad rationem causæ : sicut in nostra sententia Logica habet pro objecto primario ens rationis, quod est ens secundum quid; et tamen in ratione scientiæ convenit univoce cum aliis scientiis, quæ versantur circa entia realia, quæ sunt entia simpliciter. Quin addit Lugo non posse ab hoc capite excludi, aut negari univocationem : quia etiam antiqua sacramenta se extenderunt ad causandam gratiam sanctificantem, non quæ tunc daretur, sed quæ modo datur in lege gratiæ : erant enim antiqua sacramenta hujus figuræ, et promissiones : promissio autem induit officium causæ moralis respectu rei promissæ.

71. Sed hi Auctores nec efficaciter impugnant præmissam responsionem, nec sufficienter occurrunt scrupulo in ea objecto. Quod urgenter ostenditur sequenti discursu : nam si ut illi comminiscuntur, sacramenta antiqua, et nova univocantur in conceptu causæ, quem ingredi formalem sacramenti constitutionem existimant, ita quod ratio causæ de omnibus vere, et proprie prædicetur ; manifeste sequitur, quod sicut absolute dicimus sacramenta nova esse causas, sic etiam possimus dicere sacramenta antiqua causas absolute fuisse. Consequens autem est omnino falsum. Ergo fateri oportet sacramenta antiqua non fuisse vere, et proprie causas justificationis, aut sanctificationis, et subinde non habuisse univocationem cum nostris in communi causæ conceptu. Minor ostenditur : nam tantum abest, quod sacramenta antiqua dici absolute queant causæ justificationis, ut e contra negari absolute possit, quod causæ fuerint. Idque liquet ex Concilio Florent. loco supra allegato, ubi ait : « Differunt autem sacramenta nostra a sacramentis veteris legis, « quod illa non causabant gratiam, sed « eam solum per passionem Christi dandam significabant : hæc autem nostra « continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Liquet etiam ex Concilio Tridentino sess. 7, can. 2, ubi ait : « Si quis dixerit ea ipsa novæ legis « sacramenta a sacramentis antiquæ legis « non differre, nisi quia cæremoniæ sunt « aliæ, et alii ritus externi anathema sit. » Præcipuam vero illorum differentiam insinuat can. 6, illis verbis : « Si quis dixerit « sacramenta novæ legis non continere « gratiam, quam significant, aut gratiam

Quam inefficax juniorum impugnatio.

Concil. Florent.

Concil. Trident.

« ipsam non ponentibus obicem non con« ferre, quasi signa tantum externa sint, etc. « anathema sit. » Ubi constat utrumque Concilium tam perspicue, et absolute negare sacramenta antiqua fuisse causas gratiæ sive justificationis, quam disertè statuere, quod nova sacramenta sunt causa justitiæ. Ergo absolute negari potest, et debet, quod antiqua sacramenta fuerint causa justificationis hominum. Et sic etiam docuit Catechismus Romanus *in tract. de Sacramentis in genere*, ubi statuit « ideo sa« cramenta novi testamenti, veteris testa« menti sacramenta excellere, quod nostra « gratiam justificantem causant; illa vero « signa tantum erant, etc. »

Catech. Roman.

Motiva juniorum dispelluntur.

Porro ea, quibus prædicti Auctores se muniunt, levia sunt, et levi manu evertuntur: quoniam ut sacramenta antiqua dicerentur vere, et proprie causa; deberent causare effectum vere, et proprie talem, et causalitate, sive influxu vere, et proprie tali: utrumque enim requiritur ad causam, quæ vere, et proprie sit talis; siquidem ejus perfectio regulari debet penes effectum, quem causat, et penes modum, quo illum attingit. Sacramenta autem antiqua in utroque defecerunt. Nam sanctificatio, si quam causarunt, fuit sanctificatio præcise secundum quid, utpote externa, et legalis, quæ non sanctificabat homines absolute. Sed præcise mundabat, aut expediebat secundum legem. Ergo sacramenta antiqua in ordine ad prædictum effectum non potuerunt sortiri rationem causæ vere, et proprie talis. Per quod facile excluditur exemplum entis rationis: istud namque licet sit ens secundum quid in esse entis tamen ens simpliciter in esse scibilis: quippe quod non minus habet passiones de sua essentia demonstrabiles, quam ens reale de sua. Unde cum scientia respiciat suum objectum sub ratione scibilis; mirum non est, quod Logica attingens ens rationis sit scientia ita vere, et proprie, sicut alii habitus, qui versantur circa ens reale. E contra vero cum causa dicatur per habitudinem ad effectum, quæ non habet effectum nisi secundum quid, nequit dici vere, et proprie causa. Quod si pro evitando hoc inconvenienti fiat recursus cum Lugone ad gratiam sanctificantem nobis datam, cujus sacramenta antiqua fuerunt causa, tanquam ejus promissiones: regreditur argumentum ad modum causandi. Quoniam ut aliqua causa sit vere, et proprie talis, debet habere causalitatem, sive influxum vere, et proprie talem: atqui causare, sive influere per modum promissionis non est vere, et proprie influere, sed ad summum secundum quid: ergo prædicto recursu minime salvatur, quod sacramenta antiqua fuerint vere, et proprie causæ. Eo vel maxime, quod habuisse rationem promissionis respectu gratiæ nobis dandæ commune quid fuit omnibus ritibus, et cæremoniis antiquæ legis, quippe quæ erant figuræ eorum, quæ in præsenti statu contingunt: et tamen absurdum est dicere ritus, et cæremonias antiquorum fuisse vere, et proprie causas gratiæ præsentis: idem itaque de illorum sacramentis sentire debemus.

Manifestatur niori inconsequenti[a]

72. Quare censemus evasionem illam plane evincere propositum a nobis argumentum minime concludere ex suppositione, quod sacramentum constituatur formaliter non solum in genere signi, sed etiam in genere causæ: atque ideo inconsequenter procedere omnes illos Auctores, qui ex una parte affirmant sacramentum constitui formaliter, etsi inadæquate in genere causæ; et ex alia parte contendunt sacramenta antiqua, et nova convenire univoce in conceptu sacramenti. Nam qua ratione causa secundum quid, et causa simpliciter non conveniunt univoce in ratione causæ; eadem ratione sacramenta antiqua, quæ ut proxime ostendimus, non fuerunt sanctitatis causa, nisi secundum quid, et sacramenta nova, quæ vere, et proprie sunt ejus causa, nequeunt convenire univoce in ratione sacramenti; si semel ad hujus formalem, et essentialem conceptum spectat causam esse, ut illi Auctores affirmant. Unde meliori longe consequentia processerunt Magister sententiarum, et Divus Thomas commentando Magistrum. Hic namque in prima quarti distinctione statuit de ratione sacramenti esse, quod causa sit. «Sacramentum enim, *inquit*, proprie « dicitur, quod ita signum est gratiæ Dei, « et invisibilis gratiæ forma, ui ipsius ima« ginem gerat, et causa existat. Non ergo « significandi tantum gratia sacramenta « instituta sunt, sed etiam sanctificandi. « Quæ enim significandi gratia tantum in« stituta sunt, solum signa sunt, et non sa« cramenta, sicut fuerunt sacrificia car« nalia, etc. » Et consequenter ad hanc doctrinam intulit Magister in fine illius distinctionis

Ma[...]

distinctionis sacramentum non dici univoce, sed improprie de sacramentis antiquis. « Illa ergo, *inquit*, signa erant : sed « tamen sacramenta, licet minus proprie, « in scripturis sæpe vocantur. » Et eadem consequentia processit D. Thom. dum eas sententias commentaretur, ut liquet ex quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3 ad 5, ubi ait : « Dicendum, quod sacramentum non « dividitur per sacramenta veteris, et novæ « legis sicut genus per species, sed sicut « analogum in suas partes, ut sanum in « habens sanitatem, et signans eam. Sa- « cramentum autem simpliciter est, quod « causat sanctitatem : quod autem signat « tantum, non est sacramentum nisi se- « cundum quid. Et ideo esse causam potest « poni in diffinitione sacramenti, sicut « habens sanitatem in diffinitione sani. » Hæc omnia Magister, et Divus Thomas : ex quibus liquet, quod quia Magister ex propria sententia asseruit, et Divus Thomas ut commentator assensit ad conceptum communem sacramenti proprie dicti pertinere, quod causa sit sanctitatis ; et quia viderunt sacramenta antiqua non fuisse vere, et proprie sanctitatis causas ; propterea consequenter asseruerunt sacramenta antiqua, et nova non convenire univoce in conceptu communi sacramenti proprie dicti : nec istud dividi tanquam genus in species, sed sicut analogum in analogatum principale, et minus principale. Quæ tantorum ingeniorum consecutio manifestat, et corrigit Recentiorum in hac parte inconsequentiam, dum statuendo primum negant secundum.

[Tho.]

[...cax ...sio- ...con- ...tio.] Relicta ergo illorum doctrina, propositum effugium aliter confutandum est : quoniam licet sacramentum sumptum materialiter, sive ex parte naturæ denominatæ possit esse causa sanctitatis, sicut etiam potest, et solet esse actio, vel substantia, vel aliud quid ; nihilominus formaliter sumptum in ratione sacramenti sicut non ponitur in genere actionis, vel substantiæ, sic etiam non ponitur in genere causæ, sed collocatur unice, et adæquate in genere signi, ut ex professo ostendimus dub. 1, et in præsenti supponimus. Unde convenientia inter sacramenta antiqua, et nova, quatenus sacramenta sunt, attendi debet in conceptu signi ; non vero, in aliis de materiali se habentibus, uti sunt rationes substantiæ, actionis, et causæ. Sacramenta autem antiqua fuerunt vere, et proprie signa sanctitatis, qua homines tunc justificabantur ; quamvis illam minime produxerint. Ex quibus reintegratur propositum a nobis argumentum confutando simul adhibitam responsionem : quoniam sacramentum in communi non aliud est, quam signum rei sacræ ut sanctificantis homines : sed sacramenta antiqua, et nova conveniunt univoce in ratione signi rei sacræ ut sanctificantis homines : quippe tam antiquis, quam novis convenit vere, et proprie hujusmodi significatio : ergo sacramenta antiqua, et nova conveniunt univoce in ratione sacramenti. Et confirmatur : nam ideo prædicta sacramenta non haberent hujusmodi convenientiam, quia nova causant gratiam, quam non causabant antiqua : sed hæc ratio est nulla : ergo sacramenta antiqua, et nova conveniunt univoce in ratione sacramenti. Probatur minor : quia sacramentum formaliter sumptum non constituitur in genere causæ, sed solum in genere signi : ergo illa diversitas sacramentorum in munere causæ se habet pure de materiali : atque ideo non impedit univocationem in proprio genere sacramenti. Sicut quod Eucharistiæ sacramentum non consistat in actione, vel usu, sed sit sacramentum permanens ; e contra autem baptismi sacramentum non sit permanens, sed in usu, et actione consistat : minime impedit univocam eorum convenientiam in ratione sacramenti novæ legis; quia prædicta differentia se habet de materiali ad propriam sacramenti rationem. [Roboratur.]

73. Sed oppones hunc nostrum discursum plus evincere, quam oportet : probat enim, si quid valet, sacramenta antiqua, et nova habere convenientiam in ratione sacramenti non solum genericam, sed etiam specificam. Id vero falsum est, et contra determinationem Concilii Tridentini sess. 7, can. 2, contra illa, quæ ab ipso dubii lumine supposuimus. Sequela autem ostenditur : quoniam si sacramentum est unice in genere signi ; et hanc ipsam signi rationem participant vere, et proprie cuncta sacramenta ; nullum est motivum, quare habeant univocationem dumtaxat genericam in conceptu sacramenti, et non etiam specificam : quippe omnes aliæ rationes a significatione diversæ omnino materialiter, [Objectio.]

ut dicimus, se habent ad conceptum signi, et sacramenti. Potestque hujus objectionis vis augeri exemplo, quod num. 68 attigimus, et ad hunc locum remisimus : nam fides antiquorum, et fides nostra conveniunt univoce specifice in ratione fidei, ut nemo negat : ergo idem de sacramentis antiquis, et nostris dicendum est. Probatur consequentia tum a paritate. Tum etiam quia sacramenta sunt signa, et protestationes fidei : ergo sicut fides quam antiqua, et nova sacramenta repræsentant, est eadem specifice ; sic etiam nostra, et antiqua sacramenta habent specificam convenientiam. Tum denique nam ideo fides antiquorum, et fides nostra sunt specifice eadem fides, quia attingunt idem objectum formale : eadem enim, quæ nos credimus, crediderunt antiqui, licet minus explicite : sed hæc ratio etiam militat in sacramentis ; siquidem omnia repræsentant eadem significata, nempe gratiam, gloriam, et passionem Christi magis, aut minus explicite : ergo sacramenta antiqua, et nova, si consequenter loquimur, debent habere univocationem in ratione sacramenti non solum genericam, sed etiam specificam.

Augmentum difficultatis.

Occurritur objectioni.

Respondetur negando sequelam. Ad cujus probationem dicendum est ad distinctionem specificam signorum, et proinde sacramentorum sufficere diversitatem penes modum formalem, et rationem *sub qua* repræsentandi signata. Sicut enim objecta in ordine ad habitus, sic etiam termini significati in ordine ad signa se habent per modum radicis in distinguendo habitus, et signa. Minima autem distinctio in radice, si formalis est, splendere debet in radicatis, et eo amplius, quo major in radice debet esse unitas, quam in ramis. Porro licet sacramenta antiqua, et nova repræsentaverint eandem gratiam sanctificantem, ut præsentem, sive productam in eorum applicatione, et hinc habeant convenientiam univocam in genere signi, et sacramenti ; nihilominus sub hac communi, et generica ratione habuerunt modos valde diversos in repræsentando signata. Quæ diversitas (aliis differentiis modo omissis, e radice tamen statim assignanda facile scaturientibus), in eo præsertim elucet, quod nostra sacramenta repræsentant per se, et ex vi suæ institutionis gratiam sanctificantem non solum ut præsentem, et communicatam in eorum applicatione, sed etiam ut productam per ipsa sacramenta : idque pertinet ad adæquatum significatum eorum, ut sunt novæ legis sacramenta. Cæterum sacramenta antiqua repræsentabant gratiam sanctificantem, ut quidem præsentem, et in usu illorum datam : non tamen ut productam per talia sacramenta sed a solo Deo in eorum præsentia : et hoc spectabat ad formale significatum illorum, quatenus erant sacramenta legis antiquæ. Hic vero diversus modus significandi sufficientissimus est, ut inducant inter prædicta sacramenta distinctionem specificam. Cum enim sacramentum sit signum practicum, sive ordinatum non ad meram cognitionem, sed ad opus extra operatum ; modus diversus significandi opus infert distinctionem essentialem inter sacramenta. Valde autem diversus est modus significandi opus, ubi unum signum respicit signatum ut a se factum ; et aliud signum respicit signatum ut factum non a se, sed ab alia causa. Quapropter licet omnia sacramenta conveniant in genere sacramenti ; tamen intra illud genus differunt specifice per modos assignatos, qui ad proprias, et constitutivas eorum differentias spectant. Potestque solutio ista confirmari exemplo sacramentorum novæ legis, quæ conveniunt univoce in genere sacramenti novæ legis repræsentando gratiam præsentem, et ab eis productam : et tamen sub illo genere distinguuntur specifice ob diversum modum significandi : unum enim sacramentum repræsentat gratiam ut regenerantem, aliud ut roborantem, aliud ut cibantem, et sic de aliis, ita quod hæc differentia signatorum pertineat ad formale significatum prædictorum sacramentorum, si secundum proprias eorum differentias considerentur. Idemque proportionabiliter in præsenti materia dicendum est.

Evacuatur difficultatis augmentum.

74. Juxta quam doctrinam diluitur etiam augmentum difficultatis concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod fides antiquorum, et fides nostra habent eandem rationem formalem *sub quo* atomam, et specificam, nempe testimonium Dei revelantis, cui unice, et adæquate innituntur in credendo objecta : unde licet hæc sint diversa, et minus, aut magis explicite cognoscantur, fides tamen omnis sub eo motivo tendens est ejusdem rationis specificæ. Sed ratio signi commensuratur signatis, quæ per se formaliter, sive ex vi institutionis repræsentat :

sentat : quare quæ repræsentant signatum ut a se productum, et quæ illud referunt ut productum non a se, sed ab alio, debent secundum proprias rationes distingui essentialiter specifice ; quamvis in genere significandi unam rem sacram univocentur. Et ita comparantur sacramenta antiqua, et nova ut proxime explicuimus. Ad primam autem consequentiæ probationem patet ex immediate dictis. Ad secundam dicendum est optime cohærere, quod fides significata sit eadem specifice, et quod signa illam protestantia differant specie : sicut de facto contingit, quod fides nostra est una in specie, et tamen sacramenta nova, quæ sunt ejus protestationes, specifice distinguntur. Ad tertiam respondemus unitatem specificam fidei antiquorum, et fidei nostræ non tam desumi ex unitate rerum credendarum, sive objectorum, quam ex modo unico, et indivisibili, quo in illa tendebant, nempe sub unico motivo testimonii divini. Quamvis autem sacramenta antiqua, et nova conveniant in communi conceptu significandi easdem res, sive objecta ; nihilominus differunt in modo formali illa significandi : quia antiqua repræsentabant gratiam ut productam a solo Deo ; nostra vero repræsentant gratiam ut productam etiam a sacramentis. Idque satis est, ut differant specifice, si secundum peculiares eorum rationes considerentur : sicut proportionabiliter ob eandem rationem sacramenta novæ logis differunt inter se.

§ II.

Refertur opinio contraria cum suis fundamentis.

75. Oppositam nobis sententiam, quæ docet sacramenta antiqua, et nova non convenire univoce in genere sacramenti, sed analogice præcise sub sacramenti conceptu, defendunt Magister Sent. relatus num. 72, B. Albertus in 4, distinct. 1, D. Bonaventura, et Paludanus ibi quæst. 2, art. 2, et quidam alii ex antiquioribus. Idem etiam ex recentioribus tuentur Pesantius in præsenti disp. 4, Caspensis tract. 21, disp. 1, sect. 3, Chamerota cap. 1, dub. 4, Prado quæst. 60, dub. 4, § 2, et alii. Et in eandem sententiam inclinant Serra artic. 1, in resp. ad 4, et Gonet disp. 1, artic. 1, § 3, quatenus intendunt, quod sacramenta univocantur in quadam ratione formali inadæquata, nempe in conceptu signi ; non autem in omnibus formalitatibus, quæ ad adæquatam sacramenti constitutionem spectant : his enim cunctis simul consideratis, dicunt solum anologice convenire. In quo præ aliis minus consequenter loquitur Serra, qui nobiscum sentit sacramentum formaliter sumptum constitui in solo genere signi. Posset autem ista sententia probari auctoritate D. Thomæ in testimonio relato num. 72. Sed eo testimonio non premimur : quia D. Thom. ibi loquitur ut Commentator, et juxta mentem Magistri. In Summa autem, ubi agit officium Doctoris, et propriam sententiam revelat, nostram docuit locis relatis num. 67. Unde alia pro hac opinione motiva quærere oportet : et quidem omissis illis, quibus aliqui ostendere conantur sacramentum constitui saltem inadæquate in genere causæ, quæ hic referre non expedit, cum ea diluerimus dub. 1, nec multa, nec difficilia supersunt.

Primum argumentum.

Arguitur tamen primo : quia sacramentum ex communi sacramenti ratione instituitur, et ordinatur ad nostram justificationem : sed sacramenta antiqua, et nova non possunt in hac ratione univocari : ergo non conveniunt univoce in communi ratione sacramenti. Probatur minor : quia sacramenta nostra per sui usum, et applicationem justificant simpliciter homines, quippe quæ in eis producunt gratiam iuternam justificantem : sacramenta autem antiqua ob oppositam rationem non justificabant homines simpliciter ; siquidem causæ non fuerunt gratiæ internæ, sed solum conferebant aliquam consecrationem, aut deputationem legalem : ergo sacramenta antiqua, et nova nequeunt univocari in ordine ad nostram justificationem.

Confirmatio.

Confirmatur : quia figura, et figuratum nequeunt univoce convenire : qua de causa repugnat hominem pictum, et hominem vivum univocari in conceptu hominis : sed sacramenta antiqua, et nova ita comparantur inter se, quod nova sint veritas, et res figurata, antiqua vero fuerunt umbra, et figura novorum, juxta illud 1, Ad Corinth. 10 : *Omnia in figura contingebant illis :* ergo sacramenta antiqua, et nova nequeunt convenire univoce in conceptu sacramenti.

1 ad Corinth. 10.

Satisfit argumento.

76. Ad argumentum respondetur majorem solum verificari in hoc sensu, quod

sacramenta ex communi sacramenti ratione ordinantur ad nostram justificationem ut practice significandam, non autem ut per ipsa producendam : est enim sacramentum ex communi sacramenti conceptu signum practicum significans, quantum est de sua institutione, præsentialiter gratiam justificationis in ejus applicatione productam : sed ex illo communi conceptu non sunt causa, quæ justificationem efficiat, ut fusius diximus dub. 1. In hoc itaque sensu, admissa majori, negamus minorem : quia antiqua sacramenta vere, et proprie ordinata sunt ad antiquorum justificationem præsentialiter significandam in eorum usu, et applicatione : unde in prædicto conceptu habuerunt univocationem cum nostris. Minoris autem probatio ab hoc sensu divertit, se immittens in genus causæ : quare nihil evincit. Quia cum de conceptu sacramenti in communi non sit causare, sed significare rem sacram : nihil refert, quod s cramenta antiqua,et nova non habuerint univocationem in conceptu causandi nostram justificationem, ne dicantur habuisse univocationem in communi conceptu sacramenti.Nam ut habuerint hanc ultimam, satis fuit habuisse convenientiam in significando justitiam præsentem, sive in ordine ad justificationem ut sacramentaliter significandam. Unde illa probatio solum evincit, quod sacramenta antiqua, et nova differant materialiter ex parte naturæ denominatæ : sicut etiam ab hac parte sacramenta nova differunt inter se.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem respondemus majorem esse veram, quando figura est præcise figura, et figuratum est præcise figuratum : nam tunc essentialiter unum habet esse simpliciter, et aliud habet esse secundum quid ; et necessario comparantur per modum prioris, et posterioris in ea ratione : quod cum univocatione in eadem ratione minime cohæret. Et hoc modo comparantur homo vivus,et homo pictus que exemplo utitur confirmatio. Sed falsa est major, ubi figura non est tantum figura,sed etiam res, et ubi figuratum non est dumtaxat figuratum, sed etiam figura : tunc enim univocari valent in aliquo conceptu, et in ordine ad repræsentandum aliud. Idque haud obscure constat exemplo ducto tum ex naturalibus, tum ex Theologicis.In illis enim signum signi, et imago imaginis univoce conveniunt in repræsentando prototypum, ut patet, si quis ad similitudinem imaginis Cæsaris formet aliquam imaginem : tunc enim licet secunda sit imago prioris ; quia tamen utraque repræsentat primario Cæsarem, propterea conveniunt univoce in ratione imaginis Cæsarem repræsentantis. In Theologicis idem etiam liquet : nam sacrificium, quod nos offerimus, est imago,sive signum commemorativum sacrificii cruenti, quod Christus in cruce obtulit ; et tamen id minime impedit, quod sacrificia hujusmodi conveniant in communi sacrificii ratione. Distinguendo itaque in præmisso sensu majorem, iterum distinguenda est minor, et concedenda, si præcise significet sacramenta antiqua fuisse figuram novorum, et nova sacramenta fuisse præfigurata in antiquis : sed negari debet,si significet antiqua fuisse figuram præcise novorum, et nova esse præcise rem figuratam. Nam sacramenta antiqua ita quasi ex consequenti, et secundario fuerunt figura repræsentans sacramenta nostra,quod tamen primario, et principaliter significaverunt gratiam sanctificantem in eorum applicatione productam : et similiter sacramenta nostra ita fuerunt præfigurata in antiquis, quod nihilominus primaria eorum ratio in ea præfiguratione non consistit, sed in repræsentando gratiam justificantem in eorum usu causatam. Unde negamus absolute consequentiam : quia ut ex præmissis patet, ita sacramenta antiqua, et nova comparantur per modum figuræ, et figurati ; quod nihilominus principale,et primarium eorum munus non consistit in hoc, sed in significando gratiam sanctificantem productam in eorum usu, et applicatione. Et quia in hac gratiæ significatione (quæ est propria, et formalis ratio sacramentum constituendi), habent convenientiam univocam ; propterea non obstante illa diversitate accidentali, sacramenta antiqua, et nova conveniunt univoce in ratione sacramenti. Sicut Cæsaris imago, et imago imaginis Cæsaris, quæ se habent ut figura, et figuratum, sunt ejusdem rationis univoce in repræsentando Cæsarem.

77. Arguitur secundo : quia sacramentum constituitur in genere signi practici : sed sacramenta antiqua, et nova non conveniunt univoce in ratione signi practici : ergo non conveniunt univoce in ratione sacramenti. Probatur minor : nam signum practicum efficit quod significat : sed sacramenta Secu dum argu menti

menta antiqua, et nova non conveniunt univoce in efficiendo quod significant; siquidem principale eorum significatum est gratia sanctificans, quam sacramenta nostra vere efficiunt; secus vero antiqua : ergo prædicta sacramenta non conveniunt univoce in ratione signi practici.

Confirmatio. Confirmatur : quia cathedra facta ex ligno, et cathedra picta, licet conveniant in figura, quæ est forma constitutiva cathedræ ; nihilominus in ratione cathedræ non conveniunt univoce : ergo pariter licet sacramenta antiqua, et nova conveniant in significatione, quæ est forma constitutiva signi, et sacramenti ; tamen nequeunt convenire univoce in communi sacramenti conceptu; vel saltem id non evincitur ex præmisso a nobis discursu. Antecedens est certum : nam cathedra picta est cathedra secundum quid, ut constat ex communi modo concipiendi, et loquendi : ergo nequit convenire univoce cum cathedra facta ex ligno; licet habeant eandem formam, sive figuram. Consequentia vero probatur . nam ideo cathedra picta, quamvis habeat figuram cathedræ, nequit dici cathedra simpliciter, nec convenire univoce cum cathedra facta ex ligno ; quia cathedra ordinatur ad usum sedendi : quem usum non præstat cathedra picta, sed præcise repræsentat. Atqui sacramentum, licet constituatur per significationem sicut per formam; nihilominus ex sua institutione ordinatur ad usum sanctificandi. Ergo cum sacramenta antiqua non præstiterint hanc sanctificationem, quamvis illam repræsentaverint; sequitur, quod non possint in conceptu sacramenti univocari cum sacramentis novæ legis, quæ causant prædictam sanctificationem.

Solvitur argumentum. Respondetur argumentum excessive probare, et retorquendum fore in ejus Auctores : nam ex eo infertur sacramenta antiqua, et nova non solum non convenire univoce in ratione sacramenti, sed nec analogice : et tamen ipsi hoc ultimum minime negant. Inferri autem ostenditur eodem argumenti discursu : nam sacramentum constituitur in genere signi practici, et signum practicum est causa ejus, quod significat : significatum autem sacramentorum est gratia sanctificans, cujus sacramenta nova sunt causa, secus antiqua : ergo cum causa, et non causa nequeant vel univoce, vel analogice convenire in communi causæ conceptu ; sequitur sacramenta nova, et antiqua nec univoce, nec analogice convenire in communi ratione sacramenti. Id vero nec intenditur ab Adversariis, nec dici potest; cum Concilia, et Patres sacramenta antiqua appellent absolute sacramenta : ad quod requiritur, quod rationem veri sacramenti saltem analogice participent. Unde obiecta ab illis difficultas per eosdem dilui debet. Nos respondemus concessa majori, negando minorem. Ad cujus probationem negamus majorem universaliter intellectam : quia de ratione signi practici in communi non est efficere, quod significat; sed significare practice, hoc est, cum ordine ad usum, et effectum in ejus applicatione productum : sive hic effectus fiat per ipsum signum, sive ex vi alterius causæ tunc concurrentis. Et hæc ratio signi practici est, quæ per modum generis ponitur in diffinitione sacramenti. Quare cum sacramenta antiqua illam vere, et proprie participaverint; sequitur, quod cum nostris univoce convenerint in tali genere. Et quod nostra sint simul signa practica per modum efficientiæ, non convenit illis secundum genus, sed secundum modum proprium, aut differentiam , quatenus scilicet sunt novæ logis sacramenta.

Confirmatio etiam excessive probat, et regerenda est in opponentes : nam si sacramenta ita comparantur ad nova, sicut Cathedra picta se habet ad factam ex ligno; sequitur, quod sicut Cathedra picta non est vere, et proprie Cathedra, sed solum secundum quid ; ita sacramenta antiqua non fuerint vera sacramenta, sed solum secundum quid, et similitudinarie. Quod est maxime absurdum, ut sæpius ostendimus. Respondetur igitur concesso antecedenti, negando consequentiam. Cujus probatio diluitur assignando notam disparitatem : quoniam finis proximus, in quem Cathedra ex communi Cathedræ ratione ordinatur, est, ut deserviat ad sedendum : Cathedra autem picta huic fini deservire non valet : quare non est Cathedra nisi secundum quid, et in repræsentando. Finis autem proximus, in quem sacramentum secundum communem sacramenti rationem ordinatur, non est agere, causare, aut producere; sed significare gratiam sanctificantem in ejus applicatione productam, et concurrere ad nostram sanctificationem per modum signi, nempe significative, et repræsenta- Respondetur confirmationi.

tive ex institutione divina. Unde cum sacramenta antiqua ita se habuerint; fuerunt vera, et propria sacramenta; quamvis gratiam non produxerint : atque ideo conveniunt univoce in prædicta communi ratione cum novæ legis sacramentis, quibus alias ex peculiari modo convenit gratiam producere. Quæ disparitas aliter explicari potest dicendo, quod forma constitutiva Cathedræ est figura, non utcumque, sed connotando materiam aptam sessioni : et quia figura Cathedræ pictæ hanc materiam non concernit; propterea picta solum constituit Cathedram secundum quid, et repræsentative. Cæterum forma constitutiva signi, ac perinde sacramenti est significatio applicata materiæ aptæ ad significandum ad placitum ex institutione divina : et quia in sacramentis antiquis concurrerunt prædicta duo, nempe materia apta ad significandum ex institutione Dei, et actualis ordinatio, et significatio; idcirco talia sacramenta habuerunt quidquid requiritur ad veri sacramenti constitutionem : aque ideo fuerunt vere, et proprie sacramenta. Et si ita se habuerunt, nihil est, quare non dicantur univocari cum novis in communi sacramenti ratione.

rtium rgu- ntum

78. Arguitur tertio : nam licet concedatur sacramentum ex communi sui ratione non constitui in genere causæ, sed solum in genere signi; adhuc tamen sacramenta antiqua, et nova nequeunt univocari in ratione signi : ergo dici non valet, quod conveniunt univoce in ratione sacramenti. Consequentia patet. Et antecedens ostenditur : nam quæ conveniunt univoce in aliquo conceptu, nequeunt illum inæqualiter participare, et penes magis, et minus : sed sacramenta antiqua, et nova inæqualiter se habent in significando gratiam sanctificantem : ergo non possunt univocari in ratione signi. Probatur minor, tum quia sicut lex antiqua, et nova inæqualiter se habent, et illa fuit minus perfecta, quam hæc; sic oportet, quod omnia pertinentia ad prædictas leges inæqualiter se habuerint : ergo sacramenta antiqua, et nova inæqualiter se habuerunt in significando gratiam. Tum etiam quia ad perfectionem signi pertinet major, aut minor expressio sui signati : sed sacramenta nova expressius significant gratiam, quam antiqua; siquidem constant ex verbis, quæ aptissima sunt ad significandum : ergo idem, quod prius. Tum denique, nam perfectius est in signo repræsentare suum significatum ut præsens, quam illud significare ut distans, et futurum : sed sacramenta nova repræsentant sua significata, nempe gratiam, gloriam, et Christum, ut præsentia; e converso autem sacramenta antiqua significaverunt hæc objecta, ut tunc non præsentia, sed solum ut distantia, et aliquando futura : ergo prædicta sacramenta inæqualiter se habent in repræsentando signata.

Respondetur huic argumento negando antecedens quoad secundam partem : oppositum namque satis constat ex supra dictis. Ad antecedentis autem probationem dicendum est non esse contra rationem univocationis aliquorum in uno gradu, aut conceptu communi, quod intra eundem gradum habeant inæqualitatem ratione peculiarium differentiarum vel essentialium, vel individualium, quibus constituuntur. Sic enim, negante nemine, homo, et musca univocantur in gradu animalis sicut in genere, quo non obstante homo est perfectius animal, quam musca. Similiter vir, et puer conveniunt in esse hominis sicut in specie : et tamen vir est perfectior homo, quam puer. Idemque aliis exemplis statim magis declarabimus. Quare minime impediri potest univocatio sacramentorum antiquorum, et novorum in communi conceptu sacramenti, ex eo, quod sub illo communi conceptu habuerint aliquam inæqualitatem secundum proprias, et particulares eorum rationes. Hæc enim inæqualitas ex parte differentiarum contrahentium minime impedit, quod communis sacramenti ratio sit una, et æqualiter, quantum est de se, descendat ad inferiora, et in eisdem participetur. Juxta quam doctrinam distinguenda est major, et concedenda, si inæqualitas proveniat ex ipso conceptu communi : negari vero debet, si proveniat ex differentiis : harum enim inæqualitas non impedit æqualitatem, et univocationem in conceptu superiori. Et si minor intendat (ut debet) priorem inæqualitatem, neganda absolute est.

Respond argumento.

Ad cujus primam probationem respondemus, quod sicut non obstante, quod status legis scriptæ fuerit minus perfectus, quam status legis gratiæ; nihilominus una, et eadem substantialiter Ecclesia fuit in utroque statu, ut cum communi sententia ostendimus tract. 20, disp. 3, dub., 1, § 1, et sicut

Solutio probat.

sicut non obstante, quod gratia hujus status sit longe major, quam gratia status antiqui; tamen utraque gratia est ejusdem essentialis rationis specificæ : sic etiam non obstante, quod sacramenta nostra, et antiqua habeant secundum proprias rationes aliquam inæqualitatem in significando gratiam ; conveniunt tamen univoce, et simpliciter in significando gratiam ut præsentem : quod, et non amplius petit communis sacramenti conceptus. Ad secundam dicendum est, quod sicut major viri perfectio supra puerum non impedit eorum univocationem in participando communem essentiam hominis : sic etiam major expressio in significando nostrorum sacramentorum supra antiqua non excludit illorum univocationem in participando communem, et essentialem rationem tam signi, quam sacramenti. Præsertim cum huic accidat, et præter ejus essentiam sit, quod significatio fiat solis rebus, aut etiam verbis : utroque enim modo significatur vere, et proprie; quamvis verbis magis expresse. Ad ultimam constat ex supra dictis significatum principale, et omnino primarium in sacramentis esse gratiam sanctificantem; ut sanctificantem actu, sive in applicatione sacramentorum productam. Et in hoc significato datur convenientia univoca inter antiqua, et nova sacramenta : quippe cum commune illis sit, quod talis gratia detur, et data fuerit in illorum applicatione. Quod satis est, ut conveniant univoce in communi ratione sacramenti. Illa autem differentia penes alia significata, et penes modos illa repræsentandi accidit communi sacramenti conceptui, et provenit ex peculiaribus sacramentorum differentiis : atque ideo minime præjudicat univocationi in genere. Sicut etiam facta comparatione inter sacramenta novæ legis, eorum unum, nempe Eucharistia perfectius præ aliis Christum repræsentat, utpote quem continet realiter, et habet physice præsentem : ex qua tamen inæquali repræsentatione non sequitur, quod Eucharistia, et sex alia sacramenta non conveniant univoce in genere sacramenti novæ legis. Idem itaque in præsenti materia cum proportione dicendum est.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod sacramentum non semper sit res sensibilis. Quia secundum Philosoph. in lib. Priorum, omnis effectus suæ causæ signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti, quod sit signum alicujus rei sacræ, in quantum per eam homo sanctificatur ut dictum est. Non ergo requiritur ad sacramentum, quod sit aliqua res sensibilis.

Præterea : sacramenta pertinent ad cultum, vel regnum Dei. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei : dicitur enim Joann. 5, spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare. Et Rom. 14 : Non est regnum Dei esca, et potus. Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramentum,

Præterea : August. dicit in lib. de Libero arbitrio, quod res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte vivere potest Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humanæ (ut infra patebit) et ita sine eis homo recte vivere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Sed contra est, quod August. dicit super Joann. Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Et loquitur ibi de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Respondeo dicendum, quod sapientia divina unicuique rei providet secundum suum modum : et propter hoc dicitur Sapient. 7, quod suaviter disponit omnia. Unde, et Matth. 25, dicitur, quod dedit unicuique secundum propriam virtutem. Est autem homini connaturale, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est, per quod aliquis venit in cognitionem alterius Unde cum res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sint quædam spiritualia, et intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur : consequens est ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur : sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in divina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles : ut etiam Dionys. probat in 1. cap. Cœlest. Hierarch

Ad primum ergo dicendum, quod unumquodque præcipue denominatur, et diffinitur secundum id quod convenit ei primo, et per se, non autem secundum id, quod convenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis, per se habet, quod ducat in cognitionem alterius, quasi primo, et per se homini innotescens : quia omnis nostra cognitio a sensu oritur. Effectus autem intelligibiles non habent, quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primo, et principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur : sicut August. dicit in 2. de doctrina Christiana : ubi dicit, quod signum est, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum, quædam quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agetur.

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles, ut in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum, vel ad regnum Dei : sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

Ad tertium dicendum, quod Augustin. ibi loquitur de rebus sensibilibus, secundum quod sunt in sua natura : non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, quæ sunt maxima bona.

Conclusio. Ad sacramenta requiruntur res sensibiles.

COMMENTARIUS.

1. Quæ in hoc articulo tradit Div. Thom. facile constant ex superiori disputatione, nec exposcunt, quod aliud pro eis dubium instituamus ; sed satis erit aliquas illis annotationes adjicere. Et primo dubitari potest quid D. Thom. intellexerit nomine rei sensibilis? Sylvius putat intellexisse ea, quæ cum sensibilia sint, distinguuntur tamen a verbis : sive illæ res sint aliquid permanens, sive aliquid transiens, vel fluens, ut ablutio, contritio, et alia hujusmodi. Quod autem S. Doctor distinxerit res sensibiles in hoc sensu contra verba, licet hæc etiam sensibilia sint, probatur ex modo loquendi D. Thomæ : nam in præsenti utitur testimonio D. Augustini : *Accedit verbum ad elementum :* ubi elementi nomine intelligit rem sensibilem, de qua agit, et elementum contra verbum distinguit. Et infra artic. 6, docet verba convenienter adjungi rebus sensibilibus : ubi manifestum est distinguere res sensibiles a verbis. Sed licet hæc expositio sit probabilis ; tamen non minus probabilem censemus aliam Joann. a S. Thoma existimantis S. Doctorem *rei sensibilis* nomine comprehendisse omne, quod sensibile occurrit in sacramentis, sive verbum sit, sive res permanens, sive quid aliud. Nam D. Thomas suo discursu probat omne sacramentum constare re sensibili : materia autem aliquorum sacramentorum sufficienter salvatur in verbis, nutibus, aut signis, quæ verbis æquivaleant, ut patet in Pœnitentia, et Matrimonio. Igitur D. Thomas *rei sensibilis* nomine comprehendit non solas res, prout a verbis distinguuntur, sed etiam ipsa verba, et quodlibet aliud sensibile. Unde sensus tituli est, an sacramentum semper sit aliquid sensibile. Idque satis patet ex ejus contextu, et resolutione. Nec oppositum probant, quæ expendit Sylvius : nam licet aliquando D. Thom. sic distinguat ; tamen hac distinctione opus non habuit in præsenti, nec cum illa præcisione processit : et ex opposito fieret non comprehendisse illa sacramenta, quorum materia non exposcit rem distinctam a verbis.

Quid in præsenti dicatur res sensibilis. Sylvius. — *Responsio.*

2. Resolvit autem S. Doctor sacramenta semper esse aliquid sensibile. Quæ resolutio procedit de facto, et secundum præsentem Dei providentiam, atque institutionem. Et in hoc sensu conclusio D. Thom. est de fide. Nam omnia sacramenta, quæ de facto Deus instituit, constant ex aliquibus sensibilibus, sive attendamus ad antiqua sacramenta, sive ad nova, sicut palam constat ex scriptura, adjunctis decretis Conciliorum Florentini, et Tridentini, ubi de sacramentis agunt, ut sæpe in præced. disp. allegavimus. Ratio vero unica hujus veritatis stat in voluntate Dei : quia cum sacramenta sint signa ad placitum ex sola Dei institutione, ut diximus in præc. disp. dub. 1, § 3, illud de facto, et juxta præsentem providentiam habent, quod Deus ipsa voluit habere : Deus autem voluit, quod essent aliquid sensibile, ut ab effectu edocemur. Sed tamen non paucas possumus etiam assignare hujus divinæ dispositionis congruentias. Inter quas principem locum habet proposita a D. Thom. in hoc art. Nam sacramentum est signum rei sacræ, sive invisibilis gratiæ : quare per sacramenta sicut per notiora manuducuntur homines ad cognitionem rerum spiritualium, quæ latent : est autem connaturale homini, ut per sensibilia veniat in cognitionem intelligibilium : ergo oportuit, quod Deus attendens ad hanc naturalem hominis dispositionem, sacramenta, quæ pro ejus instructione, et sanctificatione instituit, constitueret in rebus sensibilibus, et ipsi homini familiaribus. Quem discursum hausit, ut communiter solet, Angelicus Doctor ex Patribus ipso antiquioribus. Nam D. Dionysius, quem *hoc art.* allegat, inquit *in lib.* 1, *de cœlesti Hierarch. Neque enim aliter fas erat infirmitati nostræ lucere divinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum, quibus ad superiora ferremur, opertum ; et his, quæ nobis familiaria sunt, providentia paterna naturæ mortalium sese accommodante, vestitum.* Et D. Chrysostom. *hom.* 83, *in Matth.* inquit : *Si incorporeus esses, incorporea tibi dedisset dona : nunc autem quoniam conjuncta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradit. Et homil.* 60, *ad populum Antioch.* ait : *Nihil insensibile nobis Christus tradidit : sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles. Unde in baptismo per rem sensibilem, nempe aquam, donum confertur : intelligibile vero, quod perficitur, generatio, et renovatio.*

Sacramentum constat re sensibili. — *Et quare* — *D. Dio* — *D. Chr*

Ad hanc congruentiam reducitur alia satis vulgaris apud Patres, nempe hominem constare

constare corpore, et anima ; et oportere, quod secundum utramque partem Deo serviat : quod plane facit se submittendo sacramentis, quæ cum res sensibiles plane sint, in effectus tamen inducunt spiritua-
D. Naz. les. Qua ratione utitur D. Gregor. Nazianzenus *in orat. de baptismo*, his verbis : « Quoniam duabus partibus, hoc est, anima, et corpore constamus, quarum altera in conspectum cadit, altera oculorum sensum fugit : duabus quoque rebus constat baptismus, aqua scilicet, ac spiritu : illa visibiliter, ac corporaliter accepta, hoc vero incorporeo, et invisibili modo concurrente. » Adde primo, quod sicut Ecclesia visibilis est, sic oportet, quod sacramentis visibilibus, ac perinde sensibi-
Div. Augustin. libus utatur, ut arguit D. Augustin. in lib. *de unitat. Ecclesiæ* cap. ult. et lib. 2, *contra Petilianum* c. 32. Adde secundo, quod per sacramenta non solum colitur Deus, sed etiam fideles ab infidelibus distinguuntur ; sunt enim ritus protestativi fidei, et religionis : hæc autem distinctio fieri non valet absque signis externis, et visibilibus. Quo argumento utitur etiam D. Augustin. lib. 19, *contra Faustum* cap. 11.

Objectio. 3. Occurrunt tamen contra communem adeo, et certam doctrinam aliquæ objectiones, quas expedit diluere. Et primo Manichæi, aliique hæretici sacramentorum Adversarii opponunt : nam indecens est hominem, qui natura intellectiva præstat, subjici rebus sensibilibus : ergo vel sacramenta non dantur, vel in rebus sensibilibus non consistunt. Eo vel maxime, quod sacramenta debent esse media, quibus perducamur ad regnum Dei : hujusmodi autem esse non valent res sensibiles, cum nos potius ab illo regno divertant juxta illud
Joan. 4. Joan. 4: *Deus spiritus est, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate adorare oportet*. Accedit omnes res sensibiles esse
Div. Augustin. *minima bona*, ut loquitur D. Augustin. lib. 2, *de libero arbitr.* cap. 19, atque ideo indecorum est, quod sacra, atque invisibilia contineant, ut revera continent sacramenta. Non igitur decuit, quod hæc instituerentur in rebus sensibilibus.

Diluitur. Respondetur imperfectiones, quas objectio expendit, convenire quidem rebus sensibilibus sibi relictis, et in propria vilitate remanentibus ; non autem quatenus subeunt officium signi ex divina institutione, ut eis ducamur in bona altiora. Nam in hac secunda consideratione non debent dici minima bona : nec a regno Dei avertunt. Et cum homo eis utitur, non subjicitur illis propter se, sed propter Deum, aut potius ipsi Deo sacramentorum auctori. Quare sicut placuit Deo per assumptionem carnis, nos transferre in adoptionem invisibilem, et gloriam filiorum Dei : et similiter sicut placuit Deo per stultitiam crucis salvos facere credentes : sic etiam ob congruentias supra assignatas placuit per media, et elementa corporea nobis suam gratiam conferre. Non quia Deus eis indigeat ; sed potius ut magis suam manifestet potentiam, dum per res objectas, nostræque cognitioni familiares vult operari salutem. Quæ est doctrina D. Thom. in hoc art. in resp. ad 2, et Patrum, quos supra dedimus.

4. Objicies secundo, impugnando magis specialiter rationem congruentiæ a D. Tho. assignatam : nam ideo oportuisset sacramenta institui in rebus sensibilibus, quia per has ducimur in cognitionem rerum spiritualium, et præsertim gratiæ, quæ in sacramentis confertur. Hic autem discursus magis probat oppositum. Tum quia ut sacramenta nos ducant in notitiam spiritualium, oportet habere aliquam cum illis similitudinem : *quam si non habuerint*, inquit D. August. epist. 23, *sacramenta non essent :* sed cum gratia, vel alia re spirituali, quæ sit significatum sacramentorum, majorem similitudinem habent res spirituales, quam sensibiles, et corporeæ, ut ex terminis liquet : ergo discursus D. Thom. probat oppositum. Tum etiam quia ut sacramenta ducant in notitiam rerum spiritualium, debent illas significare : sed hujusmodi res melius, et magis formaliter significantur per verbum mentale, sive per speciem expressam eorum repræsentativam, quam per illa signa externa, et sensibilia : unde D. Thomas quæst. 4, *de verit.* art. 1 ad 7, docet verbum mentis magis expresse significare, quam voces ; et istas habere in significando dependentiam ab illis : ergo discursus D. Thomæ magis probat sacramenta debuisse institui potius in rebus spiritualibus, quam in sensibilibus.

(Margin: Alia objectio. — Di. Aug. — D. Tho.)

Respondetur discursum D. Thomæ optimum esse, utpote fundatum in ipsis rerum naturis. Sacramenta namque sunt signa ad placitum, quorum proinde significatio accipi debet ex placito instituentis Solvitur.

Hic vero, ut recte provideat, debet attendere ad connaturalem, et proprium modum cognoscendi eorum, pro quibus signa instituit. Quare cum sacramenta instituta fuerint signa pro hominibus in hoc viatorum statu : oportuit talia signa eligi, quæ sint hominibus pro tali statu connaturalia, atque proportionata. Manifestum autem est homines pro hoc statu non intelligere immediate spiritualia ; quin potius nulla intelligibilia percipere posse absque sensuum ministerio, et nisi mediis speciebus sensibilibus. Ob hanc enim naturalem exigentiam, et dependentiam anima rationalis, quæ per se subsisteret, unitur corpori, ut scilicet ejus organis, et sensibus utatur ad comparandum species, quas ex vi suæ creationis non habet, et quas non aliter acquirere valet quam in corpore, et dependenter ab illo. Ergo oportuit, quod Deus sacramenta, signa videlicet rerum sacrarum, atque intelligibilium, non constituerit in rebus spiritualibus, quæ hominem latent ; sed in sensibilibus, quas homo immediate cognoscit, et per quas sicut per medium prius cognitum ducitur in spiritualium notitiam. Unde nulla spiritualia possunt saltem pro hoc statu habere rationem signi per se respectu hominis : sed signi ratio per se unice, et adæquate revocatur in sensibilia, ut egregie tradit D. Thom in resp. ad 1 : « Unumquodque, inquit, præcipue denominatur, et diffinitur secundum id, quod « convenit ei primo, et per se ; non autem « secundum id, quod convenit ei per aliud. « Effectus autem sensibilis per se habet, « quod ducat in cognitionem alterius, quasi « primo, et per se homini innotescens : « quia omnis nostra cognitio a sensu ori- « tur. Effectus autem intelligibiles non « habent, quod possint ducere in cognitio- « nem alterius, nisi in quantum sunt per « aliud manifestati, id est, per aliqua sen- « sibilia. Et inde est, quod primo et prin- « cipaliter dicuntur signa, quæ sensibus « offeruntur, sicut Augustin. dicit in 2, de « doctrina Christiana ubi dicit, quod si- « gnum est, quod præter speciem, quam « ingerit sensibus, facit aliquid aliud in « cognitionem venire. Effectus autem in- « telligibiles non habent rationem signi, « nisi secundum quod sunt manifestati per « aliqua signa. » Hæc S. Doctor, juxta quæ solvitur objectio concedendo majorem, et negando minorem. D. Tho.

Ad cujus primam probationem dicendum est sacramenta non esse signa naturalia rerum spiritualium, sed solum ad placitum ex voluntate instituentis : et si quæ similitudo inter illa datur, non est univoca, sed analoga non analogia proportionis, sed sola analogia proportionalitatis, quæ inter res simpliciter dissimiles reperiri valet : et hanc similitudinem, non autem majorem intendit D. August. loco cit. ut ostendimus disp. præced. dub. 1, § 3. Porro in signis ad placitum debet instituens attendere non solam proportionalitatem inter signum, et signatum ; sed multo magis aptitudinem, et modum cognoscendi eorum, pro quibus signa instituit. Cognitio autem hominis pro hoc statu dependet a sensibilibus sicut a medio. Et ideo licet res spiritualis habeat majorem similitudinem, aut proportionem in esse entis cum gratia significata per sacramenta ; non tamen in esse signi hominum cognitioni proportionati : ad hanc enim longe proportionabiliora sunt corporea, atque sensibilia. Et parum, aut nihil in his refert defectus similitudinis : quia non significant naturaliter res spirituales, sed ad placitum. Unde ad secundam probationem concedimus verbum mentale, sive speciem expressam multo vividius, atque explicatius referre objectum, quam quodlibet signum externum : est enim formalis ejus similitudo, quin, et ipsum objectum sub esse repræsentativo. Sed tamen nequit esse signum hominis cognitioni proportionatum : tum quia non cognoscitur a nobis immediate ut *quod:* sed ut in ejus notitiam quasi reflexam deveniamus, indigemus manuduci per sensibilia. Tum quia verbum mentale non est objectum *quod* prius cognitum, quod ducat in notitiam alterius objecti, sicut ad conceptum signi requiritur : sed est medium *in quo* formaliter cognoscitur objectum : quare non mediando, sed quasi informando præstat expressam objecti notitiam : quod longe distat a propria signi ratione.

5. Objicies tertio : quia de facto non omnia sacramenta consistunt in rebus sensibilibus. Quod ostenditur primo in contritione, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ : et tamen non est aliquid sensibile, sed actio, aut qualitas simpliciter spiritualis. Secundo in Christo Domino, qui prout in Eucharistia est sacramentum : et tamen prout Altera objectio.

prout ibi non est aliquid sensibile, sed existit modo spirituali.

ispel- itur. Respondetur negando antecedens. Ad cujus primam probationem dicendum est contritionem non aliter esse partem sacramenti pœnitentiæ, quam ut manifestatam per confessionem, aut alia signa doloris : quo pacto jam induit rationem rei sensibilis, et potest esse signum ad repræsentandum gratiam. Unde D. Thom. in resp. supra allegata consequenter prosequitur in hæc verba : « Effectus autem intelligibiles « non habent rationem signi, nisi secun« dum quod sunt manifestati, per aliqua « signa. Et per hunc etiam modum quæ« dam, quæ non sunt sensibilia, dicuntur « quodammodo sacramenta, in quantum « sunt significata per aliqua sensibilia. » Quod magis constabit ex immediate dicendis. Ad secundam probationem respondemus, quod ex æquivocatione procedit. Vitabitur autem observando tria distingui a Doctoribus in hac materia : primum *sacramentum tantum*, secundum *rem sacramenti tantum* : tertium *rem, et sacramentum simul.* Sacramentum tantum dicitur illud signum, quod significat, et non significatur. Res sacramenti tantum est illud, quod significatur, et non significat. Res, et sacramentum simul est illud, quod ita significatur ab uno, ut simul etiam significet aliud. Verbi causa in baptismo sacramentum tantum est ablutio exterior sub præscripta verborum forma; quia significat, et non significatur : res sacramenti tantum est gratia regenerativa; nam significatur, et ipsa non significat : res, et sacramentum simul est character; quoniam ita significatur per sacramentum baptismi quod simul etiam significet gratiam. Hac distinctione præmissa, respondemus ad probationem, quod cum asserimus sacramenta esse rem per se sensibilem, loquimur de sacramento tantum. Si enim sermo fiat de eo, quod est res, et sacramentum simul; non requiritur, quod sit sensibilis per se, sed sufficit, si habeat esse sensibilem per aliud : nam cum *res, et sacramentum simul* ita significet unum, quod significetur ab alio; sufficit si sensibilis fiat per hoc aliud, a quo significatur. Et sic contingit in exemplo proposito : nam Christus Dominus in Eucharistia non est sacramentum tantum; sed est res, et sacramentum simul : quare sufficit, quod licet ibi non sit sensibilis per se, fiat tamen sensibilis per aliud, videlicet per species sacramentales, quibus convenit esse sacramentum tantum, et quæ sunt per se sensibiles.

Tho.

An res non sensibilis queat sacramentum esse.

6. Hæc sunt, quæ de facto, et secundum præsentem providentiam contingunt, et in quibus convenit inter Doctores. At dum considerationem extendunt ad aliam providentiam, et rem versant in ordine ad potentiam absolutam; satis controvertunt, et multum inter se dividuntur. Sentiunt enim plures minime repugnare rem non sensibilem, sed pure spiritualem elevari ad veram rationem sacramenti; atque ideo de essentia sacramenti non esse, quod res sensibilis sit. Sic sentiunt Ochamus, Aliacensis, et Gabriel in 4. dist. 1, quæst. 1. Arauxo in præs. dub. 2, conclus. 2. Serra ibi §. Prima particula. Valentia punct. 4. Vazquez disput. 128, cap. 4. Cartagena disput. 1, difficult. 2. Prado dub. 7, num. 11. Gonet disp. 1, artic. 4. N. Gabriel a S. Vincent. disput. 1, quæst 2, N. Franciscus cap. 1, dub. 1, num. 10. N. Philippus disput. 1, dub. 4, in principio, et alii. Sed posterior hic Auctor fallitur, dum hanc sententiam repræsentat adeo communem, ut dicat nullum dubitare, quin Deus potuerit signa, et verba intelligibilia assumere in sacramenta : oppositum enim (nempe multos dubitare) constabit evidenter ex dicendis. Possumus autem omnes hujus opinionis vires ad unicum hoc, sed satis grave fundamentum revocare : quoniam signum practicum gratiæ est verum sacramentum : sed non repugnat rem aliquam spiritualem constitui a Deo signum practicum gratiæ : ergo non repugnat rem non sensibilem, sed mere spiritualem, elevari ad veram rationem sacramenti. Major, et consequentia patent. Minor autem ostenditur : quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus disponeret ad præsentiam, et exercitium alicujus rei spiritualis, utputa vel actus fidei, vel orationis mentalis, conferre gratiam; ita ut quoties talis eliceretur actus, toties Deus gratiam infunderet, vel augeret : sed in tali hypothesi hujusmodi res spiritualis esset vere signum practicum gratiæ : sicut modo aliquæ res sensibiles sunt practica prædictæ gratiæ signa, quia infallibiliter gratia producitur in eorum applicatione : non igitur repugnat rem ali-

Aliquorum opinio. Ocham. Gabriel. Arauxo. Serra. Valent. Vazq. Cartag. Prado. Gonet. N. Gab. N. Fran. N. Phil.

Fundamentum.

quam spiritualem constitui a Deo signum practicum gratiæ. Et confirmant aliqui hanc opinionem ex eo, quod Nicolaus Papa in cap. *Sufficiat* 27, quæst. 2 et Alexander Tertius in cap. *Cum locum*, et in cap. *Cum apud, de sponsalib. et matrimon.* palam affirmant consensum internum contrahentium sufficere ad contrahendum matrimonium : est autem matrimonium verum Ecclesiæ sacramentum ; et consensus internus est actus mere spiritualis : senserunt ergo Pontifices nullam esse repugnantiam in eo, quod vera ratio sacramenti in aliqua re pure spirituali constituatur.

'onfirmatio.

Sed non minus communis et probabilis est opinio negativa, ac præcedenti contraria. Quam tuentur Nugnus, et Ruiz in præs. art. 4, Joan. a S. Thom. disp. 22, art. 4, dub. unico, Suarez disp. 1, sect 3, Bellarminus lib. 1, *de sacram.* cap. 9. Bauny tract. 1, quæst. 3. Coninckus, Layman, Maratius et Granados, quos refert, et sequitur Bernal. disp. 1, § 7, n. 57. Sayrus lib. 1, cap. 2, quæst. 7, art. 1, dicens hanc sententiam ab omnibus, si paucos excipiamus, defendi : in quo sicut et N. Philippus, licet per aliud extremum, deceptus est. Potest autem suaderi gravi motivo : quia de essentia sacramenti est esse signum, ut Adversarii non negant : sed de essentia signi est esse rem sensibilem : ergo de essentia sacramenti est, quod in re aliqua sensibili constituatur : atque ideo repugnat rem pure spiritualem elevari ad veram rationem sacramenti. Utraque consequentia patet. Et minor probatur ex diffinitione signi tradita a D. August. et approbatur a D. Thom. in hoc artic. in resp. ad 2 : «Signum est, quod præter spe« ciem, quam ingerit sensibus, facit ali« quid aliud in cognitionem venire : » manifestum quippe est solam rem sensibilem speciem sensibus ingerere. Possuntque in confirmationem hujus opinionis expendi omnia motiva, quibus supra ostendimus consonum fuisse naturis rerum, quod Deus instituerit sacramenta in materia sensibili : sacramenta enim deserviunt ad Ecclesiam constituendam, et ad distinguendum fideles, et ut per sensibilia ad intelligibilia ducamur : nihil autem horum consequeretur Deus, si sacramenta in rebus spiritualibus constitueret, ut facile quis conjectare poterit. Sed præ aliis motivis premere oportet de ratione sacramenti esse, quod signum sit, atque ideo magis notum, magis manifestum, quam ejus significatum, in cujus notitiam ducit. Res autem spirituales sunt plane occultæ, et non magis notæ, quam aliæ, ad quarum cognitionem ordinarentur. Ergo non apparet, qua ratione una res spiritualis possit habere officium signi, ac perinde sacramenti respectu alterius.

liorum sententia. ugnus. Ruyz. Joan. a . Tho. uarez. ellarm. Bauny. ernald. ayrus etc.

Funda-entum

Confir-matio.

7. Quæ autem harum opinionum præferri debeat, haud facile judicabimus. Censemus tamen propositam difficultatem referri posse, vel ad rem ipsam, vel ad modum loquendi. Et quod ad rem attinet, sentimus cum priori sententia minime repugnare, quod Deus instituat, ut ad præsentiam, atque in usu, sive applicatione alicujus rei mere spiritualis, v. g. orationis mentalis gratia sanctificans producatur, vel augeatur : in hoc namque nulla apparet implicatio; cum liberum Deo sit gratiam cum hac, vel sine hac dependentia producere. Et si Deus utitur instrumentis corporeis ad producendum effectus spirituales, ut patet in humanitate Christi, et in sacramentis nostris ; quare non poterit uti instrumentis spiritualibus ad eosdem effectus? Porro rem illam institutam, ut in ejus exercitio, et applicatione produceretur gratia sanctificans, fore signum ad placitum, et practicum ejus, videtur per se manifestum : quoniam ex Dei institutione significaret gratiam præsentem dependenter ab ejus usu. Nec valet dicere cum secunda sententia rem illam spiritualem esse occultam, et non magis notam, quam ejus significatum : quia licet utrumque spirituale foret, et ab hac parte æque ignotum : tamen disponi posset, quod res spiritualis significans esset mere naturalis, atque ideo magis nota, quam res significata, nempe gratia sanctificans. Sicut enim sensibilia sunt magis nota quam spiritualia ; sic etiam ex ipsis spiritualibus naturalia sunt magis nota, quam supernaturalia : ergo sicut corporalia instituta ad significandum spiritualia ducunt in eorum notitiam : sic etiam spiritualia naturalia instituta ad significandum res spirituales supernaturales ducerent in earum cognitionem : atque ideo res naturalis elevata ad hoc ex Dei institutione ut in ejus usu gratia sanctificans produceretur, esset vere, et proprie signum practicum illius. Hinc vero ultra progrediendo, manifestum apparet

Sententia propria.

apparet fore sacramentum. Tum quia esset signum rei sacræ ut sacrantis. Tum quia supposita institutione divina, non se haberet pure disparate ad gratiam; sed compararetur per se ad illam in aliquo genere: at non in genere causæ; siquidem supponimus esse præcise signum, ad cujus præsentiam Deus gratiam produceret: ergo compararetur ad illam per modum sacramenti. Et in his omnibus suffragamur priori sententiæ.

Continuatur. An vero sacramentum illud institutum in re spirituali foret ejusdem rationis cum sacramentis de facto institutis, et conveniret cum eis univoce in genere sacramenti? est difficultas longe diversa. Ad quam negative respondendum censemus cum omnibus Auctoribus secundæ opinionis, suffragantibus non paucis ex prima, qui se ita declarant, præsertim Arauxo, et N. Franciscus. Fundamentum autem hujus nostræ resolutionis est: quoniam omnia sacramenta hactenus instituta sunt signa sensibilia, et in genere proximo signi sensibilis univocantur, ut liquet ex dictis disp. præcedent. dub. ultim. Illud namque signum habet rationem generis in diffinitione sacramentorum hucusque institutorum, quod diffinit D. Augustinus esse id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Manifestum autem est, illam rem spiritualem, quam Deus institueret ad significandum gratiam præsentem, non fore signum sensibile, ut ex terminis liquet: ergo esset signum diversæ rationis ab omnibus illis, quæ de facto elevata sunt ad rationem sacramenti. Ex quo ulterius fieret tale sacramentum essentialiter distingui ab omnibus sacramentis hactenus institutis; et cum eisdem non posse in genere aliquo sacramenti proximo univoce convenire. Et confirmatur: nam sacramenta de facto instituta, sunt ab essentia sua proportionata hominum cognitioni pro hoc statu: sed sacramentum in re mere spirituali institutum careret essentialiter hac proportione, et solum posset deservire cognitioni Angelorum, vel animarum separatarum, vel hominum in statu beatitudinis: ergo tale sacramentum foret diversæ rationis a nostris, et minime univocaretur cum eis in aliquo genere proximo sacramenti.

Effugium. 8. Nec satisfacit, quod Prado loco cit. n. 15, in fine respondet prædictam diversitatem esse physicam, et in esse naturæ; non autem metaphysicam, et in genere sacramenti: quoniam illa diversitas consisteret in rebus elevatis ad significandum, quæ se habent de materiali; sed non se haberet ex parte gratiæ sanctificantis, quæ se habet de formali. Quare sicut ob hanc rationem sacramenta antiqua, et nova, quorum materiæ valde differunt, conveniunt formaliter, et univoce in ratione sacramenti: sic etiam contingeret in materia, quam versamus.

Præcluditur. Hæc, inquam, responsio minime satisfacit. Tum quia ratio signi non se habet de materiali ad conceptum proprium sacramenti; cum sit genus essentiale, sub quo sacramentum directe constituitur, ut diximus disp. præced. dub. 1; atqui sacramentum in re spirituali institutum distingueretur in genere proximo signi ab omnibus sacramentis hactenus institutis; siquidem cuncta hæc constituuntur in genere signi sensibilis, in quo illud sacramentum collocari non posset: ergo tale sacramentum distingueretur ab omnibus sacramentis hactenus institutis non solum materialiter, sed etiam formaliter, atque in genere proximo sacramenti. Tum etiam quia distinctio essentialis signorum, et perinde sacramentorum attendi debet non tam penes res significatas, quam penes modum significandi illas, sicut proportionabiliter contingit in omnibus respectivis: sed licet sacramentum in re spirituali institutum, et sacramenta nostra in materia sensibili constituta convenirent in significando eamdem gratiam sanctificantem; nihilominus, longe differrent in modo significationis: illud enim significaret modo spirituali, repræsentando immediate soli intellectui; hæc autem significant modo sensibili immutando immediate sensus: ex quo proveniret, quod illius repræsentatio repugnaret modo connaturali, quo homo in hoc statu cognoscit: cujus oppositum adest in nostrorum sacramentorum repræsentatione: ergo tale sacramentum differret a nostris non tantum materialiter, sed formaliter, atque in genere. Tum denique, quia signum in materia sensibili, et signum in re spirituali non minus differrent, quam signum formale, nempe verbum mentis, et signum instrumentale v. g. baptismus: sed ista, licet significent eam-

dem rem; differunt formaliter, et in genere proximo signi : ergo idem in nostro casu dicendum est.

Impugnatur amplius. Confirmatur manifestando in consequentiam illius Auctoris : quoniam sacramenta nostra, et sacramentum in re spirituali institutum magis distinguuntur, quam sacramenta antiquæ legis, et novæ : sed hæc juxta ejus sententiam non conveniunt univoce in genere sacramenti; sed analogice tantum sub communi sacramenti conceptu : ergo idem a fortiori dici debet facta comparatione sacramenti instituti in re spirituali cum nostris. Nec hoc exemplum potest, aut debet in nos retorqueri, qui disput. præcedent. dub. ultim. statuimus sacramenta antiqua, et nova univocari in genere sacramenti : quia ut ibidem exposuimus, sacramenta antiqua, et nova conveniunt non solum in re significata, sed etiam in modo formali illam repræsentandi. Quod aliter in nostro casu contingeret, ut proxime ostendimus.

Motiva opposit. convelluntur. Ad ea vero, quæ pro utraque opinione afferuntur, opus non est respondere : nam id tantum convincunt, quod admisimus, nempe cum prima posse sacramentum institui in re spirituali, quod vere foret sacramentum; et cum secunda tale sacramentum non foret ejusdem rationis cum nostris, sed reducendum ad aliud genus. Tantum observare oportet confirmationem pro prima sententia excessive probare; siquidem probat de facto : cum tamen certum sit nullum sacramentum fuisse de facto institutum in re pure spirituali, sed omnia habere materiam sensibilem, ut

Nota. ostendimus a num. 2. Quando autem illi duo Pontifices docent consensum internum sufficere ad contrahendum matrimonium, loquuntur de consensu interno ut manifestato per verba, aut nutus, aut alia signa sensibilia. Et eo modo loquendi solum intendunt excludere consensum parentum, aut etiam copulam carnalem, aut alia, quæ hæreticorum plures, et catholicorum aliqui dixerunt necessaria ad matrimonii valorem. In quo sensu Pontifices docent sufficere internum contrahentium consensum; manifestatum tamen, ut supponitur, ad extra, ut in omnibus contractibus (de quorum numero est matrimonium), semper contingit.

ARTICULUS V.

Utrum requirantur determinatæ res ad sacramenta?

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod non requirantur determinatæ res ad sacramenta. Res enim sensibiles assumuntur in sacramentis ad significandum, ut dictum est. Sed nihil prohibet diversis rebus sensibilibus idem significari : sicut in sacra Scriptura Deus aliquando metaphorice significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem, aut aliquid aliud hujusmodi. Ergo videtur, quod diversæ res possint congruere eidem sacramento. Non ergo determinatæ res in sacramentis requiruntur.

Præter ea : magis est necessaria salus animæ, quam salus corporis : sed in medicinis corporalibus, quæ ad salutem corporis ordinantur, potest una res pro alia poni in ejus defectu. Ergo multo magis in sacramentis, quæ sunt medicinæ spirituales ad salutem animæ ordinatæ, poterit una res assumi pro alia, quando illa defuerit.

Præterea : non est conveniens, ut hominis salus arctetur per legem divinam, et præcipue per legem Christi, qui venit omnes salvare : sed in statu legis naturæ non requirebantur in sacramentis aliquæ res determinatæ, sed ex voto assumebantur : ut patet Gen. 28, ubi Jacob vovit se Deo decimas, et hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur, quod non debuerit arctari homo, et præcipue in nova lege, ad alicuius rei determinatæ usum in sacramentis.

Sed contra est, quod Dominus dicit Joan. 3 : Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Respondeo dicendum, quod in usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus, et sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius, sed solum id quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novæ legis quibus homines sanctificantur (secundum illud 1, ad Corinth. 6, Abluti estis, sanctificati estis), oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

Ad primum ergo dicendum, quod etsi idem potest per diversa signa significari : determinare tamen quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significantem. Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, et per verba similitudinaria in scripturis. Et ideo sicut judicio spiritus sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur : ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc, vel illo sacramento.

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem : et ideo non refert, si duæ earum eamdem virtutem habeant, qua quis utatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione divina; et ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum.

Ad tertium dicendum, quod sicut Augustin. dicit 19, contra Faustum, diversa sacramenta diversis temporibus congruunt : sic etiam diversis verbis significantur diversa tempora, scilicet præsens, præteritum, et futurum. Et ideo sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari : tum propter obscurationem legis naturæ, ex peccatis hominum : tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis : quia res quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt.

Prima

Prima conclusio in corpore. In sacramentis legis gratiæ oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.

Secunda conclusio in resp. ad tertium. In sacramentis legis scriptæ necesse fuit res a Deo determinari.

Tertia conclusio in resp. ad tertium. In sacramentis legis naturæ homines ex instinctu Dei determinabant res, quæ essent sacramentum.

COMMENTARIUS.

1. Pro legitima intelligentia tituli propositi a D. Thom. oportet duo observare. Primum, quod determinatio, de qua loquitur S. Doctor, dupliciter potest intelligi necessaria : uno modo supposita institutione sacramentorum ; altero modo antecedenter ad talem institutionem, attendendo ad id, quod exigit ipsa sacramentorum natura. Et in priori sensu manifestum est materiam sacramentorum debere esse determinatam : nam cum sacramenta habeant suum esse, et significare ex institutione divina ; facta suppositione suæ institutionis, necessarium est, quod habeant illam determinationem, quam Deus illa voluit habere : et consequenter non esse in potestate hominum variare illam materiam, quam Deus determinavit. Unde difficultas a D. Thom proposita procedit in alio secundo sensu magis artificioso, et plane doctrinali, an scilicet juxta naturam, atque exigentiam sacramentorum sit, quod res, in quibus consistunt, determinentur a Deo. Unde non est audiendus Suarez in notis ad hunc articulum, dum observat D. Thomam in corpore artic. tractasse difficultatem in priori illo sensu ; atque in responsionibus argumentorum illam versavisse in secundo. Nam certe S. Doctor summa consequentia, atque identitate sensus procedit tam in corpore, quam in argumentis ; nec aliter se gerere potuisset, nisi lubrice procedendo. Sensus itaque primum ab ipso intentus est ille prior, an scilicet juxta naturam, et exigentiam sacramentorum sit constitui in rebus determinatis. Et hinc occasione argumentorum data, subinfert non posse homines ex suppositione institutionis sacramentorum in determinata materia, auferre hanc determinationem, et aliam varietatem inducere.

Secundum est, quod rerum nomine, quas D. Thomas in titulo proposuit, duo possunt intelligi : nempe vel res stricte, prout distinguuntur contra verba : vel materiale sacramentorum, quod solet ex rebus, et verbis componi, et distinguitur contra formale, quod in sola significatione consistit. Duæ namque compositiones possumus in sacramentis apprehendere : aliam ex rebus, et verbis, quæ se habent ut forma respectu rerum, ut disp. seq. declarabimus ; et aliam ex composito rerum, ac verborum tanquam ex materia totali, et ex significatione tanquam ex forma totali. Et juxta hæc rerum nomine intelligi possunt vel solæ res distinctæ contra verba ; vel compositum, sive materiale sacramentorum distinctum contra significationem. Quid autem intelligendum sit, non convenit inter omnes. Et quidem satis verosimilis nobis apparet expositio Joannis a S. Thoma in notis ad hunc art. quod S. Doctor rerum nomine non intellexit specialiter res, ut distinguuntur contra verba ; sed quod eo vocabulo amplexus fuerit tam res, quam verba, sive omne materiale sacramentorum, quod contra significationem distinguitur, et ad rationem sacramenti elevatur : quia non in omnibus sacramentis distinguuntur verba, et res ; cum fuerint plura, nempe antiqua, quæ verbis non constaverint : atque ideo oportet dicere D. Thomam, qui generaliter resolvit, et de omnibus sacramentis agit, rerum nomine significavisse materiale sacramentorum, sive in rebus tantum consistat, sive in rebus, et verbis simul. Sed tamen attendendo ad ordinem D. Thomæ in hac quæst. longe probabilius nobis videtur oppositum, nempe rerum nomine intelligi solas res stricte, et quatenus contra verba distinguuntur. Nam in articul. 6, sequent. inquit : « Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba? » Et art. 7, inquirit : « Utrum requirantur determinata verba in sacramentis ? » Quare dicendum est vel D. Thomam versasse iterum, atque iterum non sine vitio eandem difficultatem ; quod dici non debet : vel hoc loco rerum nomine significasse solas res stricte sumptas ; quod intendimus. Unde tenere oportet, quod sicut in sequentibus articulis verborum nomine intelligit verba, ut a rebus differunt : sic etiam in hoc artic. rerum nomine intellexit res, ut contra verba distinguuntur. Nec motivum ab eo

Quid rerum nomine intelligat D. Tho.

Expositio quædam.

Melior explicatio.

Auctore insinuatum urget, quin persuadet oppositum : nam si in omnibus sacramentis non occurrunt verba, et nullum est sacramentum, quod rebus non constet; magis infertur D. Thom. rerum nomine non comprehendisse verba, sed solas res, prout a verbis distinctas.

Dispellitur objectio. Et si objicias non omnia sacramenta constare rebus, sed solum verbis, aut aliis signis, quæ sunt æquivalenter verba, ut patet in sacramentis pœnitentiæ, et Matrimonii quæ solis verbis, aut signis perficiuntur : atque ideo congruentius esse, quod hoc loco rerum nomine intelligatur totum materiale sacramentorum, sive constet rebus tantum, sive verbis tantum, sive rebus, et verbis simul. Respondebimus primo nullum esse sacramentum, quod non constet rebus, utputa actibus saltem internis, quamvis debeant fieri sensibiles per verba, vel alia signa. Secundo, permittendo oppositum, nihil valere consequentiam : quoniam D. Thom. proponit titulum indefinite, et sensus ejus est, an res, quibus constant aliqua sacramenta, et ubi constant, debeant esse determinatæ. Quocirca si aliquod sacramentum non componatur verbis, in eo locum non habebit proposita difficultas.

Resolutio D. Tho. 2. His circa intelligentiam tituli propositis, accedamus ad rem ipsam. Et primo loco resolvit D. Thom. oportere, quod in sacramentis novæ legis sint res a Deo determinatæ. Quæ conclusio, ut recte notant Nugnus, et Arauxo in præsenti, est de fide : quia fides docet Christum Dominum verum Deum instituisse hujus legis sacramenta, ut suis locis ostendemus. Modo satis sit referre canonem Concilii Tridentini sess. 7, Concil Trident. can. 1, ubi ait : « Si quis sacramenta novæ « legis non fuisse omnia a Jesu Christo « Domino Nostro instituta, aut esse plura, « vel pauciora, quam septem, videlicet « Baptismum, etc., anathema sit. « Probatur deinde ratione Theologica D. Thomæ, quam possumus ad hanc formam reducere : nam res, in quibus consistunt sacramenta novæ legis determinari possunt, et debent ab illo tantum, qui potest sacramenta instituere : sed solus Deus potuit instituere sacramenta novæ legis : ergo res, in quibus consistunt sacramenta novæ legis, debuerunt a solo Deo determinari : oportet igitur fateri, quod in sacramentis novæ legis sint res a Deo determinatæ, utputa quod materia Baptismi sit aqua, quod materia Eucharistiæ sit panis, et sic de aliis. Utraque consequentia legitime deducitur ex præmissis. Major autem constat ex ipsis terminis : quia nemo potest determinare, quod non est in ejus potestate, sed alterius : ergo solus ille potest determinare res sacramentorum, qui potest sacramenta instituere. Minor autem ostenditur : quia sacramenta novæ legis non solum habent esse cultum Dei, secundum quam rationem possent ordinari ab hominibus, sicut alia, quæ ipsi ordinant ad Dei cultum : sed ulterius, et principaliter habent esse causas, et media efficacia ad nostram justificationem. Atqui solus Deus est institutor, et auctor nostræ salutis : quippe qui solus potest principaliter gratiam sanctificantam infundere, et homines justificare. Ergo solus Deus potuit sacramenta novæ legis instituere. Ubi notandum est non esse contra discursum D. Thom. quod Deus tanquam principalis auctor, mediante homine, aut alia pura creatura, cui facultatem ad id concederet, instituisset novæ legis sacramenta. Semper enim salvaretur principalitas ex parte Dei tam in instituendo sacramenta, quam in determinando eorum res : quam principalitatem intendit, et probat S. Doctor. Sed tamen de facto non ita contigit : omnia enim sacramenta nostra instituta fuerunt immediate a Verbo incarnato, atque e latere ejus in cruce pendentis fluxerunt, ut satis aperte tradit Tridentinum canone citato, et suis locis ostendemus. Nota

Objectio. 3. Occurrit autem contra communem hanc, et certam resolutionem communis objectio, quoniam res, in quibus aliqua novæ legis sacramenta consistunt, variantur per humanam Ecclesiæ potestatem : ergo non omnes res, in quibus nostra sacramenta consistunt, sunt a Deo determinatæ. Consequentia patet : quia humana potestas nequit variare illa, quæ Deus circa sacramenta determinavit : ergo si variat res, in quibus nostra sacramenta consistunt, manifestum signum est res hujusmodi non fuisse determinatas a Deo. Antecedens probatur primo : nam Ecclesia de facto mutavit materiam sacramenti matrimonii, ut patet ex Concilio Tridentino sess. Conc. Trid. 24, decreto reformationis cap. 1. Cum enim ante prædictum Concilium materia matrimonii fuisset consensus viri, et mulieris sensibiliter expressus, sive clam, sive occulte,

culte, et sive coram parocho, sive illo absente ; nihilominus Concilium in eo decreto statuit nullum fore deinceps matrimonium, nisi adsit consensus expressus contrahentium coram parocho, et duobus testibus. Variavit igitur, et mutavit Ecclesia materiam prædicti sacramenti. Probatur secundo, et facilius idem antecedens: nam Ecclesia Græca ordinat presbyteros non per calicis, et patenæ porrectionem, sed per manuum impositionem ; e converso autem Ecclesia Latina illos ordinat per exhibitionem calicis, et patenæ cum vino, et pane. Unde formatur hæc consequentia : nam Christus instituit sacramentum Ordinis in una aliqua prædictarum rerum, vel actionum : si itaque illud instituit in manuum impositione, qua utuntur Græci , sequitur Ecclesiam Latinam variasse materiam proximam talis sacramenti : si vero ipsum instituit in porrectione calicis cum patena , infertur Ecclesiam Græcam mutasse materiam illam, atque aliam introduxisse. Quodcumque igitur eligatur, fit consequens materiam, aut rem, in qua Deus sacramenta instituit, mutari posse per humanam Ecclesiæ potestatem.

pon-io. Huic objectioni respondetur prænotando, quod licet materia sacramentorum novæ legis fuerit a Deo eorum institutore determinata ; nihilominus non oportet , quod hæc determinatio fuerit ejusdem rationis in omnibus sacramentis : sed quod fuerit magis, aut minus stricta, prout expedit ad propriam unuscujusque sacramenti significationem. Unde videmus materiam baptismi esse determinatam in specie ultima : consistit enim in aqua elementali, quæ in varias species non distrahitur. Materia autem Eucharistiæ est panis triticeus, sub quo dantur plures species panis. In sacramento etiam pœnitentiæ materia est dolor internus manifestatus per signa sensibilia : ubi ex parte doloris interni admittitur varietas specifica inter contritionem, et attritionem ; et similiter eadem, aut major varietas occurrit in externis doloris signis, cum possint esse, vel verba, vel nutus, vel scriptura, vel aliquid simile. Et hoc supposito respondetur objectioni : negando antecedens in sensu immediate præmisso. Ad cujus primam probationem dicendum est materiam proximam, in qua Christus instituit sacramentum matrimonii esse contractum legitimum, sive inter legitimas personas celebratum. Quas autem conditiones debeat habere contractus ille, ut legitimus sit, Christus non determinavit : sed hanc istius (sicut aliorum contractuum) legitimam determinationem Ecclesiæ, et Reipublicæ potestati reliquit. Hæc vero prout rerum necessitas exposcit potest conditiones diversas adhibere ad hoc, quod contractus legitime fiat : ita quod contractus, qui uno tempore cum aliquibus conditionibus celebratus est validus, in alio tempore ob defectum conditionum, quas Ecclesia, aut Respublica addidit, fiat illegitimus. Et hoc modo contractus matrimonii, qui vel clam celebratus erat olim legitimus, atque proinde habebat rationem materiæ aptæ, et determinatæ, in qua Christus matrimonii sacramentum instituit ; postquam Ecclesia in Concilio Tridentino statuit contractum illum non aliter esse legitimum, nisi celebratum coram Parocho, et duobus testibus, desiit esse materia, in qua Christus instituerat sacramentum matrimonii : quia desiit esse contractus legitimus. Unde satis apparet Ecclesiam non mutasse materiam a Christo determinatam, nempe legitimum matrimonii contractum ; sed effecisse duntaxat, quod contractus clandestinus non fuerit deinceps contractus legitimus. Id vero non est mutare formaliter rationem materiæ; sed subtrahere aliquid, ne sit materia illa, quam determinavit Christus. Sicut quis efficere posset, ut panis triticeus, qui est materia Eucharistiæ, corrumperetur, et desineret esse panis : in quo casu non mutaret materiam proximam a Christo institutam ; sed impediret, ne panis ille retineret rationem talis materiæ, quia jam non esset verus panis.

Qualiter eadem semper sit materia sacramenti matrimonii.

4. Nec refert, si opponas contractum matrimonii, etsi clandestine celebratum esse validum in ratione contractus naturalis ; siquidem conservat omnia, quæ ad rationem contractus naturalis desiderantur : unde celebratus inter infideles tenet, et irritus non censetur. Ergo immutatio introducta ab Ecclesia in Tridentino non versatur immediate circa contractum illum, ut contractus naturalis est. Atque ideo mutavit materiam sacramenti matrimonii, quam Christus formaliter determinaverat, nempe contractum legitimum ; siquidem Ecclesia disponit, quod contrac-

Præoccupatur objectio.

tus clandestinus (qui ut ostensum est, perseverat adhuc legitimus in ratione contractus), non sit materia prædicti sacramenti. Id, inquam, minime refert : negandum namque est antecedens intellectum de valore matrimonii clandestini in Ecclesia, seu Republica Christiana. Hæc enim potestatem habet ordinandi circa contractus naturales, quatenus fini supernaturali subduntur. Quare potuit decernere de naturali matrimonii contractu, quatenus est materia ordinabilis ad sacramentum matrimonii. Et quia vidit plurima inconvenientia oriri ex illo contractu clam celebrato ; optima ratione disposuit talem contractum esse illegitimum , nisi coram parocho, et testibus celebretur. Quare contractus hujusmodi, si aliter celebretur, non solum est invalidus in ratione sacramenti ; sed etiam est irritus in ratione contractus naturalis in Republica Christiana. Cujus signum est, quod Christiani clam contrahentes nullam subeunt, aut inducunt obligationem ex tali contractu. Quod vero apud infideles teneat in vi naturalis contractus, nihil refert ad propositum : quia nec Ecclesia judicat de infidelibus, cum ad ipsam non pertineant : nec una respublica potest leges ferre, quibus irritet contractus alterius. Unde semper habemus Ecclesiam in præmissa Tridentini dispositione non mutasse materiam sacramenti matrimonii formaliter a Christo determinatam : sed effecisse tantum, quod aliquid non habeat conditiones, quæ pro materia a Christo instituta desiderantur.

Quomodo sit eadem materia Ordinis apud Latinos, et Græcos.

5. Ad secundam antecedentis probationem respondetur conformiter ad hactenus tradita : nam si verum est Ecclesiam Græcam ordinare suos presbyteros per solam manuum impositionem , dicendum est Christum Dominum determinasse quidem. quod materia sacramenti Ordinis esset signum sensibile designativum traditionis potestatis ad consecrandum, simul cum verbis id significantibus : non tamen determinasse, aut designasse in individuo, quodnam materialiter foret prædictum signum ; sed id Ecclesiæ electioni, atque dispositioni reliquisse. Quocirca Ecclesia potuit diversa materialiter signa introducere, quibus traditio illius potestatis significetur, nullam inducendo mutationem, aut varietatem in ea materia, quam Christus formaliter determinavit : quia sive traditio potestatis significetur hoc signo, sive alio signo ; semper adest signum significativum traditionis potestatis : et hoc ultimum est, quod Christus pro materia sacramenti Ordinis assignavit. Sicut proxime dicebamus Christum pro materia sacramenti Matrimonii assignasse legitimum contrahentium contractum : sed non determinasse materialiter, quisnam contractus, et quando, et cum quibus circumstantiis esset legitimus : quare Ecclesia potuit variare mere materialiter talem materiam, quatenus potest statuere conditiones, quibus concurrentibus, et non aliter, contractus ille sit legitimus. Hac igitur proportione Ecclesia Græca pro signo significativo traditionis potestatis manuum impositionem cum verbis eam potestatem significantibus : Ecclesia autem Latina assignavit traditionem calicis, et patenæ cum vino,et pane. Et sub hac materiali diversitate retinent eandem formaliter materiam, quam Christus determinavit, signum scilicet sensibile designativum traditionis potestatis. Diximus, si verum est Ecclesiam Græcam, etc. quia valde probabile censemus apud Græcos non conferri sacramentum ordinis per solam manuum impositionem, sed adjuncta etiam traditione saltem mediata calicis, et patenæ, sive aliarum rerum : apprehendunt enim, cum ordinantur, et manibus attingunt altare, sive aram magnam, in quo illa posita sunt : quod satis est (ut plures volunt) ad traditionem rerum, quæ pro ordinatione requiruntur apud Latinos. Sicut qui tenet pedem Calicis, in quo est vinum, et patena cum pane, non attingit hæc omnia immediate. sed tantum medio calice : et tamen id sufficit ad traditionem earum rerum, quæ pro materia Ordinis desideratur. Alia addemus disp. 2, a num. 65. *Nota*

Alia Tho. assertio.

6. Secundo loco (ut ad reliqua hujus articuli procedamus) resolvit D. Thom. quod in sacramentis antiquæ legis fuerunt res a Deo determinatæ. Quæ resolutio est de fide : quia Deus in antiqua lege determinavit ritus, Ceremonias, et sacramenta, quibus homines sub ea lege viventes, uterentur, ut plane constat ex lib. *Exodi*, et lib. *Levitici*, et optime declarat D. Thom. 1, 2, quæst. 102, art. 4, cum seq. Et ratio est proportionabiliter eadem, ac in novæ legis sacramentis : quoniam ad illum pertinet determinare materias sacramentorum, in quibus sanctificantur homines, qui potest talia

talia sacramenta instituere : sed solus Deus potuit instituere sacramenta legis antiquæ ; quippe in eis conferebatur gratia sanctificans, ut constat ex dictis disp. præced. per totam, et præsertim dub. ult : et solus Deus potest esse causa principalis gratiæ sanctificantis : ergo ad Deum pertinuit determinare materias sacramentorum antiquæ legis : atque ideo in sacramentis legis antiquæ fuerunt res a Deo determinatæ. Circa hanc D. Thomæ assertionem non occurrit specialis difficultas, cui opus sit occurrere. Sed tamen notare expedit, quod cum dicitur Deum immediate determinasse materias, sive res sacramentorum ; ex vi hujus dumtaxat excluditur alius Auctor, sive institutor, qui sacramenta instituerit, aut illorum res determinaverit. Sed tamen ex vi hujus non necessario excluditur medium, aut mediator, qui præcise concurrat per modum promulgantis, aut deferentis determinationem divinam : quippe hoc medii genus minime impedit, quod Deus sit immediatus auctor in instituendo, et determinando. Quod observare oportuit propter hæc, de quibus nunc loquimur, sacramenta antiquæ legis : nam valde probabile est, quod promulgans, et intimans talem legem, ejusque sacramenta, et res ipsorum sacramentorum non fuit Deus, sed aliqua creatura, Angelus scilicet, aut Moyses, juxta illud Apost. 2, ad Galat. 19: *Quid igitur lex? Propter trangressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris*. In quo, sicut in aliis eminet lex gratiæ : cujus sacramenta, et res ad ea pertinentes, non solum instituit, ac determinavit Deus, Verbum scilicet incarnatum, sed etiam, promulgavit, intimavit, et ad nos detulit, ut supra num. 2, insinuavimus.

Nota.

7. Tertio tandem loco resolvit D. Thom. quod licet in lege naturæ institutio sacramentorum in communi, atque indeterminate fuerit a Deo ; nihilominus res, sive materiæ sacramentorum illius status non fuerunt a Deo immediate determinatæ ; sed homines ex instinctu Dei determinabant res, quæ essent sacramenta. Quam resolutionem probat S. Doctor auctoritate simul, et ratione : « Nam sicut Augustinus « dicit lib. 19, contra Faustum, diversa « sacramenta diversis temporibus con- « gruunt : sic etiam diversis verbis signi- « ficantur diversa tempora, scilicet præ- « sens, præteritum, et futurum. Et ideo « sicut in statu legis naturæ homines nulla « lege exterius data, sed solo interiori ins- « tinctu movebantur ad Deum colendum : « sic etiam ex interiori instinctu determi- « nabatur eis, quibus rebus sensibilibus, « ad Dei cultum uterentur. Postmodum « vero necesse fuit etiam exterius legem « dari : tum propter obscurationem legis « naturæ ex peccatis hominum : tum etiam « ad expressiorem significationem gratiæ « Christi, per quam humanum genus sanc- « tificatur. Et ideo etiam necesse fuit res « determinari, quibus homines uterentur « in sacramentis. » Qui discursus optimus est, et fundatus in rerum naturis : quoniam sacramenta sunt externæ professiones religionis, secundum quam homines in aliqua lege vivunt. Ergo oportet sacramenta eo modo tradi, quo dantur lex, et religio. Atqui in statu legis naturæ non dabatur lex aliqua determinata, a Deo tradita ; sed homines ducebantur interno instinctu ad agendum secundum rectam rationem, prout ista illis juxta rerum, et temporum qualitatem dictabat. Ergo oportuit, quod in statu legis naturæ res sacramentorum non fuerint a Deo immediate determinatæ ; sed magis, quod homines ex interiori instinctu, prout magis expedire censebant, illas determinarent. Atque ideo fatendum est ita contigisse.

Tertia D. Tho. conclusio.

In quo discursu aliqua notanda sunt. Primum procedere per se loquendo, et quantum ille status de se exigebat. Cum quo tamen cohæret, quod ante legem scriptam Deus aliquod sacramentum intimaverit, ac determinaverit pro aliqua persona, aut gente : sic enim instituit circumcisionem, quæ non est ex lege, sed ex Patribus. Et forte instituit aliqua sacrificia, quæ haud facile possumus in particulari assignare. De cujus forte numero fuit sacrificium panis, et vini, quod obtulit Melchisedech. Secundum est, quod licet in statu legis naturæ relictum fuerit hominum arbitrio secundum instinctum determinare materias, sive res sacramentorum : nihilominus valde verosimile est, quod regulariter hæc determinatio non tam fiebat pro arbitrio particularium, quam secundum dispositionem communitatis, aut reipublicæ. Id enim magis congruebat gravitati rei, et auctoritati sacramentorum. Et

Nota I.

Secundo.

quod ad sacramentum Ordinationis pertinet, censemus sic determinate asserendum fore : quoniam sicut sacrificium erat res totius communitatis, sic oportebat offerri a Sacerdote auctoritate publica : et consequenter sacramentum ordinis, quo ad id destinabatur, et consecrabatur, debuit per rempublicam, aut communitatem determinari. Notat autem Nugnus in præsenti, quod licet respublica in eo statu determinaret aliquam materiam pro sacramentis : et consequenter homines aliam adhibentes peccarent propter oppositionem ad justum communitatis decretum ; nihilominus valida conficerent sacramenta : quia generaliter Deus disposuerat, quod homines secundum interiorem instinctum possent pro suis sacramentis materias determinare : et dispositio communitatis posset quidem res sacramentorum statuere, sed non posset sacramenta aliter facta irritare, aut invalida reddere. Quod nobis videtur satis probabile. Et in eo elucet diversitas illorum sacramentorum a nostris : nam modo, qui mutat materiam a Christo institutam, vel ab Ecclesia juxta Christi dispositionem determinatam, ut de sacramento matrimonii, et ordinis diximus ; non solum peccat, sed nullum insuper conficit sacramentum. Tertium est, quod ex indifferentia illa rerum, quibus homines in statu legis naturæ pro interno instinctu ad sacramenta utebantur, non infertur limitatiorem esse viam salutis in statu gratiæ, ubi potestatem eligendi, aut variandi materiam non habemus. Quoniam, ut optime tradit D. Thom. « Non « propter hoc arctatur via salutis : quia « res, quarum usus est necessarius in sa- « cramentis, vel communiter habentur, « vel parvo studio adhibito haberi pos- « sunt. » Quin potius hoc modo vitatur studium, et labor in quærendo res aptas, quæ pro materiali habeant aliquam proportionalitatem, ut effectum sacramentorum repræsentent juxta dicta disp. præced. dub. 1, § 3, habemus enim has ex Dei congruentissima institutione. Aliunde vero, quod præcipuum est, copiosior longe gratia datur in hoc statu, quæ viam dilatat salutis.

[Te]rtio. [D.] Tho.

[O]bjectio.

8. Sed oppones D. Thomam in hac ultima resolutione minus consequenter loqui ad alias assertiones, et ad doctrinam hujus articuli. Docet enim res sacramentorum antiquæ, et novæ legis fuisse a Deo immediate determinatas ; idque probat, quia cum gratia sanctificans, quæ in sacramentis confertur, sit a solo Deo tanquam a causa principali ; ad ipsum solum pertinet instituere sacramenta, et horum materias determinare. Qui discursus vel nihil valet, vel æqualiter probat in omnibus sacramentis : quippe in omnibus collata fuit gratia, cujus solus Deus est causa principalis. Ergo D. Thom. statuendo Deum immediate determinasse res sacramentorum in statu legis tam antiquæ, quam novæ : secus autem in statu legis naturæ, minus consequenter loquitur. Eo vel maxime, quod gratia eodem modo producebatur in sacramentis legis naturæ, ac in statu legis scriptæ, hoc est, non per sacramenta, sed a solo Deo in usu, et applicatione sacramentorum. Ergo sicut prædicta sacramenta habuerunt uniformitatem in hujusmodi effectu ; sic illam habere debuerunt in modo determinandi eorum materias, immediate scilicet, aut mediate.

Satisfactio.

Respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod deficit in non intelligendo processum D. Thomæ. Nam S. Doctor non probat Deum determinasse immediate materiam alicujus sacramenti, ex eo, quod solus Deus sit causa gratiæ sanctificantis, quæ in sacramentis producitur. Sed ex eo, quod Deus sit principalis causa talis gratiæ, colligit solum Deum esse institutorem sacramentorum, et quod ad ipsum pertinet determinare illorum materias, abstrahendo ex vi hujus a modo determinationis, scilicet vel mediatæ, vel immediatæ. Quis autem modus pro singulis statibus observatus fuerit, non probat ex illo principio nude sumpto, sed attendendo, ut decebat, ad diversas statuum conditiones. Nam quia lex antiqua, et lex nova fuerunt immediate a Deo, oportuit res sacramentorum, quæ sunt legis, et religionis visibiles protestationes, ab ipso etiam Deo immediate determinari. Sed quia in statu legis naturæ non gubernavit homines per specialem aliquam legem determinatam, sed medio instinctu interiori; conveniens etiam fuit, quod Deus in tali statu non determinaverit immediate materias sacramentorum ; ne daretur major ex parte horum, quam ex parte legis determinatio. Et sic relinquebatur hominum arbitrio secundum internum instinctum determinare res, quibus utebantur in sacramentis.

tis. Per quod etiam solvitur difficultatis augmentum : quoniam modus determinationis rerum pertinentium ad sacramenta magis sequitur modum legis, et religionis, quarum ipsa sacramenta sunt protestationes, et velut partes, quam modum, quo passive gratia producitur. Quare quia in uno statu fuit lex determinata, non autem in altero ; oportuit, quod res sacramentorum fuerunt determinatæ in uno, secus in alio.

ARTICULUS VI.

Utrum insignificatione Sacramentorum requirantur verba ?

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod in significatione sacramentorum non requirantur verba. Dicit enim August. contra Faustum lib. 17 : Quid sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quasi quædam verba visibilia? Et sic videtur, quod addere verba rebus sensibilibus in sacramentis, sit addere verba verbis. Sed hoc est superfluum. Non ergo requiruntur verba cum rebus sensibilibus in sacramentis.

Præterea : sacramentum est aliquid unum. Ex his autem quæ sunt diversorum generum, non videtur posse aliquid unum fieri. Cum igitur res sensibiles, et verba sint diversorum generum (quia res sensibiles sunt a natura, verba autem a ratione), videtur, quod in sacramentis non requirantur verba cum rebus sensibilibus.

Præterea : sacramenta novæ legis successerunt sacramentis veteris legis; quia illis ablatis ista sunt instituta, ut August. dicit 10, contra Faustum. Sed in sacramentis veteris legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in sacramentis novæ legis.

Sed contra est, quod Apost. dicit Ephes. 4: Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Et August. dicit super Joann. Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.

Respondeo dicendum, quod sacramenta (sicut dictum est) adhibentur ad hominum sanctificationem sicut quædam signa. Tripliciter ergo considerari possunt : et quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adjungantur. Primo enim possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei sensibili Verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. Secundo possunt considerari sacramenta ex parte hominis, qui sanctificatur, qui componitur ex anima, et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Unde August. dicit super illud Joann. 15 : Jam vos mundi estis propter sermonem, etc. Unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Tertio possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem Augustin. in 2, de Doctrina Christiana, quod verba inter homines obtinuerunt principatum significandi : quia verba diversimode formare possunt ad significandos diversos conceptus mentis : et propter hoc per verba, magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium, per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest, et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur: Ego te baptizo, manifestatur, quod aqua utimur in baptismo, ad significandam emundationem spiritualem.

Ad primum ergo dicendum, quod res visibiles sacramentorum dicuntur verba per quandam similitudinem, in quantum scilicet participant quandam vimsignificandi, quæ principaliter est in ipis verbis, ut dictum est. Et ideo non est superflua ingeminatio verborum, cum in sacramentis, rebus visibilibus verba adduntur : quia unum eorum determinatur per aliud ; ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod quamvis verba, et aliæ res sensibiles sint in diverso genere, quantum pertinet ad naturam rei, conveniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectius est in verbis, quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis, et rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma, et materia in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, ut dictum est. Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles : puta ablutio, inunctio, et alia hujusmodi : quia in his est eadem ratio significandi, et in rebus.

Ad tertium dicendum, quod (sicut Augustin. dicit lib. 19, contra Faustum) alia debent esse sacramenta rei præsentis, et alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris legis, prænuntia erant Christi venturi ; et ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta novæ legis, quæ ab ipso Christo effluunt, et quandam similitudinem ipsius in se habent : ut dictum est. Utebantur tamen in veteri lege aliquibus verbis, in his, quæ ad cultum Dei pertinent, tam Sacerdotes qui erant sacramentorum illorum ministri (secundum illud numer. sexto Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis, Benedicat tibi Dominus, etc.) quam etiam illi qui illis sacramentis utebantur : secundum illud Deuteron. 26: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, etc.

Prima conclusio. Ad significationis sacramentalis perfectionem necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur.

Secunda conclusio in resp. ad tertium. In Sacramentis legis scriptæ non fuit necessaria perfectio significationis Sacramentalis.

COMMENTARIUS.

1. A generali consideratione rationis communis sacramenti, quam in primis hujus quæstionis articulis præmiserat D. Thomas, paulatim descendit ad magis specialem eorum notitiam secundum diversos status, ut satis liquet ex art. præced. Et quidem si ea, quæ in præsenti tradit, superficie tenus acciperentur, viderentur etiam esse communia. Sed conferendo doctrinam corporis cum responsione ad tertium ; liquido apparet, quod in eis statuerit conclusiones a nobis deductas, quæ sacramenta respiciunt secundum diversos status. Probat itaque in corp. artic. pertinere ad perfectionem significationis sacramentalis, quod sacramenta constent non solum rebus, sed etiam verbis. Idque congruentissime demonstrat attendendo ad singula, quæ in sacramentis occurrunt. Nam si attendamus ad eorum causam, est plane Verbum incarnatum : unde ut sacramenta perfectius conformentur suæ causæ, oportet, quod constent re sensibili, et verbo : sic enim magis assimilantur verbo in as-

Mens D. Thom. in præsenti.

Verba sunt de perfectione significationis sacramentalis.

sumpta carne. Si vero attendamus ad subjectum susceptivum sacramenti, est quidem homo compositus ex corpore, et anima: quocirca ut illi magis proportionetur medicina, congruit sacramentum componi re sensibili, et verbo, ut scilicet per sensibilem rem tangat corpus, et per invisibilem verbi virtutem sanet animam. Denique si attendamus ad sacramentorum significationem, profecto hujus perfectio multum crescit ex verbo rei sensibili adjuncto: quia nihil significat expressius, quam verbum, quod proinde aptum est ad perficiendum, et determinandum rerum significationem. Ergo attentis his omnibus, fateri oportet, quod ad perfectionem significationis sacramentalis pertinet, ut res sensibiles per aliqua verba ipsis adjuncta determinentur.

Verba non pertinebant ad sacramenta legis scriptæ.

2. Et hæc videntur in communi dicta a S. Doctore. Sed ex eorum processu, et multo evidentius ex doctrina, qua respondet ad 3, satis perspicue colligitur verba pertinere ad sacramenta legis gratiæ, sed non pertinuisse ad sacramenta legis scriptæ. Et quia priorem hujus resolutionis partem ex professo ostendemus disp. sequenti, quæ ad sacramenta nostra specialiter spectabit; propterea in ea modo suadenda non immorabimur, curantes præcise secundam partem, sive exclusionem (ne deinceps ea implicemur), suadere tum in se, tum ad mentem D. Thomæ. Probatur igitur explicando discursum S. Doctoris: quoniam illud quod maxime perficit sacramenta in propria significandi ratione, non est attribuendum, nisi sacramentis maxime perfectis: sed sacramenta legis scriptæ non fuerunt maxime perfecta; sicut nec status illius legis fuit maxime perfectus: ergo sacramenta legis scriptæ non fuerunt determinata per verba, sed constabant præcise rebus sensibilibus. Explicatur amplius: nam significatio per verba est omnium clarissima juxta illud D. Augustini lib. 2, *de doctr. Christ.* cap. 3: *Verba inter omnia signa principatum obtinent.* Constat autem significationem antiquorum sacramentorum non fuisse clarissimam, sed potius obscuram: in quo sensu illa sacramenta, quamvis vera fuerint, dicuntur umbræ, et figuræ, ut colligitur ex Apost. *ad Hebr.* 10. Ergo significatio sacramentorum antiquorum non fuit perfecta per verba, sed præcise fiebat per res sensibiles. Unde S. Doct. in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 3, in corp. ait: « Commune est omnibus sacramentis, quod « consistant in rebus sensibilibus gratiam « invisibilem significantibus: speciale autem est in sacramentis novæ legis, quod « rebus verba addantur. »

(margin: D. Aug. — D. Tho.)

Quæ resolutio amplius confirmari potest ab auctoritate tam positiva, quam negativa. Positive quidem: nam Concilium Florentinum in decreto unionis tanquam quid proprium, et speciale sacramentorum novæ legis adstruit, quod perficiuntur ex rebus, et verbis: ergo hæc perfectio aliis aliorum statuum sacramentis minime attribuenda est. Et sic plane supponit Catechis Romanus in cap. *de sacramentis in genere.* Negative autem, sed satis efficaciter: quia ubi Scriptura agit de præcipuis ritibus, et cæremoniis antiquorum sacramentorum, ut cum loquitur de Circumcisione *Gen.* 17, de Agno paschali Exod. 12, et de ordinatione Sacerdotali Exod. 28, nullam mentionem facit verborum, quibus hæc sacramenta perficerentur: quam tamen non omitteret, si vere illis constassent. Et quod aliquando antiqui adhibuerint aliqua verba; non probat hæc fuisse formam, vel partem sacramentorum illorum. Tum quia illa verba solum erant quædam deprecationes: tum quia etiam adhibebantur in aliis ritibus, qui sacramenta non erant, ut optime significat D. Thom. in resp. ad 3, ait: « Utebantur tamen in veteri lege ali- « quibus verbis in his, quæ ad cultum Dei « pertinent, tam Sacerdotes, qui erant illo- « rum sacramentorum ministri (secundum « illud Num. 6, sic benedicetis filiis Israel, « et dicetis, Benedicat tibi Dominus etc.) « quam etiam illi, qui illis sacramentis « utebantur secundum illud Deuter. 26: « Profiteor hodie coram Domino Deo tuo « etc. » Per quæ significat talia verba non pertinuisse ad integritatem significationis in antiquis sacramentis; sed ordinata fuisse ad Dei cultum, et suscipientium instructionem: sicut etiam modo contingit in pluribus verbis, quæ non pertinent ad essentiam, vel integritatem nostrorum sacramentorum, sed deserviunt per modum introductionis, aut doctrinæ. Et sic cum D. Thoma sentiunt communiter Theologi tam antiqui, quam moderni, quos superfluum foret referre. Videantur Alensis 4, part. quæst. 1, memb. 4, et quodlib. 1, memb. 3. Cano *in relect. de sacrament.* part 1, fundament.

(margin: Concil. Florent. — Catech. Roman. — D. Tho. — Alensis. — Cano)

dament. 2. Alanus *de sacramentis in genere* cap. 16, et 18. Bellarminus lib. 1, *de sacramentis* cap. 18, et alii.

3. Durandus autem in 4, dist. 1, quæst. 3, sentit communem hanc assertionem non esse universaliter veram: nam ab ea excipit sacramentum Zelotipiæ, de quo Num. 5, sentiens habuisse certa, et præscripta verba, quibus fieret. Et Durandi sententiam possumus alio exemplo promovere : quia ubi Levit. 5, agitur de sacrificio pro peccato, quod simul fuit sacramentum, ut tradit D. Thom. 1, 2, quæst. 102, art 1, præscribuntur verba : quippe dicitur: *Et orabit Sacerdos pro eis, pro peccatis eorum, et dimittentur ab eis.* Quæ non multum distare videntur ab eis, quibus Jacobi 5, traditur modus ministrandi sacramentum Extremæ unctionis.

Sed hæc parum urgent : nam ad motivum Durandi respondetur cum Soto in 4, distinct. 1, quæst, 1, articul. 6 ad 3, negando cæremoniam Zelotipiæ fuisse verum sacramentum : non enim ordinabatur ad significandum suo usu rem sacram ut actu sanctificantem ; sed ad investigandum adulterium. Quare licet concedamus, quod Sacerdos in ea cæremonia uteretur certis aliquibus verbis in expurgatione mulieris, quam, si in culpa non erat, benedicebat ; sin autem in culpa, maledicebat : non propterea infertur aliquod antiquorum sacramentorum constasse verbis: quia in toto illo ritu nullum sacramentum peragebatur. Ad aliud motivum admittimus sacrificium illud fuisse verum sacramentum. Sed tamen verba illa, quæ inter sacrificandum dicebantur a sacerdote, non pertinebant ad sacramenti essentiam, sed deserviebant, ut facilius impetraretur a Deo venia pro peccatis. Idque non obscure colligitur ex eo, quod, ut recte expendit Bellarminus loco citato, in prædicto capite fit mentio tam sacrificii pro peccatis Sacerdotis, quam sacrificii pro peccatis aliorum. Et tamen in sacrificio pro peccatis Sacerdotis, nulla præscribuntur verba, nulla insinuatur orationis formula, sicut in sacrificio pro peccatis populi. Ea autem, quæ ad sacramentorum, aut sacrificiorum essentiam pertinebant, erant omnibus communia, sicut ipsa sacramenta, et sacrificia. Signum igitur est verba illa deprecatoria non pertinuisse ad essentiam illius sacrificii, et sacramenti ; sed deservisse ad impetrationem veniæ. Sicut modo etiam in aliquibus novæ legis sacramentis solent adhiberi aliqua verba, quæ non spectant ad sacramentorum essentiam, sed recitantur tum ad impetrationem divinæ misericordiæ, tum ad instructionem suscipientium.

ARTICULUS VII.

Utrum in Sacramentis requirantur determinata verba.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod non requirantur determinata verba in sacramentis. Ut enim Philosophus dicit: voces non sunt eædem apud omnes. Sed salus quæ per sacramenta quæritur, est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis.

Præterea : verba requiruntur in sacramentis in quantum sunt principaliter significativa ; sicut dictum est. Sed contingit per diversa verba idem significari. Ergo non requiruntur determinata verba in sacramentis.

Præterea : corruptio cujuslibet rei variat ejus speciem. Sed quidam corrupte verba proferunt, nec tamen propter hoc creditur sacramentorum effectus impediri : alioquin illiterati, et balbi qui ista sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur, quod non requirantur in sacramentis determinata verba.

Sed contra est, quod Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiæ, dicens Matth. 26 : Hoc est corpus meum. Similiter etiam mandavit discipulis, ut sub determinata forma verborum baptizarent, dicens Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est), in sacramentis verba se habent per modum formæ ; res autem sensibiles per modum materiæ. In omnibus autem compositis ex materia, et forma, principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis, et terminus materiæ : et ideo principalius requiritur ad esse rei, determinata forma, quam determinata materia : materia enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinatæ formæ. Cum igitur in sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustin. dicit super Joann. Verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur ; id est, non secundum exteriorem sonum vocis : sed quia creditur, id est secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eædem voces sint quantum ad sonum. Et ideo cujuscumque linguæ verbis proferatur talis sensus perficitur sacramentum.

Ad secundum dicendum, quod licet in qualibet lingua contingat diversis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est, qua principalius, et communius homines illius linguæ utuntur ad hoc significandum : et talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti, cujus usus est communior ad actum, per quem sacramenti effectus significatur : sicut aqua communius utuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur ; et ideo aqua assumitur, ut materia in baptismo.

Ad tertium dicendum, quod ille, qui corrupte profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia : et ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore, vel lapsu linguæ, si sit tanta corruptio, quæ omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum. Et hoc præcipue contingit, quando fit corruptio ex parte principii dictionis ; puta, si loco ejus, quod est In nomine Patris, dicat : In nomine Matris. Si vero non totaliter auferatur sensus locutionis per hujusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc præcipue contingit, quando fit corruptio ex parte finis ; puta, si aliquis dicat : In nomine

Patrias, et Filias. Quamvis enim hujusmodi verba corrupte prolata, nihil significent ex virtute impositionis; accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus. Et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium, vel finem dictionis, rationem habet; quia apud nos variatio dictionis ex parte principii, mutat significationem; variatio autem ex parte finis dictionis, ut plurimum non mutat significationem; quæ tamen apud Græcos variatur etiam secundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis; quia ex utraque parte potest esse tam parva, quod non aufert sensum verborum; et tam magna, quod aufert; sed unum horum facilius accipit ex parte principii, et aliud ex parte finis.

Conclusio. In sacramentis requiritur determinata verborum forma.

Mens et ordo. D. Thomæ. Quamvis D. Thomas videatur in communi loqui; tamen ejus resolutio ad omnia, et sola novæ legis sacramenta restringenda est: nam cum in *artic. immediate præcedenti*, docuerit compositionem ex verbis non pertinuisse ad sacramenta antiqua, sed ad nostra præcise sacramenta; in eodem sensu accipienda sunt, quæ deinceps proponit circa determinationem verborum. quin opus fuerit in subsequentibus hujus quæstionis difficultatibus nomen novorum sacramentorum repetere. Cœpit enim de illis disputare *ab artic.* 6, ut bene observat Vazq. *in præsenti* Vasquez, et alii. Conclusio autem procedit in eodem sensu, ac resolutio proposita *artic.* 5. Nam sicut juxta naturam sacramentorum est, quod Deus illorum institutor determinet res, in quibus consistunt: sic etiam decet, quod Deus determinaverit verba, quibus aliqua sacramenta, nostra scilicet, perficiuntur. Idque a fortiori: quoniam cum res, et verba ad constituendum sacramenta concurrunt, ita comparantur, quod res habent rationem materiæ, et verba rationem formæ, ob expressiorem scilicet istorum significationem: sed forma debet esse magis determinata, quam materia; siquidem forma se habet per modum finis, et termini, in ordine ad quem debet materia proportionari: ergo si res sensibiles, in quibus consistunt sacramenta, debent determinari a Do, ut dictum est *artic.* 5, sequitur, quod multo magis requiratur determinatio ex parte verborum. Alias assertiones insinuat S. Doctor *in hoc articulo:* sed tam principalis, quam cæterarum examen reservamus disputationi sequenti.

ARTICULUS VIII.

Utrum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma Sacramentorum?

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod nihil liceat addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum. Non enim minoris sunt necessitatis hujusmodi verba sacramentalia, quam verba sacræ Scripturæ. Sed verbis sacræ Scripturæ nihil licet addere vel minuere. Dicitur enim Deuteron. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Et Apoc. ult. Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus; si quis apposuerit ad hæc apponet super eum Deus plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. Ergo videtur, quod neque in formis sacramentorum liceat aliquid addere, vel minuere.

Prætetea: verba se habent in sacramentis per modum formæ, ut dictum est. Sed in formis quælibet additio vel subtractio variat speciem, sicut et in numeris, ut dicitur 8 Metaph. Ergo videtur quod si aliquid additur, vel subtrahatur a forma sacramenti, non erit idem sacramentum.

Præterea: sicut ad formam sacramenti requiritur determinatus numerus dictionum; ita etiam requiritur determinatus ordo verborum, et etiam orationis continuitas. Si ergo additio, vel subtractio non aufert sacramenti veritatem, videtur quod pari ratione nec transpositio verborum, aut etiam interpolatio pronunciationis.

Sed contra est, quod in formis sacramentorum quædam apponuntur a quibusdam, quæ ab aliis non apponuntur: sicut Latini baptizant sub hac forma: Ego te baptizo: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Græci autem sub ista, Baptizetur servus Christi N. in nomine Patris, etc. Et tamen utrique verum conferunt sacramentum. Ergo in formis sacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

Respondeo dicendum, quod circa omnes istas mutationes, quæ possunt in formis sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda. Unum quidem ex parte ejus qui profert verba, cujus intentio requiritur ad sacramentum, ut infra dicetur. Et ideo si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Ecclesia. Aliud autem est considerandum ex parte significationis verborum. Cum enim verba operentur in sacramentis, quantum ad sensum, quem faciunt (ut supra dictum est), oportet considerare utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia sic manifestum est, quod tollitur veritas sacramenti. Manifestum est autem quod si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: et ideo non perficitur sacramentum. Unde Dydim. dicit in libro de Spiritu Sancto: Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat (scilicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti) sine perfectione baptizabit. Si autem subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formæ; talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, et per consequens nec sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ, quæ est: Hoc est enim Corpus meum. Ly, enim, sublatum non tollit debitum sensum verborum; et ideo non impedit perfectionem sacramenti: quamvis possit contingere, quod ille qui prætermittit, peccet ex negligentia vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus: puta, si aliquis dicat. Ergo te baptizo, in nomine Patris majoris, et filii minoris, sicut Arriani baptizabant. Et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti. Si vero sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio, medio, vel fine: ut si aliquis dicat: Ego te baptizo, in nomine Dei Patris omnipotentis, Et Filii ejus unigeniti, et Spiritus Sancti paracliti: erit verum baptisma. Et similiter si quis dicat: Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et beata virgo te adjuvet: erit verum baptisma. Forte autem si diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatæ Virginis Mariæ, non esset baptismus; quia dicitur 1, ad Corinth 1: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Sed hoc verum est, si sic intelligatur. in nomine Beatæ Virginis bap-

tizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur; talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, et per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur quod additur (et in nomine Beatæ Virginis) non quasi nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem; non tollitur perfectio sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod ad verba sacræ Scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad sensum, sed quantum ad expositionem sacræ Scripturæ, multa eis verba a doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba sacræ Scripturæ apponere, ita quod dicantur esse de integritate sacræ Scripturæ: quia hoc esset vitium falsitatis. Et similiter si quis diceret aliquid esse de necessitate formæ, quod non est.

Ad secundum dicendum, quod verba pertinent ad formam sacramenti, ratione sensus significati. Et ideo quæcumque fiat additio, vel subtractio verborum, quæ non addat aliquid, aut subtrahat debito sensui; non tollitur species sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod si sit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti, et per consequens veritas ejus: non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ intentionem proferentis, et intellectum verborum non aufert. Et idem etiam dicendum de transpositione verborum: quia si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum, sicut patet de negatione præposita, vel postposita signo. Si autem sit talis transpositio, quæ sensum locutionis non variet, non tollitur veritas sacramenti; quia secundum quod Philosophus dicit nomina, et verba transposita idem significant.

Prima conclusio. Si ex parte ejus, qui addit, vel diminuit verba, sit intentio inducendi ritum non receptum ad Ecclesia, non videtur perfici Sacramentum.

Secunda conclusio. Si per additionem, vel diminutionem verborum varietur sensus intentus in forma Sacramenti, non conficitur Sacramentum: sed si non tollatur sensus ille, validum erit Sacramentum.

Tertia conclusio in resp. ad tertium. Si interruptio verborum sit tanta, quod tollatur sensus verborum, non conficitur Sacramentum: si vero non sit tanta, conficitur. Et idem dicendum de verborum transpositione.

DISPUTATIO II.

De materia, et forma Sacramentorum.

In disputatione præcedenti egimus de essentia sacramenti in consideratione metaphysica, investigantes, statuentesque ejus genus, et differentiam, ex quibus rei species constitutur. Modo autem agendum est de illius partibus quasi physicis; sicut enim res physicæ componuntur ex materia, et forma: sic etiam aliqua sacramenta suo modo ex eisdem constant. Sed ut ab universalioribus incipiamus, prius investigare oportet

DUBIUM I.

Utrum sacramenta novæ legis constent rebus, et verbis.

Ad hæc determinate sacramenta dubium restringimus, quod alias posset universa lius versari cum extensione ad cuncta sacramenta. Sed ita proponimus, ne obligemur actum agere absque necessitate, et non sine lectoris fastidio. Nam quod sacramenta antiqua habuerint res, sive materias sensibiles, liquido constat ex dictis disp. præced. per totam, adjuncto Commentario ad artic. 4; quod vero non fuerint perfecta per verba significationem rerum determinantia, patet ex dictis in observatione ad art. 6. Unde difficultas revocatur ad sola novæ legis sacramenta. Et idem nobis continget in aliis, quæ derivantur ex illa. Quamvis enim titulus disputationis videatur campum communem aperire pro omnibus sacramentis, et sic exigebat optima methodus, ut ab universalioribus ad magis specialia progrederemur: ipsa tamen rei disputandæ materia nos trahit ad subjectum determinatum, sacramenta scilicet novæ legis: quippe in aliis non fuit compositio physica ex materia, et forma; sive ex rebus, et verbis. Ad rem igitur descendendo.

§ I.

Communis doctrina explicatur, et defenditur.

1. Dicendum est primo omnia sacramenta novæ legis constare rebus. Hæc asserttio, quæ communis est inter Theologos, satis patebat ex doctrina generaliter tradita, *in Comment.* ad artic. 4, et 5. Sed insuper probatur magis specialiter. Et primo auctoritate Concilii Florentini in decreto unionis, ubi relatis in particulari septem Ecclesiæ sacramentis subdit: « Hæc omnia « sacramenta tribus perficiuntur, rebus « tanquam materia, verbis tanquam forma, « et persona ministri conficientis sacra- « mentum, etc. » Conclusio. 1. Fundamentum. Concil. Florent.

Probatur secundo inductione facta in omnibus hujusmodi sacramentis: nam de baptismo liquet ex Scriptura, quod constat aqua, et ablutione, juxta illud Joann. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Et ad Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ etc.* Eucharistia constat pane, et vino, aut potius horum speciebus, ut patet Matth. 26, Luc. 22, et 1, ad Corinth. 11. Extrema unctio constat oleo, et unctione, juxta illud Jacob. 5: *Ungentes eum oleo.* Idem etiam liquet in aliis sacramentis: nam quamvis in Scrip- Aliud motivum. Joan. 3. Ad Eph. 5. Matt. 26 Jacobi 1.

tura non habeamus expressas omnes res, quibus componuntur; nihilominus id certo constat ex Apostolorum traditione, sive ex verbo Dei nobis per Apostolos tradito. Sicut quod sacramentum confirmationis constet oleo balsamo mixto, et ab Episcopo consecrato, docent ex Apostolica traditione

Fabian. Papa. Concil. Brachar. D. Dion.

Fabianus 1, epist. 2, *ad omnes Episcopos orientales* cap. 1, et Concilium Bracharense secundum can. 4. Unde D. Dionysius cap. 1, *de Ecclesiast. Hierarch.* inquit : *Primi Duces Sacerdotalis muneris visibilibus signis cœlestia sacramenta texuerunt, et partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.* Et D. Augustin. epist. 119, cap. 7, ait : « Ad rem sacrate significandam similitudines aptas religiosa devotione suscipimus, de vento, de mari, de terra, de volatibilibus, de piscibus, de pecoribus, ut de ove, serpente, agno, ariete, vitulo, de arboribus, de hominibus : ad sermonem quidem multipliciter. Cæterum ad celebrationem sacramentorum jam Christiana libertate parcissime, sicut de aqua, de frumento, de vino, de oleo. »

D. Aug.

Alterum motivum.

Tertio probatur ratione Theologica desumpa ex dictis disp. præced. per totam : nam de ratione veri sacramenti a Deo hactenus instituti est constare re aliqua sensibili : ergo cum sacramenta novæ legis sint perfectissima omnium sacramentorum, quæ hactenus Deus instituit ; sequitur, quod constent rebus. Probatur antecedens : quia verum sacramentum hactenus a Deo institutum collocatur in genere signi ad placitum pro hominibus ; hujusmodi autem signum necessario consistit in aliqua re sensibili, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire : ergo de ratione veri sacramenti hactenus a Deo instituti est constare aliqua re sensibili. Confirmatur : quia Deus sacramenta instituit, ut per ea duceremur in notitiam gratiæ sanctificantis, atque invisibilis, quæ in eorum applicatione producitur : sed connaturalis modus, quem in cognoscendo habemus, consistit in eo, quod per sensibilia manuducamur in notitiam rerum spiritualium, sive invisibilium : ergo Deus qui in instituendo nostra sacramenta attendit ad modum cognoscendi nobis connaturalem, instituit sacramenta novæ legis in rebus aliquibus sensibilibus : atque ideo sacramenta nostra constant prædictis rebus. In qua veritate

Confirmatio.

suadenda non amplius immoramur, quia satis constat ex dictis *in Comment.* ad art. 4, quæ lector potest recolere.

Secunda conclusio.

2. Dicendum est secundo omnia sacramenta novæ legis constare verbis. Hæc assertio, quam docent communiter Theologi, probatur primo auctoritate Concilii Florentini num. præced. relata. Probatur secundo inductione facta per omnia sacramenta : nam Baptismus constat ex verbis, quæ Christus proposuit Matth. 28 : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Eucharistia constat illis verbis, quæ referuntur Matth. 26, Marc. 14, Luc. 22, 1, ad Corinth. 11 : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Extrema unctio constat verbis deprecatoriis : ut manifeste colligitur ex Jocobi 5 : *Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo etc.* Confirmationem etiam constare aliquibus verbis, aperte sumitur ex cap. 8 Act. ubi de Apostolis dicitur, quod imponentes manus super quosdam baptizatos, *simul orabant, ut acciperent Spiritum Sanctum.* Et idem ostendi potest discurrendo per reliqua sacramenta : nam constare aliquibus verbis innotescit nobis, si non evidenter ex verbo scripto, saltem ex verbo tradito per Apostolos, et Patres ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus. Unde D. Chrysost. homil. 85, *in Joann.* agens de sacramento pœnitentiæ affirmat : *Spiritum Sanctum, cujus est solius remittere peccata, uti ad absolutionem pœnitentis non solum manu, sed et lingua Sacerdotis.* Et D. Ambrosius exponens illud 1, ad Timoth. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione etc.* ubi sermo fit de Ordinis Sacramento, subdit : *Manus impositiones verba sunt mystica, quibus accipit auctoritatem Sacerdos, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.* Matrimonium autem, cum pro materiali sit quidam contractus, manifestum est petere verba, quibus contrahentium consensus explicetur. Unde Alexander Tertius in cap *Licet, de sponsa duorum,* inquit : « Oportet, ut uterque conjugum in suo mutuo consensu verbis, aut aliis signis » (quæ quantum ad hoc sacramentum sunt æquivalenter verba), « alterum recipiat. » Denique ob hanc generalem exigentiam verborum ad esse sacramentorum novæ legis, sententia illa D. Augustin. tract. 80, *in Joann.* *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum,* (quam

Fundamentum.

Matth. 28.

1. ad Corinth. 11.

Jacob. 5.

Act. 8.

D. Chr.

D. Am.

Alex. Papa.

D. Au.

(quam protulit specialiter propter baptismum, ut ex textu liquet), generaliter postea traducta est ad omnia novæ legis sacramenta, ut refertur in cap. *Non ut oppones, de Baptismo.*

Congruentiae pro eadem veritate. Quamvis autem principale hujus veritatis fundamentum consistat in voluntate Dei, quem ita disposuisse constat nobis ex Scriptura, et traditione; nihilominus ut sic Deus statuerit, plures possunt afferri congruentiæ rationes. Prima quidem, cum sacramentum sit in genere signi, et sacramenta novæ legis sint omnium perfectissima: oportebat illud in eis adhiberi, quod perfectius significat: sed verba inter omnia signa obtinent principatum significandi, ut docet D. Augustin. lib. 2, *de Doctrina Christiana*, cap. 3; oportuit igitur, quod sacramenta novæ legis verbis constarent. (Aug.) Secunda, quia sicut ab initio temporis omnia condita sunt verbo Dei, juxta illud Ps. 32: *Verbo Domini Cœli firmati sunt;* (Ps. 32.) sic decebat cuncta in fine temporis reparari: sacramenta autem novæ legis sunt instrumenta reparationis humanæ in fine temporis: ergo decuit, quod constarent verbo Dei: et consequenter consistunt non tantum in rebus, sed etiam in verbis ex institutione divina. Tertia, quia sacramenta sunt medicamenta quædam supernaturalia; quocirca proportionari, quantum fieri potuit, debuerunt tam medico curanti, quam infirmo sanando: medicus autem, nempe Christus, constat verbo, et carne; et similiter infirmus, nempe homo, constat corpore, et anima: ergo conveniens fuit, quod sacramenta nostra constarent rebus, et verbis, ut per res correspondeant carni Christi, et corpori hominis, et per verba correspondeant Dei Verbo, et hominis spiritui. Unde D. Thom. ad medicum attendens dixit in quodam hymno festivitatis corporis Christi: *Verbum caro, panem verum verbo carnem efficit.* (D. Tho.) Et P. N. D. Cyrillus considerans conditionem infirmi dixit lib. 2, *in Joann.* cap. 42: *Cum non simplex, sed compositus ex corpore sensibili, et intellectuali anima homo sit, duplici quodam ad generationem indiget modo, qui duplicitate sua ad utrumque possit accommodari: Spiritu enim Sancto Spiritus hominis; aqua vero corpus sanctificatur.* (Cyril.) Ubi Spiritus Sancti vocabulo comprehendit verba, quibus nostra sacramenta ex Dei institutione perficiuntur, juxta celebrem illam sententiam D. August. tract, 80, *in Joann. Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo?* Alias hujus divinæ dispositionis congruentias expendunt D. Augustinus lib. 19, *contra Faustum.* (D. Aug.) Magister Sent. in 4, in proœm. et disp. 1, § *Ordine congruo.* (Magist.) D. Thom. ibi quæst. 1, art 3. (D. Tho.) Alensis 4, part. *summæ* quæst. 1, memb. 4, et alii. (Alensis.) Recolantur supra dicta art. 6.

Tertia conclusio. 3. Dicendum est tertio res, et verba, quibus sacramenta novæ legis constare diximus, non ita stricte accipi debere, ut semper res distinguantur contra verba, et verba distinguantur contra res; sed accipi debere regulariter, et ut in plurimum: quatenus regulariter loquendo res in sacramentis sunt aliqua entia, quæ habent alium usum, et finem præter significationem; et verba sunt voces impositæ ad significandum. Cæterum essentialiter loquendo rerum nomine in sacramentis comprehenduntur omnia illa, quæ non habent ultimam determinationem ad significandum sacramentaliter, sed sunt per aliquid aliud ulterius determinabilia; sicut etiam verborum nomine comprehenduntur omnia illa, quæ ultimo determinant ad significandum sacramentaliter, sive sint verba formaliter talia, ut voces impositæ ad significandum, sive sint talia virtualiter, ut Scriptura, nutus, et alia hujusmodi. Hanc assertionem docent communiter Theologi hujus temporis contra Durandum infra referendum. Videantur Joann. a S. Thom. disp. 22, art. 6, dub. 1, (Joan. a S. Tho.) Arauxo in præs. dub. 2, concl. 2. (Arauxo.) Nugnus in hac quæst. art. 6, difficult. 1 ad 1. (Nugnus.) Serra art. 6, dub. unico ad 3. (Serra.) Prado dub. 9, a num. 16. (Prado.) Suarez disp. 2, sect. 1 ad 1, (Suarez.) Dicastillo disput. 1, dub. 4, a num. 31, et alii. (Dicast.)

Ratio fundamentalis. Probatur conclusio per solam ejus explicationem quoad omnes partes: etenim regulariter, et ut in plurimum sacramenta constant rebus, quæ vere res sunt distinctæ contra verba, ut patet in baptismo, confirmatione, Eucharistia, extrema unctione, et ordine, sive attendamus ad materiam remotam, sive ad proximam: constant enim aqua, pane, oleo, calice, et similiter ablutione, unctione, traditione, et similibus, quæ contra verba distinguuntur. Similiter sacramenta regulariter, ut in plurimum constant verbis formaliter sumptis, et ut distinguuntur contra verba, ut patet in omnibus sacramentis relatis, et etiam in

pœnitentia : perficiuntur quippe dicendo : *Ego te baptizo, te confirmo, te absolvo, Hoc est corpus meum, etc.* Sed tamen licet hoc ita se habeat ; nihilominus non est essentiale omnibus, et singulis perfici rebus, et verbis sumptis in hac omnimoda proprietate : fieri namque absolute valet, quod verba requisita in aliquo sacramento non sint verba formaliter sumpta, sed sufficiant verba virtualiter accepta, ut patet in matrimonio, quod perfici valet scriptura, nutibus, aut aliis signis, quæ licet sint quædam res, vocantur virtualiter verba. Similiter absolute valet, quod in aliquo sacramento non requirantur res in rigore sermonis, sed sufficiant verba, quæ sint æquivalenter res in sensu statim magis delarando, ut patet in eodem sacramento matrimonii, quod supposito interno consensu potest perfici solis verbis ex parte utriusque contrahentis. Similiter in sacramento pœnitentiæ contingere valet : nam absolutio consistit in verbis, confessio fieri valet verbo, et materia remota possunt esse sola peccata oris. Ergo regulariter, et ut in plurimum concurrunt in sacramentis novæ legis res, et verba stricte sumpta, et quatenus condistincta : cæterum essentialiter loquendo, et cum distributione ad omnia sacramenta id essentiale non est; sed sufficiunt res, et verba cum minori distinctione, et proprietate, ut statim exponemus. Desumiturque totus hic discursus ex Concilio Florentino loco supra citato : nam postquam generaliter statuit (sicut et nos in præcedentibus assertionibus), sacramenta constare rebus, et verbis, quasi temperans generalem doctrinam, et descendens ad sacramentum matrimonii addidit perfici *regulariter* consensu contrahentium per verba de præsenti expresso : ubi per ly *regulariter* satis significavit posse aliud contingere absolute, et essentialiter, nempe consensum exprimi, et sacramentum perfici per nutus, aut res, quæ sint verba non formaliter, sed tantum æquivalenter : atque assertionem generalem sic accipiendam esse saltem pro hoc sacramento.

Concil. Florent.

Nota.

4. Quando igitur Theologi innitentes tam decreto Concilii Florentini, quam aliis fundamentis pro utraque præcedenti assertione propositis, tam diserte, et universaliter affirmant omnia sacramenta novæ legis constare rebus, et verbis; oportet, quod rerum nomine intelligant quidquid agit officium rei in significando sacramentaliter, sive in se sit res, sive verbum ; et similiter quod verborum nomine intelligant quidquid exercet munus verbi in significando sacramentaliter, sive verbum in se sit, sive res. Porro quia significare multo magis convenit verbis, quam rebus ; siquidem verba ex primaria institutione sunt ad significandum imposita, quod non ita convenit rebus : propterea illa gerunt officium rei in significando sacramentaliter, quæ non important ultimam determinationem, et completionem ad significandum sacramentorum effectum, sed indigent ulteriori determinatione per aliud, quod præstet ultimum complementum : et similiter illa exercent officium *verbi* in significando sacramentaliter, quæ cum supponant aliquid aliud tanquam in sua significatione suspensum ob carentium ultimæ completionis, et determinationis illud ultimo determinant, et complent. Quare omnia determinabilia in significando sacramentaliter, dicuntur in hoc sensu *res*, quamvis entitative sint verba : et e converso omnia determinativa ad prædictam significationem, appellantur in hoc sensu *verba*, quamvis entitative sint res. Sic igitur accipienda est constitutio ex rebus, et verbis, quam generaliter pro omnibus novæ legis sacramentis adstruimus : quamvis regulariter, et ut in plurimum res sint proprie res distinctæ contra verba, et verba sint proprie verba distincta contra res.

Firmatur resolutio ex D. Tho.

Et hanc esse mentem D. Thom. non obscure colligitur ex his, quæ docet in præs. art. 6; nam si recte perpendantur, manifestant omnia ulterius determinabilia comprehendi nomine *rerum ;* sicut, et omnia ultimo determinantia comprehendi nomine verborum. In corp. art. ait : « Tertio possunt considerari sacramenta ex parte « ipsius significationis sacramentalis. Di« cit enim Augustin. in 2, de doctrina « Christiana, quod verba inter homines « obtinuerunt Principatum significandi : « quia verba diversimode formari possunt « ad significandum diversos conceptus « mentis. Et propter hoc per verba magis « distincte possumus exprimere, quod « mente concipimus. Et ideo ad perfectio« nem significationis sacramentalis neces« sarium fuit, quod significatio rerum « sensibilium per aliqua verba determi« naretur.

« naretur. Aqua enim significare potest, « et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter frigiditatem. « Sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifestatur quod aqua utitur in baptismo ad « significandum emundationem spiritualem. » Ubi, ut vides, distinctio rerum, et verborum in sacramentis stat in eo, quod res significant imperfecte, et dependenter ab ultima determinatione, quam verba complent. Quare si reperiantur verba in aliquo sacramento, quæ significent imperfecte, sive dependenter ab alia determinatione; talia verba habent ibidem officium *rei*, et debent inter res computari. Sicut e converso si reperiatur aliquid distinctum a verbis expressis, quod ultimo compleat, et determinet; istud geret formaliter munus *verbi*, atque inter verba conputandum erit. Quod magis adhuc colligitur ex his, quæ S. Doct. subjungit in resp. ad 1, his verbis : « Dicendum, quod res visibiles « sacramentorum dicuntur verba per « quandam similitudinem, in quantum « scilicet participant quandam vim signifi- « candi, quæ principaliter est in ipsis ver- « bis, ut dictum est. Et ideo non est super- « flua ingeminatio verborum, cum in « sacramentis rebus visibilibus verba ad- « duntur : quia unum eorum determina- « tur per aliud. » Ubi manifestum est, quod D. Thom. comprehendit nomine rerum omnia, quæ determinabilia sunt in significando; sicut nomine verborum omnia, quæ ultimo determinant. Et similiter in 4, distinct. 27, quæst. 1, artic. 2, quæstiunc. 1, in corp. ait : « Oportet, quod consensus « matrimonium faciens verbis exprima- « tur, ut expressio verborum se habeat ad « matrimonium, sicut ablutio exterior ad « baptismum. » Et hoc non obstante, inquit in resp. ad 2 : « Quamvis non possint « vota sua verbis, tales » (nempe muti contrahentes) « exprimere, possunt tamen « exprimere nutibus ; et tales nutus pro « verbis computantur. » Et ad 3, plus aliquid addit : « Oportet eos, qui conjungun- « tur, sic consentire, ut invicem se spon- « tanee recipiant : quod judicatur fieri, si « in desponsatione non contradicant. Unde « verba parentum computantur in casu « illo, ac si essent puellæ : sunt enim suf- « ficiens signum, quod sunt ejus, ex quo « non contradicit. » Quando ergo dicitur sacramenta nostra constare verbis, opus non est verborum nomine intelligi verba formalia, sed vel hæc, vel aliquid aliud, quod eorum vices gerat.

5. Ex quibus omnibus sequitur refellendum omnino esse Durandum in 4, distinct. 1, quæst. 3, num. 6, ubi ausus fuit negare sacramenta novæ legis constare rebus, et verbis : quia hæc duo, inquit ille, non semper reperiuntur formaliter in omnibus sacramentis. Et doctrinam proxime a nobis traditam impugnat num. 8, his verbis: « Quia cum dicitur sacramentum constare « rebus, et verbis ; res, et verba sunt duo « separata ; ita quod nec verba possunt « accipi pro rebus, nec res pro verbis, si « dictum illud debeat verificari. » Refellendus est, inquam, prorsus hic Auctor : nam quod sacramenta nostra constent rebus, et verbis, est propositio asserta in Concilio Florentino loco supra relato : quod vero res, et verba non debeant semper accipi in illo rigoroso sensu, quem intendit, et objicit Durandus, liquet ex proxime dictis, adjuncto communi Theologorum consensu. Quocirca sententia illius declinare non valet aliquam censuram, saltem temeritatis. Nec proderit dicere ipsum in re non dissentire, vel a Concilio, vel ab aliis Theologis : quia manifeste docet dari, distinguique debere in nostris sacramentis materiam, et formam : quæ duo coincidunt reipsa cum rebus, et verbis, quibus constare hujusmodi sacramenta affirmamus. Id porro non satisfacit ; quia temeritas est non solum recedere in re ab assertis Conciliorum, et Theologorum, sed etiam recedere in modo loquendi, illum, qui communis est, impugnando, præsertim in materia adeo gravi : Concilium autem Florentinum expresse affirmat nostra sacramenta constare rebus, et verbis, idque amplectitur communis Theologorum sententia : ergo temerarius est, qui hunc loquendi modum, deserit, contemnit, et oppugnat. Et hæc proferimus attendendo ad doctrinam : persona enim Durandi excusari magis valet, eo quod scripserit ante Concilium Florentinum, ut observant Fernandez, Prado, Gonet, et alii. Rejicitur Durand.

6. Diximus, et multoties inculcavimus regulariter loquendo, atque ut in plurimum requiri in sacramentis, quod res sint veræ res, et verba sint formaliter verba: nam re vera sic Deus instituit. Unde exceptio, aut limitatio adhibita, in ultima asser- Nota.

tione, quod res aliquando gerunt vices verborum, et verba vices rerum, solum habet locum in sacramentis pœnitentiæ, et matrimonii, in illo quidem quantum ad solum pœnitentem, et in matrimonio quantum ad utrumque contrahentium, ut supra declaravimus. Sed in aliis sacramentis requiruntur veræ res, et verba omnino formalia. Unde gravissime errarunt aliqui Auctores (quorum suppresso nomine meminerunt D. Bonaventura in 4, distinct. 3, prima parte distinct. art. 1, quæst. 2, et Soto ibi, dist. 3, quæst. unica, art. 5 ad 3) dum negaverunt necessitatem verborum, quæ voce proferrentur, sentientes sufficere verba mente concepta. Unde progressi sunt ad asserendum posse mutum valide baptizare, si adhibeat nutus loco verborum, quæ proferre non valet : sicut pœnitens, et contrahens matrimonium possunt uti nutibus pro verbis, et vera sacramenta conficere. Idque confirmabant : quoniam ubi non est auditus, frustra funditur sermo, ut dicitur Ecclesiastici 32; sed qui baptizatur, aliquando est surdus, qui nihil audit, aliquando infans, qui nihil intelligit : ergo in his casibus supervacaneum foret proferre verba vocalia, sed satis erit verba præscripta mente concipere.

'rronea aliquorum octrina.

Sed prædicti Auctores, quicumque fuerint, erraverunt, ut diximus, valde graviter : nam in sacramento baptismi requiri verba, vocalia, nempe, *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* (idem esse cum porportione de pluribus aliis sacramentis) est certa, et constans Ecclesiæ traditio. Unde D. August. lib. 3, *de Baptismo contra Donatistas* cap. 15, inquit : « Si Evangelicis « verbis in nomine Patris, et Filii, et Spi- « ritus Sancti Marcion baptismum conse- « crabat, integrum erat sacramentum. » E converso autem lib. 6, cap. 25, affirmat: « Deus adest verbis Evangelicis suis : sine « quibus baptismus Christi consecrari non « potest. » Et esse hanc veritatem adeo notoriam inter Christianos ita supponit, quod ibidem proferat : « Facilius inveniuntur « hæretici, qui omnino non baptizent, « quam qui non illis verbis baptizent. » Unde Alexander Tertius in cap. 1 *Evang. de baptismo*, diffinivit : « Si quis puerum « in aqua ter immergat in nomine Patris, « et Filii, et Spriritus Sancti, non autem « proferat illa verba, Ego te baptizo, sa- « cramentum non perficit. » Confirmatio autem, qua illi Auctores suum errorem fulciebant, nullius roboris est : quoniam verba, quibus constant sacramenta, non sunt concionatoria, sed consecratoria, sive efficientia id, quod significant : unde nihil refert, quod baptizandus sit surdus, aut infans : operantur enim suum effectum independenter ab illorum perceptione, aut attentione. Ecclesiasticus vero in sententia relata agit de sermone concionatorio, aut persuasivo, qui fustra proinde fieret ad non audientem. Porro exemplum aliorum duorum sacramentorum, pœnitentiæ scilicet, et matrimonii nihil valet. Tum quia circa ista duo adest opposita, et certa traditio, constans ex ipso Ecclesiæ usu. Tum etiam quia confessio sacramentalis fit per modum accusationis, matrimonium etiam pro materiali est quidam contractus : cum autem accusatio, et contractus fieri queant non solum verbis formalibus, sed etiam aliis signis, aut rebus, quæ verbis formalibus æquivaleant ; hinc est, quod prædicta duo sacramenta non petant essentialiter determinate ab hac parte verba formalia, sed possunt aliter fieri. Quod motivum non occurrit in aliis quinque sacramentis, ut facile consideranti constabit. In quo amplius non immoramur, quia commodius id ostendetur, ubi consideratio de singulis sacramentis in particulari occurret.

Refellitur. — D. Aug. — Alex. Tertius.

§ II.

Diluuntur argumenta contraria.

7. Adversus doctrinam in præcedentibus assertionibus explicatam non possumus ex Catholicis referre, nisi Durandum : qui tamen non tam in substantia ipsa erravit, quam in modo loquendi, ut constat ex dictis num. 5. Ex hæreticis autem quidam satis antiqui negaverunt res ullas in sacramentis nostris adhibendas fore, ut constat ex D. Irenæo lib. 1, cap. 18, ubi ait : *Alii istorum dicunt divina, et inenarrabilia mysteria non debere perfici per istas visibiles, et objectas creaturas.* Et Pauliciani apud Euthymium in 2, *parte Panopliæ* titulo 21, omnem materiam sacramentorum, puta aquam, oleum, panem, vinum etc. excludebant, et solum quibusdam præcise verbis loco sacramentorum utebantur. E converso vero quantum ad verba attinet, aliqui

Hæreticorum sententiæ. — Paul.

qui hæretici negaverunt ea requiri in sacramentis, illaque prorsus abjecerunt ab Eucharistiæ confectione, ut refert Kemnitius et ipse hæreticus in 2 part. *examinis Concilii Trident.* sess. 13, cap. 1. Ad quos maxime accedit Brentius *in suo Catechismo, in explicatione Baptismi,* ubi hæc sacrilege profert : « Christus non collocavit fundamentum baptismi super certis litteris, « syllabis, aut distinctionibus, nec alligavit nos ad certa verba : non enim instituit Magiam, quæ ad certam verborum « formam, aut ritus alligata est : sed instituit cœlestia sacramenta, quæ constant « sua ipsius sententia, et voluntate. » Quamvis autem prædictæ duæ hæreses valde distent inter se, quatenus prior constituit sacramenta in verbis sine rebus ; posterior vero in rebus absque verbis : conveniunt tamen in oppugnando catholicam veritatem, nempe sacramenta novæ legis constare rebus, et verbis : quare promiscue referri, et dilui possunt earum motiva : ex quibus non pauca dissolvimus in Comment. ad artic. 4, et 6, sed supersunt aliqua, quibus occurramus.

Arguitur primo : quia sacrameuta novæ legis sunt eadem in tota Ecclesia : sed si constarent verbis non essent eadem : ergo sacramenta novæ legis non constant verbis. Probatur minor ; nam verba non sunt eadem apud omnes nationes, ut docet Philosophus lib. 1, *de Interpret.* cap. 1, et liquet ab ipsa experientia : quippe aliis verbis utuntur Latini, aliis Græci, aliis Hebræi et sic de cæteris : ergo si sacramenta constarent verbis, non essent eadem sacramenta in tota Ecclesia.

Confirmatur primo : quoniam ad hoc adhiberentur verba in sacramentis novæ legis, ut determinarent significationem rerum : sed ad hoc necessaria non sunt : ergo adhiberi non debent. Probatur minor : nam id, per quod sacramenta determinantur ad significandum res sacras, quæ in illis fiunt, est ipsa significatio ad placitum, eisdem conveniens ex institutione divina : sed hujusmodi significatio sufficienter determinat significationem rerum : ergo ad determinandum significationem rerum necessarium non est adhibere verba.

Confirmatur secundo : quia de ratione sacramenti est habere significationem occultam : sed non ita significaret, si ex verbis constitueretur : ergo de nullius sacramenti ratione est constare verbis. Probatur minor : nam verba habent significationem claram, et distinctam, ut patet in his, *Ego te baptizo, Ego te absolvo :* ergo si sacramenta constarent verbis, non possent habere significationem occultam.

Confirmatur tertio : quia sacramenta antiqua non constabant verbis, ut liquet ex dictis artic. 6 ; ergo idem asserendum est de nostris sacramentis. Probatur consequentia : tum quia sacramenta antiqua fuerunt vere, et proprie sacramenta : ergo si id habuerunt independenter a verbis, supervacaneum est illa in nostris sacramentis addere ; quippe quorum vera, et propria ratio salvari poterit independenter ab illis. Tum etiam, quia sacramenta antiqua, et nova conveniunt univoce in genere sacramenti, ut statuimus disput. præcedent. dub. ultimo : id autem salvari non posset, si antiqua constarent solis rebus, et nova constarent ex verbis : siquidem manifestum est res, et verba ad diversa genera pertinere, et sub uno genere proximo non constitui : ergo si sacramenta antiqua non constabant verbis , idem asserere oportet de nostris sacramentis.

8. Ad argumentum respondetur concedendo majorem, et negando minorem. Cujus probatio nihil valet : quoniam cum verba vocalia ad hoc principaliter ordinentur, ut repræsentent nostros conceptus : eorum unitas formalis attendi non debet penes entitatem materialem vocum, aut differentem dearticulationem ; sed penes significationem, quatenus eundem conceptum repræsentant. Omnia autem verba, quibus in sacramentis utimur, retinent apud omnes nationes, et in quolibet idiomate eamdem significationem formalem : atque ideo sunt ubilibet gentium eadem verba : et consequenter variatio illa materialis verborum juxta diversitatem gentium, apud quas proferuntur, minime præjudicat unitati, quam sacramenta habent in tota Ecclesia. Quæ est doctrina D. Thom. in hac quæst. artic. 7 ad 1, ubi ait : « Dicendum, quod sicut « Augustin. dicit super Joann. verbum « operatur in sacramentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem « sonum vocis ; sed quia creditur ; id est « secundum sensum verborum, qui fide « tenetur. Et hic quidem sensus est idem « apud omnes, licet non eædem voces sint « quantum ad sonum. Et ideo cujuscum-

« que linguæ verbis proferatur talis sen- « sus, perficitur sacramentum. » Observat tamen prudentissime in resp. ad 2, quod « licet in qualibet lingua contingat diver- « sis vocibus idem significari ; semper ta- « men aliqua illarum vocum est, qua prin- « cipalius, et communius homines illius « linguæ utuntur ad hoc significandum. « Et talis vox assumi debet in significatione « sacramenti. Sicut etiam inter res sensi- « biles illa assumitur ad significationem « sacramenti, cujus usus est communior « ad actum, per quem sacramenti effectus « significatur. Sicut aqua communius utun- « tur homines ad ablutionem corporalem, « per quam spiritualis ablutio significatur: « et ideo aqua assumitur ut materia in « baptismo. » Ubi incidenter nota (et tacitam objectionem præoccupamus), quod licet hoc verbum *Abluo* ex primæva institutione apud Latinos sit principalius, et communius, quam verbum *Baptizo* ; nihilominus repetitus, et continuus usus fecit, quod hoc ultimum sit jam principalius, et communius ad significationem sacramentalem : et propterea non verbo, *Abluo*, sed verbo *Baptizo* uti debemus ministrando baptismum.

Nota.

Diluitur prima confirmatio.

Ad primam confirmationem respondemus, quod significatio verborum non requiritur simpliciter ad determinandam significationem rerum ; posset enim hæc aliter absolute determinari : sed requiritur ad melius esse, sive ut significatio rerum, quæ de se est obscura, evadat manifestior per conjunctionem verborum, ut supra num. 2 insinuavimus. Et in præmisso sensu, concedendo majorem, negamus minorem : quia cum sacramenta novæ legis sint perfectissima, oportuit, quod haberent expressiorem significationem : expressior autem fit per res, et verba, quam per solas res. Ad minoris autem probationem dicendum est duas determinationes in sacramentis nostris distinguendas esse, aliam partialem, secundum quam una pars, nempe verbum determinat aliam partem, nempe rem : aliam vero totalem, secundum quam totum materiale, sive complexum ex re, et verbo determinatur per significationem totalem sacramentalem ex institutione divina : sicut fundamenta, et parietes determinantur per rectum, et totum hoc ulterius determinatur per figuram domus. Quocirca in præmisso sensu, scilicet ad melius esse, atque expressiorem ex parte materiæ repræsentationem, superfluum non est in sacramentis nostris, quod rebus verba adjungantur, et manifestent rerum significationem. Quamvis enim in signis ad placitum non requiratur ulla naturalis similitudo, aut proportio cum re significata, et sic posset Deus assumere quamlibet materiam ad rationem sacramenti: nihilominus decuit, quod res a Deo pro hujusmodi fine assumptæ haberent aliquam similitudinem proportionis cum re, quam repræsentant : et ideo assumpta fuit aqua ad repræsentandum emundationem spiritualem, et assumptum fuit oleum ad repræsentandum reparationem, et confortationem spiritualium virium, et sic de aliis. Hæc vero rerum repræsentatio longe crescit per verba adjuncta, quæ prædictos effectus enunciant, dicendo v. g. *Ego te baptizo*, *Confirmo te etc*. Unde liquet adjuncta verba superflua non esse ad magis determinandum rerum significationem : quamvis tam rerum, quam verborum significatio (quæ humana est), ulterius, et ultimo determinetur per significationem sacramentalem, et de se infallibilem ex institutione divina.

Occurritur secundæ.

9. Ad secundam confirmationem respondetur significationem sacramentorum non debere esse omnino occultam ; alias non deservirent ab hac parte pro institutione, atque distinctione fidelium : sed oportere, quod sit partim occulta, et mysteriosa pro qualitate rei significatæ, quæ simpliciter est occulta ; et partim repræsentativa, et distincta pro conditione hominum, quibus deserviunt. Et quia in qualibet re obscuritas habet modum imperfectionis ; manifestatio vero, et distinctio ad perfectionem accedit : propterea oportet, quod quanto sacramenta perfectiora sunt, plus habeant manifestationis et distinctionis ; retenta nihilominus mysteriosa obscuritate aliqua, quæ requiritur, ut propria sacramenti ratio servetur. Cum autem sacramenta novæ legis sint omnium perfectissima ; ideo oportuit, quod in eis conjungeretur obscuritas, et manifestatio, occultatio, et distinctio, quantum fert ipsa sacramenti natura. Et propterea Deus pro ea parte, qua exigunt obscuritatem, adhibuit res, quæ de se repræsentant obscure : et pro ea parte, qua petunt nanifestationem, adhibuit verba, quæ cum majori expressione, ac distinctione significant. Nec inde sequitur,

tur, ut confirmatio intendit, quod per verba omnis obscuritas excludatur, vel quod adhibeatur omnimoda claritas : nam evidens illa significatio, quam verba v. g. *Ego te absolvo, Ego te baptizo*, videntur afferre, est de se mere grammaticalis, et ex placito hominum : unde non habet inferre, aut afferre rem principaliter significatam, quæ est gratia, et ideo oportet, quod ulterius adhibeatur significatio sacramentalis ex solo placito Dei, per quam tam res, quam verba constituuntur formaliter in ratione sacramenti. Sed illa major verborum claritas solum deservit, ut totum materiale constans ex rebus, et verbis habeat majorem aliquam porportionem, ut magis congrue assumatur ad esse sacramenti participando significationem sacramentalem.

iruitur ertia.

Ad tertiam confirmationem negamus consequentiam ob satis notam disparitatem desumptam ex inæquali perfectione status legis scriptæ, et status legis gratiæ : nam sicut hic est simpliciter perfectior, quam ille, sic debuit habere perfectiora sacramenta. Significatio autem constituit sacramenta, et eo est perfectior, quo expressior, atque distinctior. Undę quia verba expressius, atque distinctius significant : oportuit, quod licet sacramenta antiqua constiterint solis rebus, nova tamen constarent rebus, et verbis, ut supra observavimus ad art. 6. Prima autem consequentiæ probatio solum evincit non requiri ad veram, et propriam rationem sacramenti, quod ex verbis constituatur : idque libenter admittimus. Sed minime probat, quod verba non requirantur ad majorem sacramenti perfectionem : quam decet habere illa, quæ ad gratiæ legem spectant. Secunda minus adhuc valet : quia univocatio inter sacramenta antiqua, et nova in ratione sacramenti attenditur penes significationem sacramentalem, quæ est forma constituens sacramentum in esse talis : et in hac significatione univocantur sacramenta, ut ostendimus loco citato. Sed cum hoc optime cohæret, quod differant ex parte materiæ : atque ideo quod ad materiale antiquorum pertinuerint solæ res, et ad materiale nostrorum pertineant res, ét verba. Quare sicut ex univocatione, quam statuimus, inferri non valet, quod si antiqua sacramenta non fuerunt causa gratiæ sanctificationis : idem de nostris affirmandum sit, aut e converso : sic non infertur, quod si antiqua non constarunt verbis, idem sit dicendum de nostris. Et ratio proportionabiliter est eadem : quia sacramenta constituuntur formaliter in genere signi, et per significationem sacramentalem. Ad quod de materiali se habet, quod id, quod ad rationem signi hujusmodi assumitur, sit, aut non sit simul causa, et constituatur, aut non ex solis rebus.

Secundum argumentum.

10. Arguitur secundo : nam aliqua sunt sacramenta novæ legis, quæ non constant rebus simul, et verbis, sed vel solis tantum rebus, vel solis tantum verbis : ergo falsa est universalis assertio, quod omnia sacramenta novæ legis constituuntur ex rebus, et verbis. Consequentia patet. Et antecedens probatur primo in sacramento matrimonii : fieri namque valet, ut constet solis verbis ex parte utriusque contrahentium, ut si eorum quilibet suum consensum explicet per sola verba vocalia. Fieri etiam valet, ut constet ex solis rebus, ut si contrahentes sint muti, et consensum explicent per solos nutus, aut per solam copulam carnalem, factam animo maritali. Probatur secundo in sacramento pœnitentiæ : quia contingens est, quod constet ex solis verbis absque ulla alia re, quæ intret essentiam sacramenti : quippe absolutio verbis vocalibus necessario facienda est ; confessio autem fieri potest, et communiter fit solis verbis : et si ad materiam remotam, quæ stat in peccatis, fiat recursus, hæc etiam potest in solis verbis consistere, ut si non dentur alia peccata, quam oris. Tertio probatur in sacramento Eucharistiæ, quod non consistere in verbis, sed in solis rebus, videtur manifestum : quoniam hoc sacramentum est sacramentum permanens, et in hoc differt ab omnibus aliis : verba autem consecrationis non permanent, sed cum ipsa prolatione transeunt, ut in omnibus successivis contingit : ergo sacramentum Eucharistiæ non constat verbis, sed consistit unice, et adæquate in speciebus sacramentalibus, aut aliis rebus, quæ post consecrationem perseverant. Verum itaque est aliqua novæ legis sacramenta non constare rebus simul, et verbis ; sed vel solis tantum rebus, vel solis tantum verbis.

Responsio.

Ad hoc argumentum satis constabat ex dictis a nu. 3, usque ad 7, et si quam de novo affert difficultatem, ea pertinet ad particulares tractatus, in quibus de singulis sacramentis agemus. Sed tamen nec om-

nino prætermittendum est. Respondetur igitur negando antecedens. Ad cujus primam probationem constat ex dictis loco citat. quod licet regulariter, et ut in plurimum, ubi de sacramentis agitur, rerum nomine significentur res, ut distinguuntur contra verba, et similiter verborum nomine significentur verba, ut condistinguuntur contra res : nihilominus essentialiter loquendo, et quantum ad aliqua sacramenta non requiritur tam stricta, et propria distinctio. Sed rerum nomine comprehenduntur omnia, quæ concurrunt ut res, nempe quæ minus perfecte, et distincte significant, debentque proinde per aliquid aliud compleri, et determinari ad significationem perfectam : sicut etiam verborum nomine comprehenduntur omnia, quæ concurrunt complendo aliud, et determinando ad prædictam significationem. Et ita contingit in casu matrimonii, qui nobis objicitur : nam verba Petri v. g. ut explicant conceptum traditionis, et sunt determinabilia per verba Mariæ, concurrunt formaliter ut res, licet entitative sint verba : et similiter verba Mariæ, ut explicant conceptum traditionis, et sunt determinabilia per verba Petri, quamvis entitative sint verba, concurrunt formaliter ut res. E converso autem verba Petri, quatenus per modum acceptationis determinant verba Mariæ, concurrunt formaliter ut verba : et similiter verba Mariæ, prout per modum acceptationis complent verba Petri, concurrunt ut verba formaliter. Nec multum refert, si dicatur inde inferri, quod sacramenta non constant rebus,et verbis distinctis . Nam respondetur in primis non requiri distinctionem realem, sed sufficere virtualem : quæ profecto adest in hoc casu ob diversa munia traditionis, et acceptationis, quæ eadem verba exercent. Aliunde vero licet in unius conjugis verbis prædicta duo non distinguantur realiter : nihilominus verba Petri ut habent rationem traditionis, distinguuntur realiter a verbis Mariæ, ut habent rationem acceptationis ; et e converso : quod satis est, ut in matrimonio sic celebrato, res, et verba distinguantur. Ubi autem matrimonium solis nutibus celebratur, idem omnino cum proportione dicendum erit ; quia nutus sunt formaliter signa, et æquivalenter verba : quare prout mutuo exercent munera proxime explicata, habent rationes rerum, et verborum.

Ad secundam probationem respondemus permittendo nunc (de quo specialius in suo loco) contingens esse, quod materia proxima sacramenti pœnitentiæ in solis verbis consistat. Sed tamen huic casui applicanda est doctrina pro præcedenti tradita : quia scilicet licet verba confessionis sint entitative verba ; nihilominus quatenus intrant essentiam talis sacramenti, concurrunt formaliter ut res, et habent rationem rerum. Concurrunt enim ut habentia significationem incompletam in ordine ad effectum sacramenti : et quatenus ulterius determinabilia sunt per verba absolutionis : quod est proprium munus rerum in sacramentis. Verba autem Sacerdotis absolventis comparantur omnino ut verba: quia concurrunt complendo, et determinando verba pœnitentis, ut perficiatur judicium sacramentale : quod est Officium speciale verborum in sacramentis. Quare sicut ob hanc rationem diximus verba unius conjugis, ut præcise exercent munus traditionis, concurrere formaliter non ut verba, sed res : sic etiam cum proportione de verbis confessionis dicendum erit.

11. Ad tertiam probationem sunt, qui illa convicti respondeant verba consecrationis non pertinere intrinsece ad sacramentum Eucharistiæ : atque ideo exceptionem in illo faciunt ab ea generali regula, quod sacramenta novæ legis constant rebus, et verbis. Et rationem disparitatis inter hoc sacramentum, et alia designant, quod istud habet specialiter, quod sit permanens : quare nequit constitui ex verbis, quæ transeunt, ut ex se liquet. Nec putant se agere contra doctrinam Concilii Florentini : quia Concilium non dixit sacramenta nostra constitui, sed perfici rebus, et verbis : quæ sunt valde diversa : quia extrinseca possunt desiderari ad perfectionem sacramenti; licet istud illis non constet. Ita Vazquez in præs. disp. 129, cap. 3, n. 39, et alii, quibus ex Thomistis subscribit Gonet (licet minus consequenter ad ea, quæ in præsenti docet disp. 1, art. 7, num. 112), in Tract. *de Eucharistia* disp. 2, art. 1, a num. 26. Aliter illi probationi occurrit Arauxo in præs. dub. 3, num. 36, observando sacramentum Eucharistiæ posse dupliciter considerari, nempe in fieri, atque in facto esse. Quo supposito affirmat cum communi sententia Eucharistiam in fieri constare rebus, et verbis ad instar aliorum

Aliquorum sententiæ circa ultimam probationem.

Vasq.

Gonet.

Arauxo.

aliorum sacramentorum : sed consideratam in facto esse non constitui ex verbis formaliter, sed solum ex rebus, et significatione sacramentali, quæ æquivalet verbis.

Improbantur. Neutra tamen prædictarum responsionum nobis arridet. Tum quia absque urgenti necessitate, et quod plus est sine fundamento in Concilio Florentino limitat generalem regulam in ea traditam, et inducit præmissam exceptionem. Tum etiam quia evidenter, quantum capimus, adversatur D. Thomæ : nam S. Doctor, cum docet sacramenta nostra constare rebus et verbis, comprehendit etiam Eucharistiam, ut liquet in præs. art. 8, in corp. ubi ait : « Si « autem subtrahatur aliquid, quod non sit « de substantia formæ, » (et quod per formam intelligat verba, liquet ex contextu), « talis diminutio non tollit debitum sen- « sum verborum, et per consequens nec « sacramenti perfectionem. Sicut in forma « Eucharistiæ, quæ est, Hoc est enim cor- « pus meum, ly enim sublatum non tollit « debitum sensum verborum. » Et infra quæst. 78, art. 1, inquit : « Quia forma « debet esse conveniens rei, ideo forma « hujus sacramenti differt a formis aliorum « sacramentorum in duobus. Primo qui- « dem, quia formæ aliorum sacramento- « rum important usum materiæ, puta « baptizationem, vel consignationem : sed « forma hujus sacramenti importat solam « consecrationem materiæ, quæ in trans- « substantiatione consistit : puta, cum dici- « tur, Hoc est corpus meum, vel, Hic est calix « sanguinis mei. Secundo, quia formæ alio- « rum sacramentorum proferuntur ex per- « sona ministri, sive per modum exercentis « actum, sicut cum dicitur : Ego te baptizo, « vel Ego te confirmo, sive per modum « imperantis etc. Sed forma hujus sacra- « menti profertur quasi ex persona ipsius « Christi loquentis : ut detur intelligi, quod « minister in perfectione hujus sacramenti « nihil agit, nisi quod profert verba Christi.» Hæc S. Doctor : in quibus manifestum est, quod eodem modo atque in eodem sensu docet, supponitque verba esse formam Eucharistiæ, sicut et aliorum sacramentorum. Cum igitur alia sacramenta constent verbis, quæ dicuntur eorum forma ; idem ex sententia S. Doctoris de sacramento Eucharistiæ, et de verbis ad ipsum concurrentibus dicendum est. Tum denique, quia motivum prædictorum Auctorum regerendum est in eos, et ab ipsis dilui debet : nam significatio ad placitum vel vocibus, vel sacramentis conveniens provenit ab impositione, quæ physice transit : et nihilominus voces, et sacramenta sunt signa permanentia. Pariter fieri potest, quod expressio consensus unius conjugis contrahentis physice transeat, priusquam alius adhibeat signa sui consensus, et perficiatur sacramentum matrimonii : quo non obstante prior illa expressio permanet moraliter sufficienti modo, ut sacramentum perficiatur, et constet ex utraque expressione. Idemque aliis exemplis facile ostendi valet. Ergo quod verba consecrationis physice transierint ; minime impedire potest, quod sacramentum Eucharistiæ dicatur constare ex illis.

D. Tho.

Legitima argumenti dilutio. Quare ad prædictam probationem respondemus, nullam admittendo exceptionem in Eucharistia. Et ad motivum oppositum dicendum est, quod licet verba consecrationis physice sumpta transierint ; perseverant tamen moraliter simul cum speciebus in ratione signi, atque sacramenti. Quia complent, et determinant prædictas species, ut ex eisdem constituatur unum adæquatum signum sacramentale : species namque absque hujusmodi determinatione per verba non habent repræsentare sacramentaliter Christum, aut ejus gratiam cibantem : Quare Eucharistiæ sacramentum non constat solis rebus, sive speciebus, sed etiam verbis consecrationis, quæ simul cum speciebus in ratione unius signi adæquati moraliter perseverant. Et ita sentiunt Arauxo primum dictum virtualiter retractans infra quæst. 73, art. 1, dub. 2, a num. 22. Serra in præs. art. 6, dub. unico ad 2. N. Philippus disp. 2, dub. 2, in principio. Prado dub. 9, a num. 29, qui pro eadem responsione refert Marsilium, Suarium, Valentiam, Lugum, et alios. Quamvis autem contra illam possent aliqua opponi ; consultius duximus illa modo omittere, ut ea remittamus ad propriam sedem, cum scilicet de sacramento Eucharistiæ specialiter dicemus. Sed alia addemus infra num. 23.

Arauxo. Serra. N. Phil. Prado.

Tertium argumentum. 12. Arguitur tertio : nam ea, ex quibus constant sacramenta novæ legis, debent unum aliquod constituere, nempe ipsum sacramentum : quod non esse merum aggregatum, aut ens per accidens, sed habere aliquam unitatem, et perseitatem saltem in gradu infimo, satis liquet ex

dictis disp. præced. per totam, ubi assignavimus proprium genus, et propriam differentiam sacramenti. Sed impossibile est, quod ex rebus, et verbis constituatur aliquod unum. Ergo sacramenta novæ legis non constant rebus, et verbis. Probatur minor : nam repugnat unum aliquod constitui ex rebus pertinentibus ad genera primo diversa : sed ita comparantur res, et verba ; siquidem res constituuntur in genere substantiæ, vel actionis; verba vero, cum pro formali dicant significationem, quæ est relatio, collocantur in genere relationis : ergo impossibile est, quod ex rebus, et verbis constituatur aliquod unum.

[...]tio. D. [...]om. Respondetur concedendo majorem, et negando minorem. Cujus probationem optime diluit D. Thom. in præs art. 6, ad 2, his verbis : « Dicendum, quod quamvis « verba, et aliæ res sensibiles sint in di- « verso genere quantum pertinet ad natu- « ram rei : conveniunt tamen in ratione « significandi, quæ perfectius est in verbis, « quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis, « et rebus fit quodammodo unum in sacra- « mentis, sicut ex forma, et materia, in « quantum scilicet per verba perficitur « significatio rerum, ut dictum est. Sub « rebus autem comprehenduntur etiam « ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inun- « ctio, et alia hujusmodi : quia in his est « eadem ratio significandi, et in rebus, » nempe obscure, et cum indifferentia ad determinatum significatum, juxta ea, quæ dixerat in corp. art. « Ad perfectionem « significationis sacramentalis, necesse « fuit, ut significatio rerum sensibilium « per aliqua verba determinaretur. Aqua « enim significare potest et ablutionem « propter suam humiditatem, et refrige- « rium propter suam frigiditatem. Sed cum « dicitur, Ego te baptizo, manifestatur, « quod aqua utimur in baptismo ad signi- « ficandam emundationem spiritualem. » Hæc D. Thom. ex quibus constat, quod licet res, et verbum nequeant constituere unum in esse naturæ, possunt tamen constituere unum in ratione signi perfecti, cujusmodi est sacramentum legis gratiæ. Sed quia responsio D. Thom. continet doctrinam valde profundam, et attingit plura attentione digna; oportet, ut illam magis elucidemus, investigando

DUBIUM II.

Utrum res, et verba, quibus constant sacramenta novæ legis, comparentur ad illa tanquam materia, et forma, et sint essentiales eorum partes?

Sæpius significavimus duas in nostris sacramentis compositiones distinguendas esse, sicut proportionabiliter in aliis compositis tam naturalibus, quam artificialibus contingit. Nam verbi causa, in homine datur prior compositio ex corpore, et anima, et deinde alia compositio ex homine, et humanitate ; ut merito dicatur anima forma partialis, et humanitas forma totalis. Similiter in domo datur prior compositio ex partibus, nempe ex fundamento, parietibus, et tecto, et insuper, alia compositio hinc ex omnibus his, et inde ex figura domus ; ut tectum possit comparari per modum formæ partialis ad fundamentum ; et figura domus sit forma totalis respectu omnium, ex quibus domus constituitur. Ad hunc ergo modum possumus imaginari, quod duæ concurrunt compositiones in sacramentis, utputa in baptismo : prior ex rebus, et verbis, ex quibus resultat substractum adæquatum, quod trahitur ad rationem sacramenti, juxta illud D. Augustini : *Accedit verbum ad elementum,* et *fit sacramentum :* posterior vero ex hoc ipso substracto, et significatione ad placitum ex institutione divina : ita quod verbum comparetur ad res sicut forma partialis ad materiam, constituendo substractum adæquatum significationis sacramentalis; et rursus hæc significatio se habet ut forma totalis constituens illud substractum formaliter sacramentum. Et quia quantum ad hanc secundam compositionem facile convenit inter Theologos: revocanda est difficultas ad priorem illam compositionem ex rebus, et verbis, ut in titulo proposuimus. Et ut a facilioribus incipiamus. Status controversiæ.

§ 1.

Deciditur difficultas quoad primam partem.

13. Dicendum est primo sacramenta novæ legis componi ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma. Sic docent communiter Prima conclusio.

ter Theologi, quorum plures dabimus num. 19, et 35 et 40. Et probatur primo ab auctoritate : nam Concilium Florentinum in decreto unionis, post enumerata septem Ecclesiæ sacramenta, subdidit : « Hæc omnia sacramenta tribus perficiun« tur, rebus tanquam materia, verbis tan« quam forma, et persona ministri con« ficientis sacramentum cum intentione « faciendi, quod facit Ecclesia : quorum si « aliquod desit, non perficitur sacramen« tum. » Et Concilium Tridentin. sess. 14, cap. 3, inquit : « Docet præterea Sancta « Synodus sacramenti Pœnitentiæ for« mam, in qua præcipue ipisus vis sita « est, in illis ministri verbis positam esse: « Ego te absolvo etc. Sunt autem quasi « materia hujus sacramenti ipsius pœni« tentis actus, nempe contritio, confessio, « et satisfactio. Et canone 4, statuit : Si « quis negaverit ad integram, et perfec« tam peccatorum remissionem requiri « tres actus in pœnitente quasi materiam « sacramenti pœnitentiæ, videlicet contri« tionem etc., anathema sit. » Catechismus etiam Romanus *de sacramentis in genere* explicat : « Rem sensibilem in definitione « sacramenti positam non unam tantum « esse, quamvis unum tantum signum sit ; « sed duo esse, ex quibus quodlibet sacra« mentum conficitur. Quorum alterum ra« tionem materiæ habet, et elementum « dicitur ; alterum formæ vim, et verbum « communi nomine appellatur, secundum « illud Div. Augustin. tract. 80, in Joann. « Accedit verbum ad elementum, et fit sa« cramentum. » Denique Angelicus Doctor in præs. art. 6 ad 2 affirmat : « ex ver« bis, et rebus fit quodammodo unum in « sacramentis sicut ex materia, et forma.» Quod repetit aliis locis infra num. 19 referendis. Idemque proferunt antiqui, et graves Scholastici in 4, distinct. 1 et 3. Fateri itaque omnino oportet sacramenta nostra constare, componique ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma.

Fundamentum ab auctoritate. Concil. Florent. Concil. Trident. Catech. Roman. D. Tho.

Nec momenti erit, si dicatur in nullo istorum testimoniorum affirmari, quod res, et verba sunt absolute materia, et forma, ex quibus componitur sacramentum : sed potius in omnibus eis adhibentur aliquæ particulæ diminuentes, atque ideo significantes res, et verba, ex quibus nostra sacramenta constant, esse materiam et formam secundum quid. Nam quid aliud indicant illa verba Florentini : *Perficiuntur rebus tanquam materia, verbis tanquam forma?* Et illa Tridentini ex cap. 3 : *Sunt quasi materia*, et ex can. 4 : *Quasi materiam sacramenti?* Id, inquam, nihil interest : quia nec nos intendimus res, et verba esse materiam, et formam nostrorum sacramentorum cum omnimoda proprietate : quippe manifestum est res non esse primam potentiam, et verba non esse primum actum ; et rursum res non esse subjectum verborum, et verba non esse accidens rebus inhærens : quorum aliquod necessarium erat, ut res, ac verba forent cum omnimoda proprietate materia, et forma sacramentorum. Et propterea Concilia loquuntur cum illis modificationibus. Sed tamen id minime impedit, quod res, et verba comparentur tanquam materia, et forma (saltem cum minori proprietate) in ordine ad constituendum sacramentum, et quod exerceant illarum munia. Idque, et non amplius in conclusione statuimus asserentes sacramenta nostra componi ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma. Quod plane totidem fere verbis affirmant Concilia locis citatis. Et hic sensus (qui licet non omnino rigorosus, tamen nec est omnino improprius, aut metaphoricus) magis innotescet ex immediate dicendis.

Effugium. Confutatur.

14. Probatur secundo eadem assertio ratione desumpta ex præmissis testimoniis : quoniam cum duo aliqua in constituendo aliud tertium ita comparantur, quod unum concurrit ut determinabile, et aliud ut determinans ; plane comparantur sicut materia, et forma : sed res, et verba in constituendo nostra sacramenta ita comparantur, quod res concurrunt ut determinabiles, verba ut determinantia : ergo res, et verba concurrunt ad constituendum nostra sacramenta, sicut materia, et forma : atque ideo verum est sacramenta nostra constitui, sive componi ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma. Utraque consequentia patet ex præmissis. Major autem est evidens : nam quia materia prima est pura potentia de se non determinata, sed determinabilis ; et quia forma substantialis est primus actus derminans : propterea omne illud, quod imitatur materiam primam in esse determinabilis, comparatur sicut materia ; et similiter omne illud, quod imitatur formam substantialem in esse determinantis, comparatur sicut forma. Quo- Ratio.

circa omnia illa, quæ se habent ut determinabile, et determinans comparantur sicut materia, et forma: quamvis harum rationes cum omnimoda proprietate non habeant. Id, quod facile ostenditur inductione: hac enim de causa concretum accidentale v. g. album componitur ex subjecto, et accidenti sicut ex materia, et forma; quia nimirum subjectum comparatur ut determinabile, et accidens v. g. albedo comparatur ut determinans ad esse album. Similiter compositum artificiale v. g. cathedra constat ex ligno, et figura sicut ex materia, et forma; quia scilicet lignum se habet ut determinabile, et figura determinans ad esse cathedram. Pariter numerus v. g. quinarius constat ex præcedentibus unitatibus, ét ex ultima sicut ex materia, et forma; nempe quia præcedentes unitates comparantur ut determinabiles, et ultima unitas se habet ut determinans ad propriam rationem quinarii. Denique in compositione metaphysica speciei v. g. hominis, genus, et differentia comparantur ut materia, et forma: quia scilicet genus se habet per modum potentiæ determinabilis, et differentia se habet per modum actus determinantis. Verum itaque universaliter est ea duo, quæ in aliquo ordine, et in constituendo aliquod tertium comparantur per modum determinabilis, et per modum determinantis, habere in tali ordine, et in constituendo illud tertium rationes materiæ, et formæ. Et si hoc verificatur in omnibus aliis, non est, quare limitetur, exceptionemque patiatur in solis sacramentis. Minor autem facile probatur: quoniam sacramentum constituitur in genere signi, ut ostendimus disp. 1, dub. 1; sed res sunt determinabiles ad significandum, verba autem magis determinant; siquidem res obscure, et minus perfecte significant, verba autem habent significare cum majori claritate, distinctione et determinatione: ergo res, et verba, quæ ad constituendum nostra sacramenta concurrunt, ita comparantur, quod res se habent ut determinabiles, et verba se habent ut determinantia.

Ra- ex Th. Quem discursum exactissime, licet paucioribus verbis proponit D. Thomas in præs. artic. 6, in hunc modum: « Dicit « Augustin. in 2. *de doctrina Christiana*, « quod verba inter homines obtinuerunt « principatum significandi: quia verba di« versimode formari possunt ad significan« dum diversos conceptus mentis. Et propter « hoc per verba magis distincte possumus « exprimere, quod mente concipimus. Et « ideo ad perfectionem significationis sacra« mentalis necesse fuit, ut significatio rerum « sensibilium per aliqua verba determina« retur. Aqua enim significare potest, et « ablutionem propter suam humiditatem, « et refrigerium propter suam frigidita« tem. Sed cum dicitur: *Ego te baptizo*, « manifestatur, quod aqua utimur in bap« tismo ad significandum emundationem « spiritualem. » Ex qua doctrina colligit in resp. ad 2, nostram, et communem assertionem his verbis: « Dicendum, quod « quamvis verba, et aliæ res sensibiles sint « in diverso genere, quantum pertinet ad « naturam rei: conveniunt tamen in ra« tione significandi, quæ perfectius est in « verbis, quam in aliis rebus. Et ideo ex « verbis, et rebus fit quodammodo unum in « sacramentis, sicut ex forma, et materia, « in quantum scilicet per verba perficitur « significatio rerum, ut dictum est. »

15. Sed objicies primo tam adversus assertionem, quam contra ejus fundamentum: nam in omnibus sacramentis significatio est forma, per quam in esse talium constituuntur; siquidem sacramenta sunt signa ad placitum, atque constituuntur in esse talium per significationem ex institutione divina: ergo sacramenta nostra non indigent alia forma: atque ideo verba, ex quibus constant non habent in eisdem formæ rationem. Objectio.

Respondetur negando utramque consequentiam: quoniam significatio ad placitum ex institutione divina est totalis, et adæquata forma totius sacramenti, quæ determinat suum materiale, nempe compositum ex rebus, et verbis. Sed in prædicto composito duæ partes distinguuntur, nempe res, et verba: ex quibus res, quia determinantur, habent rationem materiæ; et verba, quia determinant, habent rationem formæ, ut supra explicuimus. Sicut in aliis artefactis v. g. in cathedra figura est ultima, et adæquata forma ligni ad constituendum cathedram: sed in ipso ligno distinguendæ etiam sunt materia, et forma. Et sicut etiam in naturalibus v. g. in homine, humanitas est forma ultima, et adæquata totius hominis, et tamen in ordine ad corpus anima habet rationem formæ. Solvitur.

mæ. In quo sensu affirmamus verba comparari ad res in sacramentis, sicut comparatur forma ad materiam, nempe in ordine ad eam compositionem præambulam, quam habent illa composita, quæ Deus elevat ad rationem sacramenti novæ legis, sive ad participandum sacramentalem significationem, per quam tanquam per formam totalem, et adæquatam sacramentum constituitur in esse sacramenti.

ota. Ubi observa (sic tacitam objectionem præoccupamus), quod sicut homo dicitur componi ex materia, et forma, non quia homo supponatur ad illas partes, sed quia ex illis resultat humanitas, quæ est forma totalis, et adæquata hominis constitutiva : sic cum dicitur sacramentum componi ex rebus, et verbis, non significatur sacramentum supponi, vel ad has partes, vel ad significationem sacramentalem : sed sensus est resultare ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma unum aliquod aggregatum, sive compositum, quod comparatur per modum materiæ totalis, quam Deus elevat ad rationem formalem sacramenti communicando totalem, adæquatam, et ultimam nempe significationem sacramentalem ex ejus institutione.

lica. Nec refert, si insistas, quod si hæc ita se habent, sequitur Concilia diminute processisse in assignando materiam, et formam sacramentorum. Quippe assignare debuerunt præcipuam formam ; et tamen aliam formam non assignarunt, quam verba. Manifestum est autem præcipuam formam esse totalem, et adæquatam ; secus autem formam partis. Ergo cum affirmemus verba in sacramentis non esse formam totalem, et adæquatam sacramenti, sed formam dumtaxat partis ; sequitur, quod Concilia diminute satis processerint in assignando materiam, et formam sacramentorum. Id, inquam, non refert, sed diluitur negando sequelam. Et ad probationem dicendum est Concilia satis suo muneri, atque intentioni fecisse, assignando illas materias, et sacramentorum formas, quarum notitia necessaria erat ad institutionem fidelium, et legitimam ipsorum administrationem. Ad hos autem fines necessaria non est notitia compositionis quasi metaphysicæ, quæ fit ex aggregato rerum, et verborum ut ex una parte tanquam materia totali, et ex sacramentali significatione ut ex alia parte tanquam totali forma. (sol- ur.)

Hujusmodi enim notitia latet communiter vulgares fideles, et ad Theologos spectat. Cæterum notitia rerum, et verborum, quibus ex institutione divina utimur ad perficiendum sacramenta, erat apprime necessaria, ut ea instrueremur, et conformiter ad illas procederemus in sacramentorum administratione. Quare licet absolute loquendo forma totalis sit perfectior in esse formæ, quam forma partis ; nihilominus hujus cognitio est magis necessaria, quam illius notitia. Merito itaque Concilia, et absque ullo claritatis dispendio, aut aliquo in ordine ad præintentum finem defectu, meminerunt formæ partis, omittendo tanquam non necessariam formæ totalis recordationem, sed simile studium Theologis remittendo.

16. Objicies secundo : quoniam in sacramento matrimonii verba ab utroque conjuge prolata, sunt ejusdem significationis, et determinationis : ergo impossibile est, quod verba ab uno conjuge prolata comparentur per modum formæ ad verba alterius : atque ideo in prædicto sacramento non possumus materiam, et formam distinguere. Secunda consequentia patet ex prima, quæ legitime ex antecedenti infertur : nam ut aliqua duo comparentur per modum materiæ, et formæ, debent esse inæqualis determinationis, ita quod unum se habeat ut determinabile, et alterum ut determinans, sicut explicuimus num. 14 ; ergo si verba utriusque conjugis sunt æqualis significationis, et determinationis; impossibile est, quod verba unius comparentur per modum formæ ad verba alterius. Antecedens vero patet : quia licet vir, et fœmina sint inæquales in regendo post contractum matrimonium; tamen paris omnino auctoritatis, et conditionis sunt in celebrando contractum, ac perinde sacramentum matrimonii : ergo illorum verba habent eandem significationem, et determinationem. Si dicatur in hoc casu illa verba esse materiam, quæ prius proferuntur, et illa esse formam, quæ proferuntur post alia, nihil valebit responsio : quoniam fieri valet, ut simul proferantur, et terminentur : et tunc procedit objectio. Si dicatur juxta doctrinam a nobis traditam num.10, prædicta conjugum verba ut determinabilia esse materiam, et ut determinantia esse formam, non melior erit solutio : quoniam eadem res, et secundum eandem rationem (Alia objectio.)

nequit existere in potentia, et in actu, nec esse determinabilis, et determinans, et consequenter, nec habere rationem materiæ, et formæ : sed verba cujuscumque conjugis important unum consensum secundum eandem rationem consensus conjugalis : ergo fieri non valet, quod eadem verba sint determinabilia, et determinantia, subeantque officia materiæ, et formæ.

Solutio. Respondetur conformiter ad doctrinam hujus secundæ responsionis distinguendo objectionis antecedens : quod si intelligatur de verbis utriusque conjugis adæquate, et secundum omne munus consideratis, concedendum est : nam sic amplectuntur munia traditionis, et acceptationis, in quibus simul sumptis conjuges pares sunt, et eorum verba habent eandem significationem, et determinationem. Si vero intelligatur de verbis utriusque conjugis acceptis inadæquate, et secundum diversa, quæ exercent, munera; negari debet : quoniam consensus verbis expressus, ut procedit ab uno conjuge tanquam oblatio, aut traditio, manet determinabilis per consensum alterius conjugis, quatenus habet rationem acceptationis complentis, et ultimo determinantis contractum : quare consensus ut procedens primo illo modo gerit vices materiæ; et consensus ut procedens secundo modo gerit vices formæ : et sic mutuo determinantur, et determinant, ut significatur in secunda responsione. Quam minime evertit adhibita impugnatio : quoniam unius conjugis consensus in ratione unius consensus conjugalis complectitur duo illa munia traditionis, et acceptationis : quare non sequitur, quod secundum eandem rationem, et formalitatem sit in potentia, et in actu, sit determinabilis, et determinans, sit denique simul materia, et forma ejusdem sacramenti. Sed solum sequitur, a nobisque conceditur, quod consensus v. g. Petri ut procedit per modum oblationis, et traditionis determinandæ per acceptationem Mariæ sit contractus in potentia, sit determinabilis, et comparetur tanquam materia : et quod idem consensus Petri, quatenus acceptat oblationem Mariæ, terminatque contractum, sit contractus in actu, sit determinans, et se gerat per modum formæ. Idemque dicendum est de consensu Mariæ secundum prædictas duas rationes, et formaliter considerato. Et quamvis in eodem consensu v. g. Petri duæ illæ rationes, sive formalitates non distinguantur realiter; id tamen minime præjudicat : quia illæ formalitates dicuntur non in ordine ad eundem actum, cujus sunt, sed in ordine ad consensum v. g. Mariæ : quippe consensus Petri dicitur traditio in ordine ad consensum Mariæ, ut hic est acceptatio; et dicitur acceptatio in ordine ad consensum Mariæ, quatenus hic est traditio. Manifestum namque est consensum Petri cum omnibus suis formalitatibus distingui realiter a consensu Mariæ, et omnibus hujus formalitatibus. Quare prædicti consensus vere, et realiter se mutuo determinare queunt in ordine ad constituendum compositum adæquatum susceptivum significationis sacramentalis. Et totius responsionis doctrina explicari, et fulciri valet exemplo numeri, in quo omnes unitates ut determinabiles per ultimam, habent rationem materiæ; et unitas quæcumque illa sit, vel assumatnr, quatenus ultima, et reliquas determinans, habet rationem formæ

Tertia objectio. 17. Objicies tertio : quia si res, et verba, quibus constant sacramenta, compararentur ad illa tanquam materia, et forma, deberent simul coexistere, et se tangere, saltem secundum aliquam sui partem : aliter enim non apparet, qualiter munia materiæ, et formæ exerceant, et constituant aliquod unum : consequens est falsum; siquidem multoties contingit oppositum, ut cum adhibita re, vel actione sacramentali immediate, aut paulo post proferuntur verba consecratoria : ergo res, et verba non comparantur ad sacramenta sicut materia, et forma.

Aliquorum responsio. Huic objectioni quidam respondent, concedendo sequelam : quia universaliter sentiunt res, et verba sacramentorum debere esse simul tempore secundum aliquam saltem sui partem : et ad ita sentiendum convincuntur exemplo materiæ, et formæ, quæ in naturalibus nequeunt constituere aliquod unum, nisi coexistant : quare vel res, et verba non comparantur in sacramentis tanquam materia, et forma, ut loquuntur Concilia; vel si ita se habent (ut omnino tenendum est), sequitur, quod debeant coexistere saltem secundum aliquid sui. Ita Nugnus in præs. artic. 6, difficult. 2 ad 2. Molfesius tractat. 4. cap. 4, num. 48. Vivaldus *de sacramentis* cap. 3, num. 15, et alii. Et eandem sententiam non quidem in ea generalitate, sed præcise quantum ad duo

Nugnus. Molfes. Vival.

duo sacramenta baptismi, et ordinis docent graves Auctores, Glossa in cap. *Detrahe* 1, q. 1. Cajetanus tom. 1, *Opuscul.* cap. 26. Sylvester *v. Baptismus* 5, § 2. Scotus in 4, distinct. 6, quæst. 1, § *Dico ego.* Gabriel ibi quæst. 1, art. 2, concl. 8, et alii. Juxta quorum doctrinam concedenda est sequela, et neganda minor : et ad insertam probationem dicendum casum quidem illum esse contingentem, sed tamen in eo non confici sacramentum ob defectum conjunctionis inter materiam, et formam : quare nihil contra communem assertionem colligitur.

18. Sed displicet prædicta responsio, præsertim in ea universalitate, quam adstruit prima sententia. (Quod enim in aliquo sacramento ob specialem ejus institutionem requiratur intimior aliqua conjunctio inter res, et verba, est difficultas longe diversa : a qua pro nunc, quantum fieri valeat, præscindi debet.) Et refellitur primo : quia talis sententia aperit seminarium innumerabilium scrupulorum : cum enim sacramentorum administratio frequentissima sit, et in ea frequentissime contingat actionem, sive rem sacramentalem absolvi ante verborum prolationem, aut e converso; ansam ex ea opinione vel coacti arriperemus dubitandi, ac timendi de plurium sacramentorum valore : quod reputari in his moralibus debet maximum inconveniens. Secundo, quia prædicta sententia, dum excessive attendit ad modum unionis, atque indistantiæ inter materiam, et formam in physicis; vel nihil dicit, vel includere debet materiam, et formam in sacramentis se attingere adæquate, et coexistere simpliciter : sic enim materia, et forma comparantur in componendo totum substantiale : id vero minime admittit talis sententia; cum fateatur sufficere vel minimam coexistentiam secundum aliquam sui partem : nec admittere, aut intendere posset; siquidem manifesta experientia compertum est materiam, et formam sacramentorum rarissime ita conjungi, quod coexistant adæquate secundum omnes suas partes. Tertio, quoniam si omnimoda illa similitudo observanda foret saltem quoad aliquam coexistentiam secundum partem, pariter deberet observari quoad aliquem contactum secundum partem : et quamvis Nugnus, et quidam alii id concedant, minime tamen debet admitti propter maxima inconvenientia, quæ affert, ob incertitudinem circa valorem sacramentorum. Quis enim curat, quod verba prolata, aut eorum prolatio attingant physice baptizandum, aut materiam Eucharistiæ? Quarto, quia tantum abest, quod ex generali ratione sacramentorum requiratur coexistentia, vel contactus inter eorum materias, et formas, ut potius aliqua sacramenta sint, quæ petant oppositum, nempe materiam prius tempore adhiberi, et deinde succedere formam. Sic enim in sacramento pœnitentiæ, quod institutum fuit per modum judicii, materia est sensibilis accusatio, et forma est vocalis absolutio : in quolibet autem judicio recte disposito talis invenitur ordo, quod prius reus se accusat, et deinde judex profert sententiam. Idemque proportionabiliter contingit in matrimonio : nam cum sit pro materiali quidam contractus, minime exigit simultaneam consensuum manifestationem; sed sufficit, congruitque, quod unus succedat alteri. Quinto, et ultimo quia sic tenet communis sententia, quam tuentur Victoria, Soto, Arauxo, Suarez, Henriquez, Toletus, Vega, Saa, Granados, Layman, Villalobos, Bonacina, Heredia, Diana, Leander, Aversa, quos refert, et sequitur Prado in præs. dub. 10, num. 32. Joann. a S. Thoma disp. 22, artic. 6, dub. 2, § *Cæterum neque ista,* Serra artic. 6, ad 1. Gonet disp. 1, artic. 7, § 2, in fine. N. Philippus disp. 2, dub. 2. N. Franciscus cap. 4 dub. 2, ad 3 et 4. N. Bonæspei disp. 1, dub. 4. resolut. 2, num. 47. Dicastillo disp. 1, dub. 3, et alii plurimi.

Plures apud Prado. N. Fran. Joan. a S. Tho. Serra. Gonet. N. Phil. N. Bonæspei. Dicast.

Melior objectionis solutio.

Quare ad objectionem aliter respondetur, nempe quod licet unum, aut alterum sacramentum ex vi modi specialis suæ institutionis exigat coexistentiam physicam, sive præsentiam realem materiæ ad prolationem verborum formæ, ut contingit in Eucharistia, et forte accidit in quibusdam aliis, ut agentes de illis in particulari dicemus : nihilominus sacramenta novæ legis ex communi hac (quam modo consideramus), sacramentorum ratione, minime petunt coexistentiam physicam, minus autem contactum : sed sufficit si habeant præsentiam moralem, quantum scilicet requiritur ad verificandum verba formæ, prout humanus fert usus. Porro ad id non desiderari omnimodam coexistentiam, physicam, sed sufficere immediatam, aut quasi immediatam successionem optime declarat Soto productis exemplis. Nam qui vas ori applicans dicit, *ego bibo,* et continuo bibit

simul censetur dicere, et facere. Et similiter, qui tenens crucem dicit, *ego crucem osculor*, et statim osculum figit, censetur verbum, et actionem conjungere. Pari itaque ratione, qui dicit, *Ego te baptizo : Ego te confirmo,* sufficit, si hæc immediate post, aut etiam prius exequatur : quia proximum tempus est moraliter, atque humano modo præsens.

Ad probationem autem in contrarium, quæ desumitur ex unione, aut conjunctione, quam materia, et forma debent habere; respondemus, quod talis unio, aut conjunctio non debet esse uniformis in omnibus compositis, quæ ex materia, et forma resultant. Nam in composito substantiali necessaria est actualis unio, et præsentiæ simultas : tum ob qualitatem compositi, quod est simpliciter permanens : tum ob conditionem partium componentium, quippe nec materia valet existere sine forma, nec ista sine materia. Cæterum in aliis compositis artificialibus, et in entibus successivis ea coexistentia non desideratur ; sed alia longe inferior est sufficiens. Etenim ut generaliter loquendo duo aliqua comparentur per modum materiæ, et formæ, non requiritur, quod unum recipiatur in alio; sed sufficit, quod unum compleat, et determinet alterum : idque absque rigorosa coexistentia effici valet, ut non obscure constat ex dictis num. 14, et manifestari potest exemplis. Etenim propositio vocalis componitur ex subjecto, et prædicato sicut ex materia, et forma : et tamen certum est, quod subjectum, et prædicatum, ubi propositio dicitur, non coexistunt physice, sed prius est subjectum, et deinde prædicatum. Sic etiam numerus quinarius dierum componitur ex unitatibus quinque dierum, quarum priores habent rationem materiæ, et ultima rationem formæ : et nihilominus constat tales unitates non coexistere, sed unam advenire post aliam. Idem pariter contingit in oratione, quam esse aliquid unum, et veram speciem quantitatis discretæ docent communiter Philosophi, quos referunt, et sequuntur N. Complut. *in Logica* disp. 13, quæst. ultima : constat autem oratio prolationibus syllabarum, quæ discontinuantur aliqua quiete, seu morula : et tamen quia succedunt ordine quodam secundum concentum, constituunt unum compositum ex prædictis prolationibus. Sic igitur ut sacramenta dicantur componi ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma, non requiritur eorum coexistentia, aut contactus : sed sufficit, quod unum alteri immediate, aut quasi immediate succedat, et quod unum aliud in significando determinet. Quanta vero debeat esse hæc per successionem conjunctio, nequit in particulari decerni : sed res morali, atque humano modo æstimari debet. Cavere tamen oportet nimiam interpolationem, quæ præsentiam moralem impediat, et subinde veritatem verborum, et significationem sacramenti.

§ II.

Resolutio dubii quoad alteram partem.

19. Dicendum est secundo sacramenta novæ legis componi ex rebus, et verbis sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Sic docet D. Thom. locis statim referendis. Cui subscribunt discipuli, Nugnus artic. 6, dub. 2. Sylvius ibidem. § *Ex his colligitur*. Arauxo art. 8, dub. 3, concl. 2. Serra artic. 6, dub. unico concl. 2. Joann. à S. Thom. disp. 22, art. 6, dub. 2. Prado in præs. dub. 10, § 2, num. 8, Gonet. disp. 1, art. 7, concl. 3. N. Cornejo tom. 2, in 3 part. tract. 4, circa quæst. 78, disp. unica, dub. 1. N. Philippus disp. 2, dub. 2 ad 2. N. Franciscus tract. 1, cap. 4 dub. 2, num. 23. N. Antonius disp. 2, sect. 1, et alii. Idem etiam tuentur Marsilius in 4, distinct. 1 quæst. 6, art. 2. Valentia disp. 3, quæst. 1, punct. 2. Granados controvers. 3, *de Sacramentis*, tract. 1, disp. 3. Vazquez disp. 129, cap. 3. Lugo disp. 2, sect, 8, num. 53. Dicastillo disp 1, dub. 5, num. 60, et expressius num. 69. Bonacina alios referens disp. 1, quæst. 2, punct, 2, et alii plures.

Probatur primo ex D. Thoma qui nostram assertionem satis evidenter docet. Nam in 4, distinct. 1, quæst. 1, artic. 3 ad 1, ait : « Dicendum, quod sacramentum « est aliquid unum in genere signi, vel « causæ, quorum utrumque relationem im« portat. Non est autem inconveniens, ut « quæ sunt in se distincta, uniantur in re« latione ad aliquid unum : sicut accidit de « multis trahentibus navim, qui sunt una « causa tractus navis. Et sicut pater, et ma« ter sunt unum in generatione. Sic etiam « verba, et res sunt unum in causando « et significando : et per consequens effi« ciunt

« ciunt unum sacramentum. Et quia vir- « tus causandi est in rebus ex verbis « significantibus ; ideo verba sunt forma- « lia, et res materiales per modum, quo « omne completivum forma dicitur. » Et conformiter ad præmissam doctrinam subdit in resp. ad 2 : « Dicendum, quod « sicut Hugo de S. Vict. dicit, ad sacra- « menta concurrunt verba, et res; et facta : « sed facta pertinent ad usum, vel dispen- « sationem sacramentorum. Verba autem, « et res sunt de essentia sacramenti. Et « ideo Magister in his duobus dicit constare « sacramenta, et non in factis. Vel dicen- « dum, quod facta ad res reducuntur. » In quibus verbis non semel, sed iterato significat S. Doctor res, et verba esse partes intrinsecas, et essentiales sacramentorum novæ legis. Tum quia affirmat esse de illorum essentia : quod de extrinsecis satis impropie diceretur. Tum quia ex sententia Magistri docet sacramenta nostra non solum constare ex rebus, et verbis, sed *constare in his* : quamvis autem possit dici aliquid constare ex aliquo extrinseco, sicut objecto, aut termino habitudinis; tamen nihil dicitur constare, aut consistere in aliquo extrinseco, nisi improprie omnino loquendo. Tum quia sicut plures trahentes navim constituunt unam causam totalem tractionis : et sicut pater, et mater constituunt unum principium adæquatum generationis : sic docet, quod res, et verba constituunt unum sacramentum, aut signum rei sacræ : sed ubi plures trahunt navim, causa totalis tractionis constituitur ex tractionibus partialibus sicut ex partibus : ergo pariter sacramentum constituitur ex rebus, et verbis sicut ex partibus. Sed interest discriminis inter exempla, et materiam nostram, quod trahentes navim non comparantur per modum materiæ, et formæ : et ideo non oportet, quod sint partes componentes intrinsece aliquod unum. Idemquo de alio parentum exemplo dicendum est. Sed res, et verba comparantur ad sacramentum sicut materia, et forma, ut expresse docet D. Thom. et constat ex dictis § præced. et materia, et forma pertinent ad intrinsecam constitutionem compositi, ut expendendo rationem magis explicabimus.

Item senten- [?] Non minus perspicue loquitur S. Doctor in hac 3 part. Nam in præs. art. 6, ad 2, affirmat, quod licet res, et verba sacramentorum non constituant unum in esse entis; constituunt tamen unum in esse signi, et sacramenti : quia ratio significandi perfectius est in verbis, quam in rebus. « Et « ideo ex verbis, et rebus fit quodammodo « unum, sicut ex forma, et materia. » Forma autem, et materia sunt partes intrinsecæ, et essentiales compositi. Et infra quæst. 86, artic. 6, in corp. ait : « Omne « sacramentum producit effectum suum non « solum virtute formæ, sed etiam virtute « materiæ : ex utraque enim est unum sa- « cramentum, ut supra habitum est, » videlicet in præs. artic. 6. Si autem ex utroque est unum sacramentum, oportet ex utroque componi : atque ideo ex materia, et forma constitui sicut ex partibus intrinsecis. Denique quasi reassumendo alibi dicta docet infra quæst. 90, artic. 2 : « Du- « plex est pars, ut dicitur in 5 Metaph. « scilicet pars essentiæ, et pars quantitatis. « Partes essentiæ sunt naturaliter quidem « forma, et materia, logice autem genus, et « differentia. Hoc autem modo quodlibet « sacramentum distinguitur in materiam, « et formam sicut in partes essentiæ. Unde « et supra dictum est, quod sacramenta « consistunt in rebus, et verbis. » Partes autem essentiæ, vel in quas rei essentia resolvitur, sunt partes intrincecæ, et essentiales. Ubi notanda sunt duo. Primum, quod S. Doctor generaliter statuit, quod hoc modo quodlibet sacramentum distinguitur, seu resolvitur in materiam, et formam sicut in partes essentiæ : atque ideo ex ejus sententia omnia, et singula legis gratiæ sacramenta constituuntur ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Secundum, quod apud D. Thom. hæ propositiones sunt æquipollentes : « Sacramenta dividuntur in materiam, et formam, et sacramenta consistunt in rebus, et verbis, » ut constat ex eo, quod post primam statim subjungit : *Unde et suprà dictum est* etc. Quare cum posterior propositio frequentissime occurrat in S. Doctore ; toties censendum est, quod virtualiter, et æquipollenter repetat aliam, nempe sacramenta nostra constare ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Quæ videntur tam perspicua, ut tergiversationem non admittant. Quod enim respondet Cabrera D. Thomam non loqui determinate de parte intrinseca ; sed vel de hac, vel de parte extrinseca,

Observanda in verbis D. Tho.

Refutatur Cabrera explicatio.

quæ videlicet vel efficit sacramentum, vel terminat habitudinem alterius partis : id, inquam, tam absurdum apparet, ut non immerito dixerit Gonet prædictum Auctorem *imposuisse D. Thomæ absurdum terminorum intolerabilem.* Tum quia causa efficiens numquam dicitur pars ejus, quod efficit : tum quia nihil resolvitur, nisi in ea, ex quibus componitur, sive intrinsece constituitur. Quare si S. Doctor loqueretur de efficiente, vel de aliquo extrinseco sacramentis; improprie omnino assereret res, et verba, sive materiam, et formam esse partes essentiæ sacramentorum ; et multo magis improprie affirmaret sacramenta distingui, dividi, aut resolvi in materiam, et formam sicut in partes essentiæ.

Fundamentum assertionis. 20. Probatur secundo ratione desumpta ex relatis testimoniis : quoniam omne, quod componitur ex materia, et forma, constat ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et eidem composito essentialibus : sed sacramenta novæ legis componuntur ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma, ut ostendimus § præcedenti : ergo omnia sacramenta novæ legis constant rebus, et verbis tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Cætera constant. Et major ostenditur inductive in omnibus compositis ex materia, et forma : nam quia homo v. g. componitur ex corpore, et anima sicut ex materia, et forma; ambæ illæ partes sunt homini intrinsecæ, et essentiales : et quia concretum accidentale v. g. album constat subjecto, et albedine sicut ex materia, et forma ; propterea subjectum, et albedo sunt partes intrinsecæ, et essentiales respectu albi in esse talis : et denique quia compositum artificiale v. g. cathedra constituitur ex subjecto, et figura sicut ex materia, et forma; idcirco subjectum, et figura intrant illius artefacti compositionem sicut partes intrinsecæ, et essentiales. Verum itaque in universum est compositum ex materia, et forma constare, constituique illis tanquam partibus intrinsecis, et essentialibus. Ratio autem generalis est, quod forma est actus dans speciem, et constituens essentiam in eo ordine, aut genere, in quo exercet officium formæ. Et differentia inter formas substantiales, et accidentales in eo præcise consistit, quod forma substantialis est substantia, sicut materia, quam determinat, et constituitur in eodem genere cum illa : et propterea ex materia, et forma substantiali resultat unum simpliciter ens per se. Formæ autem accidentales, et earum subjectum pertinent ad diversa genera : quare non possunt constituere unum simpliciter ens per se, sed ad summum constituunt unum secundum quid, et in determinato genere, utputa, signi, vel artefacti.

21. Respondet Cabrera majorem hujus argumenti solum verificari in compositis substantialibus, secus in accidentalibus. Et rationem disparitatis assignat, quod in substantialibus tota substantia, ac perinde essentia non salvatur in sola materia, sed complectitur etiam formam : quippe quæ substantia est. Sed oppositum contingit in compositis accidentalibus : quia tota istorum substantia, et consequenter essentia consistit in sola materia ; siquidem forma est accidentalis. Quæ differentia satis in eo elucet, quod composita substantiali supponunt non pro sola materia, sed pro mateteria, et forma unitis : unde falso dicitur : *Homo est materia prima*, sed vere dicitur : *Homo est materia prima, et anima unitæ.* E converso autem composita accidentalia supponunt pro sola materia : quare verificatur: *Cathedra est lignum, sacramentum baptismi est ablutio* etc. Signum igitur est essentiam compositorum accidentalium adæquate salvari in sola materia; forma se habente extrinsece, in obliquo, et de connotato.

Impugnatur. Sed hæc responsio multipliciter confutatur. Primo quidem (idque ad ejus eversionem sufficiebat) manifestando æquivocationem illius Auctoris non distinguentis inter substantiam, et essentiam rei, sive in artefactis, sive in concretis accidentalibus, sive in sacramentis. Aliud namque est, quod tota istorum substantia sit materia, sive subjectum : aliud vero, quod essentialis eorum ratio in sola materia, sive subjecto consistat. Primum quidem verum est : quia solum ratione materiæ, sive subjecti pertinent ad prædicamentum substantiæ; reliqua enim illorum accidentia entitative sunt. Secundum vero est omnino falsum : quia essentialis eorum ratio complectitur formam, per quam constituuntur formaliter in esse artefactorum, et sacramentorum : quippe manifestum est effectum formalem, quem illa artefacta, et sacramenta important, includere necessario, et intrinsece formam, quæ illum præstat : cum effectus formalis non distinguatur ex parte

parte recti a forma ipsum communicante. Ex præmissa autem radice provenit, quod licet artefacta, et concreta accidentalia importent essentialiter formam accidentalem, per quam constituuntur, et quamvis illam immediate, atque in recto significent ; nihilominus in prædicationibus supponant pro materia, sive subjecto : quoniam suppositio semper fit pro eo, quod habet esse simpliciter, sive absolute tale : in hujusmodi autem compositis sola materia, sive subjectum est substantia, et habet esse simpliciter : quare supponunt pro subjecto, sive materia ; quamvis forma etiam ad eorum essentiam pertineat. Secundo, nam ideo sacrementa non componerentur ex rebus et verbis tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus; quia verba sicut non sunt substantia, aut de substantia sacramenti, sic etiam nequeunt dici essentia, aut de essentia sacramenti : ita enim ille Auctor discurrit. Hoc autem fundamentum ruinosum esse, et nullius ponderis, probatur ad hominem. Etenim in illius sententia significatio sacramentalis est forma intrinseca constituens essentialiter sacramentum in esse signi, et sacramenti : et tamen prædicta significatio non est substantia, sed accidens minimæ entitatis, nimirum quædam relatio rationis ; ergo ex eo, quod verba sint non substantia, sed quoddam accidens respectu rerum ; minime infertur, quod non pertineant ad essentiam illius concreti, sive artefacti, quod ex rebus, et verbis constituitur subjectum adæquatum significationis sacramentalis. Si enim sacramentum constat ex hoc subjecto sicut ex materia, et ex significatione sacramentali sicut ex forma, tanquam ex partibus intrinsecis, pertinentibus ad essentiam sacramenti : cur non etiam prædictum subjectum componetur ex rebus sicut ex materia, et verbis sicut ex forma, tanquam ex partibus intrinsecis, pertinentibus ad essentiam illius concreti, sive artefacti ? Quæ similitudo satis declarat multum in his distingui rerum substantiam, et essentiam, atque allucinari eum, qui prædicta non distinguit.

Continuatur impugnatio Concil. Trident. 22. Confirmatur primo : quia Ecclesia potest mutare, quæ non sunt de essentia sacramentorum, ut efficaciter colligitur ex Concilio Tridentino sess. 21, cap. 2. Sed Ecclesia non potest mutare verba, quæ sunt forma sacramentorum, ut ostendemus dub. 4, et ille Auctor non negat : ergo verba sic sunt partes sacramentorum, quod pertinent ad istorum essentiam, atque se habent ut eorum partes intrinsecæ, et essentiales.

Confirmatur secundo : nam essentia sacramenti novæ legis consistit in ratione signi significantis gratiam per ipsa sacramenta productam, ut satis constat, ex dictis disput. præcedent. dub. ultimo : atqui substractum assumptum ad participandum hujusmodi rationem signi, non consistit in solis rebus sumptis seorsim a verbis ; sed consistit in composito ex rebus, et verbis, his se habentibus omnino formaliter, sive per modum determinantis, ut explicuimus § præced. Ergo non solum res, sed etiam verba participant propriam, et essentialem rationem sacramenti : atque ideo sacramentum constat ex illis tanquam ex partibus intrinsecis, et dividitur, seu resolvitur prædicta tanquam in partes essentiæ, ut loquitur D. Thom. in testimonio supra relato. Alia.

Confirmatur tertio : quia si tota essentia sacramenti, sicut, et tota substantia, salvaretur in solis rebus, verbis extrinsece, et in obliquo se habentibus ; sequeretur sacramentum posse absolute, et nomine substantivo de solis rebus prædicari, dicendo v. g. *Aqua, vel ablutio est baptismus, et Panis est Eucharistia :* consequens est falsum : ergo et antecedens : atque ideo tota essentia sacramenti non salvatur in solis rebus, sed complectitur etiam verba. Sequela ostenditur : nam quælibet res non est aliud ab essentia sua adæquate sumpta ; quocirca potest de illa absolute prædicari : et hac de causa, quia homo non est aliud, quam animal rationale, recte dicimus : *Animal rationale est homo :* ergo pariter si tota essentia sacramenti consistit adæquate in rebus, poterit sacramentum de rebus absolute prædicari, recteque diceremus : *Aqua, vel ablutio est sacramentum baptismi.* Falsitas autem consequentis ostenditur : quia in artefactis, cujusmodi sunt sacramenta, absurdum est prædicare totum artefactum de sola materia, ut si dicas : *Aurum est vas, aut lignum est cathedra :* ergo absurdum etiam est dicere: *Aqua est sacramentum.* Alia.

Tertium pro assertione fundamentum. 23. Probatur tertio eadem assertio alia ratione : nam si non esset universaliter verum sacramenta novæ legis componi ex

materia, et forma, sive rebus, et verbis tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus; maxime propter sacramentum Eucharistiæ: sed hoc etiam sacramentum constat ex rebus, et verbis sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus: ergo universaliter verum est sacramenta novæ legis ita componi, et constitui. Major patet tum ob specialem difficultatem in Eucharistia occurrentem: tum quia graves Auctores nobiscum in aliis sentientes solam Eucharistiam excipiunt, ut n. 40 videbimus. Minor autem probatur: nam ideo Eucharistia non posset constitui ex rebus, et verbis tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus, quia Eucharistia est sacramentum permanens, verba autem consecrationis sunt aliquid transiens; et nihil permanens constituitur intrinsece ex aliquo transeunti. Sed istud motivum minime convincere jam supra ostendimus num. 11, quoniam licet verba transeant in esse entis, perseverant tamen in esse signi, quatenus relinquunt species sacramentales determinatas ad significandum corpus Christi præsens: quod species non habent, nisi quatenus subduntur determinationi per verba physice præcedentia, moraliter tamen permanentia. Quod aliqui declarant exemplo mixtorum, in quibus absolute dicitur manere elementa: non quidem, quia maneant in se ipsis; sed quia perseverant in suis virtutibus. Sed quamvis hoc exemplum aliqualiter rem declaret, nequit undequaque illi adaptari ob satis notam disparitatem: nam in mixto vere, et physice remanent aliquæ virtutes, quæ sunt proprietates elementorum. Sed in speciebus nihil vere, et physice relinquitur ex verbis consecrationis. Et qui recurrunt ad quendam modum, haud facile illum declarabunt: insuperque illa via salvabunt quidem compositionem aliquam ex speciebus, et modo, non autem ex speciebus, et verbis; cum tamen non modus, sed verba sint forma talis sacramenti. Quare melius dicitur, ut supra jam significavimus, verba consecrationis transire physice, et in esse entis; sed permanere moraliter, et in esse signi: nam Christus instituit, ut semel prolata significarent simul cum speciebus realem ejus præsentiam in sacramento.

Confirmatio. Confirmatur urgenter, et ad hominem; quoniam Auctores, qui generalem assertionem a nobis propositam limitant in Eucharistia, plane fatentur reliqua sacramenta componi ex rebus, et verbis, sive ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus: atqui frequentissime contingit in aliis sacramentis, quod verba, sive forma non existant physice in esse entis, quando sacramentum perficitur: sed tantum habeant permanere moraliter: ergo prædicti Auctores vel inconsequenter loquuntur; vel fateri debent, aut perseverantiam moralem verborum in Eucharistia sufficere ad hoc, quod tale sacramentum constet ex verbis sicut ex parte intrinseca, et essentiali: aut defectum perseverantiæ physicæ in aliis sacramentis impedire, ne talia sacramenta componantur ex verbis sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Major constat de facto: et consequentia patet a paritate. Minor autem liquet ex dictis n. 18; nam communis sententia tenet non requiri coexistentiam, et coattingentiam physicam inter materiam, et formam sacramentorum: unde si quis dicat, *Ego te baptizo*, et immediate post abluat, perficitur sacramentum: et tamen tunc, cum sacramentum perficitur, non existunt verba, sed solum perseverant moraliter. Idemque evidentius adhuc, et nemine negante, contingit in sacramento pœnitentiæ: nam si post transactos, et præmissos actus contritionis, et confessionis, Sacerdos dicat: *Ego te absolvo*, conficitur sacramentum: ubi manifestum est prædictos actus non coexistere toti sacramento physice, sed tantum moraliter. Ergo frequenter contingit in sacramentis verba, sive formam (et idem intellige de materia) non existere physice, quando sacramentum perficitur, sed solum permanere moraliter.

24. Adde primo omnes asserere, quod sacramenta constant materia, sive rebus sicut aliquo intrinseco, et essentiali: et tamen res, sive materia sacramentorum non semper adest physice, cum conficitur, et perficitur sacramentum, sed solum perseverat moraliter: ergo pariter forma, seu verba possunt esse pars intrinseca, et essetialis sacramentorum, quamvis non permaneant cum illis physice, sed præcise moraliter: et consequenter ex eo, quod sacramentum Eucharistiæ perseveret post verba consecrationis physice transacta, minime infertur talia verba non esse partem illius intrinsecam, et essentialem. Cætera constant. Et Alia.

minor

minor liquet tum exemplo proxime adducto : nam actus pœnitentis, qui sunt materia sacramenti pœnitentiæ, solent esse physice transacti, quando conficitur tale sacramentum per verba absolutionis. Tum etiam quia generale est in aliis præter Eucharistiam sacramentis, quod eorum materia proxima consistat in aliquibus actionibus, ut puta abluendi, ungendi, aut aliquid tradendi : et si post hujusmodi actiones immediate proferatur forma, tenet sacramentum : et tamen tunc, cum forma profertur, tales actiones utpote successivæ sunt physice transactæ, et tantum moraliter perseverant. Ergo res, sive materia sacramentorum non semper adest physice, cum absolvitur sacramentum, sed habet tantum perseverantiam, atque præsentiam moralem.

ia. Adde secundo, quod cum sacramentum constituatur in genere signi ad repræsentandum rem sacram ; omnia illa participant rationem sacramenti, suntque illius intrinsecæ partes, quæ ex institutione Dei participant hujusmodi significationem. Talia autem sunt verba, quibus omnia sacramenta nostra conficiuntur ; sive existant physice, sive existant præcise moraliter, ubi sacramentum conficitur : quippe Deus prædicta verba elevavit ad hujusmodi repræsentationem independenter ab illo determinato præsentiæ modo. Ergo sive adsint physice, sive permaneant moraliter, sunt partes intrinsecæ, et essentiales sacramentorum. Atque ideo ex eo, quod verba consecrationis non persistant physice toto tempore, quo durat sacramentum Eucharistiæ ; non sequitur excludenda fore a ratione partis intrinsecæ, et essentialis respectu talis sacramenti.

§ III.

Duo incidentia dubiola discutiuntur.

or col- s. 25. Cum hactenus ostenderimus res, et verba sacramentorum, sive illorum materiam, et formam esse intrinsecas, atque essentiales eorum partes ; duæ hinc suboriuntur difficultates. Prima, an partes hujusmodi constituant unum aliquod compositione vera, et propria, aut solum metaphorica , et similitudinaria ? Secunda, utrum sicut partes istæ sunt vere duæ ; sic etiam importent duas significationes partiales, ex quibus resultet per compositionem una integra significatio composita ? Et quod ad priorem difficultatem attinet, Bellarminus lib. 1, *de sacram.* cap. 18, Lugo disp. 2, sect. 2, num. 50, Suarez disp. 2, sect. 1, et quidam alii sentiunt compositionem hujusmodi non esse veram, et propriam, sed solum impropriam, aut metaphoricam per quandam analogiam ad naturalia. Quorum fundamentum est, quod unio vera, et propria petit existentiam, et coattingentiam partium ; aliter enim non apparet, qualiter resultare valeat compositum, quod vere, et proprie sit unum : sed res, et verba, sive materia, et forma sacramentorum non habent, aut saltem necessario non exigunt existentiam, et coattingentiam partium, ut constat ex supra dictis num. 18, et 24; ergo compositio ex rebus, et verbis, sive ex materia, et forma sacramentorum non est vera, et propria ; nec ex prædictis partibus resultat aliquid, quod vere, et proprie sit unum. Quædam opinio. Bellarm. Lugo. Suarez.

Aliorum autem sententia est præcedenti summe contraria, dum adstruit hanc compositionem non solum esse veram, et propriam, sed esse etiam physicam. Ita Nugnus ex professo artic. 6, difficult. 2, et in idem inclinat Joann. a S. Thoma disput. 22, artic 6, dub. 2. Quod probant tum quia Conciliorum, et Theologorum verba accipienda sunt cum proprietate : sed Concilia, et Theologi docent sacramenta nostra componi ex rebus, et verbis, sicut ex materia, et forma, ut constat ex supra dictis : ergo talis compositio debet esse vera, et propria : nulla autem apparet compositio, quæ sit vera, et propria, et tamen physica non sit : ergo prædicta compositio est physica. Tum etiam quia compositio ex materia, et forma est compositio physica, ut inductive potest ostendi in omnibus, quæ constant materia, et forma : sed sacramenta componuntur ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma, ut statuimus in prima conclusione : ergo hujusmodi compositio est non solum vera, et propria, sed etiam physica. Tum denique quia non apparet, qualiter aliqua duo sint partes alicujus intrinsecæ, et essentiales, et quod illud physice non componant, et constituant : sed diximus in secunda assertione res, et verba, sive materiam, et formam sacramentorum esse partes eisdem intrinsecas, et essentiales : ergo consequenter asseren- Aliorum opinio. Nugnus. Joan. a S. Tho.

dum est, quod componant sacramenta non solum vere, et proprie, sed etiam physice. Eo vel maxime, quod sacramentum ex prædictis partibus resultans est vere unum non solum in ratione signi, sed etiam in ratione causæ, et instrumenti : nihil autem ex partibus resultans est vere unum nisi tales partes physice uniantur, et physice constituant illud unum : ergo idem, quod prius.

erior nten-tia. 26. Media vero inter prædictas opiniones sententia docet compositionem ex prædictis partibus esse quidem veram, et propriam, non tamen physice, sed moraliter. Soto. Sic docent Soto in 4, dist. 1, quæst. 1, artic. 2, § *Contra hanc*. Arauxo in præs. art. 8, dub. 3, ad 3, Serra artic. 6, in 2 fundamento. Prado dub. 10, § 3, num. 28. N. Philippus disp. 2, dub. 2. N. Franciscus cap. 4, dub. 2, ad 4. Vazquez disp. 128, cap. 2. Granados controvers. 3, tract. 1, disp. 4, et alii. Cui sententiæ tanquam veriori, sicut et communiori, subscribimus. Sed priusquam illam quoad omnes partes probemus, expedit duo satis certa, et communia breviter prælibare. Primum quod dupliciter dicitur aliquid esse physice, aut habere esse physicum : uno modo proprie, cum scilicet concernit materiam physicam, et compositionem physicam : et hoc nunquam contingit absque informatione, vel inhærentia, vel continuatione. Altero modo large, et minus proprie : et sic esse physicum coincidit cum esse reali, et hoc modo physicum dicitur quidquid habet esse ante intellectum : in quo sensu modus unionis hypostaticæ, et modus præsentiæ Christi ad species sacramentales solet a Patribus, et Theologis modus *physicus* appellari : non quia materialis, aut naturalis sit ; sed quia verus, et realis est. In præsenti autem cum affirmamus compositionem ex partibus in sacramento non esse physicam, loquimur in priori sensu omnino proprio; sed non negamus esse physicam in alio sensu, cum potius dicamus esse veram, et realem. Secundum frequenter contingere, quod aliquid dicatur vere, et proprie tale in uno ordine, quod comparative ad alia, et ad alium ordinem dicitur tale solum æquivoce, aut analogice, ut recte observavit Prado ubi supra, et patet in Angelis, qui vere, et proprie sunt in loco; et nihilominus comparative ad modum, quo corpora habent esse in loco, nempe circumscriptive, dicuntur esse in loco æquivoce, ut loquitur D. Thom. 1 part, quæst. 52, art. 1, et quodlib. 4, art. 1, et alibi. Cum igitur asserimus compositionem sacramentorum ex suis partibus esse veram, et propriam, solum intendimus quod sit talis in suo ordine; non vero, quod possit talis dici per comparationem ad composita aliorum ordinum : idque satis expressimus adjungendo : *Non tamen physice, sed moraliter*.

Motiva pro vera sententia. His suppositis resolutio nostra suaderi valet ex ipsismet motivis adversantium opinionum : nam quæ posterior expendit, probant unionem, sive compositionem istam esse veram, et propriam : quæ autem prior affert, evincunt non esse physicam : sequitur igitur, quod sit vera, et propria compositio, non quidem physice, sed moraliter. Suadetur insuper discurrendo per singulas ejus partes. Et quidem prædictam compositionem esse veram, et propriam ostenditur in hunc modum : nam repugnat compositum ex partibus esse unum vere, et proprie, nisi partes, ex quibus constituitur uniantur unione, sive compositione vera, et propria : sed sacramentum v. g. baptismi (et idem proportionabiliter dicimus de ceteris sacramentis), compositum ex ablutione, et verbis sicut ex materia, et forma est unum sacramentum vere, et proprie : ergo prædictæ partes uniuntur ad constituendum sacramentum unione, sive compositione vera, et propria. Consequentia est legitima. Et major evidens : quia compositum ex partibus non habet esse unum per simplicitatem, sed per compositionem, ut ex terminis liquet : ergo habet esse unum juxta modum unionis, et compositionis inter prædictas partes : et consequenter implicat, quod compositum sit vere, et proprie unum; et unio, sive compositio partium non sit vera, et propria. Præsertim quia ubi partes non uniuntur vere, et proprie, ibi non datur simpliciter unum, sed plura. Minor autem ostenditur : tum quia si sacramentum baptismi non esset unum vere, et proprie, sequeretur sacramentum baptismi esse vere, et proprie plura sacramenta : id vero est manifeste absurdum, et contra communem omnium apprehensionem : quippe omnes censent puerum, qui baptizatur, unicum suscipere sacramentum : ergo sacramentum baptismi est unum sacramentum vere, et proprie. Tum etiam

etiam quia sacramentum baptismi constituitur in genere signi, aut etiam (ut cum Adversariis loquamur), in genere causæ producentis gratiam regenerativam : atqui sacramentum baptismi, licet ex diversis rebus, et verbis coalescat, est vere, et proprie non plura signa, seu plures causæ prædictæ gratiæ ; sed unum signum, et una causa : ergo sacramentum baptismi ex illis partibus constitutum est unum samentum vere, et proprie.

[Co]nfirmatio. 27. Confirmatur destruendo, et diluendo motivum contrariæ opinionis : nam ideo compositio, sive unio partium constituentium sacramentum non esset vera, et propria, quia tales partes non habent, aut saltem non petunt essentialiter coexistentiam, et coattingentiam physicam : sed hæc ratio est nulla : ergo etc. Probatur minor : quia ad unionem veram, et propriam, ex qua resultet aliquod vere, et proprie unum, non requiritur generaliter coexistentia, et coattingentia partium, sed sufficit successio, et ordo in ordine ad constituendum aliquod unum. Sic enim oratio componitur vere, et proprie ex syllabis, et constituit veram speciem quantitatis ; licet syllabæ simul non concurrant, sed decurrente una, succedat alia. Sic etiam quinarius dierum vere, et proprie componitur ex eorum unitatibus : quamvis simul non concurrant, sed alia sit præterita, et alia præsens. Ergo generaliter loquendo, ut compositum ex partibus resultans sit vere, et proprie unum, et consequenter constituatur per compositionem veram, et propriam, non desideratur coexistentia partium. Unde D. Thom. 7, Metaph. lect. 17, [D.] Tho. inquit : « Compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo uno : quod est « vel forma, ut patet in corpore mixto : « vel compositio, ut patet in domo : vel « ordo, ut patet in syllaba, et numero. Et « tunc oportet, quod totum compositum sit « unum simpliciter. » Recolantur supra dicta num. 18.

[M]ajor [ex]plicatio. Ex quibus, et ex proxime dictis haud obscure declaratur, qualiter ablutio, et verba, licet physice non coexistant, componant tamen vere, et proprie unum sacramentum baptismi : nam istarum partium unio in id ordinatur, ut constituatur unum susceptivum significationis sacramentalis cum fundamentali proportione ad significationem hujusmodi. Concurrunt autem prædictæ partes ea ratione, quod ablutio est materia determinabilis, verba vero sunt forma determinans. Ut enim egregie tradit D. Thom. artic. 6 : « Ad perfectionem significationis sacramentalis ne« cesse fuit, ut significatio rerum sensibi« lium per aliqua verba determinaretur. « Aqua enim significare potest, et ablutio« nem propter suam humiditatem, et « refrigerium propter suam frigiditatem. « Sed cum dicitur : Ego te baptizo, manifes« tatur, quod aqua utimur in baptismo « ad significandam emundationem spiri« tualem. » Porro ut res determinentur, et verba determinent, minime requiritur coexistentia, et contiguitas inter prædictas partes : nam æque bene determinatur significatio rerum per significationem verborum, sive verba sint physice præsentia, sive paulo post proferantur : siquidem utroque modo manifestatur ablutionem non fieri vel propter emundationem, vel ob refrigerium ; sed ad significandum spiritualem emundationem. Igitur ut prædictæ partes constituant vere, et proprie suum compositum nempe signum fundamentale, sive (et in idem redit) unicum fundamentum significationis sacramentalis, nihil refert, quod physice concurrant simul, aut non. Unde convulsum relinquitur fundamentum primæ opinionis, quin opus sit alia respondere.

28. Quod vero prædicta compositio non sit physica (ut asserebat secunda opinio), quæ est secunda pars nostræ resolutionis, ostenditur : quia omnis compositio physica vel fit per informationem, ut in compositis substantialibus : vel fit per inhærentiam, ut in concretis accidentalibus ; vel fit per realem continuationem, ut in omnibus successivis : atqui nullo ex prædictis modis partes sacramentorum petunt inter se uniri ; siquidem manifestum est verba non informare res, nec inhærere rebus, nec semper cum rebus realiter continuari : ergo unio, et compositio partium sacramentorum non est physica. Et si cum Nugno fiat recursus vel ad contactum, vel ad aliquem modum ex verbis relictum ; eadem facilitate præciditur recursus ille : quia in primis nullus contactus est necessarius ; et opposita theologia innumeros parit scrupulos circa valorem sacramentorum ob illius contactus carentiam, quæ frequentissime contingere valet. Modus vero Motivum ejusdem resolutionis quoad aliam partem.

ille ex verbis relictus, ut eo medio res attingant, aut illis uniantur fictitius est, et qui multoties convincitur impossibilis. Nam si pœnitens v. g. heri præmisit confessionem, et alios actus, qui sunt materia sacramenti pœnitentiæ, et hodie absolvatur; quam materiam physice præsentem reperient verba absolutionis, cui modum illum imprimere queant? Et qua ratione copulabuntur physice res, et verba, quæ habent tantam physicam distantiam, sive elongationem?

Confirmatio 1. Confirmatur primo: quia compositio debet esse juxta conditionem, et ordinationem totius compositi, quod ex ea resultat: atqui sacramentum, quod est compositum resultans ex rebus, et verbis, sicut ex materia, et forma, non est unum physice, sive in esse entis, sed solum moraliter, atque in ratione signi fundamentalis ex institutione divina: manifestum quippe est hanc rationem fundandi significationem sacramentalem convenire rebus, et verbis ex solo Dei beneplacito, licet in eisdem rebus supponat aliquam proportionem: ergo compositio sacramentorum ex suis partibus non est physica sed moralis. D. Tho. Qui discursus desumitur ex D. Thom. art. 6, ad 2, ubi ait: « Quamvis verba, et aliæ res « sensibiles sint in diverso genere quantum « pertinet ad naturam rei; conveniunt ta- « men in ratione significandi, quæ per- « fectius est in verbis, quam in aliis rebus. « Et ideo ex verbis, et rebus fit quodam- « modo unum in sacramentis. »

Confirmatio 2. Confirmatur secundo: nam ut duo extrema componant aliquid compositione physica, debent esse extrema physica, et existere physice vel formaliter, vel virtualiter, hoc est, vel in se ipsis, vel in aliquo effectu physico ex eisdem relicto: quodlibet enim horum deficiat, nempe vel entitas physica, vel præsentia physica formalis, aut virtualis, impossibile est, quod resultet compositum physicum; siquidem compositum non aliud est, quam extrema, sive componentia unita. Sed ut conficiatur sacramentum, non requiritur existentia physica formalis, aut virtualis extremorum, sive partium, ex quibus sacramentum constituitur. Ergo sacramentorum compositio ex suis partibus non est physica. Minor patet: quia ubi peracta ablutione paulo post proferuntur verba, *Ego te baptizo*, etc., perficitur sacramentum: et tamen tunc ablutio nullo modo existit physice: non quidem formaliter, in se, cum supponatur præcessisse, et jam non esse: nec etiam virtualiter, sive in effectu; quippe talis effectus ablutionis assignari non valet, et quamvis aliquis assignaretur, impertinenter se haberet ad sacramentum. Eademque probatio urgentius adhiberi potest tum in sacramento pœnitentiæ, ubi confessio potest per plures horas præcedere absolutionem: tum in sacramento matrimonii, ubi unius conjugis consensus potest præcedere alterius consensum per plures dies, et menses, et in quacumque loci distantia. Ergo ut conficiatur sacramentum, non requiritur existentia physica formalis, aut virtualis partium, sive extremorum, ex quibus sacramentum constituitur.

29. Conjungendo autem hactenus dicta, non egemus alia probatione, ut persuadeamus ultimam nostræ resolutionis partem, nempe compositionem sacramentorum esse moralem, sive ex institutione divina in ordine ad prudentem æstimationem. Quoniam prædicta compositio est vera, et propria, ut statuimus contra primam opinionem: sed non est physica, ut contra secundam ostendimus: ergo est moralis, et moraliter æstimanda. Patet consequentia a sufficienti partium dinumeratione. Eo vel maxime, quod sacramentum v. g. baptismi resultans ex diversis extremis, atque diversorum ordinum (cujus modi sunt res, et verba), est unum ens non quidem physice, et in esse entis, sed moraliter, et in esse signi: atque ideo oportet, quod compositio ex prædictis partibus moralis sit. Quod magis constabit dissolvendo motiva contrariæ opinionis. Altera resolutionis pars suadetur.

Ad primum respondemus verba Conciliorum, et Theologorum verificanda esse cum majori proprietate, quam materia, cui applicantur, permittit. Ea autem, quam modo versamus, non admittit compositionem physicam ob superius dicta. Et ideo licet ob reverentiam Conciliorum, et Theologorum dicamus compositionem sacramentorum ex suis partibus esse veram, et propriam; obligamur tamen hanc proprietatem, et veritatem non constituere in ordine physico, sed in ordine morali secundum prudentem æstimationem, et per analogiam ad naturalia. Ad secundum dicendum est compositionem ex materia, et forma esse physicam, ubi hæc extrema per informationem, Convelluntur motiva contraria.

informationem, aut inhærentiam, aut continuationem, aut ordinem realem uniuntur, et ubi talia extrema habent physicam præsentiam formalem, aut virtualem. Quod non salvatur in extremis componentibus sacramenta, ut supra ostendimus : et ideo licet talia extrema comparentur per modum materiæ, et formæ, quatenus unum se habet ut determinabile, et aliud ut determinans ; nihilominus non uniuntur compositione physica, sed morali. Ad tertium respondetur eodem modo, quod cum sacramentum sit unum aliquod non physice, sed moraliter; stat bene res , et verba, sive materiam, et formam, ex quibus constituitur, esse intrinsecas, atque essentiales ejus partes ; et quod nihilominus illud non componant compositione physica, sed compositione morali. Unde etiam evacuatur difficultatis augmentum: nam licet sacramentum ex suis partibus resultans sit vere unum tam in ratione signi, quam in ratione causæ; tamen prædicta unitas non est physica, sed moralis : et ideo non oportet, quod ejus partes componant physice, sed moraliter.

Proponitur secunda difficultas.

30. Ex præmissa vero resolutione arduum non erit colligere decisionem alterius difficultatis n. 25, propositæ. Ad quam Bellarminus lib. 1, *de sacram.* cap. 18, proposit. 3, et Suarez disput. 2, sect. 2, in fine, respondent in sacramentis nostris distinguendas esse duas significationes partiales, aliam rerum, aliam verborum : ex quibus constituitur una significatio totalis, non simplex, sed composita. Quod probant primo : quia antequam fiat conjunctio inter res, et verba, tam res, quam verba habent suas proprias significationes; siquidem significatio rerum est naturalis, significatio autem verborum est ad placitum : sed per conjunctionem ad constituendum sacramentum non amittunt prædictas significationes : ergo illas retinent in sacramento : atque ideo totalis hujus significatio erit composita ex prædictis significationibus. Secundo id probant exemplo rerum artificialium, in quibus figura totalis artefacti componitur ex peculiaribus figuris partium artefacti : sic enim partes domus per suas partiales figuras concurrunt ad componendum unam totius domus figuram : ergo pariter significatio totalis sacramentorum componitur ex significationibus partialibus rerum, et verborum, quæ ad componendum sacramenta concurrunt.

Opinio Bellarm. et Suarii.

Refellitur.

Sed prædicta opinio communiter rejicitur, et videtur ex sola æquivocatione procedere. Quam vitabimus observando duas significationes in sacramentis distinguendas esse. Nam alia est significatio sacramentalis: qua sacramenta ex institutione divina repræsentant immediate gratiam in eisdem productam juxta dicta disput. præcedent. dub 2 et 3. Alia vero est significatio fundamentalis, quæ consistit in rebus, et verbis electis, atque assumptis a Deo ad munus sacramenti, et ad participandam significationem sacramentalem. Quamvis enim Deus posset ad id assumere, quidquid vellet; congruenter tamen voluit illa assumere, quæ habent aliquam proportionem, ut secundum analogiam manuducant in notitiam eorum, quæ in sacramentis fiunt. Sic assumpsit aquam ad significationem emundationis spiritualis : assumpsit panem, et vinum ad repræsentandum spiritualem refectionem, et sic de aliis. Quia vero oportebat significationem sacramentorum legis gratiæ esse magis claram, et distinctam; propterea adjunxit eis verba, signa scilicet de se magis expressa, per quæ obscura rerum significatio determinetur, et fiat magis perspicua, ut constat ex supra dictis in hac disp. Unde ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma resultat compositum, quod Deus assumit ad officium sacramenti, et cui tanquam fundamento communicat ex suo placito sacramentalem significationem tanquam formam, per quam illud compositum constituitur formaliter in ratione proprii sacramenti. Juxta hanc igitur doctrinam, quæ satis superque constat ex dictis in hoc tractatu, ad propositam quæstionem respondendum est significationem sacramentalem esse unicam, et indivisibilem : significationem vero fundamentalem esse compositam ex duabus, quæ tamen non concurrunt ut plures, sed quatenus constituunt unicum materiale, seu fundamentum, cui sacramentalis significatio applicatur. Sic sentiunt communiter Theologi saltem quoad primam, et præcipuam hujus resolutionis partem. Cajetanus in præsenti art. 6, ad 2 et infra quæst. 73, artic. 2 et quæst. 78, artic. 4, in fine. Cabrera artic. 6, disput. 1, a num. 41. Joann. a S. Thom. disput. 22, artic. 6, dub. 1, § *Nihilominus* Prado in hac quæst. dub. 10, § 5, num. 43. Scotus in 4, distinct. 3, quæst. 1. Vazquez disp. 129, cap. 2, a num. 20. Lugo disp. 2,

Vera sententia proponitur.

Cajet. Cabrera. Joan a S. Tho. Prado Scotus. Vazq. Lugo.

Dicast. sect. 2, num. 42. Dicastillo disp. 1, dubit. 3 a num. 43, et alii apud istos.

Ratio fundamentalis. 31. Probatur ratione satis efficaci : nam cum sacramentum constituatur in genere signi, unum sacramentum debet esse unum signum : sed signum constituitur formaliter per significationem tanquam per formam; sicut quantum constituitur per quantitatem, et album per albedinem : ergo ad constituendum unum sacramentum sufficit una significatio : atque ideo in uno sacramento non dantur plures significationes sacramentales.

Fuga Suarii præciditur. Nec momenti erit, si cum Suario respondetur hoc motivum solum evincere, quod in sacramento uno non dentur plures significationes sacramentales totales; secus autem, quod non dentur plures significationes partiales, ex quibus resultet una significatio composita. Quinimo magis infertur oppositum : nam sicut res, et verba, quæ fundant significationem sacramentalem, sunt plura in re, et unum per compositionem : sic oportet sacramentalem significationem in eis fundatam esse multiplicem partialiter, et compositione unam. Id, inquam, nihil valet : quoniam significatio sacramentalis est quædam relatio : sed relatio potest esse una, et simplex, atque indivisibilis, quamvis consequatur ad subjectum ex partibus compositum : ergo licet significatio sacramentalis innitatur fundamento composito ex rebus, et verbis, potest esse una, et indivisibilis. Minor constant exemplis : nam paternitas, filiatio, similitudo, et hujusmodi consequuntur frequenter ad fundamenta composita, utputa ad hominem, ad concreta accidentalia, et ad similia : et tamen prædictæ relationes sunt in se simplices, sive ex partibus non compositæ. Relatio etiam similitudinis, aut dissimilitudinis, aut proportionis inter numeros, fundata in prædictis numeris compositis ex unitatibus est una, et simplex : non enim imaginandum est, quod quaternarius habens quatuor unitates habeat etiam quatuor relationes, vel similitudines, quibus referatur ad alium quaternarium, vel dissimilitudinis, quibus referatur ad numeros specie diversos. Et quod ad præsentem materiam magis adhuc accedit, oratio quamvis componatur ex syllabis, aut nominibus, tamen habet significationem simplicem, ut expresse affirmat D. Thom. in 4, ad Annibald. (D. Tho.) disp. 8, art. 2, significatio autem orationis quædam relatio est. Ergo relatio potest esse una, simplex, et indivisibilis, quamvis consequatur fundamentum, sive subjectum ex partibus compositum. Et quod relatio significationis, de qua agimus, non solum possit esse, sed sit hujusmodi, ostenditur : quoniam unitas relationis magis attenditur penes rationem fundandi proximam, et penes terminum ejus formalem, quam penes subjectum, aut fundamentum : sed quamvis fundamentum significationis sacramentalis sit compositum, nihilominus ratio fundandi proxima, et terminus formalis sunt simplices : quippe ratio proxima fundandi hujusmodi relationem, sive significationem est unica ordinatio divina; et terminus formalis est res sacra, sive gratia in sacramento producta : ergo prædicta relatio est una, simplex, et indivisibilis, non obstante compositione ex parte subjecti, seu fundamenti.

32. Confirmatur, et declaratur amplius : nam licet res, et verba, ex quibus componitur subjectum susceptivum significationis sacramentalis, sint duo aliqua realiter distincta, atque exerceant inter se causalitates per modum materiæ et formæ; nihilominus non assumuntur ad participandum sacramentalem significationem, ut sunt duo, sed ut sunt unum, et comparantur per modum unius : ergo significatio sacramentalis, quæ illi susceptivo communicatur, non est multiplex, sed una, et simplex. (Roboratur idem discursus.) Antecedens suadetur : quia etsi in rebus reperiatur aliqua proportio, ut secundum analogiam repræsentent effectum sacramenti; et similiter inveniatur eadem, et major proportio in verbis : nihilominus Deus ad hujusmodi repræsentationem, aut significationem, non assumit res sine verbis, nec verba sine rebus; sed assumit compositum ex utrisque ita quod significatio sacramentalis non conveniat partibus, ut partibus, sed soli composito, ut habet esse unicum totum. Ergo licet res, et verba sint duo aliqua, tamen non comparantur in significando ut duo, sed ut unum, et per modum unius. Sicut si quis uteretur symbolo ensis supra cononam ad significandum regem cæsum, aut superatum; significatio hæc non competeret ensi soli per se, nec coronæ soli per se, et quatenus plura sunt; sed competeret eisdem, ut symbolum unum constituunt, et se habent per modum unius :

quare

quare non daretur significatio partialis ensis, et significatio partialis coronæ; sed una significatio totalis, et simplex regis devicti. Quod a fortiori dicendum est in præsenti, ubi præter significationem naturalem rerum, et significationem ad placitum verborum, advenit significatio sacramentalis ex institutione divina, quæ præcedentes significationes respicit ut quid materiale, actuatque per modum formæ constituendo ultimo sacramentum.

Confirmatur amplius. Ad hæc: ubi aliquid advenit partibus, non ut partes sunt, sed quatenus constituunt aliquod unum, integrum, et completum in aliqua linea; illud, quod advenit, non est compositum, sed quid simplex. Hac de causa, quia substantia terminat in linea substantiæ essentiam completam, non vero partem ut partem; propterea licet essentia constet ex partibus, substantia est simplex, et non multiplicatur in eodem composito substantiali v. g. in homine, leone, etc. Et similiter, quia existentia est terminus, aut forma rei perfectæ, et completæ; idcirco quamvis essentia habeat partes physicas, existentia tamen illis caret, et simplex est, ut diximus in tract. *de Incarnat.* disp. 8, a n. 27. Et si Suarius non admittat hæc exempla; communia tamen sunt in Schola D. Thomæ, et satis frequentia apud alios graves Theologos. Cum igitur significatio sacramentalis adveniat rebus, et verbis, non quatenus habent significationes fundamentales partiales, et incompletas; sed quatenus constituunt unum aliquod susceptivum completum ex omnibus illis resultans; sequitur significationem sacramentalem commensurandam fore non pluritati illarum partium, sed unitati compositi: et consequenter non coalescere ex significationibus partialibus, quarum una correspondeat rebus, et alia correspondeat verbis; sed esse unam, et simplicem, atque unitati totius compositi, sive susceptivi respondere.

Convelluntur motiva contraria. 33. Ea vero, quibus suadebatur contraria opinio num. 30 relata, facile dissolventur juxta doctrinam proxime traditam. Nam primum solum probat significationem fundamentalem in sacramentis componi ex significationibus rerum, et verborum; secus autem, quod significatio sacramentalis, quæ per modum formæ sacramentum constituit, composita sit. Hæc enim, ut ostendimus, non tam proportionatur fundamento, quam rationi fundandi proximæ, quæ est unica institutio Dei ad placitum in ordine ad unum principale, et immediatum significatum. Et rursus non commensuratur fundamento, quatenus materialiter est multiplex, et plura importans; sed quatenus importat unitatem, et quatenus illa plura concurrunt per modum unius: quare non trahit divisibilitatem a multitudine, sed simplicitatem ab unitate. Secundum falsum supponit: nam figura totalis domus non est qualitas composita ex figuris partium, utputa lapidum: et lignorum, quæ frequenter habent solum figuram a natura; sed est quædam qualitas, simplex, atque una in specie, et numero, quam supra, et præter naturales partium figuras inducit ars. Permissa autem hujus figuræ totalis compositione, minus recte trahitur exemplum ad materiam, quam versamus: quia significatio sacramentalis, quæ formaliter, et ultimo sacramentum constituit, est omnino diversa a significatione partium componentium fundamentum: non enim est a natura, ut in rebus contingit, nec ex placito hominum, ut in verbis accidit: sed est unice a Deo auctore supernaturali, qui pro suo arbitrio ordinat res, et verba sacramentorum ad significandum gratiam: et sicut institutio divina est una, sic etiam est ratio fundandi unicam significationem, aut relationem.

34. Sed adhuc insistes: quoniam sacramentum Eucharistiæ habet duas partes, quarum quælibet componitur ex materia, et forma, fundatque distinctam significationem sacramentalem: ergo non est universaliter verum significationem sacramentalem esse unam, simplicem, et indivisibilem. Consequentia patet. Et antecedens suadetur: nam hostia consecrata, quæ de materiali importat materiam, et formam diversas a materia, et forma vini consecrati, habet etiam significationem sacramentalem distinctam: panis enim consecratus significat gratiam reficientem animam per modum cibi; vinum vero significat gratiam reficientem per modum potus: similiter panis habet significationem independenter a vino, siquidem consecrati, et consummari valet sine illo; et e converso vinum habet significationem independenter a pane, ut convincitur eodem motivo. Ergo sacramentum Eucharistiæ habet partes, quarum quælibet importat distinctam significationem sacramentalem. Eadem replica fieri potest: Replica.

in sacramentis habentibus diversas materias, et formas partiales, ut in ordine, et extrema unctione : nam quælibet pars importat significationem sacramentalem distinctam a significatione sacramentali alterius partis : cujus manifestum signum est, quod una pars significat antecedenter ad aliam, ut cum oculi inunguntur, prius quam aures.

Responsio. Respondetur admittendo antecedens in sensu statim declarando, et negamus absolute consequentiam. Nam significatio sacramentalis, quæ ultimo, et formaliter constituit sacramentum, semper est unica, et indivisibilis ob ea, quæ supra diximus. Cum quo tamen cohæret, quod partes integrantes totum sacramentum, ubi habent distinctas materias, et formas, importent distinctas significationes sacramentales : quia hujusmodi significationes sacramentales partium non componunt unam significationem totalem, nec uniuntur : sed potius sunt independentes, et quandoque separantur, ut ipsa objectio probat. Quare ultra, et præter illas advenit ex institutione divina una integra sacramentalis significatio, quæ sacramentum ultimo, et formaliter constituit in esse unius sacramenti. Et sic contingit in Eucharistia : quippe hoc sacramentum significat integram animi refectionem : quare præter significationem panis, et significationem vini, importat aliam tertiam significationem totalem, unam tamen, et simplicem, atque a præcedentibus diversam, per quam Eucharistia est unum sacramentum. Sicut etiam in domo dantur plures partes habentes distinctam materiam, et formam, atque figuram : et tamen forma ultimo constituens domum, quæ est figura, non componitur ex figuris partium ; sed est alia qualitas simplex, sive ex partibus non composita. Quo exemplo in re præsenti utitur D. Thom. infra quæst. 73, art. 2 in corp. ubi concludit : « Hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter, et perfective. » Et ad 2 : « Panis, et vinum materialiter quidem sunt plura signa : formaliter vero, et perfective unum, in quantum ex eis perficitur una refectio. » Et ad 3 : « Ex hoc, quod est duplex consecratio materiæ hujus sacramenti, non potest plus haberi, nisi quod hoc sacramentum materialiter est multa. » Idemque cum proportione respondendum est ad alia sacramenta, in quibus interveniunt diversæ partes habentes materias, et formas distinctas. Nam, ut inquit D. Thom. in 4, distinct. 23, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 2 ad 1 : « Unitas totius perfecta non tollitur propter diversitatem materiæ, aut formæ, quæ est in partibus totius. Sicut constat, quod non est eadem materia carnis, et ossis, ex quibus constituitur unus homo; nec eadem forma. Et similiter etiam in sacramento Eucharistiæ, et in hoc sacramento (nempe extremæ unctionis) pluritas materiæ, et formæ unitatem sacramenti non tollit. » Ac perinde nec simplicitatem unius significationis sacramentalis totalis, per quam unumquodque illorum sacramentorum constituitur in esse unius.

(Margin: D. Tho. — Idem.)

§ IV.

Referuntur opiniones contra secundam conclusionem, et eorum motivis satisfit.

35. Adversus primam nostrarum assertionum non reperimus Auctores, quos referamus, nec occurrunt nova argumenta, quæ superemus, præter objectiones § 1 jam dilutas. Sed contra secundam conclusionem sunt duæ sententiæ. Prima universaliter negat sacramenta nostra componi ex rebus, et verbis, sive ex materia, et forma tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus : censet namque essentiam talium sacramentorum adæquate, et intrinsece salvari in solis rebus, sive materia, connotando tamen verba tanquam formam, aut determinationem extrinsecam. Solet pro hac sententia referri Soto in 4, dist. 3, quæst. unica, art. 1, ad 3. Sed Soto id non docuit, ut bene ostendunt Vazquez disp. 129, cap. 3, et Prado ubi supra num. 5; nam prædictus Auctor solum asseruit, et quidem merito, concretum accidentale non supponere pro aggregato ex subjecto, et forma, sed solum pro subjecto informato, sive habente, et connotante formam : quæ est assertio valde diversa, et nostræ minime præjudicans, ut infra videbimus : quare non debet Soto allegari pro ista opinione. Sed eam tuentur Petrus de Ledesma in tract. *de Matrimonio* quæst. 44, art. 3, dub. 2, conclus. 3, et Petrus de Cabrera in præs. art. 2, disp. 2, num. 7, ubi statuit : « Sacramentum non est compositum

(Margin: Prima opinio contraria. — Ledesm. — Cabrera.)

« positum ex rebus, ut materia, et verbis « ut forma tanquam ex partibus essentia- « libus, intrinsece componentibus essen- « tiam sacramenti. Hæc conclusio est com- « munis Thomistarum, imo vero omnium « Theologorum, exceptis Suario, et Nu- « gno. Estque expressa Aristotelis 7 *Physicor*. text. 17, etc. » Sed doctus hic vir multum in hac parte deceptus est : nam
Nota. quod communiter Thomistæ, et alii Theologi non ejus, sed nostram prosequantur sententiam, evidenter constat ex allegatis num. 19, cum e converso pro ejus opinione non alium possimus referre, nisi Ledesmam. Rursus nimium apparet dicere, quod ejus doctrina in hac parte fuerit expresse tradita ab Aristotele 7, *Physic*. Nam cum Philosophus nec de sacramentis egerit, nec illa cognoverit ; quis ita desipiet, ut credat docuisse expresse sacramenta legis gratiæ non componi ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus ? Sed hæc non admodum referentia omittendo.

Arguitur ab auctoritate : nam Concilium
[P]rimum argumentum. Florentinum num. 13 allegatum inquit : « Hæc omnia sacramenta tribus perficiun- « tur, rebus tanquam materia, verbis tan- « quam forma, et persona ministri con- « ficientis sacramentum cum intentione « faciendi, quod facit Ecclesia. » In quo
[C]oncil. [Fl]orent. testimonio duo expendi debent. Primum Concilium non dixisse sacramenta *componuntur*, sed *perficiuntur* : et tamen si sacramenta nostra constarent materia et forma sicut ex partibus essentialibus : Concilium in proprietate sermonis uti deberet verbo potius, *componuntur*, quam *perficiuntur* : ergo ex ejus sententia materia, et forma non sunt partes essentiales sacramentorum. Secundum Concilium eodem modo loqui de ministro sacramenti, ac de materia, et forma : certum autem est ministrum non esse partem intrinsecam, et essentialem sacramenti : ergo idem de materia, et forma sentiendum est.

[C]onfirmatio. [D]. Tho. Confirmatur ex D. Thom. qui infra quæst. 84, art. 1, ad 2, formam sacramenti pœnitentiæ appellat *complementum sacramenti* : sed complementum supponit essentiam rei constitutam : ergo forma, seu verba sacramenti pœnitentiæ (et idem est de aliis), supponit prædictum sacramentum constitutum in sua essentia : atque ideo nequit ad illud comparari per modum partis essentialis, et intrinsecæ. Et ad eundem sensum expendi valet expressum illud testimonium Philosophi 7, *Physic*. ubi docet rem artificiatam supponere pro materia, et *perfici per formam* : ergo in artefactis (cujusmodi sunt sacramenta), forma non est essentia, nec pars essentiæ, sed quædam essentiæ perfectio.

36. Ad fundamentum : respondetur Con- Solvitur argumentum.
cilium Florentinum verbis satis expressis, si non formalibus, saltem æquivalentibus statuisse assertionem nostram, nempe sacramenta nostra constare ex rebus et verbis sicut ex partibus essentialibus, et intrinsecis. Nam aperte affirmat perfici illis tanquam materia, et forma : eæ autem sunt partes intrinsecæ, et essentiales entis, ad quod spectant, ut ostendimus a num. 20. Unde ad primam ponderationem respondemus Concilium usum fuisse voce potius *perficiuntur*, quam *componuntur* : non quia senserit in sacramentis nostris non dari veram compositionem ; sed quia comprehendere voluit simul cum materia, et forma personam ministri. Et cum sacramenta non componantur ex persona ministri ; propterea Concilium omittendo verbum *componuntur* (quo profecto uteretur, si solum ageret de rebus, et verbis sacramentorum), adhibuit generalius vocabulum, *perficiuntur*, quod aptum erat ad comprehendendum tam intrinsecas partes, quam extrinsecam causam efficientem. Ad secundum dicendum est Concilium aliter omnino loqui de rebus, et verbis sacramentorum, ac de ministro : nam illa dicit comparari *tanquam materiam, et tanquam formam* : quæ duo comparantur ad rem, cujus sunt, sicut partes intrinsecæ, et essentiales. Minister vero solum appellatur a Concilio conficiens, sive efficiens : et manifestum est causam efficientem esse intrinsecam, et minime pertinere ad intrinsecam rei constitutionem.

Minus adhuc urget confirmatio : quia Diluitur confirmatio.
etsi complementum accidentale supponat essentiam rei constitutam ; complementum tamen substantiale per modum formæ essentiam rei in propria specie constituit, ut liquet in anima rationali, quæ complet hominem per modum formæ, illum in propria specie constituendo. Quando autem
D. Thom. formam sacramenti pœnitentiæ D. Tho.
vocat complementum hujus sacramenti, loquitur de complemento non accidentali, sed substantiali, et constituente in specie

Ipse namque in præs. art. 7, generaliter statuit hoc modo se habere sacramentorum verba, seu formas in ordine ad ipsa sacramenta : « In sacramentis, *inquit*, verba se « habent per modum formæ, res autem « sensibiles per modum materiæ. In omni- « bus autem compositis ex materia, et « forma, principium determinationis est ex « parte formæ, que est quodammodo finis, « et terminus materiæ. Et ideo principalius « requiritur ad esse rei determinata forma, « quam determinata materia : materia enim « determinata requiritur, ut sit proportio- « nata determinatæ formæ. » Et conformiter ad hanc doctrinam statuit infra quæst. 72, art. 4 : « Sicut forma rei natu- « ralis dat ei speciem : ita forma sacra- « menti continere debet, quidquid pertinet « ad speciem sacramenti. » Unde apparet manifestum, quod quando in loco, qui nobis objicitur, verba sacerdotis appellat complementum sacramenti, non loquitur de complemento accidentali, sed de substantiali, sive per formam dantem speciem, ut manifeste constat ex quæst. 84, *de pœnit.* art. 3, in cor. ubi ait : « Dicendum, « quod in qualibet re perfectio attribuitur « formæ. Dictum est autem supra, quod « hoc sacramentum perficitur per ea, quæ « sunt ex parte sacerdotis. Unde oportet, « quod ea, quæ sunt ex parte pœnitentis, « sive sint verba, sive facta, sint quædam « materia hujus sacramenti : ea vero, quæ « sunt ex parte sacerdotis, se habeant per « modum formæ. » Quare prædicta colligendo, potest confirmatio urgenter regeri in opponentes : nam complementum per formam (cui attribuitur species, et perfectio rei, atque determinatio materiæ), est complementum substantiale, pertinens ad rei essentiam : sed hujusmodi secundum D. Thom. est complementum, quod sacramento pœnitentiæ tribuunt verba absolutionis, ut constat ex relatis testimoniis : ergo ex sententia S. Doctoris tale complementum est substantiale, et intrans sacramenti essentiam. Quod verificari non valet, quin forma, seu verba absolutionis sint pars intrinseca, et essentialis sacramenti pœnitentiæ. Eodem fere modo explicandum est testimonium Philosophi : nam cum docet rem artificiosam *perfici per formam*, si verba referantur ad concretum, sive ad artefactum, ut tale, prædicta verba significant perfectionem specificam, et essentialem illius : quippe forma illam intrinsece communicans est forma artis, per quam artefactum habet formaliter esse tale. Si vero referantur ad materiam, pro qua similia concreta supponunt, significant perfectionem accidentalem : quia forma artis accidit tali materiæ. Juxta quæ forma cathedræ est accidentalis ligno : sed est essentialis cathedræ. Et similiter descendendo ad nostram materiam, forma baptismi est accidentalis aquæ, et ablutioni : sed est essentialis, atque intrinseca toti baptismo, seu sacramento.

37. Arguitur secundo : quia in artefactis tota essentia consistit in materia : sed sacramenta sunt quædam artefacta : ergo tota illorum essentia est materia : atque ideo verba, seu forma nequeunt ad sacramenta comparari per modum partis intrinsecæ, et essentialis; sed solum se habent per modum complementi extrinseci, et accidentalis. Cætera constant. Et majorem probat Cabrera ex D. Thom. in 4, distinct. 3, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, ad 3, ubi ait : « Domus simpliciter loquendo « ponitur in prædicamento substantiæ, ubi « reponuntur lapides, et ligna. In prædica- « mento vero qualitatis tantum ponitur « secundum quid, nempe ratione formæ. » Ergo tota artefactorum essentia est materia, et cum materia convertitur. Secundum argumentum. D. Th

Confirmatur : quia nullum artefactum componitur ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus : sed sacramenta nostra sunt quædam artefacta : ergo non componuntur et rebus, et verbis, sive ex materia, et forma tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Probatur major : nam cathedra v. g. (et idem est de aliis artefactis), supponit pro corpore, seu ligno : sed corpus, seu lignum non componitur ex figura sicut ex parte intrinseca, et essentiali ; siquidem manifestum est substantiam non componi intrinsece, et essentialiter ex aliquo accidentali, cujusmodi est figura : ergo nullum artefactum componitur ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Eo vel maxime, quod Philosophus in *Ante prædicamentis* docet accidens inesse quidem subjecto, sed non tanquam partem : ergo quamvis forma, sive figura artificialis insit artefactis ; minime tamen ad illa comparari debet per modum partis, præsertim intrinsecæ et essentialis. Confirmatio.

Ad

espon-tur ar-gumen-. Ad argumentum negamus majorem. Cujus probatio paralogizat non distinguens inter substantiam, et essentiam artefactorum, dum ex eo, quod tota eorum substantia se teneat ex parte materiæ, sive subjecti, colligit adæquatam eorum essentiam sitam esse in sola materia : quæ tamen duo toto cœlo distant. Nam artefactorum essentia magis extenditur, quam eorum substantia, ut supra diximus : quippe, quod sint substantia. vel afferant substantiam, solum convenit illis ex parte subjecti, quod substantia est, non vero ex parte formæ, quæ accidens est : sed quod sint talia artefacta, et in derminata artefactorum specie constituantur, habent formaliter a forma artis. Quare illorum substantia stat in sola materia : sed eorum essentia complectitur etiam formam. Et quamvis ex substantia, et accidenti nequeat fieri unum in esse naturæ ; fieri tamen potest unum in esse artefacti, signi, aut sacramenti, ut expresse docet Tho. D. Thom. in præs. artic. 6, ad 2. Unde S. Doctor merito affirmavit domum constitui simpliciter in prædicamento substantiæ, et collocari secundum quid in prædicamento qualitatis : non quia domus in esse talis non constituatur simpliciter, et essentialiter per formam, sive figuram : sed quia ratione partium materialium, ex quibus constat, habet esse substantiam, cui convenit esse simpliciter : et quia ratione formæ (illi quidem intrinsecæ, et essentialis), habet esse accidens, cui convenit esse secundum quid. Quare admisso, et explicato D. Thomæ testimonio, neganda est absolute consequentia, ut quæ illegitime ex eo deducitur.

ccurri-con-matio. Ad confirmationem neganda est major. Cujus probationi occurrunt Suarez, Vazquez, Lugo, Bonacina, et alii negando iterum majorem : quia in ea sunt sententia, quod sicut nomina artefactorum, et concretorum accidentalium significant, non solam materiam, sed etiam formam, sive iquo-m ex-catio. compositum, vel aggregatum ex subjecto, et forma resultans ; sic etiam prædicta nomina non supponunt præcise pro sola materia, aut subjecto, sed pro aggregato, aut composito, quod ex materia, et forma resultat. Quod probant tum exemplo compositorum substantialium, quorum nomina non supponunt præcise pro materia, sed pro toto composito ex partibus substantialibus. Tum etiam, quia suppositio est acceptio nominis pro suo significato : ergo si arte facta ex parte rei significatæ complectuntur formam tanquam sui partem intrinsecam, et essentialem ; oportet, quod nomina repræsentantia artefacta supponant non solum pro materia, sive subjecto, sed etiam pro toto aggregato, complectendo etiam formam. Tum præterea quia licet admittatur illud axioma : quod nomina res artificiales significantia supponunt pro materia ; facile exponitur de materia totali, quæ coalescit ex materia partiali, ex quibus constituitur subjectum adæquatum formæ totalis : unde in præsenti materia solum inferretur sacramentum supponere pro materia totali, quæ constituitur ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma, et quod comparatur ut subjectum adæquatum significationis sacramentalis, quæ est forma totalis constituens ultimo sacramentum. Juxta quam doctrinam haud obscure eliditur probatio illa, et præciduntur plura ejusdem generis, quæ opponi possunt.

38. Sed prædictæ responsioni non possumus subscribere, quia opponitur D. Thomæ, et gravioribus Scholasticis in 4, distinct. 3, ubi communiter cum Magistro docent has esse veras prædicationes : « Baptismus est ablutio facta sub præscripta « verborum forma. Confirmatio est unctio « facta etc. Eucharistia est species etc. » Quin D. Augustin. tract. 15, in Joan. expressa dixit : *Baptismus est tinctio in aqua.* Quæ prædicationes essent falsæ, si nomina sacramentorum supponerent pro partibus simul sumptis, et in recto, sicut contingit in omnibus concretorum substantialium : nam hæc est falsa, *homo est materia*, et similer hæc, *homo est anima*, quia nomen homo non supponit nisi pro toto composito. Rursus concreta accidentalia supponunt pro subjecto connotando formam : unde eorum subjectum ponitur loco generis juxta illud Philosophi 7, Metaphys. text. 4. *Simum est nasus curvus.* Cum igitur sacramenta sint quædam concreta substantialia ; sequitur, quod supponant pro rebus, sive pro materia connotando formam. Denique compositio sacramentorum assimilatur compositioni rerum artificialium, ut satis constat ex supra dictis. In artificialibus autem suppositio fit pro subjecto, sive materia, quæ est tota illorum substantia : unde vulgo dicimus cathedram

Refellitur illa expositio

D. Aug.

Philosophus.

esse lignum, vas esse aurum etc., ergo idem de sacramentis dicendum est. Et huic communi usui oportet nos accommodari in modo loquendi. Qui nullatenus corrigendus, minus autem relegandus est propter objecta a Junioribus.

Convelluntur motiva recentiorum.

Nam ad primum respondetur, quod cum concreta accidentalia sint substantia adæquate, id est, tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ: eorum nomina pro tota substantia supponunt complectendo directe utramque partem. Sed composita accidentalia solum habent esse substantiam ex parte materiæ, sive subjecti, secus autem ex parte formæ. Et quia esse simpliciter est esse substantiale, cui cætera adjiciuntur: propterea suppositio fit in hujusmodi accidentalibus concretis pro sola substantia in recto connotando formam, ut liquet in diffinitionibus sacramentorum proxime præmissis. In quo sensu D. Thom. 4, dist. 3, quæst. 1, quæstiunc. 1 ad 3, dixit : « Sicut artificialia non componuntur in « genere ex forma simpliciter, sed ex « materia (non enim dicimus, quod do- « mus est in genere qualitatis, nisi in « quantum artificiale figuratum : sed dici- « tur esse in genere substantiæ), ita etiam « est de sacramentis. Baptismus enim sim- « pliciter est in genere ablutionis : sed se- « cundum quid, scilicet, in quantum est sa- « cramentum, est in genere relationis. » Quare respondetur ad secundum negando consequentiam : quia licet res significata per nomen concreti accidentalis sit etiam, et præcipue forma, juxta illud Philosophi cap. 1, *de Prædic. Nomen albi nisi qualitatem nihil significat* : eo quod concretum, et abstractum sunt idem ex parte rei significatæ; nihilominus modus supponendi in istis concretis non commensuratur cum re significata. Quoniam suppositio, ut proxime diximus, fit pro eo, unde habent simpliciter esse, atque subjici aliis prædicatis. Id vero non est forma accidentalis, sed substantiale subjectum. Et ideo licet directe significent formam, tamen non supponunt pro forma, sed pro subjecto illam connotante. Idque observat communis modus loquendi, cui stare oportet.

D. Tho.

Philos.

Unde diluitur etiam tertia probatio : quia licet sacramenta componantur ex materia totali composita ex rebus, et verbis, atque ex forma totali consistente in sacramentali significatione ; nihilominus hæc compositio, sicut latet sensus, sic etiam occulta est : quocirca nec Concilia ipsa illam recensent, cum assignant materiam, et formam sacramentorum : et ob eandem causam non multum illam attendimus, cum de sacramentis loquimur. Illa vero compositio ex rebus, et verbis, sive ex materia, et forma constituentibus unum signum, sive sacramentum est longe notior; et conformiter ad ipsam loquimur communiter, cum de sacramentis agimus. Quare tam modus significandi, quam modus supponendi, nominibus sacramentorum, ut important hanc compositionem, applicari debet. Et si Adversarii non reputant inconveniens, quod sacramentum adæquate sumptum componatur ex materia totali, et ex forma totali, nempe ex sacramentali significatione, quæ est relatio rationis; et quod nihilominus nomen sacramenti supponat non pro illa rationis relatione, sed pro materia totali connotando relationem hujusmodi : pariter nec reputare debent inconveniens, quod sacramentum formaliter sumptum constituatur ex rebus, et verbis tanquam ex materia, et forma ; et quod hoc non obstante nomen sacramenti sic accepti non supponat pro forma, seu verbis, sed solum pro materia, seu rebus sacramentorum connotando verba, seu formas. Nec enim inter hæc duo facile assignabunt disparitatem, quæ voluntaria non sit. Melius igitur in nominibus utrorumque concretorum cum uniformitate procedimus quantum ad modum supponendi, quem reperimus apud Logicos, et Theologos introductum.

Retorquetur contrariorum doctrina.

39. Omissa itaque prædicta responsione, aliter diluitur objecta probatio concedendo majorem, et minorem, et negando consequentiam, quæ non recte ex præmissis colligitur : nam aliud est, quod nomina artefactorum significant, et aliud est, pro quo supponunt : significant enim omnia, ex quibus significata essentialiter constituuntur, atque ideo tam materiam, quam formam; quippe hæc ad illarum essentialem constitutionem in esse talium desiderantur, ut supra ostendimus : sed supponunt pro solo subjecto, sive materia ob ea, quæ proxime diximus. Quare ex eo, quod substantia, pro qua supponunt, non componatur ex forma accidentali, minime infertur artefacta formaliter, et adæquate sumpta non importare hujusmodi formam

Legitima responsio.

sicut

sicut sui partem intrinsecam, et essentialem. Et idem dicendum est de sacramentis; cum se habeant ad instar artefactorum ex institutione divina. Per quod etiam excluditur, quod additur ex Philosopho : nam licet forma accidentalis non insit subjecto nempe substantiæ per modum partis ipsius : intrat tamen compositionem artefacti, aut concreti accidentalis tanquam intrinseca pars, et forma ejusdem constitutiva : sicut proportionabiliter contingit in substantialibus, ubi forma non afficit materiam ut pars materiæ; et tamen est pars compositi, quod ex materia, et forma resultat.

ica. Nec refert, si insistas, quod ubi unum componitur ex partibus, nulla pars prædicatur de illo, sed solum compositum resultans ex omnibus : qua de causa istæ prædicationes sunt falsæ : *Homo est materia, Homo est anima*. Sed de sacramentis, et aliis concretis accidentalibus vere prædicatur aliquid, ex quo constituitur, nempe materia, ut cum dicimus : *Baptismus est ablutio, cathedra est lignum :* ergo sacramenta, et alia concreta accidentalia non constant materia, et forma sicut partibus intrinsecis, sed adæquate illorum essentia in sola materia salvatur forma se habente extrinsece, et per modum connotati. Id, inquam, non refert, sed evertitur juxta doctrinam immediate traditam, ex qua constat majorem solum verificari in concretis substantialibus, secus in accidentalibus, ut sunt sacramenta. Et ratio disparitatis est : quoniam compositum substantiale non supponit pro una determinate suarum partium, sed pro se ipso, ut constat ex omnibus suis partibus : et quia pars nequit prædicari de toto ob defectum adæquationis requisitæ inter subjectum, et prædicatum, ideo illæ prædicationes : *Homo est materia*, et similes falsæ sunt. Sed nomina concretorum accidentalium supponunt pro supposito, sive subjecto, quod est unica illorum substantia ; et quia tale subjectum aliquando est lignum, aliquando aurum : propterea cum veritate, et proprietate dicimus : *Cathedra est lignum, vas est aurum*. Et ob eandem rationem verificatur : *Baptismus est ablutio* significando subjectum sacramenti, quod est ablutio, seu aqua.

40. Secunda sententia eidem secundæ assertioni contraria docet, quod licet sacramenta nostra componantur ex rebus, et verbis sicut ex materia, et forma, tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus; tamen sacramentum Eucharistiæ debet ab hac communi regula excipi : quia non componitur ex verbis consecrationis tamquam ex parte, sed illa extrinsece tantum connotat. Sic sentiunt Scotus in 4, dist. 8, quæst. 1, ad 3. Gabriel lect. 38, in Canonem, Vasquez disput. 129, cap. 3, num. 39. Coninkus in præs. artic. 6, dub. unico, num. 37. Suarez disput. 42, sect. 2, et alii. Pro qua etiam sententia Dicastillo disput. 1, dubit. 5, num. 58, et num. 65, refert Cajetanum, Marsilium, Richardum, Sotum, Victoriam, Martinum de Ledesma, Catherinum, Alanum, et Claudium Sanchez ; de quorum tamen sensu nobis satis non constat. Et quod ad Cajetanum attinet, in loco, qui allegatur, nempe hac quæst. 60, art. 6, ad 2, nec minimum habet verbum, quo vel Eucharistiæ meminerit, vel in ea fecerit exceptionem. Sed hoc omisso

[Margin: Secunda sententia contraria. — Scotus. Gabriel. Vazq. Conink. Suarez.]

Arguitur primo ab auctoritate pro hac opinione : nam Concilium Florentinum in decreto de sacramentis docet : « formam « sacramenti Eucharistiæ esse verba Sal« vatoris, quibus hoc sacramentum confi« citur : sacerdos enim in persona Christi « hoc conficit sacramentum, atque virtute « verborum substantia panis convertitur « in substantiam Christi. » In quo testimonio ponderandum est, tum illud significare verba consecrationis eatenus dici formam Eucharistiæ, quatenus eorum virtute panis in corpus Christi convertitur : non igitur, quia habeant rationem partis intrinsecæ, et essentialis. Tum quod significat verba consecrationis concurrere in genere causæ efficientis ad conficiendum tale sacramentum : causa autem efficiens semper est aliquid extrinsecum respectu sui effectus : ergo verba extrinsece se habent ad sacramentum Eucharistiæ; atque ideo non comparantur ut pars ejus intrinseca, et essentialis.

[Margin: Primum argumentum. Concil. Florent.]

Confirmatur : nam in cap. *Cum Marthæ, de celebrat. Missar.* Innocentius Tertius explicat ex professo; quid in Eucharistia sit *sacramentum tantum*, quid sit *res tantum*, et quid sit *res, et sacramentum simul*. Et affirmat, quod « cum in eo sacramento sit « forma visibilis panis, et vini, et veritas « corporis Christi, atque virtus spiritualis ; « forma visibilis panis, et vini est sacra-

[Margin: Confirmatio. Inn. 3.]

« mentum; Christi autem corpus simul est « res, et sacramentum etc. » In quibus manifeste docet in Eucharistia *sacramentum tantum* consistere in forma visibili panis, et vini. Si autem sacramentum prædictum componeretur ex speciebus, et verbis sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus, non potuisset Pontifex ita asserere : tum quia verba consecrationis visibilia non sunt : tum quia improprie satis diceretur Eucharistiæ sacramentum consistere in forma visibili specierum, si præter illas complecteretur verba consecrationis tanquam essentialem sui partem : sed longe melius diceretur consistere in aggregato specierum, et verborum.

Satisfit argumento. 41. Ad argumentum respondetur illam Florentini auctoritatem regeredam esse in opponentes : nam Concilium manifeste docet formam sacramenti Eucharistiæ esse verba Salvatoris, quibus tale sacramentum conficitur. Forma autem comparatur ad id, cujus est forma, per modum partis intrinsecæ, et essentialis, ut supra expendimus n. 20. Unde facile evacuantur illæ ponderationes. Prima, quia licet Concilium simpliciter dicat formam Eucharistiæ esse verba, quibus conficitur sacramentum, et quorum virtute substantia panis convertitur in corpus Christi : tamen minime asserit verba esse formam, qua conficiant, aut convertant. Quare etsi sub munere conficiendi, aut convertendi sint quid extrinsecum; nihilominus sub munere determinandi species sacramentales, ut significant, possunt se habere intrinsece per modum formæ : quia simul cum speciebus constituunt signum fundamentale adæquatum, cui sacramentalis significatio communicetur. Unde etiam constat ad secundum : quia eadem verba queunt utrumque munus obire, nempe et causæ efficientis in ordine ad convertendum substantiam panis in corpus Christi; et causæ formalis intrinsece determinantis species panis ad significandum realem corporis Christi præsentiam. Quæ munia sunt satis distincta, et in ordine ad diversos effectus; quocirca possunt optime adaptari eisdem verbis : nam concurrunt effective physice ad corpus Christi ut factum ex pane : et concurrunt formaliter moraliter ad determinandum species, constituendo simul cum illis unum integrum signum fundamentale, sive adæquatum fundamentum, cui sacramentalis significatio communicetur ex institutione divina.

Diruitur confirmatio. Ad confirmationem respondemus Pontificem affirmare quidem sacramentum tantum in Eucharistia esse formam visibilem panis, et vini, sive species sacramentales, quod et nos docemus. Sed tamen nec Pontifex a ratione sacramenti exclusit verba, nec ex vi primæ illius propositionis excludere potuit; quinimo debuit virtualiter comprehendere. Quia species illæ non aliter sunt sacramentum, quam ut consecratæ : habent autem esse consecratas a verbis, et eorum significatione tanquam a forma, per quam determinantur, ut sint signum repræsentans corpus Christi. Quare dicere, quod species sunt sacramentum, minime excludit, sed potius supponit verba esse partem intrinsecam per modum formæ, pertinentem ad prædictum sacramentum. Unde totum testimonium potest retorqueri in Adversarios, qui plane non negant verba consecrationis esse formam sacramenti Eucharistiæ, nec secure negare possent ob ea, quæ num. 13 diximus : sed negant esse partem intrinsecam, et essentialem talis sacramenti. Et tamen Pontifex non loquitur de parte hujusmodi, sed de toto sacramento. Sicut igitur ex eo, quod dixerit sacramentum Eucharistiæ consistere in speciebus, nequeunt illi colligere, quod excluserit verba a ratione formæ talis sacramenti; sic etiam inferre non valent quod ab eis relegaverit rationem partis intrinsecæ, et essentialis. Nec Pontifex opus habuit recensere expresse verba : quia agebat de speciebus non utcumque, sed ut consecratis : quo pacto necessario important verba tanquam causam formalem prædictæ consecrationis.

Secundum argumentum. 42. Arguitur secundo : nam cum sacramenta novæ legis sint signa practica gratiæ justificantis; illud præcise signum potest esse sacramentum, et pars intrinseca sacramenti, quod practice dirigi valet ad causandum prædictam gratiam : sed verba consecrationis sic ordinari non possunt : ergo nec sunt sacramentum Eucharistiæ, nec vera, et intrinseca pars hujus sacramenti. Probatur minor : quia talia verba non diriguntur ad hominem sumentem Eucharistiam, sed ad species, quas consecrant : et rursus non significant, quod eorum virtute gratia in homine producitur, sed quod Christus fit speciebus præsens.

Confirmatur :

[Co]nfir[mat]io. Confirmatur : quia si verba simul cum speciebus constituerent intrinsece per modum partis sacramentum Eucharistiæ;quidquid dicitur de hoc sacramento, diceretur etiam de aggregato specierum, et verborum, atque ideo de ipsis verbis : consequens est falsum ; ergo et antecedens. Probatur minor : nam de sacramento Eucharistiæ vere dicitur quod conservatur, quod defertur in processionibus, quod comeditur a fidelibus : et tamen dicere non possumus verba consecrationis conservari, deferri, et comedi : ergo non omne, quod de Eucharistia dicitur, verificari valet de verbis consecrationis.

[Solvi]tur [arg]u[ment]um. Respondetur ad argumentum negando minorem. Et ad probationem dicendum est se destruere : nam eo ipso, quod verba consecrationis dirigantur ad species, quas consecrant, et ad Christum, quem constituunt præsentem, nequeunt non ordinari ad gratiam hominis sumentis, et ad spiritualem istius refectionem. Quippe non diriguntur ad species, et ad Christum, nec ista practice significant, nisi ut per transubstantiationem fiat cibus spiritualis hominis, quo iste reficiatur. Quare in idem recidit, quod verba sint signa practica significantia species, et Christum prædicto modo, et quod sint signa repræsentantia spiritualem hominis refectionem, et gratiam sacramentalem, qua fit formaliter hæc refectio.

[Res]pon[detur] [co]nfir[mat]ioni. Ad confirmationem negamus sequelam ob doctrinam supra traditam num. 38 et 39, quoniam sacramenta, sicut et alia concreta accidentalia, licet significent formam, nihilominus non supponunt pro illa, sed pro materia, sive subjecto. Quare non oportet, quod omnia, quæ de subjecto dicuntur, prædicentur etiam de forma. Unde verificatur : *Album est substantia*, et non verificatur, *Albedo est substantia*. Et similiter non valet : *Cathedra est lignum : sed lignum componitur ex materia, et forma : ergo figura cathedræ componitur ex materia et forma*. Et in hac propria sacramentorum consideratione verificatur : *Baptismus est ablutio;* et non verificatur, *forma baptismi est ablutio*. Hac igitur ratione sacramentum Eucharistiæ licet componatur ex speciebus, et verbis tanquam ex partibus intrinsecis, et essentialibus; tamen nec supponit pro forma, seu verbis, nec supponit pro toto aggregato, sed supponit determinate pro materia, seu rebus, aut speciebus. Et ideo non oportet, ut ea, quæ ob assignatam rationem verificantur de subjecto,sive speciebus, utputa conservari, deferri, et sumi, verificentur similiter de forma, aut verbis consecrationis. Sicut etiam contingit in exemplis proxime allatis, quæ manifestant non omnia, quæ prædicantur de concretis ratione subjecti, pro quo supponunt, posse prædicari de illorum forma; cum manifestum etiam sit subjectum, et formam vendicare sibi peculiares conditiones. Quare sicut non valet : « De sacra« mento baptismi vere prædicatur, quod « abluit : sed verba, quibus conficitur bap« tismus , vere non abluunt : ergo talia « verba non sunt forma, nec pars intrin« seca illius : » sic etiam non valet : « De « sacramento Eucharistiæ vere prædicatur, « quod conservatur, et comeditur : sed « verba consecrationis non conservantur, « nec comeduntur : ergo prædicta verba « non sunt forma, aut pars Eucharistiæ. » Et ratio generalis in his omnibus est, quod variatur appellatio, et mutatur sensus de materiali in formalem.Addunt aliqui, quod de ipsis verbis verificatur conservari, deferri, et comedi ut *quo* : quia hæc verificantur de speciebus consecratis, quæ habent esse consecratas a verbis tanquam a forma : sicut licet de anima rationali non verificetur esse corpoream ut *quod;* verificatur tamen esse corpoream ut *quo*, quia est forma corpus constituens. Sed prior responsio verior, atque universalior est, et posteriori non indigemus.

43. Arguitur tertio, et urgentius : quia sacramentum Eucharistiæ est permanens : ergo omnia, ex quibus sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus constituitur, debent esse permanentia : sed verba consecrationis non permanent, cum fluant, et transeant ipsa prolatione : ergo prædicta verba nequeunt ad sacramentum Eucharistiæ comparari per modum partis essentialis, et intrinsecæ. Tertium argumentum.

Respondemus hoc argumentum, quo istius opinionis patroni communiter convincuntur, excessive probare, et ab eisdem dilui debere : quia sicut res permanens nequit constare ex aliquo transeunti sicut ex parte intrinseca, sic nequit componi ex aliquo extrinseco, nec illud habere pro forma : et tamen sacramentum Eucharistiæ componitur ex rebus, et verbis, et ha- Solutio.

bent verba pro forma, ut constat ex dictis *dub.præcedent.* et ex dictis *in præs.conclus.* 1, et communiter Adversarii non negant : oportet igitur ipsos eidem, quam objiciunt, difficultati occurrere. Nos breviter respondemus omnia, ex quibus constituitur sacramentum permanens Eucharistia, debere esse permanentia, vel physice, vel moraliter : quamvis autem verba consecrationis non permaneant physice, perseverant tamen moraliter : quia species debent habere esse permanenter consecratas a verbis moraliter permanentibus, et ipsis determinantibus : quare possunt per modum formæ, aut partis intrinsecæ prædictum sacramentum constituere. Unde distinguendo in hoc sensu præmissas, negamus absolute ultimam consequentiam. Et solutio constat ex supra dictis *num.* 23.

[Re]plica. Nec refert, si opponas unam numero formam non constituere plura numero composita, nec posse ad illa omnia intrinsece pertinere : sed contingere valet, quod verba consecrationis sint eadem numero, et quod sacramenta Eucharistiæ sint numero plura, et diversa, ut contingit cum sacerdos super plures hostias simul, et semel profert eandem consecrationem : ergo verba consecrationis non comparantur ad sacramentum Eucharistiæ per modum formæ, et partis intrinsecæ, sed solum per modum complementi extrinseci.

[Di]ssolvitur. Id, inquam, non refert : quia juxta præmissam distinctionem dicendum est, quod licet una numero forma tam physice, quam moraliter nequeat constituere plura composita, vel ad illa intrinsece pertinere; bene tamen forma, quæ ita physice est una numero, quod moraliter est numero plures. Ubi autem sacerdos formam consecrationis profert simul supra plures hostias; talis forma est numero moraliter multiplex non minus, quam si sacerdos super singulas hostias distinctas consecrationes proferret. Quocirca in tali casu dantur plura numero sacramenta, et plures numero moraliter formæ, quæ sunt partes intrinsecæ talium numero sacramentorum. Quæ responsio explicari, et confirmari valet exemplo : nam si quis super plures, qui baptizantur, simul, et semel proferat eadem verba : *Ego te baptizo etc.* efficit plura numero sacramenta baptismi : quæ, vel ipsis Adversariis concedentibus, constituuntur ex rebus, et verbis, sive ex materia, et forma sicut ex partibus intrinsecis, et essentialibus. Oportet igitur, quod talia sacramenta habeant distinctas numero formas. Et tamen in prædicto casu forma, aut verba non multiplicantur physice, sed moraliter. Hæc itaque distinctio, et multiplicatio moralis sufficit ad constituendum tam in baptismo, quam in Eucharistia plura numero sacramenta. Et declaratur amplius : quoniam in sacramentis non solum requiritur forma, sed etiam formæ applicatio, sive conjunctio ad determinatam materiam, ut generaliter in omnibus compositis accidit. Et tamen certum est in sacramentis generaliter non requiri, quod materia, et forma applicentur, et conjungantur physice; sed sufficit, si vel moraliter fiat. Quippe manifestum est materiam, et formam sacramentorum quandoque distare loco, ut cum se non contingunt; quandoque autem distare tempore, ut cum post adhibitam materiam verba proferuntur. Sicut igitur, ut sint sacramenta, non requiritur physica conjunctio, et applicatio formæ ad materiam; sed sufficit conjunctio, et applicatio moralis : sic etiam ut sacramenta multiplicentur, non requiritur formam multiplicari physice, sed moraliter. Et ratio generalis, quam sapra *a numero* 26 tradidimus est, quod sacramenta habeant unitatem, atque compositionem non physicam, sed moralem : et ideo quæ ad sacramenta pertinent, non tam physice, quam moraliter accipienda sunt.

DUBIUM III.

Utrum ad conficiendum sacramenta nostra requirantur verba determinata ?

Notabit forte lector, quod cum hactenus egerimus de rebus, et verbis sacramentorum, modo omissis rebus propositam difficultatem solis verbis applicemus : notabit item, quod cum possimus dubium ad omnia sacramenta tam antiqua, quam nova extendere, illud restringamus ad nostra. Sed hos scrupulos facile declinabit, si recordetur nos hanc difficultatem, quantum ad res attinet, superatam reliquisse *in Comment.* ad artic. 5. Ubi D. Thom. inquit : « Utrum « requirantur determinatæ res ad sacra- « menta : » ibi enim diluere curavimus difficultates, quæ circa determinationem rerum ad sacramenta pertinentium possent Nota.

in

in præsenti occurrere. Et si quæ supersunt, ex dicendis circa verba poterunt cum debita proportione expediri. Quod vero propositum dubium ad nostra tantum sacramenta revocemus, causa est, quod locum non habuerit in antiquis : illa namque non constabant verbis, sed solis rebus, ut ostendimus *in Comment.* ad art. 6. Quare difficultatis pondus revocatur unice ad verba sacramentorum nostrorum, ut in titulo proposuimus. Deserviet autem ejus discussio tum ad complementum præcedentis doctrinæ, tum ad intelligentiam D. Thom. in artic. 7, cujus resolutionem remisimus ad hunc locum.

[Duplex verborum determinatio] 44. Sed antequam ulterius procedamus, observare oportet pro perfectiori propositæ difficultatis intelligentia, quod verba dupliciter possunt esse determinata, nempe materialiter, et formaliter. Determinatio materialis attenditur penes entitatem, sonum vocis, numerum, et quantitatem syllabarum : determinatio vero formalis attenditur penes sensum, sive rem significatam. Quare omnia verba, quæ referunt eandem sententiam, sunt eadem verba formaliter ; licet importent diversas entitates, syllabas, et modos, ex quibus constant, ut contingit pro diversitate nationum : sicut omnia nomina, sive Hebræa, sive Græca, sive Latina, sive Barbara, quæ significant v. g. panem, sunt formaliter idem nomen, quia habent idem significatum. Et ratio est, quod verba, et nomina instituta sunt ad manifestandum nostri animi conceptus, et eis mediantibus, res conceptas : ad id vero de materiali se habet entitas vocum, de formali autem significatio : ergo diversitas vocum, soni, et syllabarum est materialis in verbis, et e converso diversitas in sensu, sive sententia est formalis. [Sensus tibi.] Proposita autem a nobis difficultas refertur ad formalem determinationem verborum : nam quod in eis non requiratur determinatio materialis, ex parte scilicet entitatis, syllabarum, aut modorum, tam certum est, ut immerito revocaretur ad controversiam. [D. Tho.] Ut enim inquit D. Thom. in præs. art. 7 ad 1 : « Sicut August. dicit « super Joann. verbum operatur in sacra- « mentis, non quia dicitur, id est, non se- « cundum exteriorem sonum vocis ; sed « quia creditur, id est, secundum sensum « verborum, qui fide tenetur. Et hic qui- « dem sensus est idem apud omnes, licet « non eædem voces sint quantum ad so- « num. Et ideo cujuscumque linguæ ver- « bis proferatur talis sensus, perficitur « sacramentum. » Quin ex eadem observatione sequitur, quod in communi loquendo ad determinationem materialem verborum etiam pertinet, quod verba sint formaliter verba, nempe voces ad significandum institutæ. Quoniam si ad significationem, quæ de formali in verbis se habet, attendamus ; potest aliquid a verbo distinctum esse æquivalenter verbum, et habere convenientiam in significato, ut patet in nutibus, et aliis signis, quibus non minus quam verbis possumus explicare eundem sensum. Unde verba, et nutus possunt esse idem signum formaliter, quamvis materialiter differant. Idque notamus propter matrimonii sacramentum, quod ut perficiatur, non eget verbis formaliter, sed perfici potest verbis æquivalenter, ut sunt nutus, scriptura, et alia signa. Prædicta namque differentia se habet de materiali ad matrimonium : quibuslibet enim verbis utamur, potest significari idem consensus. Sed tamen proposita difficultas magis refertur ad cætera sacramenta, quæ verbis formalibus constant : supponit enim requiri verba, atque investigat verborum determinationem, et utique formalem, ut immediate observavimus. In quo sensu

§ I.

Veritas catholica asseritur.

45. Dicendum est ad conficiendum nostra sacramenta requiri verba determinata. [Conclusio.] Hæc conclusio est de fide, ut constabit ex dicendis, et recte observarunt Soto in 4, distinct. 1, quæst. 1, art. 7, et Prado in hac quæst. dub. 12, num. 4. [Soto. Prado] Quare illam communiter docent Theologi, ut superfluum sit illos in particulari referre. Videantur tamen proxime relati, Arauxo dub. 4, concl. 2, Joan. a S. Thom. artic. 7, dub. 1, Gonet disp. 1, artic. 8, concl. 1, Suarez disp. 5, sect. 3, Dicastillo disp. 20, Lugo disp. 2, sect. 5, cum aliis. [Arauxo. Joan. a S. Tho. Gonet. Suarez. Dicast. Lugo.] Et hæc veritas diffinitur in Concilio Trident. sess. 7, can. 1, eis verbis : [Concilium Tridentinum.] « Si quis dixerit sacramenta « novæ legis non fuisse omnia a Jesu « Christo Domino nostro instituta, aut esse « plura, aut pauciora, quam septem etc. « anathema sit. » Si autem Christus insti-

tuit omnia, et singula nostræ legis sacramenta; instituit utique ea, in quibus essentia talium sacramentorum consistit, nempe res, et verba : quare debuit verba, quibus conficerentur, determinare : atque ideo ad sacramenta nostra verba determinata ex institutione divina requiruntur. Et conformiter ad hunc sensum docet idem Concilium sess. 21, cap. 2 : « Declarat « præterea hanc potestatem perpetuo in « Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum « dispensatione, salva illorum substantia, « ea statueret, aut mutaret, quæ suscipien- « tium utilitati, seu ipsorum sacramento- « rum venerationi, pro rerum, temporum, « et locorum varietate magis expedire « judicaret etc. » Ubi per illa verba, *salva illorum substantia*, aperte significat sacramentorum substantiam, et quæ ad illam pertinent, non fuisse relicta Ecclesiæ arbitrio, sed habuisse a Christo determinationem. Forma autem, sive verba, quibus nostra sacramenta conficimus, pertinent ad eorum substantiam, ut ex dubiis præcedentibus satis constat.

unda- entum Scrip- ura.

Probatur primo ab auctoritate : nam Christus Dominus instituendo sacramenta protulit, et docuit determinata verba, quibus conficerentur. In consecratione enim Eucharistiæ dixit Matth. 26 : *Hoc est corpus meum.* Et discipulis præcepit, ut sub determinata verborum forma ministrarent sacramentum baptismi. *Euntes*, inquit Matth. ult. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Habent igitur sacramenta verba determinata ex institutione Christi.

Iatth. 26. et ult.

espon- io hæ- etico- um.

46. Respondent hæretici Christum in cæna non protulisse illa verba, ut statueret ritum omnino observandum ; sed ut manifestaret Apostolis ignaris, quid illis tribueret. Quare sicut ex eo, quod Christus id fecerit sub vesperum, et post cænam, non infertur servandum omnino a nobis hujusmodi ritum : sic non sequitur, quod celebrare debeamus eisdem verbis. Quod vero docuerit baptizare *in nomine Patris etc.* minime probat nos necessario debere in baptismo invocare nomen istud : quippe facere aliquid in nomine alicujus non semper importat invocationem nominis ejus. Sic enim quando Christus Matth. 18, dixit: *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit,* non præscripsit, ut talis susciperetur cum invocatione nominis Christi, sed in obsequium Christi. Sic igitur ex prædicta Christi ordinatione nequit efficaciter colligi, quod baptizans debeat invocare nomen *Patris etc.* sed ad summum, quod debeat baptizare in Trinitatis obsequium.

Matth. 18.

Impugnatur.

Hoc tamen effugium confutatur efficaciter : quoniam licet illa Scripturæ testimonia non sint adeo evidentia, quod effugiant alios sensus secundum varias, et falsas expositiones : nihilominus referunt sincere sensum a nobis propositum tanquam maxime planum, obvium, et facilem. Præsertim cum nullibi reperiatur Christum sic disposuisse, sicut in baptismo, et in Eucharistia, cujus consecrationis verba referuntur valde expressa a tribus Evangelistis. Et quod prædicta verba importaverint sensum a nobis intentum, non est decernendum penes expositiones singulorum hominum, et præsertim hæreticorum ; sed juxta perpetuam Ecclesiæ traditionem, quæ legitimas verborum Christi significationes semper retinuit, et derivavit ad nos. Hæc autem traditio docet Christum præscripsisse formas, quibus illa sacramenta conficeremus. Unde Tertullianus lib. 1, *de Baptismo*, inquit : *Lex tingendi imposita est, et forma præscripta.* D. Cyprianus *epist.* 73, ait : *Verborum solemnitas, et sacri invocatio nominis, visibile celebrant sacramentum.* Unde consequenter affirmat *remissionem peccatorum ex eo baptismate non provenire, qui non sit datus in certa Trinitatis invocatione.* D. Augustinus lib. 3, *contra Donatistas*, cap. 15, inquit : « Si Evangelicis verbis « in nomine Patris, et Filii, et Spiritus « Sancti Marcion Baptismum consecrabat, « integrum erat Sacramentum. » D. Basilius lib. de *Spiritu Sancto* cap. 12: « A vita, « et gratia excedit, qui aliquid addit, vel « detrahit præscriptæ formæ baptismatis. » D. Damascenus lib. 4, *de fide*, cap. 10 : « Enimvero quænam verborum forma « adhibenda esset, Dominus discipulis suis « in hæc verba exposuit, baptizantes eos « in nomine Patris etc. » Et eodem modo loquuntur D. Dionysius part. 2, *Cœlestis hierarchiæ*, D. Athanasius serm. 3, *contra Arianos*, Cyrillus *Catechesi* 3, D. Chrysost. hom. 2, in 2, *ad Timoth.* D. Ambrosius lib. 4, *de Sacram.* cap. 4 et alii, quos prolixum foret recensere. Et ob hanc Ecclesiæ sic intelligentis verba Christi traditionem, Concilium Nicenum can. 19, reprobavit

Tertullian.

D. Cyprian.

D. Aug.

D. Basilius.

D. Damas.

D. Diony.

D. Athanasius.

D. Cyrill.

D. Chrysost.

D. Amb.

Concil. Nicenum.

probavit

probavit baptismum Cataphrygiarum, et Paulianistarum, qui mutaverant formam a Christo præscriptam. Et fuit, estque ista traditio adeo communis, ut D. Augustinus lib. 6, *de baptismo contra Donatistas*, cap. 25, merito dixerit : « Facilius inveniuntur « hæretici, qui omnino non baptizent, « quam qui non illis verbis baptizent. » Et epist. 118, ad Januarium affirmat « eos « hæreticos insolentissime insanire, qui « contra universalem Ecclesiæ doctrinam « disputant. »

D. Aug.

Ojbectio.

47. Melius posset præmisso fundamento opponi, qdod ineptum sit ad suadendum universalem assertionem nostram : quia ex præmissis testimoniis solum convincitur, quod formæ, sive verba sacramentorum baptismi, et Eucharistiæ fuerunt præscripta jure divino ex institutione Christi ; non autem verba cæterorum sacramentorum. Nam quoad priora illa constat ex Evangelio : quoad alia vero minime constat. Unde formari valet oppositum fundamentum : nam si Christus non invenitur verba aliorum sacramentorum determinasse, sequitur quod ad conficiendum alia sacramenta non requirantur verba determinata.

Dispellitur.

Sed prædictæ objectioni occurrit optime Soto artic. citat. conclus. 2, distinguendo in sacramentis nostris tres ordines, aut gradus. Nam in primo sunt, quorum forma in Evangelio manifeste exprimitur, ut baptismus, et Eucharistia. Inter quæ etiam computari potest sacramentum pœnitentiæ : nam cum a Christo institutum fuerit per modum judicii, juxta illud Matth. 16 : *Quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis :* illis verbis intelligitur præscripta ejus forma, quæ absolutionem significant, ut hæc, *Ego te absolvo*, aut æquivalenter quibus utitur Ecclesia. In secundo sunt confirmatio, ordo, et extrema unctio : et istorum forma non constat expresse, aut per evidentem illationem ex Evangelio ; sed constat nobis per constantem et communem Ecclesiæ traditionem, quæ fuerit a Christo præscripta : sicut et plura alia, de quibus Apost. *ad Thessalon.* 2 : *Servate traditiones, quas accepistis, sive per epistolas sive per sermonem.* Et 1, *ad Corinth.* 11 : *Cætera, cum venero, disponam.* Quæ tamen dispositio non legitur in Scriptura. Constat autem nec Apostolos, nec Ecclesiam, sed solum Christum tria illa, sicut et reliqua sacramenta instituisse, qui solus est auctor gratiæ, quæ in sacramentis confertur. Si autem Christus omnia sacramenta instituit, ut plane diffinit Concilium Tridentinum num. 45 relatum : pariter instituit verba, seu formas, quibus talia sacramenta constituuntur. Quæ verba, sive formas nobis promulgaverunt Apostoli, ut de sacramento Extremæ unctionis docet Concil. Trident. sess. 14, cap. 1, illis verbis : « A Christo Domino « nostro apud Marcum cap. 6 insinua- « tum ; per Jacobum autem Apostolum, ac « Domini fratrem fidelibus commendatum, « ac promulgatum. » Et similia docet de sacramentis confirmationis, et ordinis. In tertio denique gradu est sacramentum matrimonii. Et sicut Christus elevavit contractum naturalem ortum ex conjugum consensu ad rationem sacramenti : sic non aliam pro isto formam determinavit, quam quæ sufficeret ad exprimendum, manifestandumque mutuum conjugum consensum: quæ expressio fieri valet vel verbis formalibus, vel verbis æquivalentibus, ut sunt nutus, et alia signa. Ratio autem graduationis præmissæ quantum ad expressionem formarum in prædictis sacramentis potest haud obscure assignari : nam sacramenta baptismi, pœnitentiæ, et Eucharistiæ sunt tam communitati fidelium, quam individuis valde necessaria : quare congruum fuit, quod tam ipsa, quam illorum formæ expressissimis verbis proponerentur in Scriptura. Sacramenta confirmationis, ordinis, et extremæ unctionis adeo necessaria non sunt, sicut præcedentia : quare opus non fuit, quod tam expresse nobis in Scriptura repræsentarentur : sed tamen oportuit, quod Apostoli illorum institutionem audientes, et accipientes a Christo, illam docerent, atque ad fideles alios derivarent per traditionem. Denique matrimonii sacramentum minus adhuc ad salutem necessarium existit : quare satis fuit Christum illud in Evangelio approbasse, elevasseque ad sacramenti rationem, relinquendo contrahentium arbitrio electionem verborum, sive signorum, quibus manifestent consensus legitimos, ut in aliis contractibus accidit.

Matth. 16.

2 ad Thessal. 2.

1 ad Corinth. 11.

Conc. Trident.

Nota.

Confirmatio.

Confirmantur hæc omnia : quoniam sacramentorum usus est res gravissima, in qua minor uniformitas gignit indecentiam, et error affert pericula. Ergo conveniens

iit, quod omnes fideles eisdem ritibus ıbstantialibus, atque ideo ipsissimis verɔrum formis in conficiendo sacramenta niformiter uterentur. Sed non est credile Christum defuisse in ita providendo ıæ Ecclesiæ. Ergo sicut credimus Chrisım instituisse omnia, et singula Ecclesiæ ıcramenta : sic etiam debemus credere, ıod determinaverit formas, aut verba, ıibus unumquodque eorum perfici debet. uamvis modus, quo hæc determinatio nos proponitur, non sit æqualis ; sed parm ex verbo scripto, et partim ex verbo adito, ut proxime explicuimus.

48. Secundo probatur eadem assertio raone Theologica, quam optimam tradit D. hom. in præs. art. 7, et possumus ad hanc ırmam reducere : quoniam major debuit sse in sacramentis nostris determinatio parte verborum, quam ex parte rerum : ed res nostrorum sacramentorum sunt determinatæ ex institutione divina : ergo lem de verbis sacramentorum dicendum st : atque ideo pro eorum valore necessaria ınt verba determinata. Utraque conseuentia patet. Major autem suadetur : quia ıajor determinatio requiritur in quolibet rdine ex parte formæ, quam ex parte materiæ; siquidem forma est, quæ potentialiıtem, sive indifferentiam materiæ deterat, atque in peculiari specie constituit, ut acile ostendi potest inductione facta tam n naturalibus, quam in artificialibus : tqui res in sacramentis se habent ut mateia, verba autem comparantur sicut forma, t constat ex dictis dub. præcedent. ergo in acramentis nostris major requiritur determinatio ex parte verborum, quam ex parte erum. Minor denique supponitur ex dictis *n Comment.* ad artic. 5, ubi illam firmaimus. Sed insuper facile ostenditur, quia nanifestum est in sacramento baptismi equiri aquam : in Eucharistia panem, et inum, et sic de aliis. Præterquam quod leterminatio in sacramentis pertinet ad orum perfectionem, cum fundet significaionem magis expressam : certum autem est res sacramentorum antiquorum fuisse leterminatas a Deo, ut patet ex Scriptura in Exodo, et Levitico : ergo cum nova sacramenta sint longe perfectiora, sequitur, quod constituantur ex rebus determinatis.

49. Nec refert, si objicias majorem præcedentis discursus esse manifeste falsam : quoniam loco rerum a Christo assumptarum ad sacramenta nequeunt aliæ res subrogari, licet sint ejusdem æquivalenter virtutis, ut expresse tradit D. Thom. artic. 5 ad 2, et patet ex eo, quod loco aquæ naturalis non potest substitui aqua rosacea ; quamvis haberet eandem vim ad abluendum, aut lavandum. Constat autem, quod loco verborum, quæ Christus præscripsit pro nostris sacramentis, possumus subrogare alia verba æquivalentia. Unde cum ipse locutus fuerit verbis Hebraicis, aut Syriacis, nos sacramenta ministramus verbis Latinis ; et similiter loco verbi *baptizo* possumus dicere, *abluo*, ut ex sequentibus satis constabit. Ergo falsum est majorem in sacramentis nostris requiri determinationem ex parte verborum, quam ex parte rerum.

Id, inquam, minime refert : quoniam præcise evincit verba materialiter sumpta esse minus determinata ; secus vero si formaliter, hoc est, quantum ad sensum, sive sententiam considerentur. Nos autem loquimur de determinatione formali verborum, ut in limine dubii observavimus. Itaque fatemur res debere esse illasmet, quas Christus elegit, et non per alias essentialiter distinctas, licet quoad aliquos effectus æquivalentes, suppleri, ut objectio recte probat. Concedimus etiam verba a Christo instituta non fuisse materialiter quoad syllabas, et modos determinatas, sed indifferenter sufficere quæcumque verba diversarum nationum, dummodo eundem sensum retineant. Et ratio disparis providentiæ in his dispositionibus potest congruenter assignari, quod res sacramentorum sunt etiam materialiter eædem, et satis communes apud omnes nationes, ut patet in aqua naturali, vino, oleo, etc. unde oportuit illas etiam materialiter determinari absque commutatione, aut recursu ad alias æquivalentes. Cæterum verba non sunt materialiter eadem apud nationes omnes : aliis enim utuntur Hebræi, aliis Græci, aliis Latini, aliis Barbari ; quamvis intendant repræsentare, et repræsentent eandem sententiam. Quocirca non oportuit sacramenta, quæ sunt hominum saluti, et perfectioni necessaria, alligari determinatis materialiter verbis. Sententia autem verborum eadem facillime esse valet apud omnes, licet diverso idiomate utantur : quare determinatio verborum debuit esse formalis. Et comparando verba formaliter sumpta cum

Diruitur.

cum rebus (quo pacto, et non aliter debet comparatio fieri), liquido apparet majorem esse determinationem ex parte verborum quam ex parte rerum, tum ob superius dicta : tum, quia ut egregie tradit D. Tho. art. 6, in corp. « Ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, « ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim « significare potest et ablutionem propter « suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur, « *Ego te baptizo,* manifestatur, quod aqua « utimur in baptismo ad significandum « emundationem spiritualem. » Unde stat firmum principium assumptum a S. Doctore.

D. Tho.

§ II.

Refertur hæresis contraria.

50. Hæretici nostri temporis in illis ipsis paucis admodum sacramentis, quæ admittunt, docent nullam requiri determinatam verborum formam. Unde Lutherus in lib. *de captivit. Babylonica*, cap. *de baptismo* affirmat ratum esse baptismum, quibuscumque verbis collatum, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini detur. Immo et affirmat, quod etiam si impius minister non det in nomine Domini, sacramentum est validum, si in nomine Domini suscipiatur. Et in eodem loco docet ad sacramentum Eucharistiæ parum referre, quod his, aut illis verbis conficiatur, si adsit fides ex parte suscipientis. Similia proferunt Zvinglius lib. *de vera, et falsa religione*, cap. *de baptismo*, Brentius *in suo Catechismo*, cap. *de baptismo*, Bucerus in cap. 26, Matth. ubi ausus fuit dicere : « Dominus jussit panem frangere, et manducare ; sed non jussit dici super panem, « Hoc est corpus meum. » Et similia proferunt alii hæretici moderni, qui anteambulones habuerunt Cataphrygas, et Paulianistas, et Marcum quendam sectæ Colarbaseorum, qui statas sacramentorum formas vel mutaverunt, vel penitus reliquerunt, ut videre est apud D. Irenæum lib. 1, cap. 9, et 18, D. Epiphanium *hæresi* 34, Theodoretum lib. 1, *de hæreticorum fabulis*, et alios.

Lutherus. Zvinglius. Bucerus. D. Ireneus. D. Epiphanius. Theodor.

Arguunt hæretici primo : quia nulla debet esse conventio Christi, et Belial : sed diabolus docet Magos certas verborum formulas, quibus celebrant suas incantationes: ergo minime debemus certis verbis divina sacramenta peragere. Unde Brentius loco citat. inquit : « Christus non collocavit fundamentum baptismi super certis litteris, « syllabis, aut dictionibus, nec alligavit nos « ad certa verba : non enim instituit Magiam, quæ ad certam verborum formam, « aut ritus alligata est : sed instituit cælestia sacramenta, quæ constant sua ipsius « sententia, et voluntate. »

Primum argum.

Respondetur eodem argumento probari non requiri res determinatas ad sacramenta, puta aquam ad baptismum, panem, et vinum ad Eucharistiam. Quoniam non debemus habere conventionem cum diabolo : hic autem docet Magos uti certis rebus ad incantationes : ergo uti non debemus certis rebus ad sacramenta. Scimus Lutherum *in symposiasis* cap. 17, docuisse omnem materiam balnei posse esse materiam baptismi. Unde cum vinum, oleum, lac. et similia queant esse materia balnei ; sequitur hæc etiam posse ex ejus sententia esse materiam, in qua sacramentum baptismi fiat. Sed hanc Lutheri amentiam nec ipsi hæretici admittunt, sed cum Catholicis conveniunt in asserendo materiam determinatam baptismi esse aquam, et materiam determinatam Eucharistiæ esse panem, et vinum. Nam primum evidenter constat Joann. 3, Actor. 8, ad Ephes. 5, et 1. Joann. 3, Secundum etiam manifeste patet Matth. 26, Marc. 22, Lucæ 22, et 1, ad Corinth. 11. In hos itaque omnes regerimus argumentum : quod vel nihil valet, vel æqualiter excludit necessitatem determinationis rerum, et verborum, in sacramentis. Quare ab eisdem oportet dilui. Nos facile respondemus diabolum esse simium, et ut habeatur sicut Deus, imitari a Deo instituta. Quare sicut Deus instituit sacrificia in sui cultum ; sic diabolus docere solet sacrificia ad sui honorem. Et sicut Deus instituit sacramenta in quibusdam rebus determinatis, adhibita etiam verborum forma : sic etiam diabolus hæc imitatur instituendo sacramenta, sive secreta magica ex determinatis rebus, et verbis. Cæterum sicut impie desiperet, qui diceret non esse offerendum Deo sacrificium, quia Magi illud solent offerre diabolo : et sicut omnino erraret, qui negaret licita esse sacramenta in determinatis rebus, eo quod Magi

determinatas res pro incantationibus adhibeant (constat enim evidenter ex Scriptura quod Deus instituerit sacramenta antiqua cum certis ritibus, et determinatis rebus): sic etiam prorsus errant, desipiuntque hæretici, dum ex eo, quod diabolus doceat Magos certa verba, colligunt Christum non instituisse sacramenta nostra cum certa forma verborum. Et plane tam inepte id colligunt, quam inferret quis proferendam non esse veritatem, quia diabolus aliquando vera loquitur. Quod vero subjungit Brentius, mera calumnia est, et eadem ipse implicatur : quia Catholici non adstruimus necessitatem determinationis materialis in verbis, ut quod habeant has litteras, aut distinctiones, ut nugatur ille : sed docemus necessitatem determinationis formalis, nempe quantum ad sensum, ut scilicet verba servent sententiam a Christo intentam, sicut ostendimus num. 44, et 49, et Brentius ipse admittere videtur.

51. Arguitur secundo : quia sacramenta antiqua opus non habuerunt determinatis verbis, ut statuimus *in Comment.* ad artic. 5 ; ergo nec in sacramentis nostris requiritur determinata verborum forma. Probatur consequentia, tum a paritate, tum ex eo, quod sacramenta perfectiora debent esse magis absoluta, seu minus determinata, et alligata diversis requisitis : ergo cum nostra perfectiora sint ; oportet non esse alligata determinatis verbis, quibus antiqua caruerunt. Confirmatur : quia in sacramento matrimonii nulla requiritur determinata verborum forma, ut plane indicavit Concilium Florentinum, dum dixit : *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus ;* nam ly *regulariter* insinuat matrimonium non semper, aut essentialiter importare illam formulam verborum. Ergo falsum statuimus universaliter affirmando, quod ad nostra sacramenta requirantur verba determinata.

Respondetur argumentum excessive probare : quia in sacramentis antiquis non solum necessaria non fuit determinatio verborum, verum nec ulla verba necessaria fuerunt : constabant enim solis rebus, ut diximus loco citato : quare si omnimoda similitudo inter illa, et nostra servari deberet ; oportet nullum in nostris determinatum, aut non determinatum verbum adhiberi. Id vero est omnino falsum, ut constat ex dictis dub. 1. Quare in præsenti supponimus necessitatem verborum aliquorum in nostris sacramentis, quam nec ipsi hæretici negant : et investigamus necessitatem determinationis in verbis, quam ipsi negare solent. Unde liquet objectam difficultatem non esse de re præsenti. Sed qualiscumque sit, diluitur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Ad cujus primam probationem dicendum est primariam disparitatem quantum ad hoc inter sacramenta antiqua, et nostra fundari principaliter in voluntaria institutione Dei, qui disposuit antiqua solis rebus constare, nostra vero rebus, et verbis. Fundatur etiam in differentia inter statum legis scriptæ, et statum legis gratiæ : nam sicut iste est longe perfectior, sic etiam poscit sacramenta perfectiora : pertinet autem ad perfectionem signorum, et sacramentorum significatio per verba ; cum hæc sint expressiora signa : quare oportuit, quod sacramenta nostra non solum rebus, sed verbis etiam constarent. Per quod patet ad secundam probationem : nam major sacramenti perfectio attenditur penes proxime dicta. Quod vero ad id concurrant plura requisita, nihil obest : quia major perfectio frequenter exigit plurium concursum : unde viventia sunt magis composita, quam elementa, et a pluribus in propria sui constitutione dependent ; et tamen sunt simpliciter perfectiora.

Ad confirmationem distinguendum est antecedens, et concedendum, si excludat præcise omnem determinationem materialem : sed negari debet, si excludat omnem tam materialem, quam formalem. Et deinde negamus absolute consequentiam : quia nostra assertio non constituit determinationem verborum materialem, sed solum formalem : et in hoc sensu procedit, ut ab exordio prælibavimus. Inserta autem antecedenti probatio nihil contra hanc doctrinam evincit : quia quod matrimonium possit celebrari his, aut illis verbis, vel etiam nutibus, sive etiam quibusvis signis, pertinet ad materiale verborum, et solum evincit quandam materialem indifferentiam. Sed tamen semper in matrimonio requiritur formalis determinatio verborum : quia semper desideratur significatio legitimi consensus contrahentium, sive hæc repræsentetur hoc modo, sive alio : quamvis regulariter fiat per verba, ut docet Concilium Florentinum. Solvitur confirmatio.

Florentinum. Quare etiam in sacramento matrimonii requiruntur verba determinata determinatione formali; quamvis admittatur indifferentia materialis, sicut proportionabiliter in aliis sacramentis contingit.

Replica. 52. Sed instabis : quia si res ita se habet, quod non requiritur determinatio materialis verborum, sed solum formalis, sive ex parte significationis ; sequitur posse nos consecrare, et alia sacramenta conficere in lingua vulgari : quippe sive verba sint latina, sive vulgaria, eandem sententiam referre queunt. Quod tamen est falsum, et communi Ecclesiæ consuetudini oppositum. Declaratur amplius vis hujus objectionis : quoniam verba requiruntur in nostris sacramentis ut principaliter significativa : sed contingit eandem sententiam significari per diversa verba, sive latina, sive vulgaria : ergo nulla determinata verba requiruntur, sed sufficiunt quælibet æquivalentia.

Diruitur. Respondetur concedendo sequelam, si significet nos posse valide consecrare, et alia sacramenta conficere in lingua vulgari : nam res ita se habet, ut supra vidimus. Sed negari debet, si significet nos posse licite consecrare etc. in prædicta lingua : quia Ecclesia justis de causis id prohibet. Sicut etiam scriptura translata in linguam vulgarem referret eundem sensum ; et tamen Ecclesia merito vetat eam translationem. Modo autem solum agimus determinatione requisita ad valorem sacramentorum, quidquid fuerit circa licitum usum, de quo D. Tho. infra dub. 5. Videatur D. Thom. in 4, distinct. 3, quæst. 1, artic. 2, quæstiunc. 2, ubi ait : « Si aliquid pertinet ad formam ex « determinatione Ecclesiæ, si illud mutatur, « nihilominus est sacramentum, sed culpa « incurritur.» Unde ad explicationem, sive augmentum difficultatis respondetur eodem modo, concedendo consequentiam in hoc sensu, quod nulla determinata materialiter verba requiruntur ad valorem sacramentorum : sed tamen desiderari possunt ad vitandum culpam propter oppositionem cum Ecclesiæ præcepto, vel usu. Quam res-Idem. ponsionem magis illustrat Div. Thom. in præs. artic. 7 ad 2, his verbis : « Dicen-« dum, quod licet in qualibet lingua con-« tingat diversis vocibus idem significari ; « semper tamen aliqua illarum vocum est, « qua principalius, et communius homines « illius linguæ utuntur ad hoc significan-« dum. Et talis vox assumi debet in signifi-« catione sacramenti. Sicut etiam inter res « sensibiles illa assumitur ad significatio-« nem sacramenti, cujus usus est commu-« nior ad actum, per quem sacramenti effec-« tus significatur : sicut aqua communius « utuntur homines ad ablutionem corpora-« lem, per quam spiritualis ablutio signifi-« catur. Et ideo aqua assumitur ut materia « in baptismo. » Ubi observandum est (ut tacitæ objectioni occurratur), quod licet verbum *abluo* sit de se magis commune, quam verbum *baptizo* ad significandum ablutionem : nihilominus accommodatio, atque usus Ecclesiæ jam id obtinuit, quod verbum *baptizo* sit longe communius in administrando baptismi sacramentum : quare huic usui stare debemus. Sed hæc ut, diximus, magis spectant ad licitam sacramentorum administrationem, de quo infra.

§ III.

Consectarium contra hæreticos.

53. Ex dictis palam sequitur verba, qui- Prin illat bus nostra sacramenta conficimus non esse concionatoria, vel per modum doctrinæ, aut instructionis : sed esse consecratoria, vel effectiva ejus, quod significant. Sic observant communiter Theologi hujus temporis contra hæreticos modernos. Hi namque licet aliqua verba in conficiendis sacramentis adhibeant ; nihilominus existimant non esse consecratoria, sive habentia vim sanctificandi, sed tantum concionatoria, et excitantia fidem audientium circa divinas promissiones. Unde Calvinistæ (do- Cal nu cente eorum Magistro *lib.* 4, *Inst. c.* 14,) pro Eucharistia nulla certa verba requirunt ; sed solam adhibent concionem, aut etiam gratiarum actionem. Et quamvis in baptismo post concionem, aut instructionem utantur forma in Ecclesia consueta : tamen hanc etiam adhibent non ut formam consecrantem, vel perficientem, sed quia putant ad instructionem etiam pertinere, ut affirmat Beza apud Bellarmin. *lib.* 1, *de* Be *sacram. c.* 19. Quæ doctrina communis etiam est Lutheranis, ut constat ex eorum conciliabulo Witenbergem. *c. de baptismo*, et ex Melanchthone *in locis anni* 58, *titulo* Me ch *de baptismo parvulorum.*

Sed consectarium nostrum ostenditur profligando simul contrariam hæresim. Et

primo quidem ex dictis *in hoc dubio :* nam si verba, quibus conficiuntur sacramenta, forent mere concionatoria, sive per viam instructionis ad excitandum fidem ; non oporteret habere aliquam determinationem materialem, aut formalem : quippe concio, atque excitatio fieri valet diversis verbis, et referentibus diversas sententias, pertinentes utique ad materias valde distinctas, ut ex se liquet. Consequens autem est falsum ; siquidem ostendimus ad valorem sacramentorum requiri verba determinata determinatione formali. Ergo verba, quibus sacramenta fiunt, non sunt concionatoria, sed consecratoria.

54. Secundo : quia verbum concionale, et verbum sacramentale valde distinguuntur : ergo verbum perficiens sacramenta non est verbum concionale. Probatur antecedens tum ex Apostolo 1, *ad Corinth.* 1, ubi ait : *Non enim me misit Christus baptizare, sed evangelizare.* Ubi manifeste distinxit inter verba baptizandi, et verba prædicandi. Tum etiam quia fœmina potest quidem baptizare, ut hæretici non negant : et tamen non potest concionari, evangelizare, aut docere in Ecclesia, ut constat ex Apostolo 1, *ad Timoth.* 2. Tum denique quia baptizare est opus facillimum, atque omnibus commune : concionari autem est opus difficile, et ministrorum speciale. Unde Actor. 10, legitur, quod Petrus per se ipsum prædicaverit Evangelium Cornelio, jusserit autem alios eum baptizare. Hæc vero satis manifestant maximam differentiam inter verbum concionale, et verbum sacramentale.

Tertio : quia si verbum in sacramentis concurreret per modum concionis, aut instructionis, maxime ad excitandum fidem divinarum promissionum : sed non ita concurrit : ergo verba in sacramentis non sunt concionatoria, sed consecratoria, sive immediate efficientia, quod significant. Sequela est manifesta, et conceditur ab hæreticis, ut constat ex Luthero *lib. de captivit. Babylonica*, cap. *de baptismo*, ubi asserit « sacramenta omnia ad fidem alendam esse « instituta, et non impleri, dum fiunt, sed « dum creduntur. » Et idem affirmat Calvinus cap. 14, cit. sect. 4. Falsitas vero consequentis ostenditur : nam verbum concionis nequit excitare fidem, nisi in audientibus, et intelligentibus illud, juxta illud Ecclesiast. 32 : *Ubi auditus non est, non effundas sermonem.* Sed qui suscipiunt sacramenta, non semper audiunt, et intelligunt verba concionis, aut instructionis, ut manifeste liquet in infantibus, dum baptizantur : ergo verba in sacramentis adhiberi solita non concurrunt per modum concionis, vel instructionis ad excitandum fidem divinarum promissionum. Nec morari debemus responsione Lutheranorum, quos supra allegavimus, et nominatim Lutheri loco immediate relato, respondentium « infantes baptismo internos quos« dam motus habere, quibus instructionem « intelligunt illique assensum, et fidem « præstant. » Id, inquam, tanquam merum figmentum repelli debet. Quare non aliam oportet adhibere confirmationem, quam illam unam, sed utique efficacem D. Aug. *epist.* 57, qui simili occurrens delirio ait : « Vel infantes utuntur ratione, vel « non. Si non utuntur, nec intelligunt « quidem. Si utuntur rei fierent ingentis « sacrilegii, vocis ejulatu, et motibus cor« poris reluctantes, et baptismo obstrepen« tes. Tantumque abest, ut abluerentur, ut « inde magis sordidarentur. » Nec in exemplum trahi potest, aut debet exultatio Joannis Baptistæ in utero : nam ut egregie prosequitur D. Augustin. *epist. citat.* « Quando « Deus voluit, jumentum mutum rationa« biliter est locutum. Nec ideo admoniti « sunt homines in deliberationibus suis « etiam asinina expectare consilia. Quo« circa nec quod factum est in Joanne, con« temno : nec inde regulam, quod facien« dum sit de parvulis, figo. Imo id in illo « propterea mirabiliter prædico, quia in « aliis non invenio. » Videatur etiam D. Gregor. Nazianz. *orat. in sanctum Baptisma*, ubi evidenter docet, atque supponit infantes non habere intelligentiam, nec cognoscere beneficium sacramenti, cum baptizantur. *Præstat*, inquit, *sine sanctitatis sensu sanctificari, quam citra Baptismum e vita decedere.* Et similia occurrunt in D. Chrysost. *hom.* 6, *in epist. ad Hebr.* D. Prosper, lib. 1, *de vocat. gentium* cap. 16 et lib. 2, cap. 23, et in aliis communiter.

D. Augustin. — D. Nazianzenus. — D. Chrysost. — D. Prosper.

55. Quarto : quia Ecclesiæ Patres, a quibus decet, non autem ab hæreticis, expositionem mysteriorum fidei audire, palam significant verba nostrorum sacramentorum consecratoria esse, et dirigi ad materiæ, sive rerum consecrationem. Unde ubi de Eucharistia loquuntur, D. Cyprian. *in serm.*

Alia. — D. Cyprian.

serm. de Cœna Domini dixit *calicem benedictione solemni sacratum.* Et D. Ambros. (D. Ambro.) lib. *de iis, qui initiantur,* cap. 9, ait : *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur*, nempe panis : *post consecrationem corpus Christi est.* Et Emissenus (Emissenus) *hom.* 5, *de Paschate*, inquit : *Tanta est vis divinæ benedictionis, ut in Christi substantiam terrena elementa mutantur.* Similiter se gerunt, ubi agunt de baptismo. Unde D. Augustin. (D. Aug.) lib. 3, *de baptismo contra Donatistas*, cap. 10, affirmat « nomen Domini « super aquam invocari, et verbis Evan- « gelicis baptismum consecrari. » Cyrillus (D. Cyril.) *catechesi* 3, docet « aquam simplicem per « sancti Spiritus, Christi, et Patris invoca- « tionem sanctitatem consequi. » D. Basilius (D. Basilius) lib. *de Spiritu Sancto* cap. 15, ait : *Magnum baptismatis mysterium invocatione Trinitatis perficitur.* Et similia proferunt alii, quos superfluum foret recensere. Illa autem satis liquido manifestant verba sacramentorum non proferri per modum instructionis, aut concionis ad excitandum affectum, sive fidem audientium, et suscipientium : sed habere vim benedictionis, et consecrationis ad peragendum ea, quæ significant. Nec oportet nos alia testimonia circa reliqua sacramenta expendere : quia Lutherani, et Calvinistæ illa tantum duo baptismi, et Eucharistiæ concedunt. Quæ vero fuerit de cæteris Patrum sententia liquet satis ex allatis.

(Alia.) Quinto, et ultimo refelluntur hæretici ab absurditatibus, atque inconsequentiis, quibus in hac parte implicantur. Nam in primis si verba baptismi non aliter adhiberentur, aut prodessent nisi excitando fidem ; baptismus non haberet effectum, nisi in concursu fidei. Id vero etsi Lutherus relatus num. præcedent. concedat, est adeo absurdum, ut vel Calvinus ipse lib. 4, cap. 15, sect. 16, fateatur baptismum inter Catholicos tenere, licet veram fidem non habeamus, et quamvis (quod verum est), non adhibeamus verba tanquam concionem, sed ut formam, et consecrationem perfectivam sacramenti. Et Ecclesia Catholica ut dijudicet de valore sacramenti, non attendit principaliter ad fidem baptizantis, sed ad modum, et formam, quam in baptizando observat. Quare D. Augustinus (Aug.) lib. 3 *de Baptismo contra Donatistas* asseruit Marcionis baptismum futurum esse sacramentum verum : « Si verbis Evangelicis baptizet, « etiam si ejus fides sub eisdem verbis fal- « sa sit. » Quin et Concilium Arelatense (Concilium Arelatense.) Can. 8, statuit baptizatos ab Arianis non esse iterum baptizandos, licet errarent circa mysterium Trinitatis : quia male credentes, atque docentes veram tamen baptismi formam observabant. Quæ satis declarant verba formæ in baptismo non esse instructionem, nec in id principaliter adhiberi, ut fidem gignant ; sed esse consecrationem exhibentem de se, quod talia verba significant. Deinde sequitur Lutherum, Calvinum, et socios non fuisse baptizatos ; siquidem manifestum est ipsos non suscepisse baptismum verbis concionatoriis, aut per modum instructionis, sicut ipsi longo post tempore introduxerunt ; sed baptizati fuerunt modo Catholicorum, sicut et eorum parentes juxta antiquissimam, atque inconcussam Ecclesiæ consuetudinem. Denique sequitur, quod surdus nequeat baptizari : quia est incapax audiendi verba concionis, quibus proinde nequit excitari ad fidem. Recursus vero ad alios præsentes, atque audientes nihil proderit : nam fieri valet, quod alii absint. In quo eventu dicendum erit juxta hæreticorum sententiam, vel surdum esse incapacem baptismi, et subinde salutis ; vel concionem dirigi ad nullum audientem ; vel denique verba baptismi non habere rationem concionis, sed consecrationis. Et cum duo illa prima sint plane absurda, et ridicula : tenendum est ultimum, quod fides Catholica docet.

56. Sed opponunt primo verba Christi (Objectio. Matth. 28 Marc. 16.) Matth. 28, et Marc. 16 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit etc.* In quibus manifestum est voluisse Christum, quod sermo doctrinæ, et instructio ad fidem comitarentur baptismum. Ergo si quæ verba debent in baptismo adhiberi, consecratoria non sunt, sed concionatoria, et per modum instructionis.

(Solutio.) Respondetur negando consequentiam : quia Christus in prædictis verbis proposuit, præcepitque modum observandum in conversione infidelium adultorum : hi enim cum adhibere debeant aliquam dispositionem propriam, qua se præparent ad suscipiendum effectum baptismi, debent prius instrui, atque admoneri. Sed præter hanc instructionem requiruntur verba consecratoria, et ut frequenter loquitur D. Augustin.

verba Evangelica, *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Quæ non habent modum, aut formam concionis, sed consecrationis. Quam responsionem esse legitimam convincunt satis efficaciter duo. Primum est exemplum parvulorum, qui sunt incapaces instructionis ; et tamen non sunt incapaces baptismi, ut ponderavimus n. 54. Et quamvis concederetur Lutheranis in parvulis accelerari usum rationis pro illa duratione, in qua baptizantur (quod alias omni fundamento destituitur), nihilominus in tam brevi morula non possunt instrui circa fidem promissionum divinarum, et aliorum mysteriorum fidei : cum compertum sit vel adultos ipsos egere longiori tempore, ut circa hæc instruantur. Secundum est praxis Ecclesiæ ab ipsius exordio : nam primo infideles docet, deinde jam instructos baptizat : quod satis manifestat verba, quibus conficitur baptismus, instructionem, sive doctrinam concionatoriam non esse, sed eam in adultis supponere, et aliud distinctum quid addere, nempe baptismi formam, et consecrationem. Sic Petrus Act. 2, tria millia hominum convertit, qui postea baptizati sunt. Sic Philippus Act. 8, Samaritanos fidem prius docuit, et credentes baptizavit. Sic idem Philippus, ut legitur in eodem cap. eunuchum prius instruxit, quam eum baptizare vellet. Sic Act. 10, Cornelius prius instructus fuit a Petro, et deinde baptismum suscepit. Et hunc ordinem pro adultis præscripsit Dominus illis verbis : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes etc.*

[...]or .2 [...]t 3.

[...]cunda [...]ectio.

57. Opponunt secundo, et difficilius locum celebrem D. Augustini, quo Scholastici, et Theologi frequenter utimur in hac materia, et quem Calvinus, aliique Hæretici contra nos intorquent in præsenti causa. Etenim S. Doctor illud verbum, unde vis oritur sacramentorum, appellat *verbum fidei, quod prædicamus, et sermonem Christi.* Hujusmodi autem tituli adaptantur quidem recte verbo concionatorio, non autem consacrationi. « Unde tanta vis aquæ, « *inquit Augustinus,* ut corpus tangat, et « cor abluat, nisi faciente verbo, non quia « dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso « verbo aliud est sonus transiens, aliud « virtus manens. » Quod autem istud verbum, de quo agit, sit verbum fidei, quod prædicatur, et homines excitat ad credendum, satis aperte constat ex subjunctis : « Hoc est verbum, *inquit,* quod prædica« mus, ait Apostolus Rom. 10, quia si con« fessus fueris in ore tuo, quia Dominus est « Jesus, et credideris in corde tuo, quia « Deus illum suscitavit a mortuis, salvus « eris, etc. » Et infra : « Hoc verbum fidei « tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam « credentem, benedicentem, offerentem, « tingentem etiam tantillum, mundet infan« tem quamvis nondum valentem corde « credere ad justitiam, et ore confiteri ad « salutem. » Tandem concludit : « Totum « hoc fit per verbum, de quo Dominus ait « Joan 15 : Jam vos mundi estis propter « verbum, quod locutus sum vobis. » Verbum autem, quod Dominus locutus fuit Apostolis, non fuit verbum consecratorium, sed concionatorium, et ad instructionem pertinens. Ergo sentiebat August. verbum, quo in baptizando utimur, non esse consecratorium, sed concionatorium, et per modum doctrinæ.

Responsio.

Respondetur hanc ipsam objectionem manifestare spiritum hœreticum opponentium : nam cum D. August. pluribus in locis manifeste docuerit verbum baptismi esse consecratorium, atque efficere, quod significat, impii homines arripuerunt testimonium obscurum, quo simplices illuderent. Et plane in eodem ipso loco nostram et communem docet sententiam, cum ait : « Hoc est verbum, quod prædicamus, quo « sine dubio, ut mundare possit, consecra« tur, et baptismus. » Et quod hujusmodi verbum non necessario debeat a baptizatis credi, ac perinde nec ipsis proponi per modum doctrinæ, aut concionis, constat in exemplo toties a S. Doctore inculcato parvulorum, de quibus in objecto testimonio ait : « Hoc verbum fidei tantum valet in « Ecclesia, ut mundet infantem nondum « valentem corde credere ad justitiam, et « ore confiteri ad salutem. » Si parvulus non potest credere, ad quid in ipsum dirigeretur verbum fidei per modum prædicationis, et instructionis ? Hæc tam certa, et clara sunt in S. Doctore, ut nulla queant interpretatione infuscari, nullo etiam in contrarium adhibito testimonio possint revocari in dubium. Quod autem nobis objicitur, varie exponitur a Doctoribus, ut videri potest apud Alanum, *de sacramentis in genere,* cap. 20. Tapperum *in explicatione articulorum Lovaniensium,* art. 1, sect. 37. Bellarminum lib. 1 *de sacramentis* c. 20. Sayrum

Alanus. Tapper. Bellar.

yrus Sayrum li. 1, c. 3, art. 12, et alios. Ex quibus illa interpretatio nobis magis probatur, quæ sentit D. August. eo loco agere de virtute verbi Dei generatim sumpti, quam ut demonstret, aliquando exemplificat in verbo prædicationis, aliquando in verbo sacramentali : quare nunc loquitur de verbo concionatorio, nunc de consecratorio, et ad hunc finem varia testimonia interponit. Unde non omnes sententiæ, quas profert, nec omnia Scripturæ loca, quæ affert, eidem verbo indiscriminatim applicari debent : (cum manifestum sit ea, quæ dicit de verbis sacramentorum, applicari nos posse verbis prædicationis extra sacramentum) : sed eis utendum est cum distributione accommoda, ita ut quædam aptentur verbo concionatorio, quædam autem verbo consecratorio : et nihilominus omnia ostendunt efficacitatem verbi Dei in genere. Quocirca objectio facta diluitur admittendo omnia S. Doctoris testimonia, et negando consequentiam absolute : quia licet loquatur de verbis sacramentalibus, et de verbis concionatoriis ; tamen sicut non intendit, quod omnia verba prædicationis sint sacramentalia (id namque est evidenter falsum ; cum non in omni prædicatione sacramentum fiat), sic nec intendit, quod sacramentalia verba sint verba prædicationis, ut liquet ex testimoniis a nobis allegatis. Intendit tamen, idque assecutus fuit, ex utrisque verbis seorsim, et secundum propriam rationem consideratis ostendere efficaciam verbi Dei in communi.

nda- ntum spon- onis 58. Fiet autem hæc interpretatio expeditior, et plausibilior. si accurate attendamus ad D. Augustini mentem. Tractabat S. Doctor illa Salvatoris verba Joan. 15 : *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* et merito solita subtilitate inquisivit : *Cur mundos eos dixit propter verbum. quod locutus est eis, et non propter baptisma, quo loti erant?* Et respondet ideo Christum generatim dixisse : *Mundi estis propter verbum.* ut generaliter ostenderet omnem mundationem fieri per verbum ; sive verbum sit prædicationis, sive sit sacramenti. Quod non ita exprimeret dicendo eos mundos esse propter baptismum, quo loti fuerant : quia sic loquens explicuisset quidem efficaciam verbi sacramentalis, non autem verbi prædicationis. Utrumque vero complexus est dicens : *Mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis :* nam locutus fuerat, et proposuerat tum verbum fidei, tum verbum sacramenti. Utramque autem partem probat D. Augustinus. Nam verbum fidei mundare probat illis testimoniis : « Hoc est ver-« bum, quod prædicamus : Quia si confitea-« ris ore tuo etc. » ad Rom. 10 : Et, *Fide purificans corda eorum etc.* Act. 15, et similibus, quibus hæretici conantur (licet inepte, et invalide, et contra Augustini intentionem), omne verbum pertinens ad salutem esse tantum prædicationis, aut fidei verbum. Et ulterius probat S. Doctor, atque diserte asserit (per quod hæreticorum calumnia retunditur), dari verbum sacramentale, consecratorium, et sanctificans. Hanc enim sententiam evidenter repræsentant istæ sententiæ Augustini : « Detrahe « verbum, etc. quid est aqua, nisi aqua ? » « Deinde : « Accedit verbum ad elementum, « et fit sacramentum. » Rursus : « Unde « tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et « cor abluat, nisi faciente verbo ? » Ulte-« rius : « Hoc verbo, ut mundare possit, « consecratur, et baptismus. » Denique : « Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia « Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, « benedicentem, tingentem etiam tantillum « mundat infantem, quamvis nondum va-« lentem corde credere ad justitiam, et « ore confiteri ad salutem. » Quæ manifestum est intelligi de verbo sacramentali. Ex quibus omnibus concludit S. Doctor, quod sive minister prædicans mundet, sive aqua baptismi mundet, generaliter verum est verbum Dei mundare, et merito Christum dixisse : *Jam vos mundi estis propter verbum* (comprehendendo etiam consecratorium, et sacramentale), *quod locutus sum vobis.*

59. Sed insistunt hæretici, premuntque Replica. illa Augustini verba : « Unde tanta virtus « aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, « nisi faciente verbo ? Non quia dicitur, « sed quia creditur. » Quoniam planus hujus sententiæ sensus videtur esse justificationem non attribui verbo sacramentali, sed fidei, quam illud proponit, et ad quem excitat. Ex quo fiet verbum sacramentale non influere ut consecratorium, sed ut concionatorium, et per modum instructionis.

Respondemus hanc expositionem con- Diluitur. trariam esse tam D. Augustino, quam eisdem hæreticis objicientibus. Ille namque

lib. 3 *de baptismo contra Donatistas* cap. 15, sic statuit : « Non interest, cum de sacramenti integritate, et sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus « sit ille, qui accipit sacramentum. Interest « quidem plurimum ad salutis viam : sed « ad sacramenti quæstionem nihil interest. « Fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum, et perversam fidem « etc » Hæretici etiam id ipsum affirmant, Lutherus. nam Lutherus in lib. *contra rebaptizantes* edito anno 1528, scripsit : « Baptismus non « est fundandus supra fidem baptizantis, « vel baptizandi, quia uterque incertus est Calvinus. « de fide. » Et similia profert Calvinus lib. 4, cap. 15, sect. 16, contra Anabaptistas. Recursus autem ad fidem vel parentum, vel amicorum offerentium erit prorsus inutilis : quia fieri potest, ut omnes hi sint hæretici, et careant vera fide, ut arguit D. Aug. D. Augustinus Epist. 23 *ad Bonifacium.* Cum igitur S. Doctor asseruit verbum operari in baptismo, non quia dicitur, sed quia creditur, minime potuit significare, quod hæretici moderni tentant, nempe operari ut verbum concionatorium, sive per modum instructionis excitantis ad fidem : cum enim hæc non sit necessaria pro sacramenti valore, nec requiritur verbum, ut eam inducit. Quid ergo voluit Augustinus, cum ita asseruit ? Hærent plures, et varias comminiscuntur expositiones, quas prolixum esset referre. Sed omnium brevior, sincerior, et clarior illa nobis videtur, quam incidenter proposuit Præceptor Angelicus in præsenti art. 7, ad 1, his verbis : « Dicendum, quod sicut Augustinus dicit « super Joan. verbum operatur in sacra« mentis, non quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis : sed « quia creditur, id est, secundum sensum « verborum, qui fide (saltem ab Ecclesia) « tenetur. Et hic quidem sensus est idem « apud omnes, licet non eædem voces sint D. Tho. « quantum ad sonum. » Hæc D. Thom. brevissime, et profundissime : quibus nil oportet addere.

DUBIUM IV.

Utrum Ecclesia possit mutare materias, et formas sacramentorum?

Nota I. Licet hujus dubii difficultas videatur colligi ex præcedenti, in quo statuimus res, et verba, sive materias, et formas sacramentorum habere determinationem a Deo; oportet tamen illam specialiter discutere. Tum quia illa consecutio non est admodum clara, vel efficax : potuisset namque Deus, materias, et formas sacramentorum instituere, relinquendo tamen, aut committendo Ecclesiæ potestatem, ut variet illas pro temporum, et occasionum necessitate. Tum quia hæc difficultas aliqua affert, quæ in præcedenti dubio haud facile valerent cum debito ordine, et intenta a nobis claritate proponi.

60. Quam ut conciliemus, observandum Nota 2. est duas in quibusvis rebus posse distingui mutationes, aut variationes : nam alia est *essentialis*, quæ scilicet tangit essentiam, et loco unius aliam substituit, ut cum aqua mutatur in vinum, aut vinum in acetum : alia vero est *accidentalis*, quæ nimirum retenta eadem essentia, variat ejus accidentia, aut modos, ut quod aqua frigida mutetur in calidam, quod panis sit fermentatus, aut non. Inter quas mutationes quidam Auctores graves aliam tertiam, seu mediam constituunt, quam appellant *substantialem*, et attenditur penes partes integrantes pertinentes ad individuum, licet sint extra essentiam, seu partes essentiales speciei, ut si ab homine v. g. auferatur manus, mutatur quidem non essentialiter, quia adhuc retinet hominis essentiam; nec præcise accidentaliter, cum manus non sit accidens repectu hujus individui; sed mutatur substantialiter, et penes partem integrantem, ut videtur per se notum. Et hanc distinctionem transferunt etiam ad sacramenta, distinguentes in eis essentiam substantiam, et accidentia, atque ideo partes essentiales, substantiales, integrantes, et accidentales : quod variis exemplis declarant. Verbi causa, in consecratione calicis illa verba : H*ic est calix sanguinis mei* constituunt essentiam consecrationis : reliqua vero verba, licet non sint de essentia, pertinent tamen ad substantiam formæ tanquam partes integrantes : aliquod denique verbum, utputa, particula *enim* spectat præcise ad complementum accidentale. Sed modo nec vacat, nec nostra refert istam doctrinam examinare, quam tamen satis probabilem censemus, et discutiendam suis locis reservamus Nam ad præsentis Status quæstionis dubii resolutionem sufficit prior distinctio a nobis proposita : quare mutationem

essentialem

essentialem vocamus omnem, et præcise illam, quæ mutat rerum essentias : *sub accidentalis* autem vocabulo comprehendimus omnem aliam variationem, quæ essentialem mutationem non importat, sive alias fiat in substantia, sive in partibus integrantibus, sive in accidentibus, sive in modis : quippe horum varietas, aut diversitas stare simul potest cum eadem rei essentia. Et in hoc sensu.

§ I.

Proponitur vera et communis sententia.

onclusio.

61. Dicendum est Ecclesiam non posse mutare materias et formas sacramentorum variatione essentiali ; posse autem inducere accidentalem aliquam in eisdem mutationem. Secunda ista assertionis pars a nemine, quem viderimus, negatur, et facile constabit ex proponendis § 2, quæ illam ad minus evincunt. Quare illa nunc omissa, rei pondus devolvitur ad priorem. Quam communiter docent Theologi (præsertim hujus temporis) observantes esse certissimam. Videantur Adrianus *de baptismo*, quæst. 3. Soto in 4, dist. 3, quæst. unica, art. 5. Gravina *in vindiciis orthodoxis contra Marcum Antonium de Dominis*, disp. 2, cap. 2, dub. 1. Suarez disp. 2, sect. 6. Vazquez disp. 129, cap. 5. N. Franciscus cap. 4, punct. 2. Henriquez, Coninckus, Bonacina, Trullench, Leander, quos refert, et sequitur Prado quæst. 60, dub. 13, § 3.

drianus. oto. ravina. arez. zquez. Franscus. rado.

undamentum auctoritate.

Probatur primo auctoritate, et confessione ipsius Ecclesiæ recognoscentis se non posse mutare essentialiter, sive quoad essentialia materias, et formas sacramentorum. Nam in Concil. Trident. sess. 21, cap. 2, dixit : « Præterea declarat hanc potestatem « perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacra« mentorum dispensatione, salva illorum « substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ « suscipientium utilitati, seu ipsorum sa« cramentorum venerationi, pro rerum, « temporum, et locorum varietate magis « expedire judicaret, etc. » Ubi liquido significatur potestatem Ecclesiæ se extendere ad plura pertinentia ad sacramenta, salva tamen istorum substantia. Quo loco manifestum est *substantiæ* nomine significari essentiam, sive essentialia sacramentorum (et si ly *substantia* plus aliquid significat, magis a fortiori assertionem nostram confirmat ; a quo tamen nunc præscindimus). Quæ exceptio firmat limitationem oppositam, nempe Ecclesiam non posse immutare substantiam, sive essentiam sacramentorum. Constat autem materias, et formas pertinere ad sacramentorum essentiam, illamque constituere, ut in dubiis præcedentibus satis ostensum est. Ergo occurrente quorumcumque temporum, aut rerum necessitate, nequit Ecclesia variare, aut mutare essentialiter materias, et formas sacramentorum.

oncil. ridentin.

Confirmatio

Confirmatur : nam si Ecclesia habuisset hujusmodi potestatem, facillime posset conciliare contrarias sententias, et consuetudines Latinorum, et Græcorum circa formam sacramenti baptismi ; nos namque illam his verbis concipimus, *Ego te baptizo etc.* illi autem dicunt, *Baptizetur, aut baptizatur servus Christi etc.*. Quippe Ecclesia posset juxta præmissam potestatem unam, et alteram formam, licet diversissimas, et essentialiter differentes approbare, et pro ecclesiarum diversitate præcipere. Urgebatque hæc necessitas tempore Concilii Florentini, in quo Græci, et Latini circa hæc altercabantur. Cæterum Ecclesia nec istam viam arripuit, nec similem potestatem sibi arrogavit; sed aliter omnino processit, supponens ex una parte se non habere potestatem mutandi formas sacramentorum, et ostendens ex alia parte formas, quibus Latini, et Græci utuntur in baptismo, non distingui formaliter, sive quoad substantiam, et posse proinde merito sustineri. Et sic disceptationem illam composuit Eugenius Quartus in suo decreto, § *Primum omnium*, ubi asseruit Græcos perficere verum baptismum : « Quoniam cum principalis causa, ex qua « baptismus virtutem habet, sit Sancta Tri« nitas ; instrumentalis autem sit minis« ter, qui tradit exterius sacramentum : si « exprimitur actus, qui per ipsum exerce« tur ministrum, cum Sanctæ Trinitatis « invocatione, perficitur sacramentum. » Hac via processerunt Concilium, et Pontifex, non autem potestate, quam significaverint esse in Ecclesia, ut queat variare formas sacramentorum, secundum varias necessitates, et juxta diversas Provinciarum consuetudines.

Ratio assertionis.

62. Secundo probatur ratione Theologica desumpta ex D. Thoma locis statim referendis : quoniam si Ecclesia posset variare essentialiter materias, et formas sa-

cramentorum, posset etiam sacramenta a Christo instituta tollere, et nova, ac distincta sacramenta introducere: consequens est omnimo falsum : ergo Ecclesia non valet variare essentialiter materias, et formas sacramentorum. Sequela, sive major est manifesta : nam cum sacramentum, sicut, et aliud compositum, non distinguatur ab omnibus suis partibus, ex quibus essentialiter constituitur, ut sunt materia, et forma juxta superius dicta dub. 1, et 2, ille, qui potest variare essentialiter materias, et formas sacramentorum, potest etiam variare essentialiter ipsa sacramenta : sed essentialis alicujus variatio consistit in eo, quod unum cesset, et aliud loco ejus substituatur, ut inductive potest ostendi in omnibus corruptionibus, et generationibus: ergo si Ecclesia posset variare essentialiter materias, et formas sacramentorum ; posset etiam abrogare sacramenta a Christo instituta, et eorum loco alia nova substituere. Falsitatem autem consequentis recte manifestat D. Thom. infra quæst. 64, art. 2, in corp. nam ille potest sacramenta instituere, qui dat virtutem sacramentis, et gratiam in eorum applicatione producit. « Cum igitur virtus sacramenti sit a solo « Deo, consequens est, quod solus Deus sit « sacramentorum institutor. » Nec valet dicere Apostolos, et eorum successores, ac perinde Ecclesiam ex eis constitutam gerere vicem Dei in terris. Quoniam hoc effugium evidenter præcludit S. Doctor ibi in resp. ad 3, his verbis : « Dicendum, « quod Apostoli, et eorum successores « sunt Vicarii Dei quantum ad regimen Ec« clesiæ constitutæ per fidem, et fidei sa« cramenta. Unde sicut non licet eis cons« tituere aliam Ecclesiam, ita non licet « eis tradere aliam fidem, neque institue« re alia sacramenta. Sed per sacramenta, « quæ de latere Christi pendentis in Cruce « fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia « Christi. » Sicut ergo Ecclesia nec ex se, nec ex potestate sibi a Deo communicata valet seipsam essentialiter immutare, aut diversam essentialiter fidem introducere : sic etiam non valet distincta essentialiter substituere sacramenta. Unde idem S. Doctor in 4, distinct. 17, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 5, inquit : « Quia Ecclesia fun« datur in fide, et sacramentis ; ideo ad « ministros Ecclesiæ nec novos fidei arti« culos edere, aut editos removere, aut no« va sacramenta instituere, aut instituta « removere pertinet. Sed hæc est potestas « excellentiæ, quæ soli debetur Christo, « qui est Ecclesiæ fundamentum. »

D. Tho.

Præcluditur effugium.

D. Tho.

Confirmatio.

Confirmatur : quia ut Ecclesia posset immutare essentialiter materias, et formas sacramentorum, et consequenter ipsamet sacramenta, debebat habere potestatem excellentiæ sibi a Christo concessam : sed Christus hujusmodi potestatem minime communicavit : ergo Ecclesia non potest variare essentialiter materias, et formas sacramentorum. Cætera constant. Et minorem expresse docet D. Thom. infra quæst. 64, art. 4. Et rationem assignat in respons ad 6, his verbis : « Dicendum, quod Chris« tus non ex invidia prætermisit potesta« tem excellentiæ Ecclesiæ ministris com« municare : sed propter fidelium utilita« tem, ne in homine spem ponerent, et ne « essent diversa sacramenta, ex quibus in « Ecclesia divisio oriretur, sicut apud illos, « qui dicebant, Ego sum Pauli, ego autem « Apollo, ego vero Cephæ, ut dicitur 1 ad « Corinth. 1. » Et rursus in resp. ad 3. addit : « Dicendum, quod ad hoc inconve« niens evitandum, ne scilicet multa capita « in Ecclesia essent, Christus noluit potes« tatem suæ excellentiæ ministris commu« nicare. » Sed quia de hac materia iterum dicemus disp. 6, agentes de causa sacramentorum, non oportet nunc plura subjungere : cum præmissa satis evincant propositam assertionem.

Refertur sententia contraria.

63. Quod Ecclesia possit mutare essentialiter materias, et formas sacramentorum, significarunt plures numero, et non infimæ notæ Doctores. In primis, qui docuerunt non omnia sacramenta fuisse a Christo Domino immediate instituta. Ita Magister sententiarum, Alensis, D. Bonaventura, Altisiodorensis, Ruardus Tapper, et Estius apud Prado dub. 13, n. 1. Nam ex eorum assertione sequitur Ecclesiam instituisse immediate aliqua sacramenta : ex quo ulterius necessario colligitur posse eadem abrogare, et nova introducere. Deinde quia docent baptismum Græcorum non esse validum apud Latinos, et e converso baptismum Latinorum non esse validum apud Græcos. Quia consequenter asserere debent formas talium sacramentorum esse essentialiter

Magister. D. Bonav. Plures in Prado.

tialiter diversas, et earum aliquam fuisse ab Ecclesia introductam. Præterea Innocentius Papa in cap. *Presbyter de sacramentis non iterandis* expresse affirmat, quod tempore Apostolorum non erat alia forma ordinationis, quam per manuum impositionem. *Sed subsequentibus*, inquit, *temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit.* Quam sententiam amplectuntur Hostiensis, Abbas, Felinus, Jacobatius, Rebufus, et alii, quos refert, et sequitur Gigas de Pensionibus quæst.8.Denique,qui docent Christum non instituisse in particulari materias, et formas Ordinum; sed monuisse generaliter Apostolos, ut ordo conferretur per media, aut instrumenta, quæ repræsentarent traditionem potestatis. Nam juxta hanc sententiam consequenter dicendum est Ecclesiam determinasse in particulari, atque adeo instituisse singulas Ordinum materias, et formas; et subinde posse nunc illas abrogare, et novas, ac distinctas introducere. Prædictam autem sententiam docent Petrus de Soto *in instit. Sacerdotum, de sacramento Ordinis* lect. 4. Bellarminus *de sacram. Ordinis*,c. 9. Ruardus art.17, *contra Lutherum*, Marchinus, Lugo, Aversa, Bernal, et alii plurimi, quos refert Diana part. 10, tract. 11, resolut. 65.

Innocentius Papa. Gigas cum multis. Petrus de Soto. Bellarmi. Diana cum multis.

Præcipuum argumentum.

Principale autem,et quasi unicum hujus sententiæ ex tot pluribus consurgentis motivum est, quod Ecclesia de facto mutaverit essentialiter aliquorum sacramentorum materias, et formas : ergo potest illas ita variare. Consequentia est evidens ab actu ad potentiam. Antecedens autem non videtur posse negari. Tum quia materia, et forma sacramenti matrimonii sunt mutui conjugum consensus, ut ad invicem rationes traditionis, atque acceptationis habent : constat autem, quod ante Concilium Tridentinum sufficiebant ad id quilibet contrahentium consensus etiam clandestini, et quod modo non sufficiunt prædicti consensus, sed insuper requiritur præsentia Parochi, et testium : ergo Ecclesia mutavit de facto materiam, et formam hujus sacramenti. Tum etiam quia in primitiva Ecclesia sacramentum Ordinis celebrabatur sola manuum impositione, non vero per alia instrumenta, aut instrumentorum traditionem, sicut modo fit : quod in ordinatione Diaconi apparet evidens : modo enim fit traditione libri Evangelii ; et tamen a principio Ecclesiæ, ut cum S. Stephanus ordinatus fuit, nondum erat scriptum Evangelium : mutavit igitur Ecclesia ritum antiquum,et distinctam essentialiter materiam introduxit. Tum præterea, quoniam Ecclesia Græca, et Ecclesia Latina habent distinctas materias, et formas ad ordinandos ministros. Latina enim utitur pro materia ad conferendum v. g. ordinem Presbyteratus, calice cum vino, et patena cum pane ; pro forma vero illis verbis,*Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* In Ecclesia vero Græca fit hæc ordinatio non per porrectionem calicis, et patenæ, sed sola manuum impositione, dicente Episcopo hæc loco formæ verba, *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, et quæ desunt, supplet, creat, seu promovet N. Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo.* Et cum simili, ac proportionali diversitate conferuntur reliqui Ordines in una, et altera Ecclesia. Unde fit argumentum : vel Christus instituit pro sacramento Ordinis illas materiam, et formam, quibus utuntur Græci ; et sic sequitur Ecclesiam Latinam novas materiam, et formam introduxisse : vel instituit illas, quibus Latini utimur ; et ita infertur Ecclesiam Græcam subrogasse materiam, et formam essentialiter diversas. Tum denique quia Ecclesia Græca utitur eadem omnino materia in ordinationibus Presbyteri, et Diaconi, nempe manuum impositione : Ecclesia vero Latina utitur diversa materia pro his ordinibus ; siquidem materia Presbyteratus est calix cum vino,et patena cum pane : materia vero Diaconatus est Evangeliorum liber. Ex qua differentia arguitur in hunc modum : vel Christus instituit eandem materiam pro utroque illo ordine, vel instituit diversam ? Si primum : ergo Ecclesia Latina variavit essentialiter materiam a Christo institutam : siquidem cum hæc esset eadem, illa introduxit diversas. Si secundum : ergo Ecclesia Græca mutavit essentialiter materiam institutam a Christo; quandoquidem ille instituit diversas pro diversis ordinibus, et ipsa in diversis ordinibus eandem materiam adhibet.

Confirmatio.

Confirmatur : nam in primitiva Ecclesia valide conferebatur baptismus sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Christi*. Modo autem hæc forma non sufficit, sed necessarium est dicere, *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Jam igi-

tur immutata essentialiter est hujus sacramenti forma. Et similis difficultas repræsentari valet in modis satis diversis, quibus Latini, et Græci concipimus formam baptismi : nam hi dicunt, *Baptizetur*, aut *baptizatur servus Christi* : nos vero dicimus, *Ego te baptizo* : quæ, ut diximus, sunt valde distincta : in nostra enim forma explicatur actus personalis ministri ; quem non explicat forma Græcorum.

ı 1. 64. Hæc sunt difficiliora, quæ occurrunt, et communi assertioni nostræ possunt opponi. Pro quibus superandis duo breviter observanda sunt. Primum, quod mutatio essentialis, de qua agimus, attendi non debet præcise in esse entis ; sed in ipsa formali ratione materiæ, et formæ ut talium, sive quatenus ad sacramenta concurrunt, atque elevantur ad significandum gratiam. Fieri namque valet, ut earum distinctio essentialis in esse rei, sit accidentalis præcise ad rationem sacramenti. Probabilissimum namque est dari plures species panis triticei, ut a diversa forma plantarum, fructuum, et effectuum satis liquet : et idem proportionabiliter contingit in vino. Sed hæc diversitas est accidentalis, et de materiali se habens ad propriam, et formalem rationem materiæ pertinentis ad Eucharistiam : hæc enim solum exposcit verum panem, et verum vinum : ita quod ratio panis, et vini, quæ est generica in esse entis, sit athoma, et specifica in ratione materiæ talis sacramenti. Et idem proportionabiliter contingit in forma, seu verbis juxta ea, quæ dub. præced. observavimus : nam verba Hebræa v. g. et verba Latina plusquam specie differunt in esse rei : et nihilominus tota illa diversitas est accidentalis, et de materiali se habens ad sacramenta, ubi prædicta continent eundem sensum, et referunt eandem sententiam: quia sensus est, qui de formali se habet in formis sacramentorum, quibusvis sonis, aut vocibus exprimatur.

ta 2. Secundum est nostram, et communem assertionem procedere secundum legem ordinariam, et attendendo ad communem illam potestatem quam de facto habet Ecclesia. Sed minime negamus, quod Deus ex speciali dispensatione possit concedere Ecclesiæ facultatem, ut mutet essentialiter aliquorum sacramentorum materias, et formas, aut quod independenter a sacramentis conferat illorum effectus. Sicut etiam minister ordinarius sacramentorum est homo : et tamen hæc facultas potest ex speciali dispensatione Angelo conferri, et si conferretur, verum posset ab Angelo sacramentum perfici, ut resolvit D. Thom. infra quæst. 64, art. 7, et ex professo ostendemus disp. 7, dub. 1.

His prælibatis respondetur ad argumentum vel negando absolute antecedens ; vel illud distinguendo : et si intendat Ecclesiam secundum legem ordinariam, et potestatem, quam accepit a Christo mutasse essentialiter materias et formas sacramentorum, negari debet : si vero solum intendat id aliquando fecisse ex speciali Dei dispensatione supra legem ordinariam, omitti poterit. Et deinde vel distinguendum est consequens juxta distinctionem præmissam vel neganda est absolute consequentia. Ad primam autem antecedentis probationem respondetur materiam pro sacramento matrimonii a Christo institutam esse legitimum contrahentium consensum : quæ materia semper est eadem, semperque valida tam ante, quam post Tridentinum Concilium. Sed quia legitimus hic consensus est quidam contractus, circa quem, ejusque conditiones, et solemnitates respublica habet facultatem disponendi : fieri optime valet, ut contractus, qui juxta reipublicæ leges celebratus est legitimus, talis non sit, si leges a republica præscriptas non observantur. Et hac via consensus contrahentium, qui independenter a præsentia Parochi, et testium erat ante Tridentinum legitimus : postquam Concilium justis de causis statuit legem, ut minime teneret nisi illis adhibitis conditionibus, nequit esse legitimus, ac perinde nec materia, aut forma sacramenti, si illas non observat. Quod non est variare essentialiter materiam, et formam matrimonii : sed impedire materialiter, ne detur materia ob destructionem substracti : sicut qui corrumpit vinum, quod est materia Eucharistiæ, non variat essentialiter formaliter hujus sacramenti materiam, sed indirecte impedit, ne detur hic, et nunc illa materia, quæ ex institutione Christi requiritur. Recolantur superius dicta *in Comment.* ad artic. 5, num. 3, ubi hanc eandem difficultatem attigimus.

Sol argumenti.

Eliditur prima probatio.

65. Ad secundam probationem respondetur primo, quod sicut in primitiva Ecclesia sacramentum baptismi ministrabatur *in nomine Christi* ex speciali Dei dispensatione,

Diruitur secunda.

satione, ut num. 67 dicemus ; licet communis, et ordinaria ejus forma sit *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* sic etiam potuit sacramentum Ordinis conferri ex speciali Dei dispensatione per solam impositionem manuum : quamvis habeat aliam formam ordinariam ex institutione Christi. Quare sicut ex eo, quod modo non dicamus *in nomine Christi*, sed *in nomine Patris etc.* non sequitur Ecclesiam mutasse essentialiter formam baptismi ; sed magis quod illam observet : sic etiam ex eo,quod Ecclesia nunc non ordinet per solam manuum impositionem, sed alia etiam signa adhibeat ; minime colligitur, quod mutaverit essentialiter materiam Ordinis ; sed potius, quod illam observet, quæ communis est, et fuit a Christo præscripta. Quæ responsio fulciri, et explicari amplius valet exemplo sacramenti Confirmationis, cujus omnis materia a Christo instituta est chrisma. Et nihilominus Apostoli ex speciali Dei dispensatione (quam aliquando percipiebant), non semper illo utebantur, ut fideles confirmarent, sed aliis mediis utebantur, ut optime tradit D. Thom. infra quæst. 72, art. 2, ad primum his verbis : « Similiter « etiam ad impositionem manus Apostolo- « rum, et etiam ad eorum prædicationem « descendebat plenitudo Spiritus Sancti su- « per fideles sub visibilibus signis, sicut « et a principio descenderat super Aposto- « los. Unde Petrus dicit Act. 11 : Cum cæ- « pissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus « super eos, sicut et in nos in initio. Et ideo « non erat necessaria sensibilis materia « sacramentalis, ubi sensibilia signa mi- « raculose exhibebantur divinitus. Ute- « bantur tamen Apostoli communiter « chrismate, in exhibitione Sacramenti « quando hujusmodi visibilia signa non » exhibebantur : dicit enim Dionys. cap. « 4, eccles. hierarch. Est quædam per- « fectiva operatio, quam duces nostri (id « est, Apostoli) chrismatis hostiam nomi- « nant. » Ubi præcipue tradit S. Doctor, quid circa administrationem sacramenti Confirmationis contigerit in primitiva Ecclesia tum ex speciali Dei dispositione, tum de lege ordinaria juxta institutionem Christi, quam Ecclesia observat in usu illius sacramenti. Et hæc totidem fere verbis applicanda sunt rei præsenti : nam si in primitiva Ecclesia fiebat ordinatio Sacerdotum, et aliorum ministrorum per solam manuum impositionem, id erat ex dispensatione Dei speciali. Ex quo non sequitur sacramentum Ordinis non habere alium communem, et regularem administrationis modum juxta præscriptum Christi. Et multo minus infertur Ecclesiam variasse essentialiter hujus sacramenti materiam ; sed magis quod illam observet. Potest secundo eidem probationi satisfieri juxta ea, quæ statim dicemus.

Nota ex D. Tho.

Convellitur tertia et difficilior probatio.

Ad tertium respondemus juxta superius dicta *in Comment.* artic. 5, num. 5, diversitatem illam, quæ repræsentatur inter materiam, et formam, quibus utitur Ecclesia Latina, et materiam, et formam, quibus utitur Ecclesia Græca in ordinando Sacerdotes, et alios ministros, esse quidem essentialem in esse rei, sive quoad species rerum ; sed esse accidentalem, et de materiali ad rationem materiæ, et formæ in esse talium, et prout assumptarum a Christo ad Ordinis sacramentum. Nam Christus instituit in specie pro tali sacramento ea sensibila signa rerum, et verborum, quæ repræsentarent traditionem potestatis spiritualis : et hæc repræsentatio se habet de formali in prædictis signis : quod vero sint hæc, aut illa in esse entis, de materiali, et per accidens se habet. Quare sive Ecclesia utatur his signis, aut verbis, sive aliis, dummodo observetur eadem significatio, vel repræsentatio ; semper retinentur eædem formaliter materia, et forma, in quibus Christus prædictum sacramentum instituit. Et quod Ecclesia variet istas materialiter res, et ista materialiter verba, si significant idem, non est variare essentialiter, aut formaliter materias, et formas a Christo institutas, si considerentur in esse talium. Quare Ecclesia Latina, et Ecclesia Græca utuntur eisdem formaliter materia, et forma in sacramento Ordinis conferendo ; licet adhibeant diversas res, aut verba : quia hæc diversitas est materialis, et in esse rei ; retenta semper eadem significatione, et similiter identitate formali materiæ, et formæ, ut pertinentium ad sacramentum. Sicut etiam Ecclesia Latina adhibet pro materia Eucharistiæ panem azymum, et Ecclesia Græca adhibet panem fermentatum : et nihilominus utraque retinet eandem formaliter materiam : quia materia per se sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus, cui accidit esse azymum, aut fermentatum. Sic igitur materia per se (et

idem proportionabiliter intelligimus de forma), sacramenti Ordinis est res, vel actio repræsentans traditionem potestatis : quod vero id constituatur in hac, vel illa re, aut quod exerceatur hac, vel illa actione ; est per accidens, et de materiali respectu materiæ per se. Et ratio est proportionabiliter eadem : quoniam sicut materia per se instituta a Christo pro sacramento Eucharistiæ est panis triticeus, cui accidit esse fermentatum, vel azymum : sic etiam materia per se instituta a Christo pro sacramento Ordinis est res, vel actio repræsentans traditionem potestatis, cui accidit exerceri vel impositione manuum, vel porrectione calicis, vel aliis similibus signis. Quocirca sicut ex eo, quod Latini utamur pane azymo in conficiendo Eucharistiam,et Græci utantur pane fermentato, non potest vel apparenter inferri ullam Ecclesiam vel Latinam, vel Græcam mutasse essentialiter materiam per se institutam a Christo pro sacramento Eucharistiæ : sic etiam ex eo, quod Latini ordinentur per traditionem aliquorum instrumentorum, Græci vero sola manuum impositione ; colligi non valet Ecclesiam vel Latinam, vel Græcam mutasse essentialiter materiam per se institutam a Christo pro sacramento Ordinis. In utroque namque casu servatur eadem materia per se a Christo instituta, cum sola differentia penes materialia, et accidentalia.

66. Juxta quam doctrinam posset etiam dilui prima probatio, cui jam aliter occurrimus : nam manuum impositio, per quam Apostoli ordinabant Sacerdotes, et alios ministros, erat sufficiens signum designativum traditionis potestatis, sicut modo in Ecclesia Græca contingit. Et consequenter Apostoli retinuerunt tunc materiam per se institutam a Christo pro Ordinis sacramento, quin opus sit juxta hanc doctrinam ad specialem dispensationem, quæ tunc daretur, recurrere.

Qui autem e converso doctrinam, qua in diluendo primam probationem usi fuimus, voluerit solutioni hujus tertiæ probationis applicare ; profecto nec inverosimiliter,nec improbabiliter procedet. Sunt namque graves Auctores, qui sentiunt Ecclesiam Latinam retinere in ordinandis ministris materiam etiam materialiter acceptam, in qua Christus instituit Ordinis sacramentum : Ecclesiam autem Græcam adhibere aliam materiam, et formam ex speciali Dei dispensatione, atque privilegio, sicut contigisse diximus in ordinationibus primitivæ Ecclesiæ. Ita sapientissimus Capreolus in 4, distinct. 8, quæst. 1 ad 3, Durandi contra 6, Deza ibidem. Thomas Hurtado tom. 2, tract. ult. resolut. 8, § 4. Et si quis objiciat hæc voluntarie, et absque fundamento dici ; advertat, quod ipsa Ecclesiæ Græcæ traditio, in qua sapientissimi, et sanctissimi Doctores floruerunt, præstat ad hanc responsionem satis urgens, et rationabile fundamentum. Quare qui præmissam probationem nescierit, aut noluerit aliter diluere ; non immerito nec improbabiliter ad hujusmodi specialem pro Græcis dispensationem recurret : sicut et nos in priori ad secundam probationem solutione recurrimus. Rursus si quis opponat hinc inferri, quod dentur in Ecclesia catholica plura sacramenta, quam quæ communiter recensentur : id minime valebit evincere : quia illa materia, et illa forma, quibus Ecclesia Græca in ordinatione utitur, sunt ex divina dispensatione idem signum, habensque eosdem omnino effectus, cum materia, et forma, quibus utimur Latini juxta communem institutionem a Christo : quocirca non sequitur multiplicari in specie Ordinis sacramentum. Fatemur tamen, quia de facili admitti non debent extraordinariæ dispensationes (præsertim adeo communes, et perpetuæ, qualis dicitur ista Græcorum), nos non multum inclinari in secundam hanc responsionem, sed magis probare primam. Eo vel maxime, quod illa servato rigore, et proprietate theologicis, salvat assertionem communem absque recursu ad revelationes, et dispensationes : quas minime congruit admittere absque urgentissimo fundamento.

Et hæc omnia procedunt, illaque expendere curavimus ex suppositione,quod Græci conferant sacramentum Ordinis per solam manuum impositionem, sive absque ullo instrumento, aut medio diverso designativo traditionis potestatis, ut tam communiter, et asseveranter inculcant Recentiores. Si namque res non ita se habet ; sed verum est, quod Gravina ubi supra, et alii referunt Græcos non ordinari sola manuum impositione, sed per applicationem ad aram magnam, sive altare, in quo sunt instrumenta ad sacrificium ; cessat fere ex omni parte tertia probatio : nam falsum supponit,

Capreolus. Deza. Thomas Hurtado. Nota. Insinuatur alia responsio.

supponit, et ex falsa suppositione conjicit in eas angustias. Quippe juxta insinuatam aliorum relationem dicendum est tam Græcos, quam Latinos habere eundem etiam materialiter ritum tradendi aliqua instrumenta designativa potestatis sacrificandi, et ministrandi ; cum sola ea diversitate, quod traditio fiat mediate, aut immediate, et hoc, aut illo modo : quæ est differentia accidentalis. Sicut etiam apud Latinos ordinatio Sacerdotis fit per traditionem calicis cum vino, et patenæ cum pane : et tamen ut ordinandus dicatur hæc accipere et hæc tangere, non requiritur, quod hæc omnia immediate attingat, sed sufficit, si teneat pedem calicis, in quo reliqua sunt, ut probabilissime docent Victoria, Soto, Armilla, Ledesma, et alii, quos refert, et sequitur Diana part. 2, tract. 16, resol. 3.

Occurritur quartæ probationi

67. Ad quartam probationem constat ex hactenus dictis : nam admisso, quod Græci ordinent Presbyteros, et Diaconos per solam manuum impositionem, dicendum est talem materiam in utroque illo ordine esse materialiter eandem ; sed distingui formaliter in ratione materiæ per habitudinem ad diversas formas, quibus illæ applicationes subduntur. Nam pro ordine Diaconatus dicitur, *Divina gratia promovet N. Subdiaconum in Diaconum ;* et pro ordine Presbyteratus dicitur, *Promovet N. Diaconum in Presbyterum.* Quare ad argumentum ex ea probatione formatum dicitur Christum instituisse diversas materias pro illis Ordinibus ; et easdem adhiberi apud Græcos per illas manuum applicationes cum subordinatione ad diversas formas jam præmissas: sicut proportionabiliter apud nos fit per traditionem diversorum instrumentorum. Quæ diversitas inter Græcos, et Latinos est accidentalis, atque materialis: quia non impedit eamdem formalem significationem diversis materialiter mediis expressam, ut nu. 65 explicuimus.

Diluitur confirmatio.

68. Ad confirmationem respondemus admittendo præmissas, et negando consequentiam. Nam regularis forma baptismi instituta a Christo importat expressam invocationem Trinitatis: et hanc formam retinuit semper, retinetque Ecclesia. Quod vero in exordio Ecclesiæ ministraretur baptismus in nomine Christi, erat ex dispensatione speciali Dei, sicut in simili materia diximus num. 65. Et rationem congruentiæ assignat D. Thom. infra quæst. 66, artic. 6 ad 1, his verbis : « Dicendum, « quod ex speciali Christi revelatione Apos- « toli in primitiva Ecclesia in nomine « Christi baptizabant : ut nomen Christi, « (quod erat odiosum Judæis, et Gentili- « bus) venerabile redderetur per hoc, « quod ad ejus invocationem Spiritus Sanc- « tus dabatur in baptismo. » Id vero, quod in hac confirmatione additur, non urget : quia sive dicatur *Ego te baptizo*, sive *baptizatur*, aut *baptizetur servus Christi ;* idem sensus simpliciter retinetur, et satis ipsa actione abluendi, cui adjunguntur verba, explicatur operatio personalis ministri, ut docet Eugenius Quartus relatus num. 61. Unde in variatione præmissa nulla occurrit essentialis formæ mutatio, quam induxerit Ecclesia.

D. Tho.

Quæ probabilitas habent sententiæ num. 63 relatæ.

Ne autem ab Auctorum numero, quos num. 63 allegavimus, ulla videatur fundari auctoritas contra nostram, communem atque certissimam assertionem : observandum ultimo duximus illos reduci ad diversas classes, quas ibidem expressimus. Et quod priores docent, nempe Christum non instituisse immediate omnia Ecclesiæ sacramenta, nullam nunc habet probabilitatem post decretum Concilii Tridentini num. 61 relatum : concors namque Theologorum sententia post illud docet esse saltem mediate de fide, quod Christus est immediatus institutor nostrorum sacramentorum. Quare ab auctoritate antiquorum aliquorum Doctorum oppositum sentientium nullum præjudicium valet afferri. In secunda classe sunt, qui dicunt baptismum Græcorum esse invalidum apud Latinos, et e converso : sed hi incerto nomine referuntur, nec aliquid momenti valent afferre. In tertia collocantur, qui docent ordinationem in primitiva Ecclesia factam fuisse impositione manuum, et deinde alias formas fuisse ab Ecclesia introductas. Sed hi facile trahuntur ad communem sententiam : tum quia illa diversitas est materialis in ordine ad signum repræsentans traditionem potestatis : tum quia ordinatio in primitiva Ecclesia fiebat illo modo ex dispensatione Dei speciali, ut explicuimus num. 65 in responsione ad 2 et 3. Denique in ultima classe recensentur plurimi affirmantes Christum non instituisse in particulari materias, et formas singulorum ordinum ; sed in commissum reliquisse Ecclesiæ dispositioni, quæ diversimode illas materias

et formas pro Ecclesia Latina, et Græca determinavit. Et hi multo minus, aut nullo modo communi assertioni adversantur : quia sentiunt Christum determinasse in specie pro materia, et forma Ordinis signum expressivum traditionis potestatis : diversitatem autem illam inter materias, et formas Græcorum, et Latinorum esse accidentalem, et de materiali, ut num. 65 explicuimus. Juxta quam doctrinam minime ex prædicta variatione valet inferri, quod Ecclesia ullam materiam, ullamve formam a Christo institutam pro sacramentis essentialiter, aut formaliter mutaverit. Quare ex tot relatis Auctoribus, et opinionibus nihil momenti relinquitur, quod possit nostræ assertioni detrimentum afferre.

DUBIUM V.

An quælibet mutatio in materia, et forma Sacramentorum impediat eorum valorem?

Difficultas hæc est appendix præcedentis, et eodem fere modo explicanda. Concernit autem ut plurimum casus pertinentes ad Theologiam moralem : quare qui principaliter Scholasticæ incumbimus, curabimus ab eis, quantum fieri potest, nos breviter expedire. Quamvis autem dubii titulus tam res, sive materiam, quam verba, sive formam complectatur; nihilominus congruum censuimus ejus decisionem soli tantum formæ expresse applicare. Tum ad vitandum prolixitatem, et confusionem ex plurium simul inculcatione. Tum ut imitemur D. Thomam, qui in præsenti artic. 8, de hac mutatione egit per respectum ad solas formas. Tum quia quod dictum de mutatione formarum fuerit, poterit facillime mutationi rerum, seu materiarum cum debita proportione applicari. Et in hoc sensu

§ I.

Proponitur dubii resolutio duabus generalibus assertionibus.

69. Dicendum est primo mutationem essentialem in formis sacramentorum impedire eorum valorem ; secus autem mutationem accidentalem. In hac assertione conveniunt Theologi, quos proinde non referimus, plures tamen in sequentibus dabimus. Et prima illius pars probatur primo ex Concilio Niceno I, can. 19, et ex Innocentio Primo in épist. 22, nam declararunt hæreticos Paulianistas, si ad Ecclesiam Catholicam veniant, rebaptizandos esse ; quia eorum baptismus erat nullus, eo quod mutabant essentialiter ejus formam. Deinde probatur ratione : quoniam cum sacramentum constituatur essentialiter per formam, ut ostendimus dub. 1, et 2, destructio formæ est destructio sacramenti : sed essentialis mutatio formæ est ejusdem formæ destructio : ergo mutatio essentialis in formis sacramentorum impedit horum valorem. Et declaratur exemplo naturalium : nam variatio essentialis formarum, per quas naturalia composita constituuntur, variat essentialiter composita naturalia: ergo idem dicendum est de variatione essentiali formarum, per quas constituuntur sacramenta.

Probatio prioris partis. Concilium Nicenum Innocentius I.

Secunda etiam assertionis pars probatur in primis ex Eugenio Quarto relato num. 61, et declarante baptismum Græcorum esse validum : et tamen forma baptismi apud illos differt accidentaliter a forma, qua utimur Latini : illi namque dicunt, *Baptizetur servus Christi*, nos autem dicimus, *Ego te baptizo.* Et Zacharias Papa in cap. *Retulerunt, de consecrat.* distinct. 4, statuit validum fuisse baptismum administratum a quodam linguæ Latinæ imperio sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patria, et filia etc.* et tamen manifestum est in prædicta forma intervenisse mutationem aliquam, saltem accidentalem. Hæc igitur non præjudicat sacramentorum valori. Deinde probatur ratione : quia variatio in accidentibus non evertit rei essentiam : sed in formis sacramentorum reperiuntur aliqua accidentalia, sicut in aliis rebus contingit : ergo mutatio accidentalis, sive penes formarum accidentia, sicut non destruit ipsas sacramentorum formas, sic nec destruit sacramenta per ipsas constituta ; et subinde nec impedit sacramentorum valorem. Idque confirmatur exemplo compositorum tam substantialium, quam artificialium, quorum formæ admittunt aliquam varietatem penes majorem, aut minorem perfectionem, et alia accidentia : et mutatio in his formarum accidentibus non destruit, sed stare permittit eorum compositorum essentias : ergo idem dici debet de mutatione accidentali formarum sacramentorum.

Probatio alterius partis. Eugenius Quartus.

Zacharias Papa.

70 Dicendum.

Secunda conclusio. 70. Dicendum est secundo illam mutationem in formis sacramentorum esse essentialem, quæ corrumpit sensum verborum, ita ut non referant sententiam a Christo institutore intentam: illam vero esse accidentalem, quæ retinet eandem sententiam, et significationem, quamvis importet aliquam mutationem, inversionem, aut corruptionem in verbis. Hæc conclusio est non minus communis inter Theologos, ac præcedens: quos propterea superfluum foret recensere. Et potest in primis probari eisdem testimoniis, quæ pro illa expendimus. Nam ideo Concilium Nicenum statuit variationem, quam Paulianistæ in forma baptismi ponebant, esse essentialem; quia variabant significationem, sive sententiam verborum, quam habet forma a Christo instituta: e contra vero ideo Eugenius, et Zacharias Pontifices docuerunt mutationes in quibusdam baptismi formis fuisse accidentales, quia variatio, et corruptio verborum legitimum sensum, aut sententiam non exclusit, sed in eisdem formis simpliciter conservavit. Ergo quod mutatio formarum in sacramentis sit essentialis, aut accidentalis, regulari debet penes differentiam in assertione propositam. (Fundamentum ab auctoritate.)

Ratio. Secundo probatur ratione: quoniam quod per se intenditur in verbis, sive formis sacramentorum, est significatio; reliqua vero, quæ in talibus verbis reperiuntur, habent se de materiali, et per accidens: ergo ubi mutatur significatio verborum, fit essentialis mutatio in sacramentorum formis: et e converso, ubi retinetur eadem verborum significatio, mutatio formarum est mere accidentalis. Eo vel maxime, quod sacramenta sunt quædam fidei protestationes: sed ut protestemur hunc, vel illum fidei articulum, de materiali, et per accidens est uti his, aut illis verbis, in hoc, aut illo idiomate, cum hoc, aut illo ordine: est autem de formali, et per se, quod utamur verbis talem articulum significantibus: ergo variatio in verbis sacramentorum, retenta eadem significatione, sive sententia, est accidentalis; variatio autem in ipso sensu est essentialis: atque ideo in hoc consistit propria discriminis ratio inter mutationes prædictas.

Eadem D. Tho. resolutio. Et hæc omnia optime complexus fuit D. Thom. in præs. artic. 8, ubi observat, quod circa mutationes contingentes in formis sacramentorum duo possunt considerari. Unum ex parte intentionis ministri proferentis verba: (de quo dicemus dub. seq.) « Aliud, inquit, ex parte significationis verborum. Cum enim verba operentur in sacramentis, quantum ad sensum, quem faciunt, ut supra dictum est: oportet considerare, utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia sic manifestum est, quod tollitur veritas sacramenti. Manifestum est autem, quod si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: et ideo non perficitur sacramentum. Unde Dydimus dicit in lib. de Spiritu Sancto: Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat (scilicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti) sine perfectione baptizabit. Si autem subtrahatur aliquid, quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, et per consequens neque sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ, quæ est, Hoc est enim corpus meum, ly enim sublatum non tollit debitum sensum verborum: et ideo non impedit perfectionem sacramenti; quamvis possit contingere, quod ille, qui omittit, peccet ex negligentia, vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus, puta si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris: sicut Ariani baptizabant: et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti. Si vero sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio, medio, vel fine, etc. » Ex quibus, et aliis, quæ ibi expendit, hanc tandem assertionem (quæ nostra est) resolutissime statuit in respons. ad 2, his verbis: Dicendum, quod verba pertinent ad formam sacramenti ratione sensus significati. Et ideo quæcumque fiat additio, vel subtractio verborum, quæ non addat aliquid, vel subtrahat debito sensui, non tollitur species sacramenti.

71. Contra præmissam doctrinam sic in communi propositam non reperimus Auctores, quos referre possimus, nisi Hughetonem quendam apud Alensem in 4 p. q. 8, memb. 3 art. 3. Ille namque docuit qualemcumque mutationem in forma sacra- (Contraria sententia.)

mentorum a Christo instituta destruere eorum essentiam, et veritatem. Tam rigide namque sentiebat de hac conformitate observanda, ut assereret non posse in baptismo v. g. unum verbum loco alterius subrogari: ut *abluo* pro *baptizo* : quin nec ullam syllabam omitti posse, nec verborum ordinem inverti absque essentiali sacramenti præjudicio, et immutatione: censebat enim verbis ita ordinatis a Christo, et non aliter communicatam fuisse virtutem sanctificandi. Nullum autem pro eo vidimus difficile motivum expendi, cui opus sit satisfacere.

io Opponi tamen potest : nam qui variat formam sacramenti, vel utitur forma a Christo instituta, vel utitur alia forma per Ecclesiam introducta? Si eligatur primum, nullo modo variat formam sacramenti : quippe hujus ex Christo determinatio non est materialis, sed formalis, sive penes sententiam, quæ servatur in omnibus sacramentis ut dub. preced. explicuimus. Si autem eligatur secundum : variatur essentialiter forma a Christo instituta: siquidem adhibetur alia, quam non ipse instituit, sed Ecclesia. Nullo itaque modo verificari potest dari mutationem in formis sacramentorum, et esse mere accidentalem.

on- ag- Quo motivo ita convincitur Lugo disp. 2, sect. 6, ut dicat, communem sententiam, quæ admittit mutationes accidentales in formis sacramentorum, debere intelligi per comparationem ad usum, sive ritum communem Ecclesiæ ; non autem respectu institutionis Christi : quia vix, aut nullo modo invenietur aliquod a Christo institutum ex parte formæ sacramentorum, quod ad eorundem essentiam non pertineat : cujus proinde variatio induceret essentialem sacramentorum immutationem.

o- ir. Sed prædictus Auctor vehementer fallitur: quoniam in ipsis formalissimis verbis, quæ Christus pro forma sacramenti assignavit, ac determinavit, potest fieri aliqua accidentalis variatio, vel transponendo verba, vel detrahendo aliquam syllabam finalem, vel exprimendo unam litteram pro alia, ut *n*, pro *m*, aut *s*, pro *x*, quæ mutatio non impedit valorem sacramenti, ut est communis non solum Doctorum sententia, sed etiam Ecclesiæ traditio, et usus. Fateri itaque oportet ipsas formas a Christo institutas, et determinatas esse capaces alicujus accidentalis mutationis, quæ sacramenti valorem nom impediat. Unde immerito, et sine fundamento communis circa hoc sententia restringitur, referturque ad solos ritus, quos Ecclesia in quibusdam addidit sacramentis. Fallitur præterea Lugo, dum censet, aut supponit determinationem formæ a Christo institutæ pro omnibus sacramentis solum fuisse formalem, sive quoad sensum. Quamvis enim id admittatur pro sacramentis Ordinis, et matrimonii, quorum formas Christus non determinavit quoad materialia verba : tamen nequit esse universaliter verum in omnibus sacramentis. Constat enim aliquorum formas fuisse a Christo materialibus, et determinatis verbis expressas, quibus nunc etiam Ecclesia utitur, ut liquet in Baptismo, et Eucharistia. Ergo communis nostra resolutio, et objectio contra illam facta locum etiam habent in formis sacramentorum a Christo expresse propositis, atque materialiter determinatis, et limitari non debent ad solos ritus, quos Ecclesia in usu sacramentorum introduxit.

Unde ad propositam objectionem respondemus admittendo utramque dilemmatis partem. Etenim licet Christus instituerit formas sacramentorum, et illas in quibusdam materialiter etiam determinaverit exprimendo specialia verba, quibus edantur : nihilominus sicut in formis naturalibus quædam sunt essentialia, quædam vero accidentalia, ut major, aut minor perfectio : sic etiam in prædictis sacramentorum formis aliqua reperiuntur ex ipsa Christi institutione essentialia, et aliqua accidentalia, ut proxime ostendimus. Quocirca licet variatio formæ a Christo in essentialibus sit essentialis, et essentialem sacramenti rationem evertat : tamen variatio in accidentibus prædictæ formæ solum est accidentalis, et quæ permittit essentiam sacramenti consistere. Instituit namque Christus sacramentorum formas quantum ad essentiam, et quantum ad accidentia, quæ talem essentiam circunstant : et ideo locus relinquitur ad immutationem formarum in essentia, quæ variatio erit essentialis ; et ad immutationem in formarum accidentibus, quæ variatio erit accidentalis. Unde facile colligitur distinctionem inter mutationem essentialem, et accidentalem in formis sacramentorum non in eo relucere, aut constituendam fore, quod mutatio essentialis sit circa id, quod Christus instituit, et mutatio accidentalis sit circa id, quod Ecclesia introduxit. Melior responsio.

troduxit, ut minus recte Lugo significavit. Sed differentia stat in eo, quod mutatio essentialis versatur circa id, quod sacramentis, et eorum formis essentialiter convenit: accidentalis autem versatur circa illa, quæ ipsis accidentaliter conveniunt. Verum quidem est, quod essentialia conveniunt sacramentis, et eorum formis ex sola Christi institutione: accidentalia vero ipsis conveniunt partim ex institutione Christi, partim ex introductione Ecclesiæ. Sed quolibet conveniant modo, pertinent ad integritatem, et perfectionem sacramentorum: atque ideo illorum variatio affert accidentalem istorum immutationem.

§ II.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

Nota pro intelligentia resolutionum. 72. Ex dictis facile colligere possumus decisionem plurium casuum, ut vocant, occurrentium circa mutationes in verbis, seu formis sacramentorum, si eisdem propositas a nobis regulas recte applicemus. Sed priusquam ad illos in particulari descendamus, monemus primo nos in præsenti loqui de mutatione formarum in ordine ad valorem sacramentorum, quam nunc præcise consideramus: non autem in ordine ad usum licitum, de quo § 3 dicemus. Secundo nos agere de hujusmodi mutationibus attendendo ad verba secundum se, et quantum ad id, quod ex se important præcisive ab aliis, quæ possunt occurrere, et præsertim ab intentione ministri illa proferentis. Nam quid ab hac parte possint habere, et utrum quod eorum mutatio sit essentialis, pendeat ab illa intentione; est diversa difficultas, quam versabimus dub. sequenti. Procedendo igitur in hoc sensu.

Primum corollarium. Infertur primo variationem verborum, sive formarum penes solam mutationem idiomatis, proferendo scilicet verba in lingua Hebræa, aut Latina, aut vulgari, solum esse accidentalem, atque ideo non nocere sacramentorum valori. Sic sentiunt communiter Doctores, quorum plures refert N. Franciscus cap. 4, punct. 3, num. 12. (N. Fran.) Et ratio constat ex dictis § præced. quia licet verba sint diversi idiomatis, possunt tamen referre eundem sensum, et afferre eandem formalem significationem: ubi autem hæc retinetur, mutatio est mere accidentalis. Unde etiam fit compositionem formæ ex verbis pertinentibus partim ad unum idioma, et partim ad aliud esse accidentalem. Et probatur eodem motivo: quoniam cum prædicta variatione, et compositione potest retineri idem sensus, ut si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine del Padre, y del hijo, y del Espiritu Sancto.* Fit etiam mutationem verborum per alia synonyma esse accidentalem; ut si quis loco istorum verborum *Ego te baptizo*, quæ sunt in usu, dicat synonyma *abluo, lavo, tingo*, aut similia. Et ratio est eadem: quoniam (Sayru[s]) cum prædicta variatione stat, et conservatur eadem formalis significatio. Unde sic docent D. Antoninus, Scotus, Durandus, Sotus, et communiter Doctores, quos refert, et sequitur Sayrus lib. 1, cap. 4, art. 2.

(Aliq[uo]rum o[pi]nio r[e]fellit[ur]. Alens. Inn[o]cent. Gabr.) 73. Quare audiri non debent Alensis 4 part. quæst. 8, membro 3, art. 3, § 3., Innocentius in cap. primo, *de baptismo*, et Gabriel in 4, dist. 3, quæst. unica, art. 3, dub. 3. qui negant baptismum collatum cum his verbis, *lavo, abluo, tingo*, esse validum: nam sentiunt, quod verbum *baptizo* plus aliquid significat, nempe aliquem in aquam constringere, sive immergere. Sed refellendi, ut diximus, sunt: tum quia minime satisfaciunt rationi a nobis propositæ, quæ ex generalibus regulis deducitur: quamvis enim *baptizo* significet cum aliqua diversitate; tamen baptizo, et alia verba relata significant simpliciter eundem actum mundandi; præsertim ubi eidem actioni applicantur, et per ipsam quasi materialiter determinantur: ergo sive illo verbo, sive aliis utamur, retinetur idem sensus. (Per quod simul diluitur oppositum fundamentum.) Tum et præcipue, quia in usu Scripturæ, et Patrum omnia illa verba reputantur ut synonyma, atque in ordine ad eamdem significationem. Unde baptismus appelatur 5 ad Ephes. *Lavacrum aquæ.* (Ad [Ephes.] 5. Ad [Tit.] 3. 1 ad [Co]rint. Tert.) Ad Titum 3. *Lavacrum regenerationis.* Et 1. ad Corinth. 6. dicitur. *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, etc.* Et Tertullianus lib. de baptismo cap. 13, ait: *Lex tingendi nobis imposita, et forma præscripta. Ite, inquit; ad omnes gentes tingentes eos in nomine Patris, etc.* Et eodem modo loquitur D. Cyprianus lib. 2, epist. 3. ad (D. C[ypr.] D. A[ug.]) Cecilium. D. Augustinus tract. 15. in Joan. sic diffinit baptismum. *Est tinctio in aqua verbo vitæ sanctificata.* D. Hieronymus in (D. H[ier.]) illa verba Matth 28, *Euntes docete*, ait:

Monet primum ut gentes doceant, et deinde doctas intingant aqua. Denique, ut plurimos alios omittamus, Angelicus Doctor infra quæst. 66, art. 1, inquit :« Et ideo « sacramentum non perficitur in ipsa aqua, « sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ « est ablutio. Et ideo Magister in 3, distinct. « 4, dicit, quod baptismus est ablutio corpo- « ris exterior, facta sub forma præscripta « verborum. » Sunt igitur omnia prædicta verba æquivalentia in significando : atque ideo mutatio verbi *baptizo* in alia est accidentalis.

Observat autem D. Thom. in præs. art. 7 ad 2, « quod licet in qualibet lingua con- « tingat diversis vocibus idem significari ; « semper tamen aliqua illarum vocum est, « qua principalius, et communius homines « illius linguæ utuntur ad hoc significandum: « et talis vox assumi debet in significatione « sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles « illa assumitur ad significationem sacramen- « ti, cujus usus est communior ad actum, « per quem sacramenti effectus significatur, « etc. » Sed, ut optime notavit Cajetanus ibidem, hæc D. Thomæ doctrina intelligi debet in ordine ad debitum modum perficiendi sacramentum per applicationem formæ: decet enim sacramenta, res scilicet sacras, et altissimas, celebrari vocibus principalioribus, et frequentioribus apud gentes : idque pertinet ad majorem sacramentorum reverentiam. Cæterum non negat D. Thomas, nec intendit negare, quod verum sacramentum conficiatur, si quis loco verbi communioris, et magis celebris adhibeat aliud verbum minus tritum, habens tamen eandem significationem. Quia ubi hæc salvatur, etiam salvatur simpliciter essentia eadem sacramenti, ut resolutorie statuit S. Doctor art. 8 ad 2, illis verbis : « Et ideo « quæcumque fiat additio, vel subtractio ver- « borum, quæ non addat aliquid, aut subtra- « hat debito sensui, non tollitur species sa- « cramenti. » Ob præmissum etiam motivum, si verbum aliquod transferatur a voce activa in passivam, non inducitur essentialis mutatio : quia servatur eadem significatio, et sententia. Quare cum nos dicamus, *Ego te baptizo*, Græci dicunt, *Baptizetur servus Christi, etc.* et utrique conficimus unum, verum, et idem sacramentum.

74. Infertur secundo mutationem verborum penes additionem aliquando esse essentialem, aliquando vero accidentalem. Ratio est : quia potest fieri additio verbis formæ, quæ debitum illius sensus corrumpat ; et potest fieri additio, quæ prædictum sensum conservet : ergo aliqua additio affert mutationem essentialem, aliqua vero solum accidentalem. Quod facile explicatur exemplis: nam si quis addat formæ Eucharistiæ dicendo. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, non inducit essentialem mutationem formæ, et similiter nec illam destruit, qui addens in forma baptismi dicit : *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filii sapientis, et Spiritus Sancti ab utroque procedentis :* quia omnes istæ additiones conservant legitimum sensum in formis prædictorum sacramentorum. Unde videmus Græcos uti priori illa forma in consecratione panis. Si autem quis in forma Eucharistiæ adderet dicendo, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis non tradetur, vel, Hoc est corpus meum phantasticum*, et qui diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris*, mutationem essentialem induceret : quia illæ additiones destruunt plane legitimum sensum præcedentium verborum, et orationum, quibus adjunguntur, ut ex se liquet. Ob eandem rationem non inducitur essentialis mutatio si quis baptizet hoc modo : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. Virgo te adjuvet*, ut expresse tradit D. Thom. in præs. art. 8, quia totum illud additamentum non variat priorum verborum sententiam.

Dubium incidens.

Sed quid, si non hoc modo, sed magis absolute dicat : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. Virginis Mariæ ?* Sunt qui indistincte respondeant hanc additionem inducere mutationem essentialem : quia significatur effectum baptismi conferri in virtute quatuor illarum personarum ; et sic destruitur solius Trinitatis invocatio. Sed longe melior, et verior est responsio D. Thom. in hoc art. 8, ubi ait : « Forte autem si diceret : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, « et Spiritus Sancti, et B. Virginis Ma- « riæ, non esset baptismus : quia dicitur 1, « ad Corinth. 1 : Numquid Paulus pro vo- « bis crucifixus est, aut in nomine Pauli « baptizati estis ? Sed hoc verum est, si sic « intelligatur in nomine B. Virginis, sicut « in nomine Trinitatis, quo baptismus con- « secratur : talis enim sensus esset contra- « rius

Resolutio ex D. Thom.

« rius veræ fidei, et per consequens tolleret « veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur, quod additur, et in nomine B. Virginis, non quasi nomen B. Virginis aliquid operetur in baptismo : sed ut ejus « intercessio prosit baptizato ad conservandum gratiam baptismalem, non tollitur « perfectio sacramenti. » Cæterum quia quod hæc additio, et similes sic, vel aliter accipiantur, pendet ex intentione ministri illas concipientis, et proferentis : oportet hæc ad dubium sequens remittere, ubi de prædicta intentione dicemus. Modo tamen id præcise subjungendum duximus, quod quamtumvis additio perversa sit, et pravum sensum repræsentet, non inducit mutationem essentialem, si minister intendat verba formæ ante illam additionem finire, et deinde pro libito subjungere verbum impertinens, aut hæreticum, ut aliquid omnino distinctum. Ut si quis intendit perficere consecrationem panis his præcise verbis : *Hoc est corpus meum*, quibus immediate addat, *phantasticum,* aut *quod pro vobis non tradetur.* Quoniam hujusmodi additio licet perversa, et summe scandalosa non destruit sensum priorum verborum, si proferens intendat in eis sistere tanquam in forma vera, et adæquata sacramenti : quibus jam sic prolatis per accidens submittat aliam sententiam hæreticam, et blasphematam. Nota

Tertium corollarium. 75. Infertur tertio variationem verborum per diminutionem, aut substractionem aliquando esse essentialem, aliquando vero pure accidentalem. Quod probatur ex eisdem regulis supra positis. Quoniam subtractio unius verbi variat aliquando, aut impedit sensum, et sententiam : ergo talis mutatio est essentialis. Hac de causa, qui diceret : *Hoc est corpus*, omittendo *meum*, non consecraret : et qui diceret : *Ego baptizo in nomine Patris*, etc. omittendo *te*, aut *vos*, non conficeret sacramentum baptismi: quia nec determinaret corpus Christi, nec personam baptizandi, sine quibus significatis non consistit essentia formæ prædictorum sacramentorum. Aliquando autem subtractio alicujus verbi non destruit sensum formæ, sed adhuc essentialem sensum relinquit : ergo talis subtractio est mutatio mere accidentalis. Sic qui dicit *Hoc est corpus meum*, omittendo *enim*, vere consecrat : et qui dicit, *Baptizo te in nomine Patris*, omittendo, *ego*, vere baptizat : quia demptis etiam illis particulis adhuc perseverat essentialis sensus formarum. Et sic docent communiter Theologi, et præsertim D. Thom. in præs. art. 8 ad 2. Et in 4, dist. 3, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3. D. Thom.

Appendix prædicti corollarii. Ex eadem radice colligunt Doctores, quod si subtrahatur aliqua syllaba, vel littera per syncopam, mutatio est mere accidentalis, et non impedit valorem sacramenti, ut si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patis* pro *Patris:* Et si quis dicat *Hoc es corpus meum* pro *est*, ut specialiter notat Soto in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 8. Et ratio est : quoniam ex accommodatione usus servatur debitus sensus, ut in balbutientibus et aliter exprimere non potentibus ex communi apprehensione hominum constat : et non est credibile Deum determinasse verba sacramentorum ultra illum modum, quem communiter habent ad exprimendum conceptum. Et hæc quidem vera censemus generatim loquendo : quia ex unius litteræ, vel etiam syllabæ subtractione non semper impeditur legitimus formæ sensus. Cæterum non dubitamus, quod vel unius litteræ ablatione, aut mutatione possit quandoque impediri sacramentum : quia unius litteræ mutatio, vel ablatio tollit aliquando significationem vocabuli, in quo fit, ac perinde totam orationis sententiam : ut si a nomine Patris auferatur *p*, vel mutetur in *m*, ut si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine atris*, aut *in nomine matris*, profecto legitimus sensus evertitur, et valor sacramenti impeditur. Sed id ut plurimum contingit in litteris initiativis vocabulorum : quia penes has attenditur major variatio significationis, ut in exemplo *matris, et patris* apparet. Rarius autem, aut fere nunquam contingit in litteris terminativis : quia ex communi accommodatione talis mutatio nec variat significationem, nec impedit sensum, ut apparet in eis, qui dicunt *es* pro *est*, et *meun* pro *meum*, et *calis*, aut *caliz* pro *calix:* omnes quippe intelligimus idem significari, præsertim cum non omnes homines, et nationes queant eodem modo voces exprimere in finalibus, ut patet in Hispanis, qui ægre, aut nullo modo exprimimus *m*, in fine dictionis positum : unde non dicimus *meum*, sed *meun* : et tamen ex vi hujus nemo dubitat de valore consecrationis. Soto. Limitatio.

Quædam illatio Bonæ-Spei. 76. Ex hac communi doctrina circa diminutionem unius litteræ, aut syllabæ colligit N. Bonæ Spei disp. 1, dub. 7, resolut. 2, num. 83, validam esse formam sacra-

menti licet proferatur per abbreviaturam similem illi, qua in scriptis utimur. Ut si quis dicat, *Te bao in nomine Pris, et Fli, et Sprus sti :* censet baptismum esse validum, et minime reiterandum : sed prædicta resolutio durissima nobis videtur, et minime approbanda : nam ideo unius litteræ, aut syllabæ subtractio non præjudicat valori sacramenti, quia non necessario excludit significationem vocabuli, et totius formæ sententiam juxta communem usum, et accommodationem : sed ubi intervenit tanta subtractio, qualis repræsentatur in illis verbis, *Te bao in nomine Pris, et Fli et Sprus* excluditur totius orationis sensus, qui in communi forma a Christo instituta concipitur : ergo tanta et adeo difformis subtractio nequit non esse contra essentiam, et valorem sacramenti. Adde primo, quod licet similibus abbreviaturis utamur in scribendo, unde illis visis venimus in notitiam significatorum : tamen illis non utimur in loquendo saltem juxta communem usum publica auctoritate introductum, quare eis auditis non concipitur communiter, et per se loquendo vera significatio : et tamen hoc ultimum erat necessarium ut valor sacramenti consisteret. Alias qui privata auctoritate fingeret vocabula, et illa subrogaret loco legitimorum, verum conficeret, ut si diceret : *Ego te baptizo in nomine Barbara, et Zelaren, et Darii,* per hæc intelligens divinas personas : quod est prorsus absurdum, et ridiculum. Adde secundo, quod sicut scribentes utimur illis abbreviaturis *Pris, et Fli, et Sprit sti,* sic etiam utimur solis litteris initialibus, v. g. *in nomine P. et F. et S :* ergo si vera est doctrina illius Auctoris, possemus baptizare dicentes, *Ego te bao in nomine Pe, et Efe, et Ese.* Id vero quis non videat esse absurdissimum, et gravitate materiæ tam indignum, ut nec scribere oporteret, nisi pro magis evidenti prædictæ sententiæ confutatione ? Unde colligitur contra prædictum, quod si obstetrix ignorans formam baptismi, illam legeret in Rituali sub forma abbreviata, et cum eadem abbreviatione proferret modo jam dicto ; nullum conficeret sacramentum. Sic etiam nobiscum sentit Sylvius in præs. Et ratio constat ex dictis.

(Displicet.) (Sylvius)

(Objectio.) 77. Sed oppones : nam baptismus collatus sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta* est validus, ut declaravit Zacharias Papa in epist. ad Bonifacium Episcopum, *quæ refertur* cap. 86, *de consecrat.* distinct. 4. Et rationem assignat Pontifex, quia id fuerit « ex ignorantia Romanæ locutionis infrin« gendo linguam, non autem ex intentione « introducendi errorem. » Ergo idem dicendum est in casu, quod illa forma proferatur cum præmissa abbreviatione. Probatur consequentia tum a paritate. Tum etiam quia militat eadem ratio, nempe id fieri non ex animo inducendi errorem, sed ex ignorantia abbreviationis. Tum denique quia illa verba a Pontifice relata continent errorem materialem ; quo tamen carent verba per abbreviationem prolata.

(Dissolvitur.) Respondetur negando consequentiam. Et ratio disparitatis est satis nota : quia illa verba *In nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta* licet corrupte prolata : tamen ex accomodatione usus in ignorantibus linguam Latinam, et non aliter potentibus, aut scientibus pronuntiare, significant tres divinas personas, ut liquet ex generali audientium apprehensione quare retinent simpliciter debitam formæ significationem. Sed illa verba *In nomine Pris et Fli, et Sprus Sti* sic prolata nec ex se, nec ex communi accommodatione significant personas divinas ; et particularis loquentis auctoritas, aut intentio efficere non valet, ut habeant significationem communem : quocirca vel nullum sensum habent, vel eum non habent, quem forma requirit. Per quod patet ad primam consequentiæ probationem. Ad secundam dicendum est verba, quæ refert Pontifex, ex accommodatione usus significare personas divinas, et sufficere, quantum est ex vi hujus, ad valorem sacramenti : quare ex suppositione, quod sic prolata fuerint non ex intentione introducendi errorem (unde tantum vitiari possent), sed ex ignorantia linguæ Latinæ ; merito colligit Papa sacramentum esse validum. Sed illa verba, de quibus agimus, non habent legitimum sensum adhuc ex accommodatione usus : atque ideo independenter a prava intentione sunt insufficientia ad valorem sacramenti. Tertia nihil valet : nam licet illa verba, *In nomine Patria etc.* contineant materialem errorem, nihilominus secundum communem accommodationem usus non important errorem, sed legitimam significationem a Christo intentam. Illa vero verba abbreviate prolata, esto, non contineant errorem, tamen nec

nec continent sensum verum, ut patet ex communi modo concipiendi : quocirca impertinentia, atque insufficientia sunt, ut verum sacramentum conficiatur. Quæ responsio (sicut et præmissa resolutio), confirmatur ex D. Tho. in præs. art. 7 ad 3, ubi agens de corruptionibus contingentibus in pronuntiando formas sacramentorum, supponentibus tamen legitimam in ministro intentionem, ait : « Si id fiat ex errore, vel « lapsu linguæ ; si sit tanta corruptio, quæ « omnino auferat sensum locutionis, non « videtur perfici sacramentum. Et hoc præ- « cipue contingit, quando fit corruptio ex « parte principii dictionis, puta si loco ejus, « quod est. In nomine Patris, dicat, In no- « mine matris. Si vero non totaliter aufe- « ratur sensus locutionis per hujusmodi « corruptelam, nihilominus perficitur sa- « cramentum. Et hoc præcipue contingit, « quando fit corruptio ex parte finis, pu- « ta si aliquis dicat, In nomine patrias, et « filias. Quamvis enim hujusmodi verba « corrupte prolata nihil significent ex vir- « tute impositionis ; accipiuntur tamen ut « significantia ex accommodatione usus. » Hæc S. Doctor, quæ confirmant egregie disparitatem proxime assignatam. Nam hæc verba, *Bao, Pris, et Fli* auferunt omnino sensum locutionis, habentque corruptionem in principio seu syllabis initiativis vocabuli, ut consideranti constabit. Sed illa verba *Patrias, et Filias* ex una parte solum habent corruptelam in fine : et ex alia parte per ipsam usus accommodationem, et per conjunctionem ad alia verba, *Ego te baptizo* trahuntur ad significationem legitimam.

Quartum corollarium. 78. Infertur quarto mutationem per verborum transpositionem aliquando esse essentialem, aliquando vero solum accidentalem. Ratio est : quoniam illa transpositio aliquando impedit legitimum sensum formæ : aliquando autem prædictum sensum non evertit, sed indemnem conservat. Et sic resolvit D. Tho. art. 8 ad 3, ubi ait : « Idem est etiam dicendum de « transpositione verborum : quia si tollit « sensum verborum, non perficitur sacra- « mentum, sicut patet de negatione præpo- « sita, vel postposita signo. Si autem sit « talis transpositio, quæ sensum locutionis « non variet, non tollitur veritas sacra- « menti : quia secundum quod Philosophus « dicit, nomina et verba transposita idem « significant. » Quod magis declaratur exemplis. Nam prior resolutionis pars patet in his, *Ego in te baptizo nomine Patris, etc.* Ego *Patris te baptizo, etc.* quia per hujusmodi variationem tollitur legitima totius orationis significatio, et alia diversa inducitur. Et idem contingit, si dicatur, *Meum est hoc corpus*, ut observavit Soto in 4, dist. 1, q. 1, art. 8, in fine : quia ly *hoc* sic collocatum demonstrat determinate corpus Christi, unde talis propositionis sensus consurgit, *Corpus Christi est corpus Christi :* et tamem ad veritatem consecrationis requiritur, quod ly *hoc* supponat vage, et confuse pro eo, quod continetur sub speciebus, et prius erat panis, et postea Christi corpus, ut docet D. Thom. infra quæst. 78, art. 5. De quo suo loco in tract. de Eucharistia. Secundo etiam resolutionis pars liquet in his exemplis. *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ego te baptizo.* Et : *Te ego baptizo in nomine Patris etc. et Hoc est meum corpus*, et in omnibus, similibus transpositionibus, quæ minime variant sensum, ut ex se liquet.

Incidens difficultas et opiniones. Sed quid, si transpositio in baptismo fieret invertendo ordinem personarum, puta dicendo, *Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti, et Patris, et Filii ?* Alensis 4, part. q. 8, memb. 3, art. 3, in fine expresse negat esse validum baptismum : quia ordo, inquit, expressionis personarum divinarum debet significari, et conservari per conformitatem ad ordinem emanationis ad intra: id vero minime servatur in prædicta forma, ut ex ejus dispositione liquet. Scotus autem in 4, dist. 3, quæst. 2, § *De quarta variatione* censet talem formam retinere debitum sensum, et consequenter baptismum sub ea collatum validum esse. Denique D. Bonaventura in prima parte ejusdem distinctionis art. 2, quæst. 3, respondet sub distinctione : nam si ille, qui tali forma utitur, intendat introducere, aut significare errorem, v. g. quod Spiritus Sanctus non procedit a Filio ; invalida erit forma : erit autem valida, si proferatur non ex prava intentione, sed ea transpositio fiat ex sola ignorantia, aut inadvertentia ad ordinem personarum. Sed modo non curamus de hac tertia responsione quia loquimur de verbis formarum quantum ex se in ratione verborum important, et præscindendo ab intentione ministri, de qua dub. seq. dicemus. Et in hoc sensu magis

Marginalia: D. Tho. (ad "confirmatur ex D. Tho."); D. Tho. (ad "resolvit D. Tho."); Sotus.; D. Tho. (ad "docet D. Thom."); Alensis.; Scotus.; D. Bona.

Præfertur sententia Scoti. probamus sententiam Scoti : quoniam ad formalem significationem verborum in baptismo sufficit expressa. et distincta invocatio trium personarum divinarum: quod vero sit necessaria repræsentatio ordinis, aut emanationis ad intra, non constat, nec occurrit nobis urgens aliquod fundamentum, ut id asseramus. Et sic sentit D. Bonaventura loco allegato, dum resolvit prædictam formam esse validam, seclusa prava intentione ministri : quod falsum esset, si prædicta forma ex vi verborum, et dispositionis non retineret veram significationem in eo sacramento requisitam. Tenet etiam et a fortiori Soto in 4, distinct. 1, quæst. 1, art. 8, in fine, dum generaliter statuit nullam posse in forma baptismi transpositionem verborum fieri, quæ impediat verum sensum illius. Quæ resolutio, ut vera sit, referri debet ad nomina personarum : nam si extendatur ad omnia verba, ex quibus forma constituitur, nequit generaliter salvari, ut supra productis exemplis ostendimus.

Quintum corollarium. 79. Infertur quinto interpolationem, sive disjunctionem pro aliqua duratione inter verba, quibus constant sacramentorum formæ, non semper impedire legitimum verborum sensum ; sed tamen aliquando impedire : et consequenter ob hanc interpolationem, sive disjunctionem aliquando non impediri, et aliquando impediri sacramentorum valorem. Ratio est : quoniam interpolatio sive disjunctio est aliquando tam parva, et modica, ut non interrumpat sententiam loquentis secundum modum communem: ergo talis interruptio non impedit sensum, et legitimam sententiam verborum. Hac de causa, si quis postquam dixit: *Ego te baptizo*, sternutaret, aut salivam projiceret, et immediate post continuaret · *In nomine Patris, et Filii* etc. validum conficeret sacramentum : quia tam modica interruptionis morula pro nulla moraliter reputatur. E contra vero potest esse tam longa, aut sera interpolatio, ut plane evacuet sententiam formæ, impediatque sensum. Quocirca si quis prolatis prioribus illis verbis tendat ad aliquod negotium, vel vadat, ut D. Bonaventura loquitur, ad urinandum, et his peractis intendat continuare, atque subjungat : *In nomine Patris* etc. nullum efficit sacramentum : quoniam disjunctio adeo magna facit, ut verba præcedentia non habeant connexionem, et unitatem cum subsequentibus in ordine ad constituendum unam propositionem, et referendum unam formæ sacramenti sententiam. Quam resolutionem quoad utramque partem docuit D. Thom. in præs. art. 8 ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod si sit tanta « interruptio verborum, quod intercipiatur « intentio pronuntiantis, tollitur sensus sa- « cramenti, et per consequens veritas ejus : « non autem tollitur, quando est parva in- « terruptio, quæ intentionem proferentis, « et intellectum verborum non aufert. » Et similia tradit in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 4. Idemque amplectuntur communiter Theologi. D. Bonaventura, D. Antonius, Scotus, Durandus, Sotus apud Sayrum lib. 1, cap. 4, art. 7. Bonacina, Naldus, et Leander apud N. Franciscum ubi supra num. 57. D.T[...] Theo[...] comm[...] niter.

Obs[...] var[...] cir[...] præ[...] sum[...] ro[...] riu[...] Qui communiter observant prædictam resolutionem tenere non solum ubi disjunctio verborum formæ fit per solam suspensionem sermonis in medio; sed etiam quando contingit propter prolationem sermonis non pertinentis ad formam : quoniam de materiali se habet, quod illa interruptio fiat hoc, aut illo modo. Quare si quis baptizans, dictis his verbis : *Ego te baptizo*, subjungat : *Hæc aqua est nimis frigida*, et immediate continuet, et concludat : *In nomine Patris*, etc. verum conficit sacramentum: quia illa disjunctio est admodum brevis, et non impedit communem significandi modum, atque ideo moraliter est quasi nulla. Quod aliter ob oppositam rationem contingeret ; si baptizans interponeret longum sermonem, ut si recitaret psalmum, aut etiam orationem dominicam : tunc quippe fieret sententiæ, et legitimi sensus disjunctio non solum physica, sed moralis, et non posset tandiu manere suspensa priorum verborum significatio. Notant etiam communiter minorem longe interruptionem sufficere inter syllabas verborum, quam inter ipsa verba : quoniam sicut major unitas, et continuatio requiritur inter syllabas ejusdem propositionis ; sic minor disjunctio inter syllabas sufficit ad evertendam significationem vocabuli, et consequenter propositionis sententiam. Quare qui baptizans diceret : *Ego te bap.* et deinde interpositis verbis, aut aliqua considerabili mora, subjungeret : *Tizo in nomine Patris*, etc. non baptizaret : et similiter qui consecrando diceret : *Hoc est cor.* et posita

considerabili

considerabili disjunctione, adderet : *Pus meum*, minime consecraret. Quia per disjunctionem syllabarum in verbis tollitur propria istorum significatio, ut satis in exemplis propositis liquet. Minor itaque disjunctio sufficit inter syllabas verbi, quam inter verba orationis. Sed tamen nec ista omnino scrupulose accipi debent : satis enim probabile censemus, quod si brevis illa disjunctio fieret, vel ob quandam brevem mentis evagationem, vel ob aliquam strepitum factum in Ecclesia, adhuc foret validum sacramentum : quia morula illa tam exigua, et tam involuntaria non impedit intentam a baptizante, et consecrante significationem, et omnes audientes eundem sensum concipiunt.

80. Infertur sexto mutationem verborum formæ in verba æquivoca, sive habentia plures significationes aliquando esse essentialem, et aliquando accidentalem. Ratio est : quoniam hoc ipso, quod verbum, in quod verbum aliquod formæ commutatur, sit equivocum, debet capacitatem habere, ut hic, et nunc ex intentione ministri trahatur ad significationem determinatam, quam proprium formæ verbum importat : ergo in tali eventu salvatur eadem significatio formalis : et consequenter mutatio est præcise accidentalis. Similiter hoc ipso, quod verbum sit æquivocum, habet capacitatem, ut ex intentione ministri trahatur ad significationem impertinentem, alienamque a sacramento : ergo in hac suppositione tollitur debitus formæ sensus, et mutatio essentialis inducitur. Sic observant Suarez disp. 2, sect. 4, Vasquez disp. 129, cap. 2, Dicastillo disp. 1, dub. 11, num. 180, cum aliis. Et satis rationabile nobis videtur. Sed quia modo consideramus verba præcisive a determinatione sibi adveniente ex intentione ministri (de qua dicemus dub. seq.) non satisfacit, nec animum quietat illa cum præmissa distinctione responsio. Quid ergo dicendum, ubi verbum æquivocum subrogatur, et per nullam intentionem determinatur, sed in sua significatione relinquitur ? Sentimus non induci mutationem essentialem, nec impediri sacramenti valorem. Quoniam cum verbum æquivocum habeat plures significationes, ejus est naturæ, quod applicat, aut explicat illam significationem, quam exigunt aliæ voces, quibus adjungitur, et oratio, quam componit : quare si in forma baptismi v. g. unicum verbum æquivocum ignoranter, aut inconsiderate induceretur, per reliqua illius formæ verba determinaretur, et traheretur ad legitimam, et sacramentalem significationem, ut in aliis locutionibus contingit. Fieret itaque sola mutatio accidentalis, non præjudicans sacramento. Sed de hac re iterum dicemus dub. seq. num. 90.

81. Infertur septimo mutationem verborum formæ in nutus, et alia signa esse essentialem in omnibus sacramentis, excepto matrimonio. Sic docent unanimiter Doctores. Et ratio constat manifeste ex dictis in hac disp. quoniam essentiale est omnibus sacramentis, matrimonio excepto, componi ex rebus, et verbis vocalibus, ut ostendimus dub. 2 et 3; ergo mutatio, quæ verba formarum aliorum sacramentorum, præter matrimonium, transfert in nutus, et alia signa, est essentialis, et impedit valorem sacramentorum. Quod autem matrimonium debeat excipi, patet tum ab experientia de facto, nam celebratur inter mutos, et absentes. Tum ex eo, quod Christus pro sacramento matrimonii non introduxit novam materiam, aut formam ; sed illum naturalem inter conjuges contractum, qui supponebatur, elevavit ad rationem sacramenti : contractus autem ille ex natura sua non petit determinate, ut celebretur, verba vocalia ; sed firmari valet aliis signis, ut sunt nutus, scripturæ, et similia. Isti, quos hactenus recensuimus, sunt præcipui, et quasi capitales modi mutandi formas sacramentorum, ad quos alii, si occurrant, facile reduci poterunt, et utrum mutatio, quam afferunt, sit essentialis, determinari. Quare non expedit amplius circa hæc immorari. Advertat autem Lector plura ex præmissis posse cum debita proportione colligere, atque resolvere.

§ III.

Incidens quæstio deciditur.

82. Sed inquires, an sit peccatum, et quale et quantum mutare formas sacramentorum ? Hæc difficultas magis pertinet ad Theologos morales, quam ad Scholasticos : sed tamen nec omnino debuit omitti, cum sit præcedentium appendix. Procedit autem per se, hoc est, quantum ad voluntariam verborum mutationem, præscindendo ab

aliis accidentalibus, quæ possunt occurrere, ut ignorantia, vel inconsideratio, vel perturbatio ministri : hæc enim contingentia nequeunt sub una certa regula comprehendi. Quare quæstio in communi expediri debet. Et in hoc sensu respondemus mutationem verborum in sacramentorum formis esse peccatum, pertinens ad speciem sacrilegii, et ex genere suo esse mortale.

Resol. Quæ resolutio probatur quoad omnes partes. Nam in primis omne factum contra legem est peccatum : sed mutatio verborum in sacramentorum formis est contra legem ; ergo talis mutatio est peccatum. Major, et consequentia sunt evidentes. Et minor non minus constat : quoniam in mutatione prædictorum verborum violatur communiter duplex lex : una divina orta ex institutione Dei, qui sicut determinavit materias, et formas sacramentorum juxta superius dicta dub. 1. ita etiam præscripsit formarum verba. Alia positiva humana ex institutione Ecclesiæ præcipientis modum, et ritum ministrandi sacramenta, inter quæ principem locum habet prolatio verborum formæ.

Probatur quoad primam partem.

Quoad secundam. Deinde omne peccatum contra virtutem religionis est sacrilegium : sed peccatum commissum in immutando verba pertinentia ad formas sacramentorum opponitur virtuti religionis : ergo tale peccatum est sacrilegium. Probatur minor : quia duæ illæ leges proxime relatæ præcipiunt ex religionis motivo, ad quam pertinet cultus Dei, quem ministrando sacramenta exhibemus : ergo peccatum contra prædictas leges commissum in immutando verba formarum opponitur virtuti religionis.

Quoad tertiam. Denique omne peccatum contra legem graviter obligantem est ex genere suo mortale : sed leges illæ, contra quas peccatur immutando formas sacramentorum, graviter obligant : ergo immutatio illa ex genere suo est peccatum grave. Minor liquet : nam leges obligant juxta qualitatem materiæ, quam præcipiunt, aut prohibent : sed materia sacramentorum est materia gravissima ; cum importet res sacras, ad salutem necessarias, et cultum Dei concernentes : ergo leges, contra quas peccatur immutando formas sacramentorum, graviter obligant. Sequitur igitur ex præmissis mutationem verborum in sacramentorum formis esse peccatum, pertinens ad speciem sacrilegii, et ex genere suo mortale, ut in resolutione statuimus. Quam tuentur satis communiter Doctores. Videantur Soto in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 8. Martinus de Ledesma 1. part. 4, dist. 1, quæst. 7, dub. 2, Sayrus lib. 1, cap. 4, art. 8. Joan. a S.Thoma disp. 22, art. 8, dub. 2. Suarez disp. 16, sect. 2, Dicastillo disp. 1, dub. 8, et alii

83. Cæterum sicut sæpe contingit aliquod peccatum esse ex genere suo grave, et tamen hic, et nunc esse leve, aut veniale ob parvitatem materiæ, in qua delinquitur, ut patet in furto (quamvis enim furtum ex suo genere sit peccatum mortale; tamen aliquando est leve ob parvitatem materiæ, ut cum surripitur unum pomum): sic etiam contingit in hac materia. Nam licet mutatio verborum in sacramentorum formis sit ex genere suo mortale peccatum ; nihilominus potest ea immutatio, vel addendo, vel detrahendo, vel subrogando, vel transponendo esse admodum modica, ut moraliter reputetur materiæ parvitas, atque ideo non erit peccatum grave, sed leve. Quod in particulari diffiniri nequit, sed relinquendum est arbitrio prudentis, qui bene attendat ad observationem Ecclesiæ : hæc enim districtius procedere solet in uno, quam in alio ; unde rigorosius prohibet pronuntiare in lingua vulgari formam Eucharistiæ, quam aliorum sacramentorum. Juxta præmissam regulam colligunt communiter Doctores relati a N. Francisco c. 4, pun. 4, quod omittere *enim* in forma Eucharistiæ non est peccatum mortale. Cæterum omittere in forma calicis illa verba : *Novi*, *et æterni testamenti*, etc. (esto, non sint de essentia formæ,) esset peccatum mortale. Et disparitas est, quod ly *enim* modicum quid est, et sine quo salvatur formalis significatio : posteriora autem verba materiam multo majorem important, et licet ad essentiam formæ non pertineant, tamen non parum referunt ad complendum eorum significationem, atque ideo in eorum ablatione fit mutatio notabilis. Ex eadem radice etiam provenit, quod subrogare in formis sacramentorum unum verbum omnino æquivalens loco alterius, non sit peccatum mortale : quia hæc variatio quid modicum est, et videtur parvitas materiæ. Unde si quis baptizans loco verbi *baptizo*, diceret *abluo*, non peccaret mortaliter, ut expresse resolvunt Soto in 4, dist. 1, q. 1, art. 8, et Serra in præs. art. 7, § *Secundo sequitur*. Sed qui totam

totam formam sacramenti mutaret in aliam licet æquivalentem, mortale peccatum committeret : quia illa variatio est mutatio notabilis, et satis magna. Quare qui baptizans omitteret formam usitatam apud Latinos, et ejus loco adhiberet formam Græcorum ; efficeret quidem verum sacramentum, sed tamen peccaret mortaliter, ut inter alios tradit Sylvester verb. *Baptismus* 1, in fine. Et hæc exempla satis declarant propositam resolutionem, quin opus sit alia addere facile occurrentia, presertim apud Theologos moralistas. Videantur Ledesma tom. 1, cap. 1, conclus. 26, Villabos tract. 3, difficult. Bonacina disp. 1, q. 2.

Sylv. Ledes. Villal. Bonac.

Limitatio præmissæ doctrinæ. Sed prædicta resolutio accipi debet per se, et quantum est ex vi præcise verborum, et mutationis in eisdem intervenientis. Si namque alias circumstantias attendamus, dubium non est vel minimam eorum mutationem esse posse peccatum mortale, ut si quis omittendo *enim* in consecratione panis, vel dicendo *abluo* in baptismo scandalum generaret in aliis, aut motivum eis præberet contemnendi Ecclesiæ ritus. Nam hæc prævidens, et subinde causans non posset a gravi culpa excusari. Et sic censemus communiter contingere : quare raro, aut fere nunquam admittemus mutationem in formis sacramentorum esse, attentis omnibus, peccatum præcise veniale : nisi quis excusetur ob inadvertentiam, aut turbationem ; quæ sunt per accidens. Cæterum loquendo per se, et de eo, qui mutat in verbis sacramentorum coram aliis, vix possumus, aut scimus eum excusare a gravi culpa ob circumstantiam scandali. Excusaretur tamen, qui instante necessitate v. g. baptismi, nesciret ejus formam nisi cum aliqua variatione, vel parva, vel etiam notabili. Unde Latinus, qui non sciret nisi formam Græcorum, posset, et deberet sub tali forma baptizare eum, qui extreme illo sacramento indigeret. Nam si in tali casu licitum est adhibere materiam dubiam, ubi certa non suppetit (quod omnes docent), ut extremæ scilicet indigentiæ meliori, quo possimus, modo occurramus : quanto magis licebit uti forma non quidem dubia, sed certa, quamvis immutata, ubi communis apud nos forma memoriæ ministri non occurrit ?

Nota.

Dubium incidens. 84. Quid autem dicemus, ubi quis minaretur ministro mortem, nisi baptizet sub forma Græcorum, aut cum alia immutatione non essentiali ? Respondet Henriquez apud Dicastillo ubi supra posse absque peccato sic baptizare. Et ratio assignari valet, quod præceptum observandi communes in Ecclesia sacramentorum formas non obligat cum tanto detrimento, supposito aliunde, ut supponi debet, formæ adhibendæ valore. Quæ enim irreligiositas sequitur ex eo, quod aliquis ad vitandam mortem, in consecratione panis omittat *enim*, aut in eadem consecratione usitatis verbis addat juxta morem Græcorum : *Quod pro vobis tradetur ?* Alii autem (quorum sententiam magis probamus), respondent cum distinctione. Nam si is, qui sub comminatione mortis extorquere vult formam inusitatam, et immutatam contra communem Ecclesiæ usum, sit hæreticus, aut de fide suspectus ; censendus est id petere ex pravo affectu reprobandi communem Ecclesiæ formam tanquam illegitimam. Cui cooperabitur, qui ejus intentioni consentiat, et mandatum exequatur, quamvis ex metu : atque ideo ministrans prædicto modo peccabit. Si autem, qui ita præcipit, sit Catholicus, et ex materiali errore credat formam, quam petit, esse illammet, qua utitur Ecclesia Romana, et ministrum oppositum asserentem errare ; tunc non peccabit minister, si se accommodet materiali præcipientis errori, et ad vitandum tantum periculum immutet formam consuetam, et baptizet, aut consecret more Græcorum. Quia præceptum ministrandi absque ulla, vel accidentali mutatione non obligat cum tanto dispendio, ubi non imminet, vel fidei periculum, vel Ecclesiæ comtemptus. Quam resolutionem extendit Coninchus in præsent. art. 8, dub. 2, ad casum profecto difficiliorem, nempe ubi forma, quæ petitur, est non solum variata, sed dubia, sicut reputantur hæc : *Ego te baptizo in nomine genitoris, et geniti, et procedentis.* De quo suo loco. Interim tamen notamus in hoc secundo casu necessarium esse adhibere explicitam, aut implicitam conditionem, *si forma valet* : quia supponitur dubia. Sed in casu a nobis proposito superflua foret illa conditio : quia agimus de forma determinate certa, quamvis accidentaliter immutata, et propterea diximus secundum casum esse difficiliorem priori.

Henriquez. Legitima resolutio. Coninch.

Objectio. 85. Potest autem contra principalem resolutionem opponi, quod si quis, vel ex præcepto, vel pro libito accedat ad audien-

dum Missam, aut orandum, et nolit modo debito attendere, non peccat mortaliter, si habeat intentionem audiendi aliam Missam, aut satisfaciendi præcepto alio tempore : ergo pariter non peccat mortaliter, qui hic, et nunc administrat sacramenta indebito modo, aut non præscripta forma, si intentionem habeat illa debite ministrandi tempore alio.

Dissolvitur. Respondetur objectionem excessive probare : nam si quid valet, evincit, quod sicut peccatum mortale non est interesse Missæ, aut orationi absque intentione audiendi Missam, vel orandi, et cum intentione hæc præstandi in alio tempore : sic non erit peccatum mortale proferre supra debitam materiam verba formarum baptizandi, aut consecrandi, cum solo animo adhibendi eam intentionem in alio tempore. Id vero est absurdum, ut vel ipsis hæreticis horrorem afferat : nemo enim est adeo infidelis, vel amens, ut non sentiat sacramenta, quæ admittit, serio, et religiose tractanda fore. Quare admisso antecedenti, neganda est consequentia ob satis notam disparitatem : nam Missa, vel communis oratio non est aliqua res facienda, vel perficienda ab audiente, vel adstante : quare licet ille, qui sine attentione assistit, peccet ob aliquam irreverentiam ; tamen peccatum non est mortale; ubi simul adest intentio satisfaciendi præcepto in alio tempore : neque enim illa irreverentia adeo gravis est, ut necessario importet gravem, aut mortalem malitiam. Cæterum sacramenta sunt res gravissimæ, et divinissimæ, nempe speciales fidei professiones institutæ ad nostri remedium, et ad Dei cultum, quas perficere debet minister : quare ex suppositione, quod velit suum munus circa illa obire, tenetur ipsum religioso, et præscripto modo servare : et si id omittat, aut contrarium faciat, peccat peccato ex suo genere satis gravi, ut supra ostendimus. Quæ disparitas liquet ipso exemplo in contrarium adducto: nam licet audiens Missam non adhibeat, sed voluntarie omittat attentionem, non peccat graviter, si habeat intentionem audiendi aliam Missam : et tamen sacerdos Missam celebrans peccat graviter, si nolit attendere, quamvis habeat intentionem attendendi in alterius Missæ celebratione. Quod discrimen nequit in alio fundari, quam in eo, quod audiens, vel assistens est mere audiens, et assistens, non autem perficiens : sed celebrans perficit sacrificium, et conficit sacramentum : quæ est materia gravissima, et attentionem requirens. Et hæc ratio generaliter militat in omnibus ministris conficientibus sacramenta. Accedit, quod licet detur præceptum affirmativum graviter obligans ad audiendum in aliquo tempore Missam ; tamen non datur præceptum negativum prohibens sub culpa gravi assistentiam ad Missam sine attentione : quare non omnis hujusmodi in attentio, atque indevotio est peccatum grave. Cæterum in sacramentis præter præceptum affirmativum illa administrandi, quod nec omnes, nec pro omni tempore obligat ; datur præceptum negativum, ortum ex natura ipsorum sacramentorum, ex institutione Christi, et ex veneratione, atque intentione Ecclesiæ : quod vetat administrationem sacramentorum fieri, nisi juxta Christi institutionem, et Ecclesiæ mandatum, et extenditur ad formas communiter usitatas. Quare cum materia sit gravissima, violatio talis præcepti nequit non esse ex genere suo peccatum grave.

DUBIUM VI.

Utrum ex intentione Ministri pendeat, quod mutatio in forma sacramenti sit essentialis ?

Sæpius in præcedenti dubio significavimus qualitatem mutationis formarum in sacramentis quandoque pendere ex intentione ministri : et in eodem etiam explicuimus, quæ variatio in sacramentorum formis dicatur essentialis, aut substantialis, et quæ accidentalis. Modo oportet, ut non semel insinuatam difficultatem, et ad hunc locum remissam decidamus. Prius autem oportet aliqua breviter prælibare, ex quibus legitima resolutio, sicut et quæstionis status ipse dependet.

86. Et primo supponendum est dubium istud non habere locum, nisi minister habeat intentionem generalem faciendi, quod Ecclesia vera facit, et Christus instituit. Cum enim hujusmodi intentio sit simpliciter necessaria ad valorem sacramenti, ut docet D. Thom. infra quæst. 64, art. 8, et ex professo ostendemus disp. 7, dub. 2, carentia sola prædictæ intentionis sufficit ad invalidandum sacramentum, quamvis alias adsit consueta, et legitima forma. Et ideo ubi Præsuponendum in hoc dubio.

ubi talis intentio deficit, præcluditur locus difficultati respicienti determinate formarum mutationem. Deinde supponendum est verba, quorum mutatio est hujus quæstionis subjectum, non debere afferre ex se mutationem essentialem in forma. Si enim illam ex se importent ; sacramentum est invalidum independenter ab alio respectu ad intentionem ministri : quia scilicet non concurrit vera, et essentialis forma, ut satis constat ex dictis dub. præcedent. quæ hic inculcare non expedit.

Ut igitur difficultas procedat, præmitti debet, quod Sacerdos simul cum intentione generali faciendi quod facit Ecclesia, habeat intentionem particularem inducendi aliquem ritum veritati, et Ecclesiæ materialiter saltem contrarium; et quod ut illum inducat, variet consueta apud nos verba formæ, vel addendo, vel subtrahendo, vel utendo, verbis ambiguis. Exempli causa, Sacerdos Græcus habet intentionem in consecrando faciendi, quod vera Ecclesia facit; putat etiam ex ignorantia, aut errore formam essentialem consecrationis consistere adæquate in omnibus his verbis : *Hoc est corpus, quod pro vobis tradetur* ; et juxta hunc errorem habet intentionem particularem proferendi omnia illa verba tanquam essentialia, et ut manifestativa ritus, quem putat necessario observandum. Inquirimus itaque utrum quod illorum verborum additio inducat mutationem essentialem, aut non, pendeat ex intentione ministri : ita quod illa additio, quæ de se non præjudicat sacramenti valori, ut num. 74 diximus, ubi procedens ex illa intentione fiat essentialis, et sacramenti valorem evertat. Et eadem difficultas a fortiori occurrit, ubi verba formæ sunt de se ambigua, et æquivoca : nam sicut ista habent ex se minorem determinationem ad unum significatum : sic sunt magis determinabilia ab intentione loquentis. In his ergo, et similibus eventibus, qui varie, et facile repræsentari possunt, dubitatur an mutatio facta in verbis sacramentorum (quæ de se supponitur solum accidentalis, aut dubia), fiat determinate essentialis ex intentione ministri, qui ex una parte vult in communi facere, quod facit Ecclesia, et ex alia parte vult in particulari manifestare in forma errorem, quem habet, aut ritum illi errori conformem inducere.

[margin: ...nctus difficultatis.]

§ I.

Vera, et communior sententia defenditur.

[margin: Prima conclusio]

87. Dicendum est primo non pendere ex intentione ministri, quod mutatio facta in forma sacramentorum sit essentialis, quando verba, quibus utitur, continent formam in Ecclesia consuetam cum aliqua solum accidentali mutatione ex relatis dub. præcedent. atque ideo licet minister cum errore procedat, atque inducere intendat falsum ritum per eam variationem, verum nihilominus conficit sacramentum. Hæc secunda assertionis pars facile ex prima colligitur. Utramque autem docent Theologi satis frequenter, Nugnus in præs. art. 8, Arauxo ibidem dub. 4, concl. 1, et 2, et 4, Cabrera disp. 1, concl. 1, Joan. a S. Tho. dub. 1, concl. 3, Gonet disp. 1, art. 9, n. 134, N. Franciscus cap. 4, punct. 4, n. 66, Prado dub. 14 concl. 3, Martinus de Ledesma 1, p. 4, q. 1, art. 7, Petrus de Ledesma cap. 1, concl. 10, Paludanus in 4, dist. 3, q. 1, n. 15. Idem etiam tuentur Durandus in 4, dist. 3, q. 2, n. 4, Adrian. *de baptismo*, q. 3, in 2, illius parte. Suar. disp. 2, sect. 5, Lugo disp. 2, sect. 6, Trullench lib. 1, c. 2, dub. 3, et alii plures, quos refert, et sequitur Bonacin. disp. 1, q. 2, punct. 1.

[margin: Nugnus. Arauxo. Cabrera. Joan. a S. Tho. Gonet. N. Franciscus. Prado. Ledes. Durand. Adrian. Lugo. Trullench. Bonacina.]

[margin: Fundamentum.]

Probatur ratione fundamentali satis urgenti : nam, ex eo, quod Sacerdos Græcus consecret hac forma : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* existimans hoc additamentum esse simpliciter necessarium, atque intendens id significare, suumque errorem introducere ; non impeditur valor sacramenti si sacerdos habeat intentionem (ut in præsenti supponimus), faciendi, quod facit Ecclesia : ergo sacerdos per pravam suam intentionem particularem non inducit mutationem essentialem in verbis prædictæ formæ : ergo non pendet ex intentione ministri, quod mutatio facta in verbis sacramentorum sit essentialis, quando verba, quibus utitur, continent formam in Ecclesia consuetam cum aliqua tamen accidentali mutatione ex relatis dub. præced. Hæc secunda consequentia patet ex prima : quoniam in eo casu minister habet intentionem particularem inducendi novum ritum, qui, si daretur, fieret essentialis mutatio in forma sacramenti : et tamen muta-

tio subsecuta non est essentialis : ergo quod in his, et similibus casibus mutatio facta in verbis sacramenti sit, aut non sit essentialis, non pendet ex intentione ministri. Prima vero consequentia necessario infertur ex antecedenti : quoniam mutatio in verbis sacramentorum, quæ non impedit valorem sacramenti, non est essentialis : sed in prædicto casu non impeditur sacramenti valor : ergo mutatio illa non est essentialis. Antecedens autem, in quo poterat esse difficultas, ostenditur : quoniam ad valorem sacramentorum sufficiunt, tria, nempe materia, et forma, et intentio ministri, ut plane docet Concil. Florentin. in litteris sanctæ unionis : sed in prædicto casu adest debita materia, ut supponitur; adest etiam forma legitima, licet cum additione accidentali non necessaria; denique adest intentio ministri volentis facere, quod Ecclesia facit, et Christus instituit : ergo prædictis concurrentibus adsunt essentialia, et minime impeditur valor sacramenti, quamvis sacerdos habeat intentionem particularem repræsentandi, vel inducendi falsum ritum.

Concil. Florentin.

Confirmatio.

Confirmatur : nam plures sunt ministri apud Græcos hæretici, qui conformiter ad suos errores existimant variationem illam formarum, quibus Græci in baptizando, et consecrando utuntur, esse essentialem; et sic intendunt facere, ac ministrare, manifestando scilicet, atque inducendo ipsa prolatione suum ritum. Et tamem Ecclesia Catholica non reprobat sacramenta sic ministrata, sed sentit valida esse : unde non negat adorationem hostiæ, quam consecravit Græcus, nec rebaptizat pueros a Græcis baptizatos. Ergo ex sententia Ecclesiæ Catholicæ prædicta variatio non est essentialis, nec præjudicat sacramentorum valori. Ergo quod variatio verborum ob aliquam mutationem (retinendo tamen legitimam formæ significationem), sit, aut non sit essentialis; minime dependet ex particulari intentione ministri, dummodo habeat intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia, et Christus instituit.

Adversariorum responsio.

88. Respondebis in prædictis casibus deficere unum ex requisitis ad conficiendum sacramentum, nempe intentionem hanc generalem proxime insinuatam faciendi, quod facit Ecclesia. Nam eo ipso, quod quis habeat intentionem introducendi falsum ritum, qui vero Ecclesiæ ritui opponitur, per hanc particularem intentionem deponit intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia. Quare vel casus a nobis propositi sunt complicatorii, vel ab eis excludi debet illa generalis intentio. Ea vero exclusa, manifestum est valorem sacramenti impediri. Quæ responsio potest amplius confirmari. Tum quia habens intentionem intentioni Ecclesiæ contrariam, non habet communem Ecclesiæ intentionem, ut ex terminis constare videtur : sed minister intendens introducere falsum ritum habet intentionem intentioni Ecclesiæ contrariam; siquidem manifestum est Ecclesiam intendere exclusionem falsorum rituum circa sacramenta: ergo talis minister non habet intentionem generalem Ecclesiæ. Tum etiam quia si minister in tali casu haberet aliquomodo intentionem Ecclesiæ, maxime virtualiter : atqui nec intentionem virtualem habet faciendi, quod facit Ecclesia : ergo nullo modo habet intentionem hujusmodi. Probatur minor : quia virtualis intentio unius excluditur necessario per formalem intentionem oppositi : unde qui convertitur formaliter ad bonum commutabile tanquam ad ultimum finem, nullo modo adhuc virtualiter potest manere conversus in Deum sub ratione finis ultimi, ut ex professo ostendimus Tract. 14, disp. 1. dub, 4 ; sed qui intendit introducere suum errorem in conficiendo sacramenta, habet intentionem formalem oppositi, quod Ecclesia intendit : ergo nullo modo, aut virtualiter potest habere Ecclesiæ intentionem.

Fundatur.

Sed hæc responsio minime satisfacit, et potest efficaciter refelli. Primo quia non occurrit nostræ confirmationi, sed eam in suo robore relinquit. Ecclesia enim Catholica admittit ut valida sacramenta baptismi, et Eucharistiæ, quæ Græci conficiunt : et tamen certo scit, quia experientia notum est), Græcos aliquos intendere suos ritus manifestare, atque introducere, cum formas illorum sacramentorum aliqualiter variant : ergo ex sententia Ecclesiæ Catholicæ error, et intentio particularis illum introducendi non impedit valorem sacramentorum, ubi cætera essentialia requisita concurrunt, inter quæ recensetur intentio generalis faciendi, quod facit Ecclesia. Et quod modo Ecclesia censet, censebant jam olim antiqui Ecclesiæ Patres, qui non rebaptizandos senserant baptizatos ab hæreticis servantibus debitam materiam, et formæ

Evertitur.

mæ intentionem; quamvis probe noscerent particularem hæreticorum intentionem esse saltem materialiter intentioni Ecclesiæ contrariam, vt patet ex Concil. Arelatensi 2, cap. 17, ex Innoc Primo in epist. *ad Episcop. Antioch.* ex D. Greg. lib. 9. epist. 61, et ex D. Augustino in lib. *contra Donatistas*, cujus plura ad rem testimonia refert Gratianus *de consecrat.* dist. 4. Refellitur secundo eadem responsio, quia si quid valet, probat generaliter nullum verum sacramentum ab hæreticis confici : quod dicere est plane hæreticum. Sequela ostenditur : quoniam hæretici habent intentionem particularam communi Ecclesiæ intentioni saltem materialiter contrariam, juxta quam particularem intentionem operantur in conficiendo sacramenta. Ergo si quod responsio causatur, verum est; palam sequitur hæreticos nunquam habere generalem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Cum igitur absque hujusmodi intentione nullum queat confici sacramentum; oportebit fateri omnia sacramenta, quæ conficiunt hæretici, esse nullius valoris. Refellitur tertio, et urgentius : nam sicut Græci ponunt mutationem in forma consecrationis, subjungendo, *Quod pro vobis tradetur;* sic etiam constituunt mutationem in materia adhibendo panem fermentatum, et utraque mutatione utuntur ex eadem intentione, nempe manifestandi, atque introducendi suum ritum, quem necessario observandum existimant. Et tamen ex hoc, quod Græcus consecret panem fermentatum cum ea intentione, nemo audet negare verum a Græco confici Eucharistiæ sacramentum : ergo ex eo, quod addat prædicta verba cum intentione illa, minime colligi debet, aut potest Græcum sic consecrantem sacramentum non conficere. Sicut enim in mutatione materiæ, sic etiam in variatione formæ, simul cum intentione particulari erronea, sive præconcepto errori proportionata, componi, ac conciliari valet generalis, et recta intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

Concil. Arelat. — Innoc. I. — D. Greg. — D. August. — Gratianus.

Unde facile evertuntur ea, quibus responsio confirmabatur. Nam ad primum respondetur majorem solum esse veram, quando quis habet intentionem intentioni Ecclesiæ formaliter contrariam; secus si habeat intentionem, quæ intentioni Ecclesiæ materialiter opponatur. Unde concedendo minorem in hoc secundo præcise sensu, negamus absolute consequentiam. Etenim potest quis habere errorem contrarium Ecclesiæ, et cognoscere illum ut veræ Ecclesiæ contrarium : et nihilominus velle conficere sacramenta conformiter ad talem errorem, et tunc recte concluditur, quod ille non habet communem intentionem Ecclesiæ; siquidem vult operari adversus illam. Potest etiam quis errorem habere Ecclesiæ contrarium, quem tamen non cognoscat ut errorem, sed potius censeat esse veritatem, aut ritum Ecclesiæ conformem : et tunc licet operetur secundum eum errorem, et intendat introducere ritum eidem consonum, nihilominus non excludit generalem Ecclesiæ intentionem; cum potius existimet se operari juxta illam, atque eidem communi intentioni suam particularem submittat, atque subroget. Quare in prædicto casu (in quo plane procedit præsens difficultas), optime cohæret, quod quis habeat intentionem particularem materialiter Ecclesiæ oppositam; et quod nihilominus in hac ipsa particulari intentione sua sequatur pro formali communem Ecclesiæ intentionem, intendatque simpliciter facere, quod facit Ecclesia. Per quod etiam patet ad secundum motivum : quia major solum verificatur, ubi occurrunt intentiones, quæ pro formali opponantur : unde qui cognoscens aliquem errorem ut talem, sive ut Ecclesiæ oppositum, illum amplectitur, atque introducere conatur, nequit prosequi adhuc virtualiter communem Ecclesiæ intentionem. Idque præcise evincit illud motivum. Cæterum ubi id, quod in se est error, non cognocitur ut talis, sive ut Ecclesiæ oppositus, sed magis apprehenditur ut veritas, aut ritus illi conformis; qui operatur conformiter ad eam apprehensionem, minime excludit intentionem saltem virtualem faciendi, quod facit Ecclesia. Quare non sequitur, quod propter hujus intentionis defectum conficiat invalide sacramenta.

Convelluntur responsionis motiva.

89. Ex præmissa autem resolutione colligitur, quod licet minister existimet aliquam particulam esse de essentia formæ, quæ revera ad ejus essentiam non pertinet; et e converso censeat aliquam particulam non esse de essentia formæ, cum reipsa sit; et tum his falsis apprehensionibus proferat super debitam materiam consuetas Ecclesiæ formas; verum conficitur sacramentum. Ratio est : quia non obstantibus illis

Consectarium notandum.

apprehensionibus, concurrunt omnia requisita ad valorem sacramenti, nempe materia, forma, et intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia : ergo quod minister proferat formam cum dictamine erroneo, quod aliqua particula sit de essentia, quæ non est; vel quod aliqua particula non sit de essentia, quæ est; nihil officere valet ad sacramenti valorem. Et ita communiter docent Auctores supra relati, Arauxo conclus. ultima, Joannes a S. Thoma *Nec obstat*, Petrus de Ledesma, Bonacina, Lugo et alii apud N. Franciscum num. 69.

Potestque consectarium magis confirmari, si rem ad praxim revocemus. Demus namque sacerdotem idiotam judicare, quod ly *enim* positum in consecratione panis est de essentia formæ. Quis propterea dubitabit hunc sacerdotem proferentem totam consuetam formam supra debitam materiam cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vere conficere sacramentum? Non igitur falsa apprehensio orta ex particulari errore impedit sacramentum, ubi alia requisita concurrunt. Quin etiam licet ille sacerdos omittteret ly *enim*, quod essentiale apprehendit, si tamen cætera requisita adhiberet cum intentione faciendi, quod Ecclesia facit; verum sacramentum conficeret : quia ly *enim* vere non est de essentia, nec Ecclesia præcipiens ejus recitationem id tanquam essentiale intendit. Plures etiam in ea opinione sunt, quod illa verba consecrationis calicis : *Novi, æterni testamenti, mysterium fidei* cum sequentibus non sint de essentia formæ. Demus igitur oppositum esse verum coram Deo, ut multi sentiunt cum Angelico Doctore. An propterea negabimus illos sic opinantes (qui plurimi sunt sacerdotes, et religiosi), non conficere verum sacramentum? Nihil minus. Quoniam prædicti simul cum illa particulari opinione habent intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, et proferunt integram formam, qua Ecclesia utitur, aliaque adhibent requisita. Omnibus autem his concurrentibus, nulla est ratio, quare negemus esse validum sacramentum. Et ex opposito fieret posse nos rationabiliter dubitare de valore consecrationis calicis apud illos, qui opinantur prædicta verba non pertinere ad essentiam formæ. Id vero nemo concedet.

90. Dicendum est secundo dependere ex intentione ministri, quod mutatio formæ sit essentialis, quando in ea utitur verbis æquivocis, et ambiguis. Sic docent Auctores supra relati. Ratio est : quia quando verba sunt æquivoca, et ambigua, habent plures significationes, et determinantur ad unam ex applicatione loquentis, et volentis hoc, aut illud significare. Si ergo significet id, quod significari debet; mutatio in prædictis verbis erit accidentalis, et valori sacramenti non præjudicans. Si autem non significet id, quod debet significari, sed aliud oppositum, aut impertinens, mutatio erit substantialis, atque evertet valorem sacramenti. Itaque in verbis ambiguis pertinet ad proferentem dare eisdem sensum debitum, aut indebitum : et si dat debitum, mutat quidem materialiter verba, sed retinet formalem significationem a Christo intentam. Ubi autem dat sensum indebitum, mutat illa tam materialiter, quam formaliter, et subinde variat essentialiter formam. Idque facile declaratur exemplo proposito a D. Thom. in præs. artic. 8 ejus, qui baptizat *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, B. Virginis* : nam hæc superaddita verba sunt ambigua, admittentia duos sensus valde diversos, ad quorum unum debitum, aut indebitum possunt per proferentem determinari, et secundum talem determinationem inducere mutationem essentialem, aut accidentalem in forma « Forte « autem, *inquit S. Doctor*, si diceret, Ego « te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, et B. Virginis Mariæ, non esset « baptismus : quia dicitur 1. ad Corinth. « 1. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus « est, aut in nomine Pauli baptizati estis. « Sed hoc verum est, si sic intelligatur « in nomine B. Virginis baptizari, sicut in « nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur : talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, et per consequens tolleret « veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur, quod additur, in nomine B. Virginis, non quasi nomen B. Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus « intercessio prosit baptizato ad conservandum gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti. »

91. Sed oppones hanc doctrinam, ejusque fundamentum non cohærere cum resolutione num. 89 præmissa. Ibi namque statuimus eum, qui apprehendit particulam *enim* esse de essentia consecrationis, illamque

illamque proferre cum intentione tali apprehensioni correspondente, verum conficere sacramentum. Et rationem assignavimus, quod sic apprehendens, atque intendens simul vult agere juxta communem intentionem Ecclesiæ; et aliunde profert verba, quæ sunt ex institutione Christi sufficientia ad consecrandum. Hæc autem ratio etiam militat in casu præsenti : quia licet quis ex privata ignorantia sentiat valorem baptismi pendere ex invocatione B. Virginis, sicut pendet ab invocatione Trinitatis, et juxta hanc apprehensionem intendat sacramentum conficere, adhuc nihilominus, conservare valet communem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, et proferre verba sufficientia ad baptismum, nempe *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Ergo quod ex particulari apprehensione, et intentione addat alia verba non necessaria, *Et B. Virginis*, nequit impedire sacramenti valorem.

Solutio. Respondetur negando assumptum. Cujus probatio diluitur admittendo præmissas, et negando consequentiam. Disparitatis autem rationem non sumimus, nec fundamus ex parte intentionis ministri, quam in utroque casu supponimus adesse, et quantum est de se, sufficere. Sed disparitas stat in eo, quod particula *enim* non est ambigua, nec indiget ulla determinatione loquentis, ut ad legitimum sensum, quem intendit Ecclesia, trahatur. Quare prolata cum communi intentione faciendi, quod facit Ecclesia, minime præjudicat sacramenti valori, si hoc, aut illo modo apprehendatur juxta peculiarem proferentis ignorantiam. Concurrunt enim (ea ignorantia, et particulari intentione non obstantibus), omnia requisita essentialia ad conficiendum sacramentum, ut supra explicuimus. Cæterum illa additio, *et in nomine B. Virginis* affert verba ambigua, quæ nullum habent sensum ex intentione Ecclesiæ determinatum : quocirca si a proferente determinantur ad peculiarem sensum, illum utique exercite habent : et si talis sensus sit indebitus (utpote quod invocatio B. Virginis, et invocatio personarum divinarum sint æquales, atque ejusdem valoris), vitiatur plane totus sensus formæ, atque inducitur essentialis in ea mutatio : unde sequitur nullum confici sacramentum. Itaque ad hujus valorem requiritur tum communis intentio faciendi, quod facit Ecclesia, tum debita formæ significatio; et horum quolibet deficiente, sacramentum impeditur. Quamvis autem in duobus his casibus, qui modo inter se conferuntur, adsit prædicta intentio : nihilominus interest discriminis, quod ista forma *Hoc est corpus meum* continet omnino certe, et determinate significationem a Christo intentam, quidquid sit de particulari intentione proferentis, et apprehendentis ly *enim* esse particulam essentialem. Sed in ista forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. Virginis* occurrit ambigua æquivocatio, atque carentia unius determinati sensus legitimi : quippe non determinatur, an, B. Virgo invocetur ut auctrix gratiæ sacramentalis, sicut aliæ personæ ; an vero ut præcise adjutrix sua intercessione ad conservandum gratiam. Quare si baptizans determinet prædicta verba ad priorem illum sensum, atque ipsum exprimere intendat; pervertit plane sensum sacramentalem, variat essentialiter formam, et evertit sacramenti valorem. Quid autem dici deberet, ubi proferens nullum sensum apprehenderet, nullumque determinaret ; sed præcise conaretur facere, quantum potest juxta communem Ecclesiæ intentionem, cui se committeret; supra significavimus num. 80.

§ II.

Referuntur sententiæ contrariæ.

92. Contra præmissas assertiones, et præsertim contra primam aliquæ occurrunt sententiæ. Prima docet, quod si minister mutans aliqualiter formam intendat significare aliquem errorem, aut ritum, illumque introducere, variat essentialiter formam, et non conficit verum sacramentum. Ita Alensis 4, par. quæst. 13, memb. 3, artic. 3, D. Bonaventura in 4, distinct. 3, art. 2, quæst. 3, D. Antoninus 3 par. titulo 14, cap. 13, § 3, et alii. Alensis. D. Bona. D. Anto. Secunda sententia affirmat, quod si ritus, quem minister significare intendit sit toleratus ab Ecclesia, ut in pluribus Græcorum ritibus contingit ; tunc mutatio formæ non est essentialis, nec præjudicans sacramento ; secus vero, si minister intendat significare, et introducere aliquem errorem, quem Ecclesia non sustineat. Ita Soto in 4, dist. 1, quæst. 1, artic. 8 Tertia sententia defendit, quod si minister inten- Soto.

dit aliquid addere formæ tanquam essentiale, quod tamen non est necessarium ex Christi institutione ; vel si intendat aliquid auferre a forma, quod putat essentiale, cum tamen non sit; inducit mutationem essentialem in forma, atque ideo sacramentum non conficit. Ita Scotus in 4, dist. 3, q. 3, Richardus ibi art. 2, q. 3, Gabriel art. 2, concl. 3, et alii. Et quamvis prædictæ opiniones distinguantur inter se modo præmisso; conveniunt tamen in asserendo pendere ex intentione ministri, quod mutatio facta in verbis formæ sit essentialis, aut accidentalis; supposito etiam, quod mutatio verborum sit de se dumtaxat accidentalis, retineatque significationem, quam Ecclesia intendit, et non concernat verba æquivoca, vel ambigua. Et quia in hoc conveniunt, indiscriminatim proponemus motiva, quæ eisdem favere videntur.

otus. har. riel.

num su- itum. cha- s va.

Arguitur ergo primo ex epist. decretali Zachariæ Papæ ad Bonifacium Episcopum, quæ expenditur in cap. *Retulerunt de consecrat.* dist. 4, ubi Pontifex ait : « Retulerunt nuntii tui, quod fuerit in eadem Provincia Sacerdos,qui latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret,nesciens latine eloqui, infringens linguam diceret:Baptizo te in nomine Patria, et Filia,et Spiritus Sancta.Ac per hoc tua reverenda Fraternitas consideravit eos rebaptizare. Sed, Sanctissime frater, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam,ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur. » Ergo ex sententia Pontificis si ille sacerdos intendisset per illa verba introducere aliquem errorem, aut hæresim ; minime conficeret verum sacramentum baptismi. Ergo quod mutatio in verbis formæ sit essentialis aut accidentalis, pendet ex intentione ministri.

onfir- atio. D. oma.

Confirmatur ex D. Thom. in 4, distinct. 3, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 5, ubi ait : « De additione vero duo sunt observanda. « Primum est ex parte addentis:quia si adderet intendens illud esse de forma,quasi volens perhoc novum ritum adducere, constat,quod non intendit proferrre formam, qua utitur Ecclesia, et ita nec facere, quod Ecclesia facit:quare non esset baptismus.» Et in fine corporis addit : « Quidam dicunt, « quod si fiat additio in medio,vel principio, « non est baptismus : si autem in fine, est « baptismus.Sed hoc nullam videtur habere « rationem. Unde secundum alios qualitercumque fiat additio,non refert; dummodo « non sit contraria formæ, et baptizans non « intendat mutare ritum baptismi. » Quam opinionem ipse minime reprobat, sed potius in eadem sistit, sicut facere solet in his, quos approbat. Sentit igitur D. Thom. quod licet additio facta in verbis formæ non mutet de se formalem eorum significationem, si tamen fiat ex intentione, quam proferens habeat, introducendi novum ritum ; mutat essentialiter formam, et impedit sacramenti valorem. Et in præs. art. 8, inquit S. Doctor, quod si proferens verba « intendat per hujusmodi additionem,vel diminutionem alium ritum inducere, qui « non sit ab Ecclesia receptus, non videtur « perfici sacramentum : quia non videtur « quod intendat facere, id, quod facit Ecclesia. » Exclusa autem communi intentione faciendi, quod facit Ecclesia, manifestum est valorem sacramenti impediri.

93. Ad argumentum desumptum ex illa Decretali respondemus negando consequentiam : quoniam Pontifex asseruit quidem, quod si baptizans sub illa forma non intendebat introducere errorem, aut hæresim, baptismus est validus, et minime repetendus. Sed Pontifex minime affirmavit, quod si inducere tentaret errorem, aut hæresim, nihil valeret baptismus. Prædicta autem duo sunt valde diversa : et hoc ultimum non infertur ex primo illo. Curavit namque, quod Episcopus intelligeret baptizatos ab illo sacerdote, non debere inconsiderate rebaptizari, ut ipse apud se decreverat. Nam in casu, quo constet Sacerdotem prædicta forma baptizasse non ex intentione inducendi errorem, aut hæresim, sed ex imperitia linguæ Latinæ; non debebant rebaptizari : quia prior baptismus simpliciter tenebat. Quid vero fieri deberet in casu,quo prædictus Sacerdos intendisset eo modo introducere errorem, aut hæresim, Pontifex minime declaravit : et forte opus declarandi non habuit : quia de facto constabat sacerdotem noluisse introducere errorem, sed barbaro illo modo protulisse sacramenti formam ob ignorantiam Romani eloquii. Decrevit itaque Pontifex in uno sensu tunc necessario : sed præcisive se habuit ad sensum alium, qui tunc minime occurrebat. Et ex decisione unius non infertur

Solvitur argumentum

Explicatur Decretali

fertur determinata alterius resolutio : nam de facto omnes Theologi in propria illa Pontificis determinatione conveniunt : quia barbara formæ expressio ob imperitiam linguæ Latinæ non impedit formalem verborum significationem, nec intentionem communem Ecclesiæ, ut supra diximus num. 77. Sed in alio casu, quem argumentum conatur ex præcedenti, et expresse diffinito deducere, minime conveniunt; quin potius major eorum pars nobiscum affirmat baptismum fore validum, quantumvis Sacerdos ille voluisset introducere errorem aliquem : dummodo habuisset intentionem communem faciendi, quod facit Ecclesia.

Et hanc responsionem censemus esse textui magis cohærentem, atque firmiorem aliis, quas nonnulli excogitaverunt. Referemus autem duas principaliores, quæ valde probabiliter procedunt, quidquid sit de consonantia cum textu. Admisso itaque, quod Pontifex virtualiter saltem declaraverit baptismum fore nullum, si sacerdos sub illa forma baptizans intendisset errorem, aut hæresim introducere; nihil adhuc contra nostram assertionem colligeretur.

Duæ aliæ interpretationes. 94. Primo : quia verba, quibus usus fuerat ille sacerdos, sunt ambigua : possunt enim habere significationem veram secundum accommodationem usus : et possunt habere significationem falsam, et hæreticam, quia ly *filia* proprie non significat filii, sed filiæ personam. Quocirca sensus prædictorum verborum debuit a proferente determinari. Et si quidem non intendit errorem, aut hæresim; mutatio est accidentalis, et non nocens valori sacramenti, ut Pontifex expresse declaravit : si vero intendit significare, et introducere errorem, non salvatur significatio formalis; quare inducitur essentialis mutatio, et sacramenti veritas impeditur. Unde prædictus casus non opponitur primæ assertioni nostræ, sed confirmat secundam, et sub illa comprehenditur. Videantur Arauxo ubi supra in resp. ad 1, et N. Franciscus nu. 70, cum Suarez, Cabrera, et aliis. Secundo (et recidit tandem in eandem responsionem) quia ly *filia* etc. prolata cum intentione introducendi errorem significant prædictum errorem, atque ideo excludunt significationem sacramentalem, quam Christus in forma instituit. Quod exemplo declaratur ejus, qui in consecratione panis diceret, *Hic est corpus meum.* Nam si ex ignorantia proferat illud *Hic* mutando genus neutrum in masculinum, vere consecrat : quia ex una parte ly *Hic* ex usus accommodatione, et conjunctione ad reliqua verba valet idem, quod *Hoc;* et ex alia parte pronuntians non intendit falsum significare, nec significat : aliunde vero supponitur intendere, quod facit Ecclesia, atque ideo omnia requisita ad vere consecrandum concurrunt. Sed si pronuntians adhiberet illud *Hic* sumptum mere adverbialiter, ut significaret solam præsentiam localem, et vellet introducere hunc errorem destrueret profecto veram significationem formæ repræsentantis transubstantiationem, sive conversionem panis in corpus Christi : et per consequens induceret essentialem mutationem, et non conficeret sacramentum. Idem itaque contingeret, et dici deberet in nostro casu. Quocirca licet Pontifex significaret sacramentum in tali casu fore irritum, explicandus esset juxta subjectam materiam, in qua loquebatur. Sed non propterea ex ejus mente inferri posset universaliter quamlibet mutationem, vel additionem cum animo introducendi errorem præjudicare sacramento. Quia ex una parte Pontifex hanc universalem minime docet, aut insinuat; et ex alia occurrunt gravia motiva, quæ persuadent oppositum, ut num. 87 ponderavimus. Sic respondent Joan. a S. Thom. loco citato § *Secundo dicitur*, Vazquez disp. 129, sect. 7, Lugo disp. 2, sect. 6, Prado dub. 14, num. 23, et alii.

Arauxo. N. Franci. Joann. a S. Tho. Vazq. Lugo. Prado.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem respondemus D. Thomam eodem modo explicandum esse, sicut explicatur Pontifex juxta duas solutiones immediate præmissas. Sed addendum est S. Doctorem non negare aperte, quod in eo casu conficitur sacramentum; sed solum dicere, quod ille talis non videtur conficere sacramentum Quæ sunt valde diversa : quia stat bene, quod aliquis vere sacramentum conficiat, dum adhibet cuncta ad id requisita; et quod nihilominus non videatur conficere sacramentum, cum ex modo, quo se gerit, præstat fundamentum, ut existimemus non habuisse debitam intentionem. Tum quia in foro externo non præsumitur rectam intentionem habuisse, qui communem sacramenti formam ex industria mutavit. Tum quia difficile est aliquem habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, si positive intendit signifi-

care, et introducere ritum Ecclesiæ usui contrarium : licet hoc non sit impossibile, ut explicimus num. 88. Quare etsi absolute non implicet, quod intendens introducere ritum, aut errorem Ecclesiæ oppositum, simul retineat communem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: nihilominus communiter loquendo datur fundamentum, ut dubitemus, an ex tali affectu mutans, vel addens in verbis formæ, habuerit intentionem legitimam pro valore sacramenti desideratam. Et hoc ultimum docet D. Thom. sed non negat casum esse possibilem : atque ideo non opponitur nostræ, et communi assertioni.

ecun- lum rgu- eutum. 95. Arguitur secundo, et potest esse replica contra præcedentem doctrinam : nam ex ea sequitur Arianum baptizantem communibus verbis formæ, *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* non conficere verum sacramentum : consequens est falsum : ergo præmissa doctrina admitti non debet. Minor constat ex D. Augustino lib. 3, *de baptismo contra Donatistas*, cap. 15, ubi ait : « Si evangelicis « verbis, in nomine Patris, et Filii, et Spi« ritus Sancti Marcion baptismum conse« crabat, integrum erat sacramentum ; « quamvis ejus fides sub eisdem verbis « aliud opinantis non esset integra, sed fa« bulosis falsitatibus inquinata. » Et hæc S. Doctoris resolutio est communis doctrina Ecclesiæ non rebaptizantis illos, quos constat fuisse ab hæreticis sub prædicta forma legitima baptizatos. Sequela vero ostenditur : nam baptizans sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris, etc.* non conficit sacramentum, ut tradit D. Thom. in præs. art. 8, quia præsumitur intendere significationem, et introductionem hæresis Arianæ sentientis Filium Dei non esse Patri æqualem, et consubstantialem. Sed licet Arianus recitet consuetam formam, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, intendit tamen semper significare, et introducere suam hæresim, et conformiter ad illam intentionem profert verba. Ergo cum verba determinentur a pronuntiante, sequitur consuetam formam prolatam ab Ariano habere sensum hæreticum, atque legitimo sensui ex intentione Ecclesiæ, et Christi contrarium. Si autem res ita se habet, manifestum est non confici sacramentum.

. Aug.

Respondetur negando sequelam, cujus falsitatem evidenter demonstrat minoris probatio. Ea vero quæ ad suadendum sequelam inducuntur, nihil valent : et ideo omittendo præmissas, negamus consequentiam. Ratio disparitatis est : quoniam hæc forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, majoris et Filii minoris etc.* per se ipsam, atque independenter ab alia intentione ministri important essentialem mutationem, siquidem referunt significationem oppositam vero sensui, quem Christus instituit in baptismi forma, et vult communis Ecclesiæ intentio. Unde D. Thomas loco citato independenter ab alia proferentis intentione docuit illam formam esse nullam, et nullum per eam perfici sacramentum. Sicut enim prius statuerat subtractionem unius nominis Patris, aut Filii, etc. inducere mutationem substantialem contrariam sacramenti valori; sic etiam subjunxit : « Circa additionem etiam contingit aliquid « apponi, quod est corruptivum debiti sen« sus : puta si aliquis dicat, Ego te baptizo « in nomine Patris majoris, et Filii mino« ris, sicut Ariani baptizabant : et ideo « talis additio tollit veritatem sacramen« ti. » Quare sive Arianus sive Catholicus ea forma baptizet, nihil fit. Cæterum altera forma consueta. *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, habet sensum determinatum, et determinate verum ex institutione Christi : quocirca non eget ulla determinatione ex parte intentionis baptizantis; sed sufficit, quod proferens intendat per ea verba facere, quæ Christus instituit atque Ecclesia intendit. Quare licet Arianus sit, qui ita baptizat, adhuc tamen baptismus tenet. Quoniam etsi Arianus sentiat apud se Filium non esse æqualem Patri, nihilominus hic error nullo modo significatur per illa verba, quæ habent suam determinatam significationem a Christo : et aliunde Arianus supponitur (ut a limine dubii observavimus), habere intentionem faciendi, quod Christus instituit, et Ecclesia facit. Cum igitur adhibeat omnia requisita ; sequitur, quod non obstante personali, atque hæretica existimatione, verum sacramentum conficit. Quod autem non semel diximus verba determinari a pronuntiante, ut significent, intelligendum est de verbis æquivocis, aut saltem ab Ecclesia non determinatis, ut constat ex secunda assertione. Hoc vero locum non habet in verbis formæ baptismi a Christo

Dispel litur.

D. Th

a Christo institutis : quæ hoc ipso nec indigent alia determinatione, nec sacramentalem significationem debent amittere ex prava, et particulari sententia, atque intentione loquentis. Recolantur supra dicta num. 91.

Tertium argumentum. 96. Arguitur tertio : nam qui non utitur forma a Christo instituta, non conficit sacramentum, ut satis constat ex dictis dub. 3; sed qui addit formæ aliquod verbum putans esse illi essentiale, cum vere non sit, non utitur forma a Christo instituta : ergo non conficit sacramentum. Probatur minor : nam addito, aut mutato aliquo essentiali formæ, variatur essentialis formæ significatio, quæ in indivisibili consistit : sed qui addit formæ aliquod verbum putans esse illi essentiale, ponit mutationem, aut variationem in forma a Christo instituta : ergo sic addens non utitur forma, quam Christus instituit.

Solutio. Respondetur negando minorem ; suppositis duobus, quæ in hac controversia supponi semper debent, ut observavimus a principio. Nam in primis illa additio, quam proferens putat essentialem, non debet ex se afferre essentialem mutationem in significatione formæ, sed hanc permittere, et conservare. Deinde proferens debet habere communem intentionem faciendi, quod Christus instituit, et Ecclesia facit. His vero suppositis, manifestum est eum, qui ex errore putat aliquid esse formæ essentiale : et illud addit, utputa in consecratione panis, *Quod pro vobis tradetur*, adhuc uti forma a Christo instituta : quia propter eam additionem, non pervertitur essentialis significatio verborum præcedentium, nempe, *Hoc est corpus meum*, in quibus sita est veritas formæ, quam Christus instituit. Ad minoris autem probationem dicendum est solum evincere, quod ibi fiat aliqua mutatio realis, aut grammaticalis ob additionem verborum : minime vero, quod fiat mutatio sacramentalis, sive in ipsa essentiali formæ significatione, supponimus enim (et res quidem ita se habet), additionem illam ut essentialem apprehensam non inducere reipsa mutationem essentialem in forma. Et quod proferens habeat particularem illam existimationem, aut etiam intentionem eidem consonam, non præjudicat : quia non conficit sacramentum secundum particularem, aut personalem suam apprehensionem ; sed conficit secundum communem intentionem Ecclesiæ, cui, attentis omnibus, se, et suam apprehensionem subordinat. Manifestum autem est, quod Ecclesia illam additionem non censet essentialem, sed accidentalem, et cum verbis essentialibus cohærentem.

97. Sed insistes : nam qui in forma baptismi addit, *et B. Virginis* judicans hoc additum esse essentiale, et intendens exprimere hanc significationem, nullum conficit sacramentum, ut diximus num. 91. Et tamen qui ita procedit, solum habet hujusmodi errorem, atque intentionem ut præcise personalem ; cum qua conjungere poterit, et aliquando conjunget intentionem communem exequendi in suo ministerio ea, quæ Christus instituit, et Ecclesia facit : ergo ex eo, quod addens aliquid formæ, quod putat essentiale, cum non sit, habeat intentionem communem faciendi, quod facit Ecclesia; minime sequitur eum per intentionem illam communem agere contra particularem errorem, et conficere verum sacramentum : atque ideo corruit præmissa responsio. Replica.

Respondetur admittendo præmissas in sensu statim declarando, et negando consequentiam. Ratio autem disparitatis est, quia licet addens in consecratione, *Quod pro vobis tradetur*, et addens in forma baptismi, *Et B. Virginis* conveniant in habendo particularem errorem, et simul intentionem exequendi, quod facit Ecclesia, et quantum ad hoc detur æqualitas in utroque casu : nihilominus plurimum interest discriminis inter eos. Etenim illa verba, *Quod pro vobis tradetur* (etiamsi sumantur ut essentialia), non vitiant sensum formalem præcedentium verborum, *Hoc est corpus meum*, in quibus essentia consecrationis consistit. Rursus adest intentio communis faciendi, quod facit Ecclesia. Unde concurrunt omnia requisita tam ex parte intentionis, quam ex parte formæ ad valorem sacramenti. Et proferentis error non officit : quia nec excludit legitimam significationem in verbis, nec communem Ecclesiæ intentionem in proferente. Cæterum illa alia verba, *Et B. Virginis*, addita præcedentibus *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, si non corrumpunt determinate formalem eorum sensum, illum, tamen reddunt æquivocum, et ambiguum : potest enim forma disposita significare, quod baptismus perficitur auctoritate *B.* Diluitur.

Virginis, sicut aliarum personarum, quæ in ea recensentur : qnod plane destruit propriam, et formalem significationem formæ baptismi. Quare si baptizans totam illam formam cum prædicto addito ad hunc sensum, ut potest, determinet, nihil conficit : quia evertitur forma sacramenti. Et nihil refert habere intentionem communem faciendi, quod facit Ecclesia : nam præter illam intentionem requiritur forma, quæ in tali suppositione non adest. Unde liquet differentia inter unum, et alterum casum : nam in primo concurrunt debita forma, et debita intentio : et ex concursu utriusque probamus validum confici sacramentum, non obstante aliquo errore, aut intentione particulari. Sed in secundo licet adsit debita, aut sufficiens in suo genere intentio ; tamen non adest sacramenti forma ob carentiam debitæ significationis formalis : et ob hunc defectum negamus verum sacramentum confici : nam sicut vulgo dicitur, bonum ex integra causa, et malum ex quocumque defectu.

DUBIUM VII.

Utrum intentio ministri pertineat intrinsece ad sacramentorum compositionem?

Ut sacramentorum compositionem, cui manifestandæ in hac disputatione operam dedimus, absolutam ab omni latere relinquamus, congruum duximus propositam in titulo difficultatem decidere. Quamvis enim ejus momenti non sit, ut postulet controverti, sed negativa ejus resolutio præsupponi potius, quam suaderi deberet ; importuna tamen aliquorum novitas obligat illa ad limam reducere, quæ tanquam non necessaria prætermiserunt antiqui. Ut igitur ipsa citra controversiam præsupponenda peculiari studio probemus, sit

§ I.

Præfertur, et ostenditur pars negativa.

onclu-io. . Tho. .edes. ugnus.

98. Dicendum est intentionem ministri non intrare ut quid intrinsecum ad componendum sacramenta. Ita D. Tho. in 4, dist. 30, q. 1, art. 1. ad 3. Petr. de Ledes. *de Matrimonio* q. 44, art. 3, concl. 3, in 1 confirm. Nugnus in præs. art. 6, difficult. 2 ad. 5. Cabrera ibi disp. 2. Arauxo dub. 3 ad 1. Prado dub. 15, § 2, et alii Thomistæ. Idem etiam docent Scotus in 4, dist 6, quæst. 5, in fine corp. Suarez disp. 6, sect. 2, in probatione 1, concl. Vazquez disp. 129, cap. 3, num. 39. Aversa quæst. 64, sect. 3, concl. 5. Dicastillo disp. 1 dubit. 19. Bonæspei disp. 1, dub. 6, et alii adeo communiter, ut Dicastillo nu. 340, dixerit : « Eandem veritatem videntur supponere « cæteri omnes, quos viderim, et nemo id « in quæstionem vocavit, unum si excipias « Lugonem. » Et num. 348, addit : « Mi- « rari licebit, aut exclamare, aut etiam « deplorare tantam in Ecclesia Dei, non « in Doctoribus modo, sed in ipsis etiam « Pastoribus, imo et Conciliis, et Pontifici- « bus fuisse vel ignorantiam, vel negligen- « tiam in tradenda doctrina, in qua tam « diminuti fuerunt, dum explicant partes « sacramentorum, ut tot partes tam essen- « tiales intrinsece componentes omiserint « nobis explicare, nempe intentionem con- « ferentis, etc. »

Araux Prad Scotu Suare Waze Avers Dica Bona

Quæd comm nis su positi

Prius autem, quam assertionem probemus, ne immoremur in non necessariis, supponendnm est, et Adversariis facile concedendum intentionem ministri, qua vult facere, quod Ecclesia facit, necessariam omnino esse ad sacramenti valorem. Id satis constat ex dictis dub. præced. et magis constabit ex dicendis disp. 7, dub. 2. Modo autem breviter ostenditur, tum ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi recenset tria essentialiter requisita ad valorem sacramenti, nempe materiam, et formam, *et personam ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Tum ex Concilio Tridentino sess.7, can.11, ubi dicitur : *Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Tum ex D. Thom. in 4, dist. 11, quæst. 2, art, 1, quæstiunc. 3, ubi ait : « In sacramentis est duplex intentio : « una quæ ordinatur ad perfectionem sa- « cramenti, et hæc est essentialis sacra- « mento : unde ea prætermissa, non est « sacramentum. » Tum denique ratione Theologica : quoniam actiones externæ vel abluendi, vel ungendi, et proferendi verba sunt ex se indifferentes ad esse vel mere naturales, vel etiam sacramentales : ergo ut determinentur ad esse sacramentales, quo modo, et non aliter sacramentum constituunt, necessaria est in ministro intentio, qua

Conci Flore tin.

Conc Tride tinui

D. Th

qua intendat illas exercere ut sacramentales, sive juxta institutionem Christi, atque intentione Ecclesiæ. Hoc supposito.

unda- entum sertio- is.

99. Probatur primo conclusio evertendo oppositum fundamentum : nam ideo intentio ministri pertineret ut quid intrinsecum ad constitutionem sacramenti, intraretque intrinsece hujus compositionem, quia essentialiter requiritur ad sacramentum : sed hæc ratio est nulla : ergo etc. Probatur minor : quoniam causa efficiens essentialiter requiritur ad effectum : et tamen causa efficiens non pertinet ad intrinsecam rationem effectus. Ut enim communiter docent Philosophi cum Aristotele 2, *Physic.* in hoc differunt causa efficiens, et finalis a causa materiali, et formali, quod efficiens, et finis sunt causæ extrinsecæ; materia autem, et forma sunt causæ intrinsecæ. Ergo ex eo, quod intentio ministri requiratur essentialiter ad sacramentum, minime sequitur talem intentionem esse quid intrinsecum sacramento, aut intrare intrinsece ejus constitutionem, et compositionem. Eo vel maxime, quod minister concurrens cum intentione sic comparatur ad sacramentum, sicut efficiens cum arte comparatur ad artefactum : licet autem ars requiratur ad artefactum, minime tamen intrat ejus compositionem, sed ab extrinseco se habet applicando, et dirigendo causas intrinsecas : ergo idem de intentione ministri dicendum est.

risto- el.

Confir- natio

Confirmatur : nam si intentio ministri intrat intrinsece sacramenti compositionem, quia ad sacramentum essentialiter requiritur ; sequitur plurima alia pertinere ad sacramenta ut quid intrinsecum, sive ut intrinsece constituens. Id autem concedere est plane absurdum. Ergo ex eo, quod intentio ministri requiratur essentialiter ad sacramentum, minime sequitur intentionem ministri esse aliquid sacramento intrinsecum, aut ipsum intrinsece constituere. Sequela videtur manifesta : quia plurima alia præter intentionem requiruntur essentialiter ad sacramentum. Absurditas autem consequentis ex immediate dicendis constabit, expendendo exempla sequentia. Nam in primis ut quis valide suscipiat sacramentum baptismi, essentialiter requiritur carentia prioris baptismi, sive quod prius non fuerit baptizatus : et tamen ridiculum foret dicere carentiam prioris baptismi esse aliquid intrinsecum baptismo, ipsumque intrinsece constituere. Præterea, ut Lugo docet disp. 8, sect. 1, secundum præsentem Dei institutionem esssentialiter requiritur ad valorem sacramenti, quod minister sit viator, ita quod absque statu viatoris sacramentum non consisteret : ergo si consequenter loquatur, debet asserere statum viatoris, et carentiam status comprehensoris pertinere intrinsece ad sacramenta, et intrare illorum compositionem : quod est plane absurdum. Insuper secundum præsentem institutionem pro sacramento Eucharistiæ essentialiter requiritur panis, qui convertatur in corpus Christi : quo non obstante nemo nisi stulte dicet panem, qui est terminus a quo, et destruitur, pertinere intrinsece ad Eucharistiæ sacramentum. Item baptismus essentialiter requiritur ad valorem aliorum sacramentorum : quippe non baptizatus nequit suscipere sacramenta Ordinis, Confirmationis etc. ergo si præmissus ille discursus aliquid valet sequitur baptismum esse aliquid intrinsecum aliis sacramentis, ita quod Confirmatio v. g. constituatur intrinsece ex sacramento baptismi : quo nihil absurdius diceretur. Denique ut ad rem præsentem proximius accedamus in pluribus sacramentis requiritur intentio suscipientis, ut patet in baptismo, et ordinatione adultorum : et tamen prædicta intentio non est aliquid intrinsecum sacramentis, nec illa intrinsece constituit, sed se habet prævie, ut valide suscipiantur.

100. Nec satisfacit, quod Lugo huic ultimo exemplo (plurima enim, quibus debuit urgeri, non expendit), respondet intentionem suscipientis comprehendi ut quid intrinsecum sub nomine materiæ, quam Concilia ad esse sacramentorum requirunt: nam baptismus v. g. adulti est actio, quæ exercetur circa subjectum humanum volens. Id, inquam, minime satisfacit, sed ducit in novas alias absurditates : nam sequitur corpus humanum animatum esse aliquid intrinsecum sacramento baptismi, et pertinere ad ejus intrinsecam constitutionem. Quod profecto falsum, et absurdum est dicere : sicut enim subjectum recipiens albedinem non est albedini intrinsecum, nec ad ejus constitutionem spectans ; sic etiam subjectum suscipiens integrum sacramentum, nequit ad sacramentum ut quid intrinsecum pertinere. Et quemadmodum licet ex subjecto, et albedine fiat album, tamen subjectum distinguitur ab albedine

Responsio Lugonis everti- tur.

distinctione adæquata : sic etiam licet ex subjecto, et sacramento fiat sacramentatum, utputa baptizatus, et confirmatus, nihilominus subjectum distinguitur adæquate a sacramento, et ejus intrinsecam constitutionem, et compositionem non intrat. Et plane si oppositus discurrendi modus verum evinceret; nihil fere posset ex parte suscipientis assignari, quod non pertineret intrinsece ad materiam propriam sacramentorum, nempe corpus, anima, vita, intellectus, voluntas, sine quibus non susciperetur sacramentum : et similiter nihil fere posset assignari ex parte ministrantis, quod non spectaret intrinsece ad sacramenti formam, et deberet inter intrinseca sacramenti computari, videlicet persona ministri, potestas, jurisdictio, agnitio, et similia, sine quibus nunquam sacramentum perficitur. Quid ergo singulare docuerunt Concilia, et Theologi, quando partes Sacramenti assignarunt materiam, et formam, sive res, et verba, ut ex dictis per totam hanc disp. liquido apparet? Plane nihil videntur dixisse, aut determinasse; cum tam varia, et tam innumera Juniores aliqui pro intrinseca sacramentorum compositione introducant.

Nota. Hæc vero cum satis absurda sint, manifestant eos allucinari, qui omne essentialiter desideratum confundunt cum componente, aut constituente intrinseco, et ab uno probant aliud : cum tamen primum illud longe pateat, quam hoc posterius, ut exempla producta demonstrant. Et plane omnes Philosophi recognoscunt dari aliqua essentialiter requisita per modum conditionis, quæ tamen minime intrant intrinsece constitutionem compositi, vel effectus. Quid namque in naturalibus intimius desideratur, quam indistantia, sive præsentia agentis ad passum? Et tamen nemo imaginatus est talem indistantiam, sive præsentiam esse partem, vel aliquid intrinsecum in effectu. Objecta etiam, et termini essentialiter requiruntur ad actiones, et relationes : quo tamen non obstante nemo nisi stulte dicet objecta, et terminos esse aliquid intrinsecum actionibus, et relationibus, vel quod ad illarum esse pertineant intrinsece. Idem etiam patet in his moralibus, quæ versamus : nam præsentia Parochi tam necessaria modo est ad valorem sacramenti matrimonii, ut sine illa minime consisteret : et tamen nec Parochus, nec ejus præsentia componunt intrinsece matrimonium. Leges etiam præscribere solent modos, aut solemnitates, quibus celebrantur testamenta, et contractus, ita ut si aliter fiant, valorem non sortiantur : et nihilominus illæ solemnitates, quæ ut plurimum afferunt assistentiam tabellionis, et testium, sunt meræ conditiones, et non constituunt intrinsece testamenta, vel contractus : alias dicemus testamentum componi intrinsece ex testatore, tabellione, et testibus ; quod est ridiculum. Stat igitur bene, quod aliquid essentialiter desideretur ad aliud ; et quod nihilominus non sit aliquid ejus, nec ipsum intrinsece constituat : atque ideo corruit principale motivum opinionis contrariæ.

101. Probatur secundo nostra conclusio discursu magis speciali, et procedente a priori : quia omne, quod intrat compositionem sacramenti et ad intrinsecam ejus constitutionem spectat, est vel materia, vel forma, vel unio : sed intentio ministri non est materia, nec forma, nec unio in sacramentis : ergo intentio ministri non intrat compositionem sacramenti, nec pertinet ad intrinsecam ejus constitutionem. Consequentia est evidens. Et major constat inductive in omnibus compositis tam substantialibus, quam accidentalibus : quidquid enim intrinsece in eis reperitur, et ad eorum intrinsecam constitutionem spectat, vel est materia vel forma, vel harum unio : sed sacramentum est quoddam compositum artificiale ex institutione Dei : ergo nihil intrinsecum in eo reperitur pertinens ad ejus constitutionem, quod non sit vel materia, vel forma, vel istarum unio. Minor autem probatur quoad omnes partes : nam in primis, materia sacramenti est determinabilis per verba tanquam per formam, et concipitur tanquam aliquid indifferens, ut ad hanc, vel illam significationem determinetur : sed intentio ministri non ita se habet; cum potius in suo genere, nempe causæ efficientis applicantis, et dirigentis determinet tam materiam, quam formam, sive res, et verba, ut satis constat ex dictis in hac disputatione : ergo intentio ministri non habet rationem materiæ in sacramentis.

Quod vero non sit forma, ostenditur, tum quia forma per se loquendo supponit materiam, quam determinat ad peculiarem significationem : sed intentio ministri non supponit

supponit per se loquendo materiam; quin potius per se loquendo supponitur ad materiam; siquidem ex intentione ministri oritur, quod hæc potius, quam illa materia adhibeatur juxta Christi institutionem: ergo intentio ministri in sacramentis rationem formæ non habet. Tum etiam quia forma determinat solam materiam sui compartem, et ita verba determinant res: atqui intentio ministri determinat in suo genere non solum materiam, aut res, sed etiam formam, seu verba: quippe manifestum est determinatas res, et verba ex intentione ministri ita præordinantis, et applicantis adhiberi: ergo prædicta intentio non gerit officium formæ. Nec proderit recursus ad formam totalem: quia hæc consistit in significatione sacramentali; et manifestum est intentionem non esse significationem, aut significationis partem.

Denique quod intentio non sit unio, probatur primo: quia cum unio sit vinculum extremorum, non præsupponitur ad extrema, sed ea potius essentialiter præsupponit: atqui intentio ministri snpponitur ad materiam, et formam sacramenti: ergo non est formalis earum unio. Secundo: quia extrema extrinseca nequeunt formaliter uniri per actum internum, et immanentem: sed materia, et forma sacramentorum sunt extrema externa: intentio vero ministri est actus interior in ipso manens: ergo talis intentio nequit prædicta extrema formaliter unire.

[U]ltimum [arg]umento con[c]lusio[n]e mo[t]ivum.

102. Tertio, et ultimo probatur conclusio argumento ad hominem: quia intentio ministri non est pars, nec aliud quid intrans intrinsece ad sacramentum Eucharistiæ constituendum: ergo idem de prædicta intentione in ordine ad reliqua sacramenta dicendum est. Antecedens concedit Lugo in tract. *de Eucharistia*, disp. 1, sect. 5. Consequentia autem probatur tum a paritate. Tum ex eo, quod juxta Lugonis sententiam ideo ministri intentio pertinet ut pars intrinseca ad sacramentorum aliorum constitutionem, quia requiritur essentialiter ad illorum esse; et cætera alia sine intententione ministri non constituerent sacramentum: sed etiam ministri intentio essentialiter requiritur ad constituendum sacramentum Eucharistiæ, et hujusmodi sacramentum absque tali intentione minime consisteret: ergo si hoc non obstante intentio ministri nec est pars, nec aliquid intrinsecum respectu sacramenti Eucharistiæ, corruit præmissum fundamentum, et idem in ordine ad reliqua sacramenta dici debet. Vanus autem erit recursus ad differentiam inter Eucharistiam, quæ est sacramentum permanens, et reliqua sacramenta consistentia in usu: quoniam hæc differentia est impertinens respectu propositi fundamenti, et sub eadem impugnatione comprehenditur. Nam ideo intentio ministri esset pars, vel quid intrinsecum pertinens ad constitutionem sacramentorum consistentium in usu, quia ad illa essentialiter requiritur, et quia sine tali intentione prædicta sacramenta non consisterent: atqui eadem ratio militat in permanenti Eucharistiæ sacramento: quippe ad quod requiritur essentialiter ministri intentio, et quod minime consisteret sine tali intentione: ergo si in aliis sacramentis intrat intentio ut quid intrinsecum, intrabit etiam in sacramento Eucharistiæ; vel si ad istud non pertinet intrinsece, nec pertinebit ad alia. Atque ideo varians in hac parte Theologia non sine inconsequentia procedit.

Lugonis responsio.

103. Respondet Lugo hoc argumentum solum probare, quod intentio ministri sit generaliter quoddam essentiale requisitum in omnibus sacramentis. Sed tamen respectu Eucharistiæ est requisitum extrinsecum, et connotatum: respectu vero cæterorum sacramentorum est requisitum intrinsecum. Et assignat rationem differentiæ, quod sacramentum Eucharistiæ consistit in speciebus consecratis, et corpore, et sanguine Christi sub eis contentis: et licet necessaria fuerit intentio Sacerdotis, ut daretur tale complexum; nihilominus si tale complexum daretur, sublatis quibusvis aliis, significaret, atque causaret gratiam; atque ideo foret, et modo est integrum sacramentum, connotando præcise intentionem Sacerdotis. Id vero non ita procedit in cæteris sacramentis: quia possunt in eis concurrere omnia alia præter intentionem ministri; qua tamen deficiente, aut non concurrente, sacramenta non salvantur. Quod signum est prædictam intentionem non esse requisitum extrinsecum, sed pertinere ut partem, aut quid intrinsecum ad sacramenta.

Evertitur.

Sed hæc responsio est voluntaria, et destituitur solido fundamento: quoniam cum Lugo affirmat, quod si daretur complexum

ex speciebus, et corpore Christi, salvaretur sacramentum Eucharistiæ circumscriptis cæteris aliis; e contra vero, quod licet daretur materia, et forma aliorum sacramentorum, seclusa tamen intentione ministri, non salvarentur essentialiter talia sacramenta : cum sic, inquam, respondet, vel loquitur per respectum ad aliam providentiam, aut institutionem, quæ posset esse; vel loquitur per ordinem ad providentiam, aut institutionem, quæ nunc est? Si loquamur in priori sensu, plane concedemus posse Eucharistiæ sacramentum salvari independenter ab intentione ministri non solum sicut a componente intrinseco (quod ipse tanquam singulare, quid asserit), sed etiam tanquam ab extrinseco requisito : quippe minime implicat Eucharistiam a solo Deo institui, atque perfici omnino independenter ab intentione ministri. Cæterum id ipsum dici potest, et debet de cæteris sacramentis : siquidem manifestum est posse Deum absolute ex vi alterius providentiæ disponere, quod significarent, et agerent independenter a ministro, aut contra ministri intentionem. In hac igitur consideratione nulla assignatur disparitas. Si autem Lugo loquatur in secundo sensu; profecto verum est, quod cætera ab Eucharistia sacramenta, concurrentibus aliis, et deficiente intentione ministri, non essent sacramenta : quia Deus de facto disposuit, quod et in significando, et in causando haberent dependentiam ab intentione ministri. Verum hoc ipsum procedit etiam in sacramento Eucharistiæ : deficiente namque ministri intentione nec significaret, nec causaret, ut modo causat, nec esset idem sacramentum, quod modo est. Nam species sacramentales causant, et sunt sacramentum, quatenus sacramentaliter significant corpus Christi sub eis contentum : hanc autem significationem non habent species ex se ipsis, sed ut consecratæ, et determinatæ per verba formæ. Porro hujusmodi verba, ut talia sint, non debent proferri a quocumque; sed a Sacerdote, nec sub quacumque intentione; sed ex intentione perficiendi, quod Christus instituit, et Ecclesia facit. In ista ergo consideratione tam Eucharistiæ sacramentum dependet ab intentione ministri, quam dependent cætera sacramenta. Unde liquet, sive attendamus ad præsentem providentiam, sive ad aliam non repugnantem, vanam esse disparitatem assignatam a Lugone.

Confirmatur : quia si discursus hujus Auctoris aliquid probaret, eodem modo suaderet verba consecrationis non esse formam, nec partem intrinsecam sacramenti Eucharistiæ : quod tamen ipse non admittit. Sequela ostenditur : nam probat intentionem ministri non esse partem, aut quid intrinsecum respectu Eucharistiæ, quia si darentur species continentes corpus Christi, salvaretur sacramentum, etiam exclusa ministri intentione. Hic autem discursus etiam probat in verbis : quia si darentur species continentes corpus Christi, salvaretur sacramentum, exclusis ministri verbis. Ergo vel ille discursus nihil valet, vel probat tam ministri intentionem, quam verba esse non partem sacramenti, sed requisitum extrinsecum. Maj... ever...

104. Respondet ille Auctor disparitatem inter ministri verba, et intentionem esse in ordine ad sacramentum Eucharistiæ, quod verba intrant partialiter ad constituendum sacramentum, quia concurrunt partialiter ad significationem sacramentalem : corpus enim Christi non est ibi sensibile per se, nec species significant sacramentaliter nisi determinatæ per verba consecrationis : quare fateri oportet, quod verba intrant intrinsece compositionem illius sacramenti. Id vero dici non valet de intentione ministri : quia illa nec partialiter pertinet ad constitutionem sacramenti hujusmodi : quippe nec ipsa intentio est sensibilis per se, sed solum per verba. Ejus Auct... evas...

In hac tamen responsione consequentia Auctoris desiderari videtur : quoniam sicut intentio ministri non est per se sensibilis in sacramento Eucharistiæ, ita nec est per se sensibilis in cæteris sacramentis : sed quia non est per se sensibilis in sacramento Eucharistiæ, affirmat Lugo non esse partem, aut quid intrinsecum hujus sacramenti : ergo quia non est per se sensibilis in sacramentis aliis, non erit pars, vel quid intrinsecum cæterorum sacramentorum. Ergo qui unum admittit, et aliud negat, minus consequenter procedit. *Præterea* corpus Christi sub speciebus contentum non est ibidem per se sensibile, sed sensibile per aliud, nempe per species consecratas : et tamen in opinione Lugonis corpus Christi ibi contentum pertinet intrinsece ad sacramentum Eucharistiæ : Præc... ditu...

ergo

ergo ex eo, quod intentio ministri non sit sensibilis per se, sed per verba, nequit ille colligere (nisi inconsequenter agendo), quod intentio ministri non pertineat intrinsece ad Eucharistiæ sacramentum. Deinde ut aliquid sit pars intrinseca sacramenti, non requiritur, quod sit sensibile per se, sed sufficit, quod sit sensibile per aliud, ut patet in dolore de peccatis, quem certum est et non esse sensibile per se, et esse vere partem sacramenti pœnitentiæ (sic enim docet communior sententia) : ergo ex eo, quod ministri intentio non sit per se sensibilis, minime excludi debet a ratione partis respectu sacramenti Eucharistiæ, sicut Auctor ille ipsam non excludit a ratione partis respectu aliorum sacramentorum. Quare instauratur nostrum fundamentum : quia nulla est ratio, ob quam intentio ministri sit pars intrinseca pertinens ad constitutionem aliorum sacramentorum, et non sit pars intrinseca pertinens ad sacramentum Eucharistiæ : sed non est pars intrinseca ad Eucharistiam pertinens, ut Lugo concedit : ergo non est pars intrinseca pertinens ad alia sacramenta. Minor, et consequentia patent. Et major constat ex dictis : ostendimus enim Eucharistiam sicut alia sacramenta dependere ab intentione ministri; et disparitates, quæ assignantur, non subsistere, nec referre.

§ II.

Convelluntur motiva adversæ opinionis.

Lugo. Arriaga. Bernal. 105. Oppositam nobis sententiam defendunt Lugo disp. 2, *de Sacram.* sect. 7. Arriaga apud Bonæspei loco cit. num. 64, et Bernal disp. 3, sect. 6. Nec alios vidimus, quos referamus. Dissident tamen relati Auctores inter se : nam Lugo, et Arriaga docent intentionem ministri esse partem intrinsecam sacramentorum. Bernal autem negat esse partem intrinsecam, sed affirmat esse intrinsecam partium unionem, et in hoc sensu quid intrinsecum sacramentis.

Primum argumentum. Omnes tamen a suis assertionibus Eucharistiam excipiunt. Pro qua opinione arguitur primo ratione, quam Lugo vocat a priori : nam minister in sacramentis novæ legis operatur nomine Christi; ut delegatus ab ipso : sed ad id requiritur intentio in operante : ergo intentio est aliquid intrinsecum operationi ministri : atque ideo et sacramentis. Major constat ex Apostolo 1, ad Corinth. 4 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Minor etiam patet : quia ut quis operetur nomine alterius, et tanquam delegatus ipsius, opus habet potestate, et authoritate ab illo accepta : ad id vero necessaria est intentio acceptandi ministerium, et operandi nomine alterius. Confirmatur, et declaratur : nam actio ministri eatenus habet efficaciam, quatenus moraliter est actio Christi : sed ab intentione operandi nomine Christi habet, quod sit moraliter actio Christi : ergo a prædicta intentione habet efficaciam, et esse operationem sacramentalem. 1 ad Corinth. 4. Confirmatio.

Dissolvuntur Respondetur hoc argumentum cum sua confirmatione solum probare intentionem ministri essentialiter requiri ad conficiendum sacramenta, et ut operatio denominetur sacramentalis. Quod plane cum omnibus concedimus, ut patet ex præsuppositis num. 98. Sed ex eo, quod aliquid requiratur essentialiter ad sacramentum, minime sequitur esse partem, aut quid intrinsecum sacramento : latius namque patet primum illud, quam hoc posterius, ut productis exemplis ostendimus num. 99. Unde argumentum probat, quod concedimus : sed non probat, quod negamus. Quare alia responsione non eget. Potest autem ejus debilitas magis demonstrari : quia eo ipso, quod intentio ministri requiratur essentialiter ad sacramenta; pariter requiruntur intellectus, ac voluntas, quin et anima ministri, sine quibus ea intentio haberi, aut formari non valet : et tamen ex hac essentiali indigentia, atque exigentia non sequitur animam, et potentias ministri esse partes intrinsecas sacramenti : ergo non amplius probat argumentum circa intentionem ministri. Et si Lugo respondeat animam, et potentias ad sacramenta requiri non quidem *formaliter*, aut *constitutive*, sed solum *præsuppositive* : idem de intentione totidem verbis respondebimus : quia licet talis intentio requiratur essentialiter ad sacramenta præsuppositive; non tamen formaliter, aut constitutive : dirigit enim, ut sacramenta fiant, sed nihilominus illa non intrat intrinsece, nec formaliter constituit. Et argumentum nihil affert, quo oppositum probetur.

Secundum argumentum. 106. Arguitur secundo : quoniam illud est intrinsecum alicui composito, quo abla-

to, et remanentibus omnibus aliis, non manet compositum : sed positis v. g. materia, et forma, et aliis pertinentibus ad sacramentum baptismi, si non concurrat intentio ministri, non datur baptismi sacramentum : ergo talis intentio est sacramento intrinseca. Minor est certa. Et major cum consequentia probatur : quia si aliquid non sit alicui intrinsecum, licet auferatur, manent omnia intrinseca, atque ideo et compositum, vel sacramentum : ergo si eo ablato, et remanentibus aliis, non remanet compositum, vel sacramentum, manifeste sequitur tale illud esse composito, aut sacramento quid intrinsecum.

uitur. Huic argumento respondetur in primis regerendo ipsum, et aliis requisitis applicando; unde constat, quam fallax sit, et nihil concludat. Nam sub eadem forma potest ita proponi : illud est intrinsecum alicui composito, quo ablato, et manentibus aliis, non manet compositum : sed positis materia, et forma baptismi, et aliis requisitis, si non concurrat carentia prioris baptismi in eodem subjecto, et si non adsit status viatoris in ministro, non conficitur baptismi sacramentum : ergo carentia præcedentis baptismi, et status viatoris in baptizante sunt aliquid intrinsecum in sacramento baptismi. Patet consequentia : quia si illa carentia, et hic status non essent quid intrinsecum ; adhuc illis ablatis, omnia intrinseca permanerent, et consequenter totum compositum, sive sacramentum : si ergo non manet, signum est talem carentiam prioris baptismi, et talem statum viatoris in baptizante esse partem intrinsecam in sacramento baptismi. Idem etiam argumentum et cum eadem forma potest applicari sacramento matrimonii : nam illud est huic sacramento intrinsecum, quo ablato, licet alia concurrant, non datur tale sacramentum : sed quamvis adsint contrahentium consensus, et alia requisita, si tamen desit assistentia Parochi, et testium, non perficitur sacramentum matrimonii : ergo prædicta assistentia est pars intrinseca talis sacramenti. Si enim pars intrinseca non esset, quamvis illa non concurreret, adhuc tamen sacramentum perseveraret. Ecce eandem structuram argumenti probantis carentiam præcedentis baptismi, et statum viatoris in ministro esse partem intrinsecam baptismi, et similiter præsentiam Parochi, et testium esse partem intrinsecam matrimonii. Et tamen hæc, quæ colliguntur, sunt manifeste falsa. Ergo prædictum argumentum nec est efficax, nec verum concludit. Ratio autem generalis tam in præsenti materia, quam in exemplis allatis, et aliis, quæ num. 99 expendimus, est : quoniam ad fieri, et esse sacramenti, sicut aliorum compositorum concurrunt non solum partes intrinsecæ, sed etiam alia extrinseca requisita, sive sint principia, sive conditiones, sive termini, aut connotata. Quare sacramentum, sicut et alia composita, potest impediri, aut deficere non solum ob defectum partium intrinsecarum, sed etiam ob carentiam aliorum requisitorum, aut conditionum, ut patet in exemplis propositis. Et ideo ex eo, quod aliis concurrentibus, et uno aliquo deficiente, impediatur sacramentum ; minime sequitur hoc unum esse intrinsecam sacramenti partem : potest enim esse conditio essentialis, aut quid simile, quamvis pars non sit. Juxta quam doctrinam, major argumenti, « Illud est intrinsecum alicui composito, « quo ablato, et remanentibus omnibus « aliis, non manet compositum, » falsa est et negari debet.

Respondetur secundo eidem argumento negando minorem, et suppositum illius, quia complicatoria est : supponit namque posse concurrere materiam, et formam sacramenti absque intentione ministri : quod implicat supposita præsenti Christi institutione. Et ratio est : quia licet in baptismo v. g. possit dari ablutio, et prolatio verborum secundum esse physicum absque ministri intentione : nihilominus ex institutione Christi non perficiunt sacramentum per solum suum esse physicum, sed quatenus habent significationem sacramentalem. Hujusmodi autem ultimum esse non habent nisi per subordinationem ad intentionem ministri volentis facere, quod Christus instituit, et Ecclesia facit. Quocirca implicatorium est juxta Christi institutionem dari materiam, et formam sacramenti baptismi in esse talium, et non adesse ministri intentionem. Quare præmissa conditionalis non debet admitti : et ea non admissa, nihil valet argumentum. Alia responsio

107. Arguitur tertio : quia in matrimonio intentio contrahentium est pars intrinseca sacramenti : ergo idem de intentione ministri in aliis sacramentis dicendum est. Probatur consequentia tum a paritate : quia Tertium argumentum

quia sicut in aliis sacramentis assignantur alii ministri, sic etiam in matrimonio ratio ministri competit ipsis contrahentibus : ergo si horum intentio est pars intrinseca in matrimonio, pariter in aliis sacramentis intentio ministri erit pars intrinseca illorum. Tum quia aliquid esse partem intrinsecam sacramenti dependet ex institutione Christi : sicut autem Christus voluit intentionem contrahentium esse partem intrinsecam sacramenti matrimonii, ita etiam potuit velle, quod intentio ministri esset pars intrinseca in aliis sacramentis. Antecedens autem suadetur : quia sacramentum matrimonii est pro materiali quidam contractus : sed nihil est magis intrinsecum contractui, quam intentio, sive consensus, et voluntas contrahentium : unde contractus diffiniri solet, *Duorum, vel plurium in idem placitum, et consensus :* ergo intentio contrahentium est pars intrinseca sacramenti matrimonii. Idem argumentum extendi valet ad sacramentum Ordinis : quia sicut in conjuge requiritur intentio, sive consensus, ut det alteri conjugi potestatem supra suum corpus : ita in Episcopo requiritur intentio, sive consensus, ut det potestatem ordinis : ergo sicut sacramentum matrimonii includit ut aliquid intrinsecum intentionem contrahentium, sic etiam sacramentum Ordinis includit tanquam aliquid intrinsecum intionem Episcopi.

Confirmatio. Confirmatur præoccupando, et evertendo tacitam responsionem : quia si non obstante, quod intentio ministri sit essentialiter necessaria in sacramentis, affirmamus non esse intrinsecam sacramentorum partem, sed solum requisitum extrinsecum per modum directionis, aut conditionis, ut num. 99 dicebamus : pari licentia dicere poterimus dolorem internum esse essentialiter necessarium in sacramento pœnitentiæ; non quidem ut partem intrinsecam talis sacramenti, sed solum per modum conditionis, aut extrinseci requisiti, vel complementi: hoc autem est aperte falsum : ergo dicere non debemus, quod in sacramentis requiritur essentialiter intentio ministri, non per modum partis intrinsecæ, sed per modum directionis, et conditionis extrinsecæ.

Solutio argumenti ex Dicast. Ad argumentum respondet Dicastillo disp. cit. num. 354, negando antecedens : quia licet intentio, sive consensus contrahentium sit pars intrinseca matrimonii, ut est contractus ; non tamen ut est sacramentum : quamvis enim modo in matrimonio fidelium duæ illæ rationes concurrant, nihilominus sunt distinctæ, et separabiles : et potest dari in conjugibus intentio celebrandi matrimonium, ut contractum, quin detur intentio celebrandi matrimonium, ut est sacramentum, sicut Vazquez, Basilius Legionensis, et plures alii opinantur. Ad antecedentis autem probationem respondet solum evincere (et quidem ita est, ut consideranti constabit), intentionem, sive consensum contrahentium esse partem intrinsecam matrimonii, ut contractus quidam est. Sed probandum restat, quod sit pars intrinseca matrimonii, ut est sacramentum. Quod haud facile ostendent Adversarii : nam dici poterit requiri in conjugibus aliam secundam intentionem, quæ respiciat matrimonium ut sacramentum per modum objecti voliti : et quæ consequenter non sit pars prædicti objecti, sed affectio in ipsum. Cui responsioni favet D. Thom. in 4, distinct. 26, quæst. 2, art. 1 ad 5, et distinct. 27, quæst. 1, artic. 2, quæstiunc. 1. Sed quia hoc loco nec vacat, nec expedit principia præmissæ responsionis examinare ; respondetur secundo, et melius concedendo antecedens, et negando consequentiam ; sicut enim ex eo, quod in matrimonio consensus contrahentium, et in pœnitentia actus pœnitentis sint elevati ad rationem sacramenti, non licet colligere, quod in aliis sacramentis actus illa suscipientium habeant similem elevationem, et sint sacramentorum partes : sic ex eo, quod in matrimonio consensus, aut intentio celebrantium sit pars intrinseca talis sacramenti, minime potest inferri, quod in aliis sacramentis intentio ministri sit intrinseca illorum pars. Et motiva disparitatis jam supra assignata sunt. Unde patet ad primam consequentiæ probationem : nam quod intentio conjugum sit pars intrinseca sacramenti matrimonii, non provenit ex generali ratione, quod ministri sunt; sed ex speciali, quod ministrant per modum celebrantium contractum, cui intrinseca est voluntas contrahentium. Hoc vero motivum nec apparentiam habet in aliis sacramentis. Minoris autem momenti est secunda probatio : quia cum ista versamus, considerare debemus, non quid Deus potuerit absolute facere, sed quid de facto ins-

(Marginalia: D. Thom. — Melior responsio.)

tituerit. De facto autem non instituit, quod intentio ministri sit pars intrinseca in sacramentis, ut constat ex supra dictis, et magis adhuc ex communi Doctorum consensu.

ta cir- sacra- ntum dinis.

108. Extensio autem illa ad sacramentum Ordinis, quæ ut appendix argumenti repræsentatur, minime est admittenda : quippe quæ fundamento caret, quod in matrimonio occurrit. Nam in primis sacramentum Ordinis nullum contractum vel formaliter, vel præsuppositive importat in propria essentia. Si namque contractus essentialiter esset, non valeret collatio ex parte Episcopi sine acceptatione ex parte ordinati. Quod falsum esse apparet in infantibus, qui juxta communem sententiam possunt valide suscipere sacramentum Ordinis : et tamen ob rationis defectum non sunt capaces acceptandi potestatem, sicut nec celebrandi alium contractum. Cum igitur sacramentum matrimonii includat ut sui partem intentionem, sive consensum contrahentium, eo quod essentialiter (saltem pro materiali) contractus est ; et hæc ratio minime occurrat in Ordinis sacramento ; ab illo exemplo colligi non debet, quod intentio ministri, sive Episcopi sit intrinseca illius sacramenti pars : sed magis infertur oppositum. Deinde potestas Ordinis, quæ indispensabiliter ordinato confertur, non est sacramentum, sed effectus sacramenti, quod Ordo dicitur : sicut enim alia sacramenta communicant alios effectus sibi proportionatos, ita sacramentum Ordinis causat hujusmodi potestatem. Atque ideo Episcopus non aliter dat potestatem hanc, nisi quatenus est minister conficiens, et communicans Ordinis sacramentum. Id vero non aliter præstat, quam applicando materiam, et formam cum intentione faciendi, quod Christus instituit, et Ecclesia facit. Quare sicut in aliis sacramentis intentio ministri non est intrinseca illorum pars, sed se habet per modum principii extrinseci dirigentis, et applicantis : sic etiam se habet in sacramento Ordinis, et fundamentum non occurrit, ut illud a communi regula quantum ad hoc excipiamus.

Diluitur confirmatio.

Ad confirmationem negamus sequelam : quia nos non pro libito affirmamus intentionem ministri essentialiter requiri in sacramentis, et tamen non esse intrinsecam illorum partem : sed ad id ducimur tum communi Doctorum consensu, tum motivis, quæ expendimus § præcedenti, et præcipue num. 101. Cæterum tantum abest, quod habeamus fundamentum ad asserendum dolorem internum non esse partem intrinsecam sacramenti Pœnitentiæ ; ut potius habeamus contrarium motivum fundatum in doctrina Conciliorum, et Patrum asserentium sacramentum Pœnitentiæ constare dolore pœnitentis, sicut et confessione. Et ratio potissima hujus differentiæ desumitur ex voluntate Christi instituentis, quæ nobis revelatur in Ecclesiæ doctrina. Quare sicut ex eo, quod actus, quibus homines se præparant ad suscipiendum alia sacramenta, v. g. Baptismum, Confirmationem, et Eucharistiam, non sunt partes horum sacramentorum, sed dispositiones ad illa ; non licet colligere, quod dolor in sacramento Pœnitentiæ sit mera dispositio et non sacramenti pars : ita ex eo, quod intentio ministri non sit pars intrinseca sacramentorum; minime potest inferri (et ne apparenter quidem), quod pœnitentis dolor non sit pars intrinseca, et esssentialis sacramenti Pœnitentiæ. Videatur D. Thom. infra q. 84, art. 1 ad 1, et in 4, dist. 14, q. 1, art. 1, quæstiunc. 1 ad 1, ubi radicem differentiæ quantum ad hoc inter alia sacramenta et Pœnitentiam assignat. De quo suo loco dicemus. D. Thom.

109. Arguitur quarto : quia intentio ministri est intrinseca sacramentis saltem per modum unionis : ergo minus recte negamus intentionem ministri esse aliquid intrinsecum sacramentis. Probatur antecedens : quoniam materia, et forma, sive res, et verba, nequeunt constituere, et componere sacramentum, nisi uniantur aliquo nexu intrinseco saltem moraliter, sicut in omnibus partibus constituentibus alia composita proportionabiliter contingit. Atqui non est assignabilis alius nexus, quo materia, et forma sacramentorum uniantur, nisi intentio ministri : quandiu enim ille non intendit illa extrema uniri, non manent unita ; et e contra eo ipso, quod intendat illa unire proferendo verba supra debitam materiam, uniuntur. Ergo intentio ministri est intrinseca sacramentis saltem per modum unionis. Quartum argumentum.

Respondetur negando antecedens : quia unio inter partes sacramenti se tenet ex parte effectus, seu sacramenti; intentio autem ministri se tenet ex parte principii efficientis, aut dirigentis. Ad antecedentis autem probationem dicendum est, quod ex Diluitur.

mera

mera æquivocatione procedit, non distinguendo inter actionem unitivam, quæ dicitur *unitio*, et inter passivum extremorum nexum, qui dicitur *unio*. Admittimus itaque materiam, et formam sacramentorum non uniri ad constituendum unum sacramentum, nisi minister intendat unire. Sed inde non sequitur talem intentionem esse passivam, et formalem unionem extremorum ; sed solum, quod sit unitio extrinseca, et effectiva. Sicut in naturalibus materia, et forma non uniuntur ad constituendum compositum, nisi agens uniat : et tamen actio agentis non unit formaliter, et intrinsece ; sed unit ab extrinseco, et effective. Porro ut minister sacramenti uniat ejus materiam, et formam, non eget alia intentione, aut nova actione : sed eo ipso, quod applicet materiam, et formam ex intentione faciendi, quod fecit Christus, uniuntur moraliter prædictæ partes, et constituunt sacramentum. Pro quo non egent alia unione, quam ordinis, ita ut comparentur per modum determinabilis, et determinantis, ut supra explicuimus num. 18.

QUÆSTIO LXI

De necessitate sacramentorum in quatuor articulos divisa.

Deinde considerandum est de necessitate sacramentorum Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo, etc.

ARTICULUS I

Utrum sacramenta sint necessaria ad humananam salutem?

Ad primum sic proceditur Videtur quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem. Dicit enim Apost. 1, ad Timoth. 4 : Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Sed usus sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem : eo quod sacramenta perficiuntur in significatione sensibilium rerum, et verborum, ut dictum est. Ergo sacramenta non sunt necessaria ad humanam salutem.

Præterea 2, ad Corinth. 12, Apostolo dicitur, sufficit tibi gratia mea. Non autem sufficeret si sacramenta essent necessaria ad salutem. Non sunt ergo sacramenta saluti humanæ necessaria.

Præterea, posita causa sufficienti nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis. Dicit enim Apost. ad Roman. 5, si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non ergo requiruntur sacramenta ad salutem humanam.

Sed contra est, quod August. dicit libro decimonono contra Faustum : In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines possent, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligerentur. Sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum veræ religionis nomen. Ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

Respondeo dicendum, quod sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem, triplici ratione. Quarum prima sumenda est ex conditione humanæ naturæ : cujus proprium est, ut per corporalia, et sensibilia, in spiritualia, et intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divinam providentiam ut unicuique rei provideat secundum modum suæ conditionis. Et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, et sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quædam corporalia signa, homini spiritualem medicinam adhiberet : nam si spiritualia nuda ei proponerentur, ejus animus applicari non posset, corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanæ, quæ præcipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per sacramentorum institutionem, homo convenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia : humilitatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur : præservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum.

Ad primum ergo dicendum, quod corporalis exercitatio, in quantum est corporalis, non multum utilis est. Sed exercitatio per usum sacramentorum, non est pure corporalis, sed quodammodo est spiritualis, scilicet per significationem, et causalitatem

Ad secundum dicendum, quod gratia Dei est sufficiens causa humanæ salutis. Sed Deus dat hominibus gratiam secundum modum eis convenientem ; et ideo necessaria sunt hominibus sacramenta ad gratiam consequendam.

Ad tertium dicendum, quod passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis Nec propter hoc sequitur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem : quia operantur in virtute passionis Christi, et passio Christi quodammodo applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Roman. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.

Conclusio est affirmativa.

COMMENTARIUS.

1. Statuit quidem Philosophus 1 Poster. prius de quacumque re inquirendum esse, an sit, quam quid sit : et ita per se loquendo observari debet. Sed quia vix, aut nullo modo existentia sacramenti ostendi valet, nisi prius explicetur, quid nomine sacramenti intelligatur ; et rursus hujus nominis significatio ita essentiæ sacramenti respondet, ut hujus cognitione non præmissa, minime queat determinari : propterea D. Thomas hac necessitate obligatus curavit in quæstione præcedenti exponere sacramenti essentiam. Qua difficultate superata, progreditur in præsenti quæstione ad demonstrandum existentiam sacramenti. Principium autem, ex quo procedit, est necessitas, quam sacramentorum habemus ; quia Deus non deficit in necessariis, sed ea large providet, et dispensat. Quare S. Doct. quæstionem hanc orditur a primo articulo investigans : « Utrum sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem. »

o D. ...mæ.

Et priusquam ad exponendum D. Thomæ resolutionem veniamus, nonnullæ difficultates circa intelligentiam ipsiusmet tituli occurrunt. Nam in primis cum inquiritur de sacramentis, an sint pro nostra salute necessaria, idem videtur esse, ac inquirere, utrum sint media ad salutem. Id autem non potuit D. Thom. in dubium revocare absque aliqua inconsequentia : nam quæst. præcedenti statuerat sacramentum essentialiter sumptum non constitui in genere causæ, sed in genere signi, ut ex mente ipsius ostendimus disp. 1, dub. 1. Quod autem non est causa, nequit esse medium ad salutem. Ergo superata priori illa difficultate, supervacaneum apparet excitare istam secundam. Præterea necessarium multipliciter dicitur, et contingit : nam aliud est necessarium absolute, ut Deum esse ; aliud vero in ordine ad finem, ut medicina ad salutem : aliud necessarium simpliciter in ordine ad finem, sicut alæ ad volandum ; aliud autem ad melius esse, sicut currus ad peragendum iter. Debuit ergo D. Thomas prius determinare conditionem necessitatis, quam titulus proponit; et ea non præmissa obscure procedit. Denique cum indigentia hominis sit valde diversa secundum differentes status, in quibus constitui, vel esse apprehenditur, utputa naturæ puræ, naturæ integræ, et naturæ lapsæ ; oportebat prius exponere, an omnes hi status in difficultate proposita comprehendantur, an vero aliquis determinatus, et quis eorum. Certum namque est sacramenta non esse æqualiter pro his statibus homini necessaria, ut evidenter constat ex doctrina D. Thom. in art. sequenti.

...ectio- con- ordi- , et olu- nem hom.

2. Hæc tamen, quæ ad perfectiorem intelligentiam S. Doctoris oportuit opponere, arduum non est superare. Nam ad primum respondetur, quod esse medium necessarium ad salutem latius patet, quam esse causam salutis : potest enim aliquid ad salutem desiderari, quamvis ex suo conceptu essentiali non influat in salutem per modum causæ. Quare licet sacramenta ex sua essentiali ratione non constituantur in genere causæ, sed signi ; dubitari tamen potest, utrum Deus statuerit salvare homines mediantibus sacramentis tanquam signis, et protestationibus, ita quod usus horum signorum (quidquid sit de eorum influxu), sit hominibus ad salutem necessarius. Quare D. Thomas potuit absque inconsequentiæ vitio dubium præsens proponere, quamvis supponat sacramenta ex suo genere causas non esse, sed signa. Occurritur primæ.

Ad secundum dicendum est D. Thomam opus non habuisse omnes illos necessitatis modos præmittere : quia juxta subjectam materiam manifestum erat sacramenta necessaria non esse absolute, sed solum in ordine ad finem salutis humanæ : quia sicut Deus potuit non decernere hominum salutem, sic etiam potuit non decernere sacramenta. Rursus manifestum erat sacramenta non esse necessaria simpliciter in ordine ad finem humanæ salutis : quia sicut Deus potuit hominem salvare independenter ab aliis mediis, quibus de facto usus fuit, utputa a Redemptore, et a passione Redemptoris ; sic etiam potuit simpliciter salvare hominem independenter a sacramentis, et quamvis illa non essent. Quare supposita evidentia carentiæ utriusque necessitatis tam absolute, quam simpliciter in ordine ad finem salutis, opus non habuit D. Thom. hæc discutere : sed difficultatem unice direxit ad investigandum, utrum sacramenta sint necessaria ad melius esse pro fine salutis humanæ : et in hoc sensu procedit ejus discursus, et resolutio, ut magis se explicuit S. Doctor in 4, dist. 1. Satisfit secunda... D.Tom...

4, dist. 1, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1, his verbis : « Sacramenta non erant necessaria necessitate absoluta, sicut necessarium est Deum esse, cum ex sola divina « bonitate instituta sint : sed necessitate, « quæ est ex suppositione finis. Non ita « tamen, quod sine his Deus hominem sa- « nare non posset : quia sacramentis vir- « tutem suam non alligavit : sicut cibus « necessarius est ad vitam humanam. Sed « quia per sacramenta magis congrue fit « hominis reparatio : sicut equus dicitur « necessarius ad iter, quia in equo facilius « homo vadit. » Ex quibus perspicue liquet, in quo sensu procedat hæc difficultas, et accipienda sit ejus resolutio.

Varii dicendi modi tertiam circa objectionem. 3. Majus negotium facessere solet tertius scrupulus, qui non eodem modo componitur. Nam Vazquez in Comment. hujus art. censet D. Thomam loqui determinate de hominis statu post peccatum. Quod sibi persuadet : tum quia S. Doctor in quadam articuli ratione pro causa necessitatis sacramentorum assignat peccatum. Tum quia in art. 2, inquirit : « Utrum etiam ante « peccatum fuerint homini necessaria sa- « cramenta : » nam illa particula *etiam* satis manifestat, quod in priori articulo dictum fuerat de homine post peccatum. Sed hæc

Vazquii expositio excluditur. expositio est falsa, et diminuta. Primo quia S. Doctor proponit quæsitum generale : cui proinde diminute responderet, si præcise loqueretur de homine post lapsum. Secundo, quia in art. 3, inquirit determinate de necessitate sacramentorum post *peccatum :* ergo incredibile est eandem difficultatem proposuisse, et resolvisse in primo : alias superfluum omnino foret illam tam immediate inculcare. Accedit aliquas S. Doctoris rationes procedere independenter a suppositione peccati, ut infra expendemus : per quod satis manifestatur considerationem S. Doctoris fuisse magis universalem : et solvitur primum Vazquii motivum. Secundum etiam facile diluitur, quia illa particula *etiam* non refert sensum ad priorem articulum, sed ad subsequentia verba, ut sit sensus, *Utrum etiam si non sit peccatum, vel licet sit innocentia*, etc. In quo sensu nihil illa objectio valet.

Alia ex Suario refellitur. Non melior præcedenti est expositio Suarii in Comment. ejusdem art. ubi affirmat D. Thomam loqui de homine, considerando ejus naturam non solum ut constitutam in statu innocentiæ, quam habuit, et etiam ut lapsam per peccatum, sed etiam sumptam secundum se, aut secundum pure naturalia. Et movetur : quia cum D. Thomas generaliter inquirat, præsumi debet, quod generaliter resolvat, et ad omnia prædicta se extendat ; licet postea de illis in particulari sumptis magis specialiter agat in articulis sequentibus. Ad quam sententiam proxime accedere videtur Joan. a S. Thoma in præs. dub. 1, § *Respondetur D. Thomam :* nam censet S. Doctorem loqui de homine considerato secundum conditiones suæ naturæ, et etiam secundum statum peccati ; quamvis non comprehenderit statum innocentiæ, sive integritatis : de hoc enim agit art. 2, sequenti. Sed Suarii expositio, ut diximus, bona non est : quia si resolutio D. Thomæ procederet in sensu ab illo intento, comprehenderet omnes hominis status. Id autem esse falsum constat ex duobus. Primo, quia D. Thom. in art. sequenti expresse negat pro statu innocentiæ necessitatem sacramentorum. Secundo, quia in aliis articulis probat necessaria esse sacramenta pro aliis statibus; in quo suadendo frustra laborasset, si id in præsenti articulo statuisset, et ostendisset. Qua etiam de causa expositio Joannis a S. Thom. nisi amplius declaretur, non arridet : tum quia homo consideratus in puris naturalibus nec indiget, nec est adjuvabilis sacramentis : quia supponitur non ordinatus in finem supernaturalem, ad cujus consecutionem promovent sacramenta. Tum quia si D. Thom. hic determinate dixisset de homine in statu peccati ; frustra tractaret hanc difficultatem art. 3, ubi agit de homine *post lapsum*, ut supra contra Vazquez apponebamus. Joan. a S. Th.

4. Quare, relictis his interpretationibus, melius respondetur cum Prado dub. 1, § 2, num. 16, et Lugo disp. 3, num. 2, D. Thomam indefinite quæsivisse de necessitate sacramentorum, et indefinite etiam, atque in confuso resolvisse esse necessaria. Quare prædicta resolutio non est accipienda in sensu distributivo pro singulis statibus, sed vage, et in confuso. Et propterea locum relinquit, ut in sequentibus articulis ageretur (absque ulla inculcatione, aut repetitione) de prædictis statibus in particulari. Sicut cum dicitur : *Oculus requiritur ad videndum*, ex vi hujus non determinatur, an sit dexter, aut sit sinister, vel uterque : sed id potest ulterius determinari. Et sicut Legitima explicatio. Prado Lugo.

si quis dicat sacramentum pœnitentiæ esse in Ecclesia necessarium; verum quidem affirmat: sed tamen ex vi hujus non determinat subjecta, pro quibus illud sacramentum est necessarium. Quare optime potest postea inquirere, atque decidere subjecta, pro quibus requiritur, aut non. Sic igitur D. Thom. se gessit statuendo indefinite, et in confuso necessitatem sacramentorum: et sub hac generali resolutione descendit in articulis sequentibus ad considerandum eorum necessitatem secundum differentes status, in quibus homo fuit, et esse potuit. Juxta quam intentionem, et methodum cessant, quæ contra præcedentes explicationes opponebamus.

r D. ex- tio. Addi tamen satis probabiliter potest D. Thomam in hoc priori articulo considerasse hominem secundum illam exigentiam, quæ fundatur non quidem in statu naturæ puræ, ut Suarez, minus bene significavit, sed quæ fundatur in conditionibus naturalibus naturæ humanæ, adjuncta etiam miseria peccati. Quamvis enim homo non fuerit in statu naturæ puræ; tamen tam in statu naturæ lapsæ, quam naturæ reparatæ per gratiam retinet suas naturales conditiones proprias talis naturæ. Et licet in statu naturæ puræ, seu nudæ non fuerint, nec esse potuerint sacramenta, utpote quæ sunt remedia supernaturalia, a quibus sicut et ab ordine ad supernaturalem finem homo in ea nuditate præscindit: tamen attentis conditionibus homini naturalibus, possunt sacramenta dici homini si non debita, tamen congrua, et proportionata, sicut, et gratia ipsa. Quare D. Thom. potuit non immerito revocare in dubium, an homini, attentis naturalibus ejus conditionibus, quas in statu naturæ per peccatum lapsæ habet, sint necessaria sacramenta. Et verosimile est ita processisse: quoniam ex rationibus, quas expendit, duæ pertinent ad naturales hominis conditiones, et una ad miseriam peccati, ut cum eas expendemus, constabit. Nec juxta hanc expositionem sequuntur absurda, quæ aliis objiciebamus. Non enim sequitur, quod resolutio D. Thom. se extendat ad statum naturæ puræ: quia sicut in eo statu fit præcisio ab omni elevatione supernaturali, sic etiam, et ab omni adjutorio gratuito per sacramenta. Nec sequitur, quod in hoc art. comprehenderit statum integritatis, et innocentiæ, a quo in articulo sequenti excludit necessitatem sacramentorum: quia homo in statu integritatis non consideratur secundum conditiones naturales, sed secundum aliam elevatiorem dispositionem, quam ex vi illius status habet. Nec tandem sequitur, quod S. Doctor *bis docuerit* in hoc 1 art. et 3, ac subinde inculcaverit, quod homo in statu peccati egeat sacramentis: quoniam necessitatem sacramentorum pro statu peccati docuit quidem in hoc articulo: in tertio autem hanc difficultatem non versavit, sed aliam longe diversam, et respicientem temporis determinationem, ut constat ex titulo: « Utrum post peccatum « ante Christum sacramenta habuerint « esse? » Valde itaque probabile est, quod D. Thom. *egerit* in præsenti art. de necessitate sacramentorum per comparationem ad hominem consideratum secundum suas conditiones naturales, et miseriam peccati. Et si hoc vult Joan. a S. Thom. ut tandem significare videtur, admittendus est.

5. His circa intelligentiam tituli præmissis, resolutio Sancti Doctoris est sacramenta esse necessaria ad humanam salutem. Quam conclusionem quatuor rationibus probat. Resolutio D.Th. et motiva.
Primo in *sed contra*, quia necessarium, seu congruum est ad humanam salutem, quod homines adunentur in una Ecclesia, et conveniant in uno aliquo vero religionis nomine: sed ad hunc finem necessaria sunt sacramenta: ergo necessaria sunt ad humanam salutem. Major constat: quia cum religio, et Ecclesia una sit; unde vocatur *templum Dei* 1 ad Corinth. 3. *Civitas in monte posita*, Math. 6. *Turris*, Cantic. 4. *Exercitus*. Cantic. 6, oportet, quod homines conveniant, habeantque unitatem in illa. Minor autem probatur ex D. August. lib. 19, contra Faustum cap. 11, ubi ait: « In nullum nomen religionis seu verum, « seu falsum coadunari homines possunt, « nisi aliquo signaculorum, seu sacramen- « torum visibilium consortio colligan- « tur. » Requiruntur ergo sacramenta, ut homines coadunentur in una Ecclesia, et religione. Primum. 1 ad Corinth. 3. Math. 6. D Aug.

Sed oppones: nam D. Augustinus non loquitur determinate de sacramentis, sed etiam de alis signis sub disjunctione, *Nisi aliquo*, inquit, *signaculorum, seu sacramentorum etc.* Ergo D. Thom. minus recte intulit necessitatem sacramentorum determinate: non enim valet consequentia a disjunctiva ad unam determinatam. et si Objectio.

resp.

respondeatur propositionem D. Augustini non esse accipiendam in sensu disjunctivo, sed expositivo : usus namque fuit illis terminis tanquam synonimis, et signacula explicuit per sacramenta. Contra hoc est, quod homines in statu innocentiæ adunarentur in una Ecclesia, et nomine religionis : et tamen in eo statu non essent sacramenta, ut expresse resolvit D. Thom. artic. sequenti : adunarentur autem aliquibus signaculis visibilibus, utputa sacrificiis; ergo propositio D. Augustini est falsa, nisi accipiatur in sensu disjunctivo : sic igitur accipienda est. Porro ex eadem sic accepta non potuit D. Thom. colligere necessitatem determinate sacramentorum.

Solvitur. Respondetur cum Joan. a S. Th. verbum illud *coadunari*, quo utitur D. August. duo posse significare : primo communicationem et convenientiam aliquorum in una aliqua religione : secundo initiationem, et quasi consecrationem aliquorum ad profitendum religionem. Et quidem in priori sensu coadunatio extenditur tam ad statum innocentiæ, quam ad statum peccati : quia in utroque requiritur consortium aliquorum signorum externorum, sive sint sacramenta, sive sacrificia, sive quid aliud. Sed Th. non loquitur de hac coadunatione nec in hoc articulo, ubi colligit determinatam necessitatem sacramentorum : nec in art. sequenti, ubi a statu innocentiæ excludit sacramentorum necessitatem. Accepit itaque coadunationem in secundo sensu, prout importat initiationem, et consecrationem ad profitendum religionem : ex qua coadunatione optime, et ad mentem D. August. collegit necessitatem signorum, quæ sint determinate sacramenta : iis enim initiamur, et consecramur. Cæterum hujuscemodi adunatio locum non haberet in statu innocentiæ, sive integritatis, quam proinde pro illo negat Div. Thom. in art. sequenti : quia in eo statu homines initiarentur, et consecrarentur immediate a Deo per traductionem naturæ, et communicationem justitiæ originalis : quare nullam haberent necessitatem sacramentorum pro hujusmodi adunatione, ut infra magis declarabimus. Unde omnia consonant.

Secundum motivum. 6. Secundo probat Div. Thom. suam assertionem : quia proprium est humanæ naturæ, ut per sensibilia, et corporalia deducatur in spiritualia, et intelligibilia : sed ad providentiam divinam pertinet gubernare naturam humanam (sicut et alias quaslibet) juxta modum suæ conditionis : ergo congruum fuit, quod Deus conferret hominibus salutem sub quibusdam sensibilibus, et corporalibus signis, quæ sacramenta dicuntur. Sunt itaque sacramenta ad humanam salutem necessaria. Qui discursus consonat verbis Apostoli ad Rom. 1 : Ad Ro. 1. *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et in hoc sensu Div. Augustin. lib. 19, contra D Aug. Faustum cap. 16, sacramenta appellavit « verba quædam visibilia, quibus gratia « dominicæ passionis hominibus aperte « annuntiatur. » Et in hoc eodem sensu Con- Concil. Tridentinum. cilium Tridentiuum sess. 22, cap. 5, probavit convenientiam cæremoniarum sensibilium in celebrando sacrificium Missæ. « Cumque natura hominum, inquit, ea sit, « ut non facile queat ad rerum divinarum « meditationem sustolli, propterea pia « mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet « quædam summissa voce, alia vero ela- « tiore in Missa pronuntiarentur, sta- « tuit etc. »

Nec refert, si opponas sacramenta neces- Præoccupatur objectio. saria esse non solum pro adultis, sed etiam pro parvulis, ut patet in parvulorum circumcisione, et baptismo : sed præmissa ratio locum non habet in parvulis, quippe qui non cognoscunt sacramentorum repræsentationem, nec per ea erudiri valent conformiter ad modum propriæ conditionis : ergo præmissus discursus aptus non est, ut ostendatur sacramentorum necessitas. Id, inquam, non refert, sed diluitur negando consequentiam : quoniam Div. Thom. non omnes rationes adducit, ut æqualiter probent in omnibus sacramentis, et pro omnibus subjectis; sed ut probent cum distributione accommoda. Unde nihil refert, quod prædictus discursus non procedat in parvulis : sed satis est, quod congruat adultis. Eo vel maxime, quod sicut parvuli non suscipiunt baptismum propria voluntate, sic nec propria cognitione : sed sufficit, quod suscipiant ipsum voluntate, et cognitione eorum (et præsertim Ecclesiæ), in quorum fide baptizantur. Quod satis est, ut sacramenta dicantur institui cum proportione ad modum proprium cognitionis humanæ, vel eorum, qui sacramenta suscipiunt, vel eorum saltem, qui ad hæc concurrunt, et qui ipsa considerando proficiunt.

-tium ivum 7. Tertio probat Div. Thomas : nam decuit inde medicinale remedium hominibus adhiberi, unde processit ejus infirmitas : sicut Deus olim contra morsum serpentis adhibuit serpentem suspensum in ligno, ut constat Numer. 21, et Joann. 3. Sed infirmitas hominis inde processit, quod peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ergo conveniens fuit, quod homo consequeretur salutem mediis rebus, et signis sensibilibus, quæ sacramenta dicuntur. In quo sensu Ecclesia canit ex Prudentio, dum elogia crucis celebrat : *Et medelam ferret inde, hostis unde læserate.* Et rursus : *Ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret : et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Christum Dominum nostrum.* Div. Epiphanius simile in adaptando remedium expendit proportionem li. 3, *advers. hæreses, hæresi* 78, ubi ait : « Unde illata est mors, illius processit, et « vita, ut vita pro morte fieret : et qui per « mulierem nobis vita factus est, mortem « ex muliere inductam excluderet. »

Epi- nius.

rtum ivum 8. Ultima ratio Div. Thomæ est : quia homo naturaliter exposcit aliquod exercitium, quod præcipue circa corporalia versatur : quippe naturaliter loquendo nec semper, nec diuturno tempore insistere valet internæ contemplationi. Rursus in his exercitiis corporalibus plurima queunt occurrere peccata vel superstitionis, ut in cultu idolorum, et dæmonum, vel aliorum vitiorum. Ergo ut homo ex una parte non pateretur violentiam in omnimoda abstractione a sensibilibus exercitiis ; et ex alia parte suaviter avocaretur ab illis, quæ peccaminosa, et superstitiosa erant : congruentissimum fuit instituere visibilia signa, in quibus homo exerceatur, et quorum usu sanctificetur, atque perficiatur. Hæc autem signa dicuntur sacramenta. Ergo necessaria fuit ad humanam salutem sacramentorum institutio. Quem discursum ab ipsa experientia optime confirmat Soto in 4, distin. 1, quæst. 2, artic. 1, ratione 3, his fere verbis : Aliis incumbit ministrare sacramenta, aliis suscipere : per quæ exercitia ob Idolorum cultura removemur, atque distrahimur. Id, quod in illis Neophitis novi Orbis experimento compertum est : mirum enim in modum his cæremoniis exhilarantur, per quas a sua idololatria semoventur. Hugo etiam Victorinus lib. 1, *de sacram.* part. 9, cap. 3, egregie expendit : « Cum prius humana vita per duo exerci- « tationum genera cucurrisset, in altero ad « usum pro natura, in altero ad vitium pro « culpa : congruum erat, ut tertium exerci- « tationis genus adjungeretur, (nempe sa- « cramentorum): ut per illud unum e duo- « bus primis evacuaretur, quia erat nocens ; « alterum perficeretur, quia non erat suffi- « ciens. »

o.

go de Vict.

Nec momenti erit, si objicias plura sacramenta non posse iterari, aut repeti, ut patet in Baptismo, Confirmatione, et Ordine : ergo in his sacramentis nequit fieri exercitatio : ergo præmissa ratio vel nihil, vel falsum concludit, cum applicatur omnibus sacramentis. Id, inquam, nihil valet : quia, ut num. 6, diximus, Div. Thom. non omnes rationes expendit, quia singulæ possint, aut debeant singulis in particulari applicari ; sed ut in communi evincat necessitatem, aut convenientiam sacramentorum : quod plane assecutus fuit. Sed descendendo ab ea communitate, quædam rationes magis urgent in quibusdam sacramentis, quam in aliis, ut facile consideranti apparebit. Adde, quod licet aliqua sacramenta nequeant reiterari, potest tamen consideratio repeti circa gratiam, et dona, quæ in eis conferuntur. Adde ulterius Div. Thom. non loqui de exercitatione, quæ fiat determinate per susceptionem sacramentorum, sed vel de hac, vel de illa, quæ contingit in eorum administratione: quolibet enim modo fit congrua exercitatio, et quæ a vitiosis removet. Quamvis autem quis nequeat repetere susceptionem aliquorum sacramentorum, ut objectio probat; optime tamen valet repetere eorum administrationem, ut liquet in ministris, vel saltem ex assistentia corporali plurimum proficere, ut patet in sæcularibus. Occurritur objectioni

9. Hæc sunt rationes D. Thom. pro conclusione, quæ satis declarant congruentiam in sacramentorum institutione. Sed præcipuum ejus fundamentum est auctoritas, quæ plane evincit ipsam esse de fide. Nam Concilium Tridentinum sess. 7, supponens jam olim fuisse vera sacramenta, ut constat ex canone 2, inquit can. 4 : *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, etc. anathema sit.* Et modo supervacaneum censemus alia testimonia exhibere : id namque congruentius præstabimus, ubi de singulis in particulari sacramentis locus occurret. Satis nunc sit Præcipuum motivum. Concil. Tridentinum.

sit dicere hanc esse constantem Theologorum sententiam, quorum aliquos, et satis celebres referemus, ut simul lectorem, si plura cupiat, ad fontes dirigamus. Sic itaque docent D. Thomas non solum in præsenti, sed etiam in 4, distinct. 1, quæst. 1, art. 3, et lib. 3, contra Gent. cap. 119, et lib. 4, cap, 56. Magister Sentent. in 4, dist. 1. D. Bonavent. ibi in exposit. litteræ, Scotus quæst. 3. Durandus quæst. 2. Paludanus quæst. 3. Sotus quæst. 2, art. 1. D. Antoninus 3 part. titulo 14, cap. 11, § 4. Cano *in releet. de sacram. in genere* part. 3. Alanus cap. 24. Bellarminus lib. 1, cap. 22. Tapperus art. 1, § 7. Sayrus lib. 3, cap. 1, quæst. unica. Cajetanus, Nugnus, et alio omnes expositores D. Thomæ in præsenti.

10. Contrariam hæresim docuerunt olim Manichæi juxta radicalem eorum errorem, quod res corporeæ sint malæ, atque ideo ineptæ, ut Dei cultui, et nostræ saluti deserviant, ut referunt D. Augustin. lib. *de natura boni*, cap. 13, et D. Thom. lib. 3, contra Gentes, cap. 119. Cathari etiam asseruerunt animas nostras his sensibilibus, in quibus constituimus sacramenta, contaminari, ut refert Castro verbo *Nuptiæ* hæresi 2. Porphyrius præterea apud Eusebium de præparat. Evangelii lib. 4, cap. 5, Christianos irridebat ob sacramenta, quasi Deus egeret his corporalibus, aut quibusdam præ aliis delectaretur. Denique Lutherani, et Calvinistæ, legitimi scilicet omnium præcedentium hæreticorum successores, parentes suos imitantur in odio rerum omnium sensibilium ad cultum Dei pertinentium, ut negent Deum in his media, atque instrumenta nostræ salutis constituisse, ut constat ex Brentio *in confess.* Witemberg. cap. *de baptismo*, et Calvino lib. 4 *Institut.* cap. 10, sect. 12. Omissis autem motivis remotioribus, hæresim suam fundant primo, quia Ps. 44, dicitur: *Omnis pulchritudo filia regis ab intus.* Et Joan. 4: *Deus spiritus est, et qui adorant eum, in spiritu, et veritate adorare debent.* Ergo omnis cultus Dei factus rebus externis, et sensibilibus, qualem afferunt sacramenta, superstitiosus est, et ingratus Deo. Secundo, quia sacramenta important exercitationem corporalem, ut ex D. Thom. vidimus num. 8. Sed Apostolus I, ad Timoth. 4, affirmat. *Corporalis excercitatio ad modicum utilis est:* ergo sacramentorum usus parum, aut nihil affert utilitatis. Tertio, quia Gentiles Deos suos per creaturas sensibiles colebant: Judæi etiam in sua servitute rebus sensibilibus ad Dei cultum utebantur: ergo Christianos, qui longe distare debent a Gentilium errore, et Judæorum servitute, non decet uti rebus sensibilibus ad comparandum sibi salutem. Quarto, quia causa sufficiens nostræ salutis per modum formæ est gratia justificans juxta illud Apost. 2 ad Corinth. 12, *sufficit tibi gratia mea:* causa autem non solum sufficiens, sed superabundans nostræ salutis per modum efficientis est passio Christi, ut satis perspicue docet idem Apost. ad Rom. 5. Ergo vanus est recursus ad alias causas corporeas, quas sacramenta vocamus: est etiam Christo injuriosus; cum supponat pretium sanguinis ejus non sufficere ad salutem, sed fulciri debere vilium creaturarum subsidio. Hæc sunt difficiliora, quæ opponunt hæretici, et ad quæ cætera reducuntur.

Sed facile dissipantur. Nam ad primum negatur consequentia, quæ minime ex præmissis testimoniis colligitur: quippe non damnant cæremonias, et ritus externos; sed docent, quod vim habent ab spiritu, sive interna affectione. Unde D. Augustin. in libro *de cura pro mortuis* cap. 1, et in Epist. 119, cap. 11, affirmat, quod externi ritus, sicut oriuntur ex interna pia affectione, sic illam nutriunt, conservant, et augent. Et D. Thom. 2, 2, quæst. 168, art. 1, cum sibi opposuisset primum illud testimonium ex Ps. 44, respondit: « Ad primum dicendum, quod motus exteriores « sunt quadam signa interioris dispositionis « secundum illud Ecclesiastici 19: Amictus « corporis, et risus dentium, et ingressus « hominis enuntiant de illo. Et Ambrosius « dicit in 1 de officiis, quod habitus mentis « in corporis statu cernitur, et quod vox « quædam animi est corporis motus. » Principalis itaque gloria animæ ab intus est, et adorationis perfectio spiritu consummatur: sed tamen derivantur ad extra, et corporeis etiam signis relucent, eisdemque pro nostra conditione foventur.

Secundum diluit optime Div. Thom. in præs. art. his verbis: « Ad primum dicendum, quod excercitatio corporalis, in « quantum est corporalis, non multum uti- « lis est. Sed exercitatio per usum sacra- « mentorum non est pure corporalis, sed « quodammodo est spiritualis, scilicet per « significationem, et causalitatem. » Signi-

ficant enim gratiam internam, ad cujus productionem, et augmentum ex divina virtute concurrunt. Et eodem modo exposuit Apostolum D. Ambrosius in eodem loco.

11. Ad tertium neganda est consequentia: quia ut egregie tradit Doctor sanctus supra quæst. 25, artic. 3 ad 2 : « Apostolus prohi« bet operibus infructuosis Gentilium com« municare. Communicare autem utilibus « eorum operibus Apostolus non prohibet.» Alias non oporteret nos colere parentes, adire templa, orare, offerre sacrificium, et exercere similia, quæ communia fuerunt Gentilibus : id vero est plane absurdum, et ridiculum. Et eodem modo respondit Div. Augustinus lib. 1, *contra adversarium leg. et prophet.* ubi ait : « Non reprehendit « Apostolus 1, ad Corinth. 10, Gentiles, « quia ea, quæ nos sacrificamus, ipsi etiam « sacrificiant : sed quia ea, quæ immolant « Gentes, dæmonibus immolant, et non « Deo. » Quare ex eo, quod Gentiles usi fuerint rebus externis in Deorum adoratione, minime colligi debet vanum, aut illicitum esse illarum usum in cultu veri Dei, quem adoramus Christiani : sed magis colligendnm est oppositum, ut acute subinfert idem Div. August. lib. citat. capit. 18, his verbis : « Dæmon talia a Gentilibus « sibi exhiberi non exigeret, nisi Deo vero « hæc deberi sciret. Falsus enim Deus sic « vult adorari ab eis, quos decipit, sicut « verus Deus adoratur ab his quibus consu« lit. » Unde a fortiori corruit, quod in hac objectione dicitur de Judæis : certum namque est illos, etiam cum spiritu servitutis ducebantur, plura habuisse non ab illo spiritu, sed a gratia, ut colere Deum, sacrificare, et orare : quæ illis, et nobis sunt laudabiliter communia : inter quæ computantur sacramenta, licet nostra longe excellentiora sint.

Ultimum dissolvitur a Div. Tom. in præs. artic. 1 ad 2, et ad 3, ubi salvat sufficientiam gratiæ, et efficaciam passionis Christi simul cum necessitate, quam habemus, sacramentorum. « Gratia Dei, *inquit*, est « sufficiens causa humanæ salutis. Sed Deus « dat hominibus gratiam secundum modum « eis convenientem (videlicet mediis sig« nis corporeis, ut ostendit in corp.). Et ideo « necessaria sunt hominibus sacramenta « ad gratiam consequendam. » Rursus ait : « Passio Christi est sufficiens causa huma« næ salutis. Nec propter hoc sequitur, « quod sacramenta non sint necessaria ad « humanam salutem : quia operantur in « virtute Passionis Christi. Et passio Christi « quodammodo applicatur hominibus per « sacramenta, secundum illud Rom. 6 : « Quicumque baptizati sumus in Christo « Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. » Et idem Sanctus Doctor supra quæstion. 49, artic. 1 ad 4, dixerat : « Passio Christi « præcessit ut causa quædam universalis « remissionis peccatorum. Unde necesse est, « quod singulis adhibeatur ad deletionem « propriorum peccatorum. Hoc autem fit « per baptismum, et pœnitentiam, et alia « sacramenta, quæ habent virtutem ex Pas« sione Christi, ut patebit infra question. « 62, articul. 5. » Quare optime cohæret Passionem Christi esse in suo genere sufficientissimam, et nihilominus sacramenta esse necessaria ad salutem. Sed addere duximus, ut penitus confundantur hæretici, celebre illud dictum Div. Augustini libro 19, *contra Faustum*, cap. 14 : « Si anti« qui justi pro prænuntiativis sacramentis, « et rerum nondum impletarum figuris, « dura, et horrenda pati parati fuerunt, et « multi perpessi, sicut tres pueri, Daniel, « Machabæi, et alii : quanto magis nunc « pro Eucharistia Christi, pro signo Christi « (nempe, confirmatione) ad omnia perfe« renda paratior debet esse Christianus ; « cum illæ fuerint promissiones rerum « complendarum, hæc sint indicia comple« tarum. »

ARTICULUS II.

Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta. Quia sicut dictum est, Sacramenta sunt necessaria homini ad gratiam consequendam. Sed etiam in statu innocentiæ homo indigebat gratia : sicut in prima parte habitum est. Ergo etiam in statu illo erant necessaria sacramenta.

Præterea : Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ, sicut dictum est. Sed eadem est natura hominis ante peccatum, et post peccatum. Ergo videtur, quod etiam ante peccatum homo indiguerit sacramentis

Præterea : Matrimonium est quoddam sacramentum secundum illud Ephes. 5, sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo, et Ecclesia. Sed matrimonium fuit institutum ante peccatum, ut dicitur Genes. 2. Ergo sacramenta erant necessaria homini ante peccatum,

Sed contra est, quod medicina non est necessaria nisi ægroto, secundum illud Matthæi nono : Non est opus sanis medicus. Sed sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum.

Respondeo

Respondeo dicendum, quod in statu innocentiæ ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Cujus ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur et, nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, et ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem.

Ad primum ergo dicendum, quod homo in statu innocentiæ gratia indigebat : non tamen ut eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter, et invisibiliter.

Ad secundum dicendum, quod eadem est natura hominis ante peccatum, et post peccatum : non tamen est idem naturæ status. Nam post peccatum, anima etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem, quod in illo statu homini necesse non erat.

Ad tertium dicendum, quod matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ. Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, et Ecclesiam : sicut et omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.

Conclusio est negativa.

Circa tituli terminos observandum est, quod ly *necessaria* procedit in sensu præmisso in Comment. *præced. art. n.* 2, atque ideo non significat necessitatem absolutam, nec necessitatem simpliciter in ordine ad finem salutis : sed solam necessitatem congruentiæ, sive ad melius esse in ordine ad talem finem. Circa alios terminos *homini ante peccatum* Cajetanus censet, quod D. Th. non quærit absolute de statu innocentiæ, sed de homine ante peccatum, ut per ly ante peccatum determinet, quod tractat de homine secundum tempus illud, quo fuit antequam peccaret ; et non simpliciter de homine, si perseverasset cum posteritate in innocentia. Sed nimis angusta apparet hæc interpretatio : quia casum, et doctrinam articuli restringit ad solas personas Adami, et Evæ, et pro ea sola, satisque brevi duratione, qua statum innocentiæ conservarunt. Unde magis probamus expositionem Joannis a S. Thoma, qui docet doctrinam, et resolutionem articuli referendam esse ad statum innocentiæ (qui ante peccatum fuit), absolute consideratum, id est, non cum restrictione ad duas illas præcise personas, in quibus de facto fuit, sed attenta conditione, et exigentiis talis status. Idque menti D. Thomæ magis cohæret : quia resolutionem fundat in rectitudine talis status : rectitudo autem convenit statui innocentiæ absolute, et ex se, et præcisive a personis determinatis Adami, et Evæ, in quibus tantum de facto fuit : ergo difficultas articuli procedit ex mente D. Thomæ absolute, sive in ordine ad statum innocentiæ absolute consideratum. Quid autem S. Doctor resolvat, in speciali dubio videbimus.

Conclusio est negativa.

ARTICULUS III.

Utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod post peccatum ante Christum sacramenta non debuerint esse. Dictum est enim, quod per sacramenta passio Christi hominibus applicatur : et sic passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum. Sed effectus non præcedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi adventum.

Præterea : Sacramenta debent esse convenientia statui humani generis : ut patet per Augustin. 19, contra Faustum. Sed status humani generis non fuit mutatus post peccatum, usque ad reparationem factam per Christum. Ergo neque sacramenta debuerunt immutari, ut præter sacramenta legis naturæ, alia statuerentur in lege Moysi.

Præterea : Quanto aliquid est magis propinquum perfecto, tanto magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis humanæ per Christum facta est, cui propinquiora fuerunt sacramenta veteris legis, quam ea quæ fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similiora sacramentis Christi. Cujus tamen contrarium apparet, ex eo, quod Sacerdotium Christi prædicitur esse futurum, secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron : ut habetur Hebr. 7. Non ergo convenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

Sed contra est, quod Augustin. dicit 19, contra Faustum, quod prima sacramenta, quæ celebrabantur, et observabantur ex lege, prænuntia erant Christi venturi. Sed necessarium erat ad humanam salutem, ut adventus Christi prænuntiaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quædam disponi.

Respondeo dicendum, quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi. Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quædam signa visibilia quibus homo fidem suam protestatur de futuro Salvatoris adventu. Et hujusmodi signa dicuntur sacramenta. Et sic patet, quod ante Christi adventum, necesse fuit quædam sacramenta institui.

Ad primum ergo dicendum, quod passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum : quæ scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. Causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideo non est inconveniens aliqua sacramenta ante Christi passionem fuisse.

Ad secundum dicendum, quod status humani generis post peccatum, et ante Christum, dupliciter potest considerari. Uno modo secundum fidei rationem : et sic semper unus, et idem permansit, quia scilicet justificabantur homines per fidem futuri Christi adventus. Alio modo potest considerari secundum intensionem, et remissionem peccati, et expressæ cognitionis de Christo. Nam per incrementa temporum et peccatum cœpit in homine magis dominari : in tantum quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad recte vivendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari præcepta in lege scripta, et cum his quædam fidei sacramenta. Oportebat

etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei : quia, ut Gregorius dicit : per incrementa temporum crevit divinæ cognitionis augmentum. Et ideo etiam necesse fuit quod in veteri lege quædam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur. Quæ quidem comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum : quia scilicet ante legem non fuit determinate præfixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem : quod erat necessarium, et propter obtenebrationem legis naturalis, et ut esset determinatior fidei significatio.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum Melchisedech, quod fuit ante legem, magis assimilatur sacramento novæ legis in materia, inquantum scilicet obtulit panem, et vinum (ut habetur Genes. 14), sicut etiam sacrificium novæ legis oblatione panis, et vini perficitur. Sacramenta tamen legis Mosaicæ magis assimilantur rei significatæ per sacramentum, scilicet passioni Christi, ut patet de agno paschali, et aliis hujusmodi. Et hoc ideo, ne propter continuitatem temporis, si permaneret eadem sacramentorum species, videretur sacramenti ejusdem esse continuatio.

CONCLUSIO.

Ante Christi adventum necesse fuit quædam sacramenta institui.

Nota quod ly *necesse* accipiendum est sicut in articulis præcedentibus, ut non denotet necessitatem absolutam, vel simpliciter in ordine ad finem, sed solam necessitatem congruentiæ, sive ad melius esse pro finis consecutione. Ly *ante adventum Christi* denotat omne tempus a peccato Adami usque ad Christum ; et sic complectitur tempus tam legis naturæ, quam legis scriptæ, et ad utrumque statum referri debet. Ly *quædam sacramenta* non determinat eorum conditionem, sed procedit indefinite significans vage hæc, aut illa. Et quamvis præcipua D. Thomæ conclusio, proposita in corpore articuli, sit illa, quam exhibuimus : nihilominus in responsione ad argumenta inducit alias assertiones valde notandas, quibus in seq. disputatione aliquando utemur. Prima ad 1, est : « Christus respectu veterum sacramentorum solum fuit causa finalis. Secunda ad 2 : Licet fides semper fuerit eadem ; tamen quoad expressionem per incrementa temporum crevit. Tertia etiam ad 2 : Sacramenta legis scriptæ comparabantur ad sacramenta legis naturæ sicut determinatum ad indeterminatum. Quarta ad 3 : Sacramentum Melchisedech fuit similius sacramento Eucharistiæ in materia : sed aliqua sacramenta legis antiquæ fuerunt similiora in re significata. »

Plures D. Tho. propositiones.

ARTICULUS IV.

Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod post Christum non debuerint esse aliqua sacramenta. Veniente enim veritate, debet cessare figura. Sed gratia, et veritas per Jesum Christum facta est, ut dicitur Joan. primo. Cum igitur sacramenta sint veritatis signa, sive figuræ, videtur quod post Christi passionem sacramenta esse non debuerint.

Præterea : Sacramenta in quibusdam elementis consistunt ut ex supra dictis patet. Sed Apostolus dicit ad Galat. 4, cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes : nunc autem temporis plenitudine veniente, jam non sumus parvuli. Ergo videtur, quod non debeamus Deo servire sub elementis hujus mundi, corporalibus sacramentis utendo.

Præterea : Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ut dicitur Jacobi primo. Sed hoc videtur ad quandam mutationem divinæ voluntatis pertinere, quod alia sacramenta nunc hominibus exhibeat ad sanctificationem tempore gratiæ, et alia ante Christum. Ergo videtur, quod post Christum non debuerint alia sacramenta institui.

Sed contra est, quod Augustin. dicit contra Faustum decimonono, quod sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta : et alia sunt instituta. virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

Respondeo dicendum, quod sicut antiqui patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita et nos salvamur per fidem Christi jam nati et passi. Sunt autem sacramenta quædam signa protestantia fidem, qua homo justificatur. Oportet autem aliis signis significari futura, præterita, et præsentia. Ut enim Augustinus dicit decimono, contra Faustum, eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta : sicut ipsa verba, passurus, et passus, non similiter sonant. Et ideo oportet quædam alia sacramenta esse in nova lege, quibus significentur ea, quæ præcesserunt in Christo, præter sacramenta veteris legis, quibus prænuntiabantur futura.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Dionysius dicit in 5 cap. Eccles. hier. status novæ legis, medius est inter statum veteris legis, cujus figuræ implentur in nova lege ; et inter statum gloriæ, in qua omnis nude, et perfecte manifestabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacramenta. Nunc autem quandiu per speculum, et in ænigmate cognoscimus (ut dicitur 1, ad Corinth. 13), oportet nos per aliqua sensibilia signa, in spiritualia devenire. Quod pertinet ad rationem sacramentorum.

Ad secundum dicendum, quod sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena, et infirma elementa : quia gratiam non continebant, nec causabant. Et ideo utentes illis sacramentis, dicit Apostolus sub elementis mundi Deo servisse : quia scilicet nihil aliud erant, quam elementa hujus mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent, et causant ; et ideo non est de eis similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod sicut pater familias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem, quod diversa præcepta familiæ suæ proponit pro temporum varietate, non eadem præcipiens hyeme, et æstate : ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum, ex hoc quod alia sacramenta instituit post Christi adventum, et alia tempore legis : quia illa fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ : hæc autem sunt congrua gratiæ præsentialiter demonstrandæ.

CONCLUSIO.

Oportet alia sacramenta esse in nova lege præter sacramenta veteris legis.

DISPUTATIO III.

De existentia sacramentorum

Post præmissam in præcedentibus Disputationibus notitiam quidditatis sacramentorum succedit, ut investigemus, an existant? De quo agit D. Thom. in hæc quæst. 61. Cum autem sacramenta, ut ostendimus disput. 1, sint quædam signa ad placitum ex institutione divina, ex eadem institutione oportet, quod habeant existentiam : Deus vero nihil operatur, nisi ex certa ratione, et utilitate. Quare optimum medium ad ostendendum existentiam sacramentorum est manifestatio convenientiæ, quam habent respectu hominis, cui deserviunt. Porro hujusmodi convenientia attendi valet, vel in ordine ad hominem consideratis ejus principiis, vel in ordine ad hominem consideratis differentibus ejus statibus. Et quidem prima consideratio communior est: et quid juxta illam dicendum sit, constat ex Comment. *ad art.* 1. Posterior vero est magis specialis, consone scilicet ad varios status, quos homo habuit: et propterea D. Thomas per subsequentes articulos ad particularem eorum disquisitionem descendit : et nos eundem ordinem observabimus. Quare sit

DUBIUM I.

Utrum sacramenta de facto fuerint in statu innocentiæ, qui duravit in primis parentibus?

1. Hic oporteret expendere varios status, in quibus homo fuit, aut esse potuit, differentesque prædictorum statuum conditiones. Sed quia de hac materia ex professo egimus tract. 14, disp. 1, proœmiali, cap. 2, idcirco ad prædictum locum remittimus lectorem. Non possumus autem non describere (ut difficultates hujus, et sequentis dubii decidantur), statum innocentiæ ; nec illum aptius valemus describere, quam verbis D. Thomæ in compendio Theolog. cap. 186, ubi inquit : « Homo in sui conditione taliter institutus fuit a Deo, ut « corpus omnino esset animæ subjectum. « Rursus inter partes animæ inferiores « vires rationi absque repugnantia subji- « cerentur, et ipsa ratio hominis esset Deo « subjecta. Ex hoc autem, quod corpus sit « animæ subjectum, contingebat, quod « nulla passio in corpore posset accidere « quod dominio animæ super corpus repu- « gnaret : unde nec mors, nec infirmitas in « homine locum habebat. Ex subjectione « autem inferiorum virium ad rationem « erat in homine omnimoda mentis tran- « quillitas : quia ratio humana nullis inor- « dinatis passionibus turbabatur. Ex hoc « vero, quod voluntas hominis erat Deo « subjecta, homo referebat omnia in Deum « sicut in ultimum finem : in quo ejus « justitia, et innocentia consistebat. Horum « autem trium ultimum erat causa alio- « rum. Non enim hoc erat ex natura cor- « poris, si ejus componentia considerentur, « quod in eo dissolutio, sive quæcumque « passio vitæ repugnans locum non habe- « ret : cum esset ex contrariis elementis « compositum. Similiter etiam non erat ex « natura animæ, quod vires sensibiles abs- « que repugnantia rationi subjicerentur : « cum vires sensibiles naturaliter movean- « tur in ea, quæ sunt delectabilia secun- « dum sensum, quæ multoties rectæ rationi « repugnant. Erat igitur hoc ex ratione su- « periori, scilicet Dei, qui sicut animam « rationalem corpori conjunxit, omnem « proportionem corporis, et corporearum « virtutum, cujusmodi sunt vires sensibi- « les, transcendentem, ita dedit animæ ra- « tionali virtutem, ut supra conditionem « corporis ipsum continere posset, et vi- « res sensibiles, secundum quod rationali « animæ competebat ; ut igitur ratio infe- « riora sub se firmiter contineret, oporte- « bat, quod ipsa firmiter sub Deo continere- « tur, a quo virtutem prædictam habebat « supra conditionem naturæ. Fuit ergo « homo sic institutus, ut nisi ratio ejus sub- « duceretur a Deo, nec corpus ejus subduci « poterat a nutu animæ, neque vires sen- « sibiles a rectitudine rationis. Unde quæ- « dam immortalis vita, et impassibilis erat: « quia scilicet nec mori, nec pati poterat, « si non peccaret. Peccare tamen poterat, « voluntate ejus nondum confirmata per « adeptionem ultimi finis. Et sub hoc « eventu poterat mori, et pati. Et in hoc « differt impassibilitas, et immortalitas, « quam primus homo habuit, ab ea, quam in « resurrectione Sancti habebunt ; quia nun- « quam poterunt, nec pati, nec mori, volun- « tate eorum ominio confirmata etc. » Addit cap. seq. « Qui quidem status primo homini

« fuit concessus, non ut cuidam personæ « singulari, sed ut primo humanæ naturæ « principio, ita quod per ipsum simul cum « natura humana traduceretur in posteros. « Et quia unicuique debetur locus secun- « dum convenientiam suæ conditionis, « homo sic ordinate institutus positus fuit « in loco temperatissimo, et delitioso, ut « non solum interiorum molestiarum, sed « etiam aliorum exteriorum omnis ei vexa- « tio tolleretur. » Hæc D. Thom.

Punctus præsentis difficultatis. Ex quibus facile, et perspicue constat, quid per statum innocentiæ in hoc dubio significemus. Sed cum in titulo addimus, *Qui duravit in primis parentibus*, innuimus difficultatem non extendi ad omnem durationem, quam prædictus status potuit ex natura rei habere, et ad quam porrigeretur, si non peccasset Adamus: quia difficultatem in eo sensu versabimus dub. sequent. Præsens autem restringitur ad solos illos homines, qui illum de facto habuerunt, et ad solam illam durationem, in qua extitit. Quæ plane fuit satis brevis, ut colligitur ex D. Augustino, et D. Thom. nam cum Doctor Sanctus sibi opposuisset 1 part. quæst. 98, art. 2, quod si generatio ante peccatum fuisset per coitum; primi parentes fuissent etiam per coitum in paradiso carnaliter conjuncti, respondit: « Ad secundum dicendum, quod sicut Au- « gustinus dicit 9 super Genes. ad litteram, « ideo primi parentes in paradiso non « coierunt, quia formata muliere, post mo- « dicum propter peccatum de paradiso « ejecti sunt. » Unde apparet tempus illud, in quo Adamus, et Eva conservarunt statum innocentiæ, fuisse satis exiguum. Et ad illud determinate trahitur præsens difficultas. Denique ly *sacramenta* in titulo positum nullam conditionem sacramentorum determinat, sed vage accipiendum est pro quibusvis sacramentis. In hoc igitur sensu

D. Tho.

§ I.

Eligitur negans, et communis sententia.

Conclusio. 2. Dicendum est sacramenta de facto non fuisse in statu innocentiæ, qui duravit in primis parentibus. Ita, et eisdem fere verbis D. Thom. in præs. artic. 2, ubi ait: « Dicendum, quod in statu innocentiæ ante « peccatum sacramenta necessaria non fue- « runt. » Ubi ly *necessaria* idem valet, ac congrua, vel convenientia, ut in Comment. artic. 1, explicuimus: negata vero convenientia eorum, pariter excluditur illorum existentia. Et in eodem sensu addit: « Homo « in statu innocentiæ sacramentis non in- « digebat, non solum in quantum sacra- « menta ordinantur ad remedium peccati; « sed etiam in quantum ipsa ordinantur « ad animæ perfectionem. » Et similia docet in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 2. Eandem sententiam docent communiter tam Scholastici cum Magistro in 4, dist. 1, quam Theologi cum D. Thom. in præs. artic. 2, quos proinde superfluum est recensere. Videantur tamen Soto dist. citata quæst. 2, art. 2. Joan. a S. Thom. disp. 23, art. 2, dub. I. Cabrera dub. unico. N. Philippus disp. 3, dub. I. Prado dub. 2, § 2. Suarez disp. 3, sect. 3. Vazq. disp. 130, cap. 4. Lugo disp. 3, sect. I, et alii apud ipsos.

D. Tho.

Ma Sot Jo S. Ca N. Pr Su Va Lu

Fu me Præcipuam hujus assertionis rationem proponemus dub. sequenti, quæ comprehendat generaliter et durationem, quam status innocentiæ habuit de facto in primis parentibus, et durationem aliam, quam habiturus esset, si Adamus non peccavisset. Sed modo breviter probatur: quoniam sacramenta sunt signa de se permanentia, et protestativa alicujus religionis, ut constat ex dictis disp. 1, num. 47; ergo solum constituuntur, atque existunt pro aliquo statu ut permansuro, sive duraturo in aliquo notabili temporis spatio: sed status innocentiæ, qui duravit in primis parentibus, non fuit hujusmodi; siquidem solum permansit in brevissima aliqua duratione ut proxime observavimus: ergo sacramenta de facto non fuerunt in statu innocentiæ, qui duravit in primis parentibus. Nec proderit dicere, quod licet status ille tam brevi tempore duraverit; hoc tamen processit ex peccato illorum hominum, non autem ex conditione, aut defectu ipsius status: hic enim, quantum erat de se, fuit permanens, et illis non peccantibus permansurus. Quocirca debuit a principio constitui cum sacramentis, sicut cum aliis, quæ ad rationem status in religione aliqua desiderantur. Nam contra hanc responsionem est, quod nunc non agimus de prædicto statu considerato secundum se, sed ut determinato ad brevem illam durationem, quam de facto habuit, et ut contracto ad duos

Pr tu

duos illos præcise homines, in quibus fuit; prævidit enim Deus illum nec amplius duraturum, nec extiturum in aliis. Sed status ille prout sic non petivit sacramenta; cum hæc sint signa permanentia pro aliqua stabili duratione. Ergo de facto in statu illo non fuerunt sacramenta. Nec inde sequitur statum illum appellandum esse mancum, aut truncum, quia ut sic diceretur, debuisset carere aliquo sibi debito: statui autem illi ut duraturo præcise per breve adeo tempus, et cum limitatione ad duos tantum homines non debebantur sacramenta, ut ostensum est: atque ideo ex eorum defectu non sequitur, quod fuerit mancus, aut truncus.

Objectio. 3. Sed oppones: quoniam homo prævisus fuit non habiturus impassibilitatem, et immortalitatem, nisi pro illo brevi durationis spatio, in quo habuit statum innocentiæ: et tamen impassibilitatem, atque immortalitatem accepit pro tali spatio: ergo quamvis homo prævisus fuerit non conservaturus statum innocentiæ, nisi pro illa duratione; oportuit, quod pro illa haberet sacramenta instituta. Quæ objectio roborari amplius potest exemplo paradisi: hic enim erat de se locus permanens; et nihilominus quamvis Deus præviderit hominem nec conservaturum innocentiam, nec permansurum in paradiso; tamen paradisum formavit, hominemque in illo constituit: ergo licet Deus præviderit hominem non conservaturum innocentiam, nec usurum sacramentis pro eo statu institutis; decuit tamen, quod sacramenta pro illo institueret. Patet consequentia tum a paritate. Tum ex eo, quod D. Thom. 1 part. quæst. 102, artic. 2 ad 3, inquit: « Dicendum, quod non propter hoc locus (*nempe paradisus*), est frustra, quia non est ibi hominum habitatio post peccatum: sicut etiam non frustra fuit homini attributa immortalitas quædam, quam conservaturus non erat. Per hujusmodi enim ostenditur benignitas Dei ad hominem, et quid homo peccando amiserit. » Quæ ratio etiam militat in sacramentis: nam quamvis homo illa conservaturus non esset; tamen in eisdem ostenderetur benignitas Dei, et quid homo amisisset peccando.

D. Tho.

Responsio. Respondetur objectioni negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod impassibilitas, aut immortalitas pertinet intrinsece ad statum innocentiæ; quippe quæ consistit in perfecto dominio animæ supra corpus; et tale dominium, sive subordinatio erat de intrinsece pertinentibus ad statum illum, ut num. 1 vidimus ex D. Thoma. Quare in eadem duratione sive magna, sive parva, in qua supponitur hominem habuisse statum innocentiæ, supponendum etiam est, quod habuerit impassibilitatis, aut immortalitatis donum. Sed sacramentorum institutio non est de intrinsecis illius status, nec ad constitutionem ipsius spectat, ut ex se liquet. Aliunde vero talis institutio petit, saltem connaturaliter permanentiam status, et multitudinem, sive communitatem, cui deservit. Et ideo ex suppositione, quod status innocentiæ pro brevi tantum aliqua duratione duraturus esset, et collocandus præcise in duobus individuis, ut de facto contigit: non fuit conveniens, quod pro tali statu cum ea restrictione sacramenta instituerentur. Juxta quam doctrinam cessat etiam augmentum difficultatis: nam ex suppositione, quod homo producendus esset in statu innocentiæ, et cum perfectionibus huic annexis; oportebat collocari in loco decenti, et illis perfectionibus correspondente, ut fuit paradisus. Ubi autem paradisus semel formatus est, non debuit ob Adami peccatum everti, aut dissipari: sed potuit decenter conservari in ordine ad alios fines, ut significat D. Thom. *loco citato*, ubi post relata verba immediate subjunxit: « Quamvis, ut dicitur, nunc Enoch, et Elias in illo paradiso habitent. » Nihil autem horum occurrit in institutione sacramentorum pro illa tam brevi duratione, in qua fuit status innocentiæ: quia nec sacramenta erant illi statui pro tam exigua duratione consona, nec illo cessante oportebat permanere. Unde rationes D. Thom. pro formatione paradisi probat recte juxta subjectam materiam, quam ipse versat: sed adaptari nequeunt sacramentis ob ea, quæ diximus. Et ex opposito fieret, quod sicut cessante statu innocentiæ permansit paradisus; licet pro illo statu formatus fuerit: sic etiam cessante eo statu, durent adhuc sacramenta, quæ pro illo instituta fuissent: id vero nemo dicit, aut credet.

4. Potest autem præmissus discursus non infime roborari sequenti consideratione: quoniam cum institutio sacramentorum dependeat principaliter ex institutione Dei; vanum est asserere sacramentorum exis- Roboratur fundamentum.

tentiam pro hac, aut illa duratione, nisi nobis constet saltem probabiliter de Dei voluntate. Hæc autem cum libera sit, et de se occulta, non aliter nobis manifestatur, quam per doctrinam Scripturæ, aut traditionem Ecclesiæ, aut assertionem Patrum. Atqui nihil horum occurrit circa existentiam sacramentorum pro brevi illo tempore, in quo duravit innocentiæ status : quia nec Scriptura, nec Ecclesia, nec Patres illam docuerunt. Ergo vanum est asserere sacramenta pro tali tempore. Ut autem nos rationabiliter negemus, sufficiens fundamentum est, quod non habeamus motiva positiva ad affirmandum.

Nec refert, si cum Prado *loco citat.* num. 19, dicatur nos plura certe, aut probabiliter asserere, quæ evenerunt primis illis temporibus, de quibus tamen nulla in Scriptura fit mentio. Nam certum est Adamum post peccatum habuisse sacramenta, et obtulisse sacrificia : et tamen hæc non recensentur in sacris litteris. Unde D. Thom. 2, 2, quæst. 85, art. 1 ad 2, generaliter statuit : « Non « de omnibus justorum sacrificiis fit mentio « in Scriptura ; sed solum de illis, circa « quæ aliquid speciale accidit. » Ergo ex defectu positivæ assertionis circa sacramenta in statu innocentiæ minus recte procedimus ad negandum eorum existentiam. Id, inquam, nihil valet : quia nos, ut negemus existentiam sacramentorum pro ea duratione, non attendimus præcise ad non eorum mentionem in Scriptura ; sed etiam ad defectum prædictæ mentionis tam in traditione Ecclesiæ, quam in doctrina Patrum. Unde libenter fatemur plura non contineri expresse in divinis litteris ; quæ tamen certo, aut probabiliter constant vel ex Patrum assertis, vel ex Ecclesiastica traditione : idque ad summum evincit objectio. Sed tamen ubi nullum ex præmissis capitibus occurrit, et alias materia ex libera Dei voluntate dependet, vane profecto assereretur : quia sine fundamento in asserendo procederemus. Et sic contingit in præsenti, ut firmantes confirmationem satis expressimus.

Dispellitur quædam objectio.

D. Tho.

§ II.

Refertur sententia contraria.

5. Durandus in 4, dist. I, quæst. 2, docuit in statu innocentiæ fuisse sacramenta, non quidem ut remedia peccati, quod tunc non erat, sed tanquam signa protestantia fidem Dei conferentis de præsenti sanctitatem, et de futuro gloriam. Quam sententiam probabilem reputat Alexander, 3 part. quæst. I, memb. 2, artic. 1, et plusquam probabilem Alanus Copus *de sacramentis* cap. 27. Et fuisse in prædicto statu unum aliquod sacramentum docent plures, et graves Auctores. Hugo Victorinus lib. 1, *de sacram.* par. 8, cap. 12 et 13. Petrus de Soto lect. 2, *de matrimonio*, §. *Primo de institutione*. Castro lib. 11, *contra hæres.* verbo *Nuptiæ, hæres.* 3. Catharinus lib. 5, contra Caietanum, *de matrimonio quæst.* 3 Henricus Rex Angliæ, dum erat Catholicus, et Roffensis in assertione septem sacramentorum. Albertus Pighius controvers. 10. Rebellus lib. 2, *de matrimon.* quæst. 3, et alii. Pro qua sententia

Durandus. Ale Alan Hug. Victori P tr de S Cast Cat ri Roff sis. Pigl Reb

Arguitur primo : quia gratia, quam primi parentes habuerunt in statu innocentiæ communicata illis fuit ex meritis Christi : ergo talis gratia habuit dependentiam a sacramentis : ergo aliqua sacramenta fuerunt in prædicto statu. Hæc secunda consequentia patet ex prima : quia non apparet qualiter illa gratia in tali statu habuerit a sacramentis dependentiam, et non a sacramentis tunc præsentibus, et existentibus. Prima vero ex antecedenti probatur : quia meritum Christi non applicatur hominum sanctificationi, nisi mediantibus sacramentis, quæ sunt signa protestativa Christi Salvatoris. Antecedens vero suadetur : tum quia omnis gratia datur per Christum, qui est auctor ejus. Tum quia Christus fuit consummator illius gratiæ, quam primi homines habuerunt, siquidem illam reparavit, et conjunxit cum gloria, sicut contingere solet in gratia, quam aliquando prædestinati peccando amittunt. Omittimus plures alias probationes, quæ Cabrera disp. citat. § 3, cum sequentibus prolixe nimis expendit : quia in præs. necessariæ non sunt, ut ex dicendis constabit.

Pri ar men

Confirmatur : nam ut inquit D. Thom. in præs. art. 1 : « Proprium est humanæ « naturæ, ut per corporalia in spiritualia, « et intelligibilia deducatur. Pertinet au« tem ad divinam providentiam, ut uni« cuique rei provideat secundum modum « suæ conditionis. Et ideo convenienter « divina sapientia homini auxilia salutis « confert sub quibusdam corporalibus, et « sensibilibus

Cor tio. D.

« sensibilibus signis, quæ sacramenta di-
« cuntur. » Et conformiter ad hæc doctrinam addit in respons. ad 2, « quod gratia « est causa sufficiens humanæ salutis. Sed « Deus dat gratiam hominibus secundum « modum eis convenientem : et ideo necessa- « ria sunt hominibus sacramenta ad gra- « tiam consequendam. » Constat autem omnes has radices concurrisse in statu innocentiæ, quem primi parentes habuerunt : siquidem ex una parte habebant naturam humanam, cui connaturale est per sensibilia ad intelligibilia procedere ; et ex alia parte opus habuerunt divina gratia, et auxiliis. Ergo de facto fuerunt aliqua sacramenta in statu innocentiæ, quamdiu in primis parentibus mansit.

Solvitur argumentum. Ad argumentum respondetur tangi in eo difficultatem, quam ex professo versavimus tract. 21, disp. 16, dub. 4. Et juxta doctrinam ibi traditam respondetur primo negando antecedens : quia sicut gratia Angelorum, ita etiam gratia primorum hominum in statu innocentiæ non processit ex meritis Christi. Et ratio est eadem utrobique : nam cum Christus fuerit prædestinatus in remedium peccati, omnis gratia justificans a Christo descendens est medicinalis, et sanativa ; Angelus autem, et homo in statu innocentiæ non receperunt gratiam medicinalem, et sanativam, nec illa opus habuerunt, cum nunquam passi fuissent peccati plagam : atque ideo gratia, quam acceperunt, non fuit ex meritis Christi. Antecedentis autem probationis dilutæ sunt loco citato, et modo breviter eliduntur : prima, quia Christus per merita non est auctor omnis gratiæ, sed solius gratiæ medicinalis, et sanativæ, qualem non habuerunt homines in statu innocentiæ. Secunda, quia esto, illa prima gratia fuerit reparata, et ut reparata pertinuerit ad eorum hominum prædestinationem, et subinde provenerit ex meritis Christi : tamen ut primo producta, et ad statum innocentiæ determinata non pertinuit ad eorum hominum prædestinationem, nec ortum duxit ex Christi meritis : sed in aliam providentiam revocabatur ob rationem jam assignatam, nempe omnem gratiam conducentem ad prædestinationem hominum, atque ex meritis Christi dependentem, esse gratiam redemptivam, et sanantem, supponentemque infirmitatem peccati. Quæ tamen prædicata illi gratiæ pro statu innocentiæ minime conveniebant, sicut nec gratiæ Angelorum. Hanc vero doctrinam hic leviter, et summatim delibatam recolat lector loco citato, ubi reperiet suis numeris absolutam. Respondetur secundo omittendo antecedens, et negando primam consequentiam. Cujus probationis debilitas patet tum ad hominem in gratia Angelorum, quæ licet, ut quidam volunt, fuerit ex meritis Christi ; nihilominus communicata illis est independenter a sacramentis. Tum in hoc ipso statu post peccatum : quia gratia Christi non sic alligatur sacramentis, ut nunquam derivetur, nisi per illa : constat enim justificationem aliquando fieri extra sacramentum ; et constat etiam plura dari nobis auxilia per Christum non mediantibus sacramentis. Et sic contingeret in statu innocentiæ, licet concederetur ejus gratiam derivari ex Christi merito. Non enim tunc fuerunt sacramenta ob motiva superius assignata.

Satisfit confirmationi. Ad confirmationem neganda est minor : quia rationes illæ, quas D. Thom. assignat, ut probet homini necessaria esse sacramenta ad salutem, procedunt attenta præcise naturali homini conditione, vel adjuncta etiam miseria peccati, et supposita permanentia status, cui sacramenta deserviant, ut constat ex supra dictis partim in hoc dubio, partim in Comment. ad artic. 1. Nihil autem concurrebat in statu innocentiæ : non quidem naturalis conditio, siquidem homo perfectus erat supra naturalem exigentiam, et conditionem : nec etiam miseria peccati, quæ tunc aberat : nec denique permanentia status, cum ille brevissimo spatio duraverit, et in hoc sensu procedit præsens difficultas. Unde idem Angelicus Præceptor, qui illam priorem doctrinam in primo art. statuerat, illam sibi opposuit in secundo, diluitque objectiones his verbis : « Ad primum dicendum, quod homo « in statu innocentiæ gratia indigebat : D. Tho. « non tamen ut eam consequeretur per « aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter, « et invisibiliter. Ad secundum dicendum, « quod eadem est natura hominis ante « peccatum : non tamen est idem na- « turæ status. Nam post peccatum anima « etiam quantum ad superiorem partem indiget accipere aliquid a corporalibus « rebus ad sui perfectionem : quod in illo « statu homini necessarium non erat. »

6. Arguitur secundo : quia non alia ra-

Secundum argumentum. tione negaretur institutio sacramentorum, quandiu duravit status innocentiæ in primis hominibus, nisi quia eo statu durante necessaria non erant, nec actu exerceri poterant : sed hæc ratio est nulla : ergo absque fundamento negamus existentiam sacramentorum in statu innocentiæ. Probatur minor : Quoniam ut sacramenta congrue instituerentur durante innocentiæ statu, sufficiebat, quod illa necessaria essent ad remedium peccati post lapsum ab illo statu, et quod præpararentur tanquam remedia alio tempore profutura. Quod in hunc modum declarari valet : nam Deus non minus propendit in misericordiam, quam in justitiam : et tamen antequam homines peccarent, providit ignem inferni ad puniendum culpas postea futuras : ergo pariter ante lapsum hominis potuit congrue præparare et instituere sacramenta pro remedio futurorum peccatorum. Declaratur amplius : nam Deus antequam morbi essent, creavit herbas salutiferas pro curandis corporibus necessarias : ergo pariter priusquam esssent peccata, potuit pro curandis animabus præparare, atque instituere remedium sacramentorum.

Confirmatio. Confirmatur : quia statui innocentiæ non minus repugnabat actus pœnitentiæ, et actus misericordiæ, quam actualis sacramentorum usus, vel applicatio : et tamen in statu innocentiæ fuerunt virtus pœnitentiæ, et virtus misericordiæ : ergo pariter fuit virtus sacramentorum : ergo fuerunt etiam sacramenta. Major probatur : quia sicut actualis usus, sive applicatio sacramentorum supponit infirmitatem, et necessitatem ortam ex peccato, quod durante statu innocentiæ minime supponebatur ; sic etiam pœnitentiæ actus supponit culpam, et misericordiæ actus supponit miseriam, quæ tamen durante statu innocentiæ minime occurrebant : ergo statui innocentiæ non minus repugnabat actus pœnitentiæ, vel misericordiæ, quam actualis usus sacramentorum. Minorem autem expresse docet D. Thom. 1 part. quæst. 95, artic. 3, ubi inquirit : Utrum Adam habuerit omnes virtutes, et inter alia inquit : « Si vero imperfectio, quæ est de « ratione virtutis alicujus repugnat perfec« tioni primi status, poterat hujusmodi « virtus esse ibi secundum habitum, et non « secundum actum, ut patet de pœnitentia, « quæ est dolor de peccato commisso, et « de misericordia, quæ est dolor de miseria « aliena. Perfectioni autem primi status « repugnat tam dolor, quam culpa, et mi« seria. Unde hujusmodi virtutes erant in « primo homine secundum habitum, et « non secundum actum. Erat enim primus « homo sic dispositus, ut si peccatum præ« cessisset, doleret: et similiter si miseriam « in alio videret, eam pro posse repelleret. « Sicut Philosophus dicit in 4 Ethicor. « quod verecundia, quæ est de turpi facto, « contingit studioso solum sub conditione. « Est enim sic dispositus, quod verecunda« retur, si turpe aliquid committeret. » Id autem eodem modo potest dici de sacramentis in illo statu : nam si homo ita erat dispositus, quod si peccatum præcessisset, doleret ; pariter erat ita dispositus, quod si egeret sacramentis, illa applicaret. Ergo qua ratione pro eo statu asseritur existentia virtutis pœnitentiæ, asserenda etiam est existentia sacramentorum.

Occurritur... Ad argumentum respondetur rationem assertionis nostræ propositam a nobis esse § præcedenti, diversamque esse ab illa, quæ in argumento repræsentatur : quod proinde parum, aut nihil premit. Sed tamen respondemus admittendo majorem, et negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est potentiam peccandi in Adamo, quinimo et futurum ipsius peccatum non sufficere, ut sacramenta congrue instituerentur durante statu innocentiæ, nempe ad hoc, quod deservirent post lapsum. Quoniam sacramenta deserviunt statui, in quo instituuntur : sacramenta autem ordinata ad remedium peccati post lapsum, nihil deservirent statui innocentiæ, ut ex se liquet : et ideo non oportuit quod durante statu innocentiæ instituerentur, aut essent. Præsertim cum Deus posset eodem modo, et congruentiori tempore illa post lapsum introducere, ut de facto fecit. Accedit, quod illa sacramenta constituta ad reparandum futurum lapsum vel fuissent cognita ab Adamo ; et si cognosceret propriam ruinam futuram, et tristaretur : quod minime congruebat illius status felicitati. Vel non fuissent ab Adamo cognita, et sic perinde se haberent, ac si non essent ; siquidem cessante cognitione, promulgata non fuissent, et hominem omnino laterent. Quare attentis omnibus non fuit conveniens anticipata illa sacramentorum institutio ad remedium peccati postea futuri. Nec oppositum suadent

dent exempla in contrarium proposita. Nam quod ad infernum attinet, hic locus non solum fuit paratus pro pœna peccatorum hominum, sed etiam Angelorum, quorum jam peccatum præcesserat, juxta illud Christi Matth. 25 : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.* Accedit infernus esse partem Universi, atque ideo simul cum illo productum fuisse, ut significatur Eccles. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Inde vero trahi nequit similitudo ad institutionem sacramentorum, quæ nec pertinent ad integritatem Universi, nec consequuntur per se ad statum innocentiæ : sed procedere debuerunt ex alia nova, et libera Dei voluntate. Et quod non oportuerit Deum velle instituere sacramenta pro exigua illa duratione, quam habuit status innocentiæ, ostendimus § præced. Per quem etiam excluditur aliud exemplum herbarum medicinalium: nam istæ sunt naturales Universi partes, et ideo connaturaliter loquendo debuerunt simul cum illo produci; quidquid fuerit de futuris hominum morbis.

Matth. 25.

Eccles. 18.

Diruitur confirmatio.

Ad confirmationem omittendo majorem, et concedendo minorem, negamus absolute consequentiam. Nam licet exemplo pœnitentiæ, et misericordiæ probetur non adfuisse contradictionem in eo, quod Deus durante statu innocentiæ institueret aliqua sacramenta habitura usum, et effectum post lapsum ; quod non negamus : minime tamen evincitur hujusmodi dispositionem fuisse attentis omnibus congruentem : oppositum enim satis constat ex supra dictis. Ratio autem disparitatis inter illud exemplum, et rem præsentem est, quod virtus pœnitentiæ, et virtus misericordiæ naturaliter consequuntur gratiam sanctificantem in subjecto capaci pœnitendi, et miserendi, quin alia actio sit necessaria ad earum fieri, et esse, quippe quæ fiunt per naturalem resultantiam ex vi ejusdem actionis : sicut generaliter contingit in proprietatibus formæ, quæ producitur. Adamus autem erat absolute subjectum capax pœnitendi, et miserendi, ut ab effectu liquet. Quocirca simul cum gratia justificante accepit pœnitentiæ, et misericordiæ virtutes. Cæterum institutio sacramentorum non consequitur naturaliter gratiam, aut statum aliquem, et multo minus statum, qui brevissimo tempore durat, uti se habuit status innocentiæ, ut determinatus ad duos primos illos homines, in quibus fuit. Et ideo nulla fuit necessitas, aut exigentia naturalis sacramentorum pro tali statu. Abfuit etiam congruentia ob ea, quæ supra diximus, præsertim cum Deus posset facillime sacramenta instituere, ubi opus esset, nempe succedente peccato, ut de facto contigit.

Tertium argumentum.

7. Arguitur tertio : nam matrimonium institutum fuit durante statu innocentiæ, ut constat ex cap. 2 Genes. sed matrimonium illud fuit sacramentum : ergo de facto aliquod sacramentum fuit in statu innocentiæ, qui duravit in primis parentibus. Probatur minor ex Apostolo ad Ephes. 5, ubi loquens de primo illo matrimonio, et alludens ad verba Adami inquit : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Fuit igitur illud matrimonium aliquod sacramentum, significans unionem Christi, et Ecclesiæ. Idque non obscure significavit S. Leo Magnus Epist. 92, cap. 4, alludens namque ad verba Christi Matth. 19, ubi loquens de conjugio primorum hominum dixit : *Non legistis, quod qui fecit hominem ab initio, masculum, et feminam fecit eos ? et dixit : Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ etc.* inquit : *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi, et Ecclesiæ sacramentum etc.* Ergo matrimonium in statu innocentiæ celebratum fuit sacramentum.

Ad Eph.

S. Leo. Matth. 19.

Solutio.

Respondetur negando minorem intellectam de sacramento proprie dicto, de quo agimus in præs. quod est signum rei sacræ sanctificantis homines in ejus applicatione juxta superius dicta disp. 1, dub. 3. Et sunt quidem Auctores aliqui tam asseveranter docentes matrimonium primorum parentum non fuisse sacramentum verum, ut proferant contrariam sententiam non posse absque nota defendi, atque esse ab Ecclesia proscriptam. Ita Bellarminus, Basilius Pontius, Vazquez, et Lugo apud Prado ubi supra n. 27. Quorum principale motivum est Ecclesiam in Concilio Florentino in decreto fidei, et in Concilio Tridentino sess. 24, canon. 1, diffinisse matrimonium esse unum de septem sacramentis legis gratiæ, quæ Christus instituit : id autem falsum foret, si matrimonium prius institutum fuisset in ratione sacramenti, habuissetque

Aliquorum opinio. Concil. Florentinum. Concil. Tridentinum.

veri sacramenti rationem : ergo asserere matrimonium primorum hominum fuisse verum sacramentum, est adeo falsum, quod mereatur aliquam censuram. Juxta quam doctrinam objecta nobis difficultas penitus evanescit. Sed illi non subscribimus : quia non audemus, illi sententiæ notam inurere, quam tuentur gravissimi Auctores post Concilium Florentinum, et Tridentinum, ut constat ex relatis n. 5. Unde illorum sententiam esse probabilem affirmant Filliutius tract. 1, cap. 3, quæst. 3, n. 38. Beccanus *de sacram. in genere*, cap. 1. Bernal, disp. 1, sect. 2, § 1. Prado dub. citato num. 31 et alii. Et plane motivum, quod contraria pars expendit, infirmum est, deficitque exemplo sacramenti Ordinis, quod profecto est unum de septem sacramentis novæ legis institutis a Christo Domino : et tamen ordinatio sacerdotum in lege scripta fuit vere, et proprie sacramentum : ergo idem proportionabiliter dici potest de matrimonio absque ulla oppositione cum Ecclesiæ doctrina. Et ratio est proportionabiliter eadem : quoniam licet ordo, et matrimonium fuerint jam olim vere, et proprie sacramenta, nihilominus erant sacramenta diversæ rationis ab illis, quæ Christus instituit in lege gratiæ. Sacramenta enim antiqua solum significabant gratiam in eorum applicatione productam, sed illam non conferebant, aut producebant : Sacramenta autem nova, quorum Christus est auctor, gratiam, quam significant, efficiunt : indeque habent distingui specifice a sacramentis antiquis, ut explicuimus disp. 1, dub. 4. Ergo quamvis matrimonium sit sacramentum novæ legis, et sub hac ratione fuerit a Christo non solum approbatum, sed etiam vere, et proprie institutum ; inde tamen minime sequitur, quod prius non fuerit vere, et proprie sacramentum. Atque ideo corruit motivum, quo Basilius Pontius, et alii percellunt censuris contrariam sibi sententiam.

8. Aliter itaque argumentum dilui debet negando simpliciter minorem ut falsam : nam licet matrimonium primorum parentum dicatur sacramentum minus proprie, id est signum præfigurativum alicujus rei sacræ ; nihilominus non fuit sacramentum proprie dictum, hoc est, signum rei sacræ sanctificantis in ejus usu, et applicatione : non enim ad sanctificationem hujusmodi tunc ordinatum fuit. Apostolus autem, et S. Leo solum loquuntur in priori sensu : non autem in hoc ultimo, qui necessarius erat ut argumentum concluderet. Et sic respondet Div. Thom. in præs. artic. 2 ad 3, his verbis : « Dicendum, quod matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ. Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, et Ecclesiam : sicut, et omnia alia, quæ in figura Christum præcesserunt. » Quod satis patet in transitu maris rubri, in serpente æneo, et similibus, quæ dicuntur sacramenta, id est, signa præfigurativa Christi ; et tamen non fuerunt vere, et proprie sacramenta, de quibus agimus. Et in eodem sensu Div. August. lib. 1, *contra adversar. legis et proph.* cap. 20, lignum vitæ appellavit sacramentum : non quia sanctificaret usu, aut applicatione; sed quia res sacras, et occultas significavit. Recolantur, quæ diximus in procemio num. 3, ubi varias acceptiones hujus nominis *Sacramentum* recensuimus. Notandum autem est non ideo matrimonium primorum parentum sacramentum non fuisse, quia non fuerit apta materia, ut ad sacramenti rationem assumeretur : erat namque, et ejusdem rationis cum matrimonio, quod modo est. Sed tamen quia sacramentum non constituitur in ratione sacramenti per solam materiam aptam, sed multo magis per voluntariam institutionem Dei ordinantis, ut talis materia sit signum gratiæ practicum, cujus applicatione homines sanctificentur : et quia non oportuit, quod Deus adhiberet eam ordinationem pro brevi illo spatio, quo status innocentiæ duravit, ut supra ostendimus : propterea matrimonium in tali statu non fuit vere, et proprie sacramentum. Institutum itaque tunc fuit in officium naturæ, quam oportebat multiplicari ; non autem ut ceremonia religiosa, aut per modum sacramenti. Et quod significaverit aliquid sacrum, non fuit ex primaria ejus institutione, sed ex consequenti, ob proportionem scilicet, et similitudinem aliquam cum aliquo sacro futuro. Quinimo D. Thom. in 4, dist. 1, q. 1, art. 2, quæstiunc. 2 ad 3, observat, quod homo in statu innocentiæ non habuisset per matrimonium notitiam conjunctionis Christi, et Ecclesiæ. « Sed magis e converso ex cognitione prædictæ conjunctionis convenientiam,

« tiam, et sanctitatem matrimonii cogno-« visset. »

Objectio ex D. Th. 9. Nec refert, si præmissæ responsioni, et doctrinæ opponas eundem D. Th. 2, 2, q. 2, art. 7, ubi ait : « Ante statum peccati « homo habuit explicitam fidem de Christi « incarnatione, secundum quod ordinaba-« tur ad consummationem gloriæ, non au-« tem secundum quod ordinabatur ad libe-« rationem a peccato per passionem, et « resurrectionem : quia homo non fuit « præscius peccati futuri. Videtur autem « Incarnationis Christi præscius fuisse per « hoc, quod dixit : Propter hoc relinquet « homo patrem, et matrem, et adhærebit « uxori suæ, ut habetur Genes. 2. Et hoc « Apostolus ad Ephes. 5, dicit sacramen-« tum magnum esse in Christo, et Eccle-« sia. Quod quidem sacramentum non est « credibile primum hominem ignorasse. » Si autem per suum matrimonium agnovit futuram Christi,et Ecclesiæ conjunctionem; profecto cognovit tale matrimonium esse signum rei sacræ, nempe illius conjunctionis : quod, et non amplius desideratur ad rationem sacramenti.

Diluitur. Id, inquam, minime refert. Tum quia D. Thom. non asserit, quod Adam per matrimonium tanquam per signum venerit in notitiam Incarnationis, et conjunctionis Christi cum Ecclesia; sed magis significat Adamum illustratum divina revelatione cognovisse alias prædictum mysterium, et ad illud repræsentandum adhibuisse signum matrimonii, et dixisse illa verba, *propter hoc, etc.* « Videtur, inquit, incarna-« tionis præscius per hoc, quod dixit : « Propter hoc relinquet homo, etc.» Significans eorum verborum prolationem ortum habuisse ex mysterii præscientia. Quod est omnino conforme sententiæ supra relatæ ex 4, sent.: «Non habuit per matrimonium « notitiam conjunctionis Christi, et Eccle-« siæ : sed magis e converso ex cognitione « prædictæ conjunctionis convenientiam, « et sanctitatem matrimonii cognovit. » Et si res ita se habuit; nullo modo sequitur prædictum matrimonium habuisse rationem signi in ordine ad tale significatum. Tum etiam et præcipue quia licet concederemus Adamum per suum matrimonium tanquam per signum cognovisse futuram Christi, et Ecclesiæ conjunctionem ; non inde colligeretur tale matrimonium fuisse vere, et proprie sacramentum, de quo agimus; sed solum mysterium, aut symbolum : quia non fuit signum practicum sanctificans Adamum, quod sacramentum proprie dictum exigebat: sed solum fuit signum speculativum, et cognitioni deserviens, ut in transitu maris rubri, et in pluribus aliis figuris contigit. Et idem proportionabiliter dicendum est de pluribus aliis signis externis, quæ illi homines in prædicto statu adhibere potuerunt ad protestandum fidem, ad recognoscendum Deum, ad agendum gratias pro beneficiis etc. quia hæc non ordinabantur ad eorum sanctificationem per applicationem : et ideo nec erant signa practica, nec sortiebantur veram sacramenti rationem, ut magis constabit ex dicendis dub. sequenti.

DUBIUM II.

Utrum in statu innocentiæ, si durasset, essent sacramenta?

Vidimus,quid de facto contigerit in statu innocentiæ : nunc videndum est, quid contingeret Adamo non peccante, et tali statu in posteris, ut reipsa eveniret, permanente Ubi jam non attendimus ad brevem illam durationem, quam prædictus status per accidens habuit, sed magis ad propriam ejus conditionem, quam habet ex se, et juxta quam regulari debet congrua dubii resolutio. Quod enim Deus posset absolute, et juxta aliam providentiam sacramenta instituere; et quod si institueret, haberet rationes ad id congruas, nemo est, qui dubitet. Tractanda itaque est difficultas attentis conditionibus illius status, quas ex Div. Thom. num. 1 descripsimus, et per respectum tam ad providentiam illi statui congruam, quam ad præsens decretum, quod Deus de facto habuit circa perseverantiam talis status, si non peccavisset Adamus. Et sic procedit difficultas independenter ab alia suppositione Christi venturi, aut non venturi Adamo non peccante. In hoc itaque sensu

§ I.

Sententia D. Thomæ præfertur.

10. Dicendum est, quod in statu innocentiæ, si durasset, non essent sacramenta. Conclusio. Ita D. Thom. in præs. art. 2, ubi resolvi'

sacramenta in statu innocentiæ ante peccatum necessaria non fuisse. Nec valet dicere S.Doctorem solum negare necessitatem,non autem convenientiam, aut congruentiam sacramentorum pro tali statu : et hoc ultimum, non autem illud primum asserunt Adversarii. Id, inquam, dici nequit : quoniam manifestum est, quod D. Thomas in tota hac quæst. nomine necessarii significat non necessarium absolute, sed necessarium ad finem salutis; nec agit de necessario absolute ad talem finem, sed solum de necessario ad melius esse, ut supra observavimus in Comment. ad art. 1, et sentiunt omnes Expositores. Hujusmodi autem necessarium nihil aliud est, quam conveniens, aut congruum. Unde D. Th. dicendo sacramenta non fuisse in statu innocentiæ necessaria aperte significavit illa non esse congrua, vel convenientia pro tali statu. Et in hoc sensu accipiunt, et defendunt communiter Thomistæ resolutionem S. Doctoris. Soto in 4, dist. 1, q. 3, § De tertio articulo, Martinus de Ledes. q. 2, art. 2, in fine, Cajetanus in præs. art. 2, ubi Nuno dub. 1, Cabrera disp. 2, § 3, Arauxo dub. 3, Joam. a S. Th. dub. 2, Ruyz, dub. 1, Prado, dub. 2, § 3, n. 49, Gonet disp. 2, art. 1, conclus. 2 et alii. Idem etiam tuentur D. Bonaventura in 4, dist. 1, art. 1, quæst. 1, Ricardus art. 2, quæst. 1, Gabriel quæst. 3, Major quæst. 4, Paludanus quæst. 3, Pitigianus quæst. 3, art. 5, Henriquez lib. 1, cap. 5, Bonæspei disp. 1, dub. 2, n. 23, Altisiodorens. lib. 4, summæ in principio, Granados controv. 3, tract. 2, disp. 1, sect. 1, cum seq. Cartagena disp. 2, diffi. 1, Caspensis disp. 2, sect. 2, Ochagav. q. 7, conclus. 2 et alii plures Auctores. Ex quibus non minus quam viginti quatuor refert, et sequitur Leander de sacramentis disp. 2, quæst. 2.

Probatur unica ratione D. Thom, in præs. art. 2, reliquæ enim, quas alii proponunt, vel efficaciam non habent, vel ad eam tandem revocantur, ut efficaces sint. Est autem ejusmodi : quoniam sacramenta non congruunt perfectioni status innocentiæ : ergo non essent in tali statu, quamvis Adamo non peccante durasset. Consequentia est necessaria juxta qualitatem materiæ : nam quod sacramenta forent, aut non forent pro tali statu, nequit certo aliunde stabiliri, quam juxta connaturalem exigentiam talis status, sive per correspondentiam ad ipsum : neque enim circa id occurrunt revelationes, aut alia principia, quibus controversiam decidamus : ergo si sacramenta non conveniunt perfectioni status innocentiæ; recte colligitur, quod licet status innocentiæ Adamo non peccante existeret, tamen sacramenta in tali statu non essent. Antecedens autem suadetur : quoniam perfectio status innocentiæ stat in eo, quod pars inferior, et omnia corporalia subordinentur, et perfecte obediant parti superiori, et hæc soli Deo, a quo immediate gubernatur, et supernaturalia accipit: atque ideo consistit in eo, quod Deus sibi perfecte subjiciat partem hominis superiorem, et hæc perfecte subjiciat partem inferiorem cum omnibus corporalibus ad ipsam pertinentibus, ut satis ista constant ex descriptione prædicti status tradita a D. Thom. quam proposuimus num. 1. Tali autem perfectioni minime congrueret sacramentorum usus, siquidem sacramenta sunt quædam elementa corporalia, quibus homo se subdit, cum per eorum applicationem sanctificatur, aut perficitur : quæ subjectio opponitur illi perfectioni importanti elevationem, et dominium supra res corporeas. Ergo sacramenta non congruunt perfectioni status innocentiæ.

Confirmatur, et declaratur amplius vis hujus rationis : nam sicut Angelus est connaturaliter super omnes res corporeas, et Deo sui auctori immediate subditur; sic etiam perfectio status innocentiæ constitueret hominem super omnia corporea, et Deo auctori, ac perfectioni supernaturali illum immediate subjiceret : sed quia Angelus est naturaliter super omnes res materiales, et Deo immediate subditur; non congruunt Angelo sacramenta, alienumque est a perfectione Angeli, quod sacramentis sanctificetur aut perficiatur : ergo pariter quia status innocentiæ extollit hominem supra res corporales, et illum immediate subordinat soli Deo tanquam agenti, et perfectioni supernaturali; sequitur sacramenta non congruere homini constituto in statu innocentiæ, alienumque a tali statu, ejusque perfectione esse, quod homo sacramentis se subjiciat, et ab eisdem habeat immediate sanctitatem, aut perfectionem. Confirmatio

11. Respondent adversarii in præmisso discursu falsum assumi : fateri namque oportet, quod hominem in eo statu uti rebus corporalibus ad cognitionem, aut profectum, non esset ulla imperfectio; vel si imperfectio Effugium.

imperfectio foret, aliena tamen non esset a tali statu, sed eidem cohærens. Etenim licet Adamus habuerit a prima sui conditione scientiam, et species a Deo sibi communicatas, ejus tamen posteri cum his non nascerentur; sed illas sibi compararent recipiendo species ab objectis sensibilibus, et cognoscendo per conversionem ad corporalia phantasmata, ut aperte significat D. Thom. 1 p. q. 101, art. 1, his verbis: « Dicendum, quod de his, quæ sunt supra « naturam soli auctoritati creditur. Unde « ubi auctoritatas deficit, sequi debemus « naturæ conditionem. Est autem naturale « homini, ut scientiam per sensus acquirat. « Et ideo anima unitur corpori, quia indi- « get eo ad suam propriam operationem. « Quod non esset, si statim a principio scien- « tiam haberet non acquisitam per sensiti- « vas virtutes. Et ideo dicendum est, quod « pueri in statu innocentiæ non nasceren- « tur perfecti in scientia; sed eam in pro- « cessu temporis absque difficultate acqui- « sivissent inveniendo, vel addiscendo. » Unde in resp. ad 1 subdit: « Dicendum « quod esse perfectum in scientia fuit indi- « viduale accidens primi parentis: in « quantum scilicet ipse instituebatur ut pa- « ter, et instructor totius generis humani. « Et ideo quantum ad hoc non generabat « filios similes sibi; sed solum quantum ad « accidentia naturalia, vel gratuita totius « naturæ. » Compararent itaque filii Adæ scientiam dependenter ab objectis sensibilibus, et per conversionem ad phantasmata. Ergo dependentia a rebus corporeis, et sensibilibus, vel non erat imperfectio, vel erat imperfectio homini adhuc in illo statu connaturalis. Atque ideo ex eo, quod sacramenta sint res corporeæ, et homo in eorum usu eisdem subdatur; minime sequitur id non congruere hominibus pro innocentiæ statu.

D. Tho.

Sed hoc effugium præcluditur primo: nam hominem dependere ab objectis sensibilibus in eis operationibus, in quibus a prædictis objectis naturaliter dependet, non est imperfectio statui innocentiæ repugnans: quippe sicut prædictus status non destrueret, nec mutaret naturam, sic etiam non excluderet naturales ejus dependentias in agendo, et cognoscendo: constat autem, quod modus, quem homo naturaliter habet in cognoscendo, consistit in hoc, quod hauriat species ab objectis sensibilibus, et cognoscat per conversionem ad phantasmata, ut non obscure docet D. Thom. in testimonio relato: ergo prædictus modus cognoscendi non est imperfectio statui innocentiæ repugnans. Cæterum quod homo subordinetur sacramentis, rebus scilicet sensibilibus, ut in eorum usu sanctificetur, aut perficiatur, non est aliquid eidem connaturaliter debitum, nec ad modum ipsius naturalem spectans: aliunde vero status innocentiæ sic elevabat hominem, ut rebus corporeis dominaretur, easque sibi subordinaret. Ergo quod homo in statu innocentiæ uteretur sacramentis erat imperfectio quædam conditioni, et dispositioni prædicti status repugnans. Secundo, quia accipere species ab objectis, et intelligere per conversionem ad phantasmata taliter est imperfectio quædam naturalis, quod tamen attentis omnibus arguit, et fundat in homine majorem simpliciter perfectionem: sic enim salvatur in illo operatio intellectus agentis abstrahentis prædictas species. Et quod Adam illas habuerit a principio sibi infusas, fuit per accidens, eo quod instituebatur ut pater, et instructor totius generis humani. Cæterum quod homines in statu innocentiæ, uterentur sacramentis erat ex una parte quædam imperfectio propter subordinationem ad illa sacramenta tanquam ad principium extrinsecum: et aliunde prædicta subordinatio non esset necessaria ad fundandum, vel salvandum majorem aliquam perfectionem; siquidem quidquid participarent a sacramentis, possent æque bene, et magis independenter consequi vel immediate a Deo, vel per proprias operationes. Ergo asserere sacramenta in statu innocentiæ est introducere quandam dependentiam, et imperfectionem non necessariam, et dignitati illius status minime congruentem.

Præcluditur.

12. Ad hæc: quamvis nulla inordinatio et præternaturalitas appareat in eo, quod unum subordinetur alteri in ea linea, ordine, aut ratione, in quibus illi non dominatur; nihilominus inordinatio, atque innaturalitas apparet in eo, quod unum subordinetur alteri in eademmet linea, ordine, et ratione, in quibus importat dominium, aut excellentiam supra ipsum, ut ex ipsis terminis constare videtur. Ordo autem, et perfectio status innocentiæ in eo præcipue consistebat, quod mens humana secundum partem superiorem, et in ordine ad finem

Major responsionis impugnatio.

supernaturalem, et pertinentia ad ipsum, ut sunt gratia, et supernaturalis cognitio, soli Deo auctori prædicti ordinis immediate subderetur; et quod ab hac subjectione haberet dominium supra partem inferiorem, et supra res corporeas Universi, ut supra n. 1, vidimus ex D. Thom. Non autem consistebat perfectio talis ordinis in modo se habendi circa objecta naturalia, vel in cognoscendo ipsa, vel in eliciendo circa illa naturales operationes. Ergo quod homo in eo statu haberet naturalem dependentiam ab objectis sensibilibus, quatenus acciperet ab eis species, et cognosceret cum conversione ad phantasmata; nulla erat innaturalitas, aut inordinatio intra prædictum ordinem. Sed quod homo subderetur rebus sensibilibus tanquam signis practicis, per quorum applicationem consequeretur vel sanctificationem, vel perfectionem, vel cognitionem in ordine ad supernaturalia, non poterat non esse aliquid inordinatum, sive innaturale intra illum ordinem. Atque ideo sacramentorum usus prædicto innocentiæ statui minime congruebat. Potestque id declarari exemplo eorum, quæ in Prophetis contingebant: hi namque naturali industria intellectus acquirebant species, nec alias (regulariter loquendo) habebant infusas a Deo, ut colligitur ex Div.
D. Th. Thoma 2, 2, quæst. 173, artic. 2, et tamen cognitio prophetica (quæ fiebat media illarum specierum coordinatione), communicabatur eis immediate a Deo, quia Deus erat immediatus instructor, movebatque illorum mentes. Sic igitur contingeret in statu innocentiæ: homines namque naturaliter conquirerent sibi species ab objectis sensibilibus acceptas: sed tamen eorum illustratio, sive cognitio circa res supernaturales non fieret per objecta sensibilia, neque per sacramenta, tanquam per media, quibus manuducerentur in supernaturalem notitiam: sed talis cognitio foret immediate a Deo, cui mens humana in ordine ad prædicta immediate subordinaretur.

Objectio. 13. Nec refert, si dicas ex usu sacramentorum pro statu innocentiæ non inferri imperfectionem, aut innaturalitatem, quam intendimus, et ob quam sacramenta a prædicto statu relegamus. Nam in primis homo in tali statu uteretur propriis viribus, organis, et vocibus tanquam instrumentis, aut mediis, per quæ consequeretur notitiam rerum etiam supernaturalium: et tamen non inde sequeretur, quod se subjiceret, aut subordinaret prædictis rebus, nec quod ab hac parte incurreret aliquam imperfectionem: ergo idem contingeret, quamvis in prædicto statu sacramentis uteretur. Deinde, esto, quod in usu sacramentorum interveniret aliqua subordinatio; hæc tamen non esset respectu rerum sensibilium; sed magis respectu Dei in earum usu. Quod nullum esse inconveniens ex eo apparet, quod Deus homini in illo statu prohibuit esum ex una arbore, quæ est quid sensibile: et non propterea mansit homo subjectus rei sensibili, sed Deo in prohibitione circa illam rem.

Hæc, inquam, responsio, non satisfacit, Solutio. nec illam fundant ea, quibus se explicat. Non quidem primum ob satis notam disparitatem. Nam licet hominem uti instrumentis sibi naturaliter subordinatis non sit ulla subordinatio hominis ad talia instrumenta: tamen quod homo sanctificetur, aut perficiatur in applicatione aliquorum instrumentorum sibi naturaliter non subordinatorum, fieri non valet absque hominis depressione, et ad talia instrumenta subordinatione. Organa autem, voces, signa, et similia, quibus homo in statu innocentiæ uteretur ad comparandum scientiam naturalem, essent naturalia instrumenta eidem homini subordinata: et ideo ex talium usu non colligeretur hominis subordinatio, aut depressio, sed magis auctoritas, et dominium. Sed sacramenta non essent instrumenta homini subordinata, sed ab extrinseca providentia introducta: unde quod homo in eorum usu sanctificaretur, aut perficeretur, non contingeret absque aliqua hominis subordinatione ad res ipsas sensibiles sacramentorum; super quas e converso deberet habere dominium ex vi status innocentiæ: et consequenter non posset non ibi intervenire aliqua inordinatio, et innaturalitas. Nec amplius probat secundum: quia homo utendo sacramentis revera subjicitur non soli Deo, sed etiam sacramentis, licet illi magis, quam his. Status autem innocentiæ ex conditione sua postulabat, quod homo secundum mentem (in qua contingit sanctificatio, et quælibet perfectio supernaturalis), soli Deo immediate subderetur: sicut in Angelis proportionabiliter contingit. Unde usus sacramentorum in tali statu minime congrueret perfectioni, quam talis status

status importat. Et præceptum, quod homo habuit, circa lignum vitæ, nihil probat in contrarium : quia per tale præceptum homo minime subdebatur arbori, in quam potius habebat naturalem superioritatem ; sed unice subjiciebatur soli Deo præcipienti, a quo immediate movebatur. In sacramentorum autem usu subordinaretur non soli Deo, sed etiam sensibilibus sacramentorum rebus tanquam ipsum perficientibus : sicut de facto in usu sacramentorum pro quibusvis aliis statibus contingit. Prædicta vero subordinatio foret supra, et contra connaturalem talis status conditionem, et exigentiam.

Objectio. 14. Sed oppones : quia de ratione sacramenti proprie dicti non est esse causam sanctificationis, aut perfectionis, sed solum esse signum practicum effectus in sacramenti applicatione producti, ut ostendimus disput. 1, dub. 1 cum sequent. atqui non erat contra dignitatem, et exigentiam status ignocentiæ, quod homo uteretur signis practicis : ergo neque quod uteretur sacramentis. Probatur minor : quia certum apparet hominem in eo statu usurum aliquibus signis practicis, utpute ad celebrandum matrimonium, et alios contractus.

Confirmatio. Confirmatur : quia sacramenta non aliter sunt, et dicuntur signa practica, nisi quia per illorum usum ducimur in rerum supernaturalium notitiam : sed nulla esset inordinatio in eo, quod homo in statu innocentiæ uteretur hujusmodi signis in ordine ad prædictum effectum : ergo nec ordinatio aliqua esset in sacramentorum usu. Probatur minor : tum quia non esset ulla inordinatio in eo, quod homo per creaturas, et effectus cognosceret primam causam : ergo nec in eo, quod per res aliquas sensibiles, ut sacramenta sunt, acquireret notitiam rerum intelligibilium, spiritualium, et supernaturalium. Tum etiam : quia homini in statu innocentiæ non proponebantur mysteria fidei (quæ cognovlt, v. g. unionem Christi, et Ecclesiæ), cum omnimoda claritate, sed sub ænigmate, ut ipsa fides poscit : sed ad id erant opportunissima aliqua signa sensibilia : ergo nulla esset inordinatio in eo, quod homo in statu innocentiæ uteretur signis sensibilibus ad cognoscendum supernaturalia objecta. Tum denique, quia non esset major inordinatio in eo, quod homo in tali statu constitutus acciperet ab alio homine notitiam rerum spiritualium supernaturalium ; quam in eo, quod Angelus ab homine accipiat notitiam alicujus mysterii : sed non est inconveniens, quod in Angelo id aliquando contingat, juxta illud ad Ephesios 3 : *Ut innotescat Principatibus, et Potestatibus per Ecclesiam in cœlestibus :* ergo non esset inconveniens hominem in statu innocentiæ aliquid de hujusmodi mysteriis discere ab alio homine : id autem fieret per signa sensibilia : nulla igitur foret inordinatio in eo, quod homo in statu innocentiæ uteretur signis sensibilibus ad comparandum notitiam rerum spiritualium. Ad Eph. 3.

Occurritur objectioni. Ad objectionem respondetur, quod licet uti signis practicis in ordine ad res humanas, et contractus practicos non esset contra conditionem, et dignitatem status innocentiæ ; foret tamen uti signis practicis in ordine ad sanctificationem, et alios effectus supernaturales, subjiciendo se prædictis signis, ut in usu sacramentorum contingeret. Et ratio disparitatis est, tum quod signa practica in ordine ad contractus, et res humanas essent, sicut modo sunt homini connaturalia : uti vero signis practicis in ordine ad sanctificationem foret præter, et contra dignitatem status innocentiæ ; quia homo secundum mentem, et quantum ad illos effectus soli Deo immediate subdebatur, non autem ulli creaturæ. Tum quod in usu signorum practicorum in ordine ad res humanas nulla dabatur subordinatio ad prædicta signa ; sed potius talia signa hominis dispositioni, et arbitrio subjiciebantur : in usu autem signorum practicorum in ordine ad sanctificationem, et effectus supernaturales homo non subordinaret sibi prædicta signa, sed potius eisdem subordinaretur : quippe quamvis sacramenta non essent causa illorum effectuum, forent tamen media extrinseca instituta, a quibus homo in consequendis talibus effectibus dependeret. Juxta quam doctrinam distinguendo in prædicto sensu præmissas, neganda est absolute consequentia ob assignatas disparitates. Addimus (quod ex ipsis Adversariis recte vidit Suarez) in statu innocentiæ vel nulla fore sacramenta ; vel fore perfecta ad instar nostrorum, quæ vere causant ; non vero imperfecta, et ad modum legalium, quæ ob defectum causalitatis dicebantur vacua, et egena elementa. Unde objectio sibi in terminis contradicit, dum ex una parte assertam curat status innocentiæ perfec- Nota.

tionem, et ex alia pro eo introducit sacramenta imperfecta, quæ non essent causa, sed mera signa.

ilutur onfir- atio. Juxta quam doctrinam respondetur ad confirmationem sacramenta perfecta dici signa practica effectuum supernaturalium, non solum quia in eorum notitiam ducunt, sed quia illos effective, et vere causaliter attingunt: secundum quam rationem sicut causalitatem, sic etiam et superioritatem habent supra hominem se subjicientem sacramentis, et recipientem illorum effectus. Quæ subordinatio foret contra excellentiam status innocentiæ, in quo homo soli Deo subdebatur quantum ad mentem, ut supra explicuimus. Quare concedendo, aut omittendo majorem, negamus minorem, quam non evincit ulla ex inductis probationibus. Nam ad primam constat ex proxime dictis, quod hominem uti creaturis et effectibus ad cognoscendum per discursum naturalem, esset homini connaturale, et nullam afferret subordinationem hominis ad creaturas: sed uti rebus corporalibus ad sanctificationem non esset statui innocentiæ consonum, et importaret subjectionem ad tales res; cum tamen secundum mentem, et in ordine ad tales effectus soli Deo subderetur. Ad secundam dicendum est, quod ut mysteria fidei proponerentur in eo statu ænigmatice, et cum obscuritate, sufficiebant signa sensibilia speculativa, v. g, lignum vitæ: et non requirebantur signa practica, quibus homo pro sui sanctificatione, aut perfectione subjiceretur. Ad tertiam respondemus Angelos in cognitione naturali dependere (non sicut a causa, sed sicut a conditione) ab existentia rerum, ut eas actu cognoscant: in quo tantum sensu dicuntur aliquid didicisse ab Apostolis: quia isti illa exequebantur, quæ actu Angeli cognoscebant. Inde vero nec apparenti illatione consequi valet homines in statu innocentiæ usuros signis practicis, quibus sanctificarentur, aut proficerent. Et exemplum Angelorum magis probat oppositum: nam sicut non decuit Angelos in sua sanctificatione, aut perfectione dependere ab aliquo sacramento, aut alio signo practico; ita non congruebat homines in statu innocentiæ constitutos sanctificari, aut perfici dependenter a sacramentis: quemadmodum enim Angelus movetur immediate a Deo, sic etiam homo in eo statu soli Deo secundum mentem subderetur in ordine ad supernaturalia.

15. Ex quibus omnibus reintegratur efficaciter D. Thom. discursus: quoniam cum sacramenta fore, aut non fore pro illo statu, non sit nobis revelatum; illud in hac parte cum majori probabilitate affirmatur, quod magis congrueret tali statui, et fini proprio, ac primario sacramentorum. Sed sacramentorum usus non congrueret prædicto statui, nec proprio, et primario sacramentorum fini. Erge longe probabilius est, quod in tali statu non existerent sacramenta. Major, et consequentia patent. Minor autem quoad primam partem constat ex dictis. Et quoad secundam apparet evidens (unde D. Thom. non curavit eam probare): quoniam finis primarius sacramentorum est hominum sanctificatio, vel justitiæ augmentum. Prima autem hominum sanctificatio in tali statu minime fieret par sacramenta; siquidem illam consequerentur ex vi originis, et tanquam donum totius naturæ. Neque etiam sanctitatis augmentum per sacramenta fieret: quoniam augmentum proportionaretur infusioni: quocirca sicut prima infusio contingeret sine sacramentis; sic etiam ejusdem augmentatio, ut in Angelis proportionabiliter accidit. Cessaret itaque in prædicto statu finis primarius, ob quem sacramenta instituuntur. Porro nec forent necessaria ad repellendum contraria: quia homo in felicissimo illo statu non haberet concupiscentiam, nec pateretur rebellionem appetitus, aut partis inferioris contra rationem. Unde (et bene nota) quamvis imaginari queant aliæ ex sacramentis utilitates, quas Adversarii comminiscuntur; tamen deficiente primario illo fine minime sufficiunt, ut existentia sacramentorum pro tali statu asseratur. Sicut quia finis primarius incarnationis fuit remedium peccati Adami; deficiente illo fine non adveniret Christus ob alias utilitates, quæ imaginari ex ejus adventu queant.

Instau tur fu damen tum

Not

§ II.

Convelluntur motiva contrariæ opinionis.

16. Contrariam sententiam tuentur Suarez disp. 3, sect. 3, Lugo disp. 3, sect. 1, Bernal disp. 2, sect. 1, Bonacina disp. 1, quæst. 1, punct. 3, Alanus et Zachius, quos refert, et sequitur Aversa in præs. sect. 2, et alii. Plura autem, et principaliora illorum

Suare Lugo. Berna Bonac na. Alanu Avers

rum motiva consistunt in evasionibus, quibus subruere curant fundamentum D. Thomæ, et quas jam majori ex parte præclusimus : sed tamen alia occurrunt argumenta, quæ diluamus.

um um. Arguitur primo : quia motiva, sive rationes, quibus probatur congruentia sacramentorum in statu præsenti, concurrerent etiam in innocentiæ statu : ergo tunc existerent sacramenta. Antecedens suadetur : quia præcipuæ rationes sunt, tum quia connaturale est homini per sensibilia ad intelligibilia, atque spiritualia deduci : tum quia homo est compositus anima, et corpore, unde oportet, quod et ipsi animæ remedium adhibeat per res corporeas, ut sunt sacramenta ; et similiter, quod Deo famuletur rebus non solum spiritualibus, sed etiam sensibilibus : tum quia decet spiritualem hominum rempublicam adunari externis signis in unum religionis nomen. Porro hæc motiva procedere etiam in statu innocentiæ ostenditur. Nam in primis homo in tali statu retineret sicut naturam humanam, sic etiam naturales ejus dispositiones, atque exigentias ; est autem homini connaturale procedere a sensibilibus ad intelligibilia. Deinde in eo statu esset compositus corpore et anima : deberetque Deo in utraque parte servire, atque uti rebus ad utramque pertinentibus. Denique certum est tunc fore communitatem fidelium. quam deceret signis sensibilibus adunari.

fir- io. Confirmatur : quia in statu innocentiæ plures forent utilitates ex usu sacramentorum : ergo congruum esset, quod propter tales utilitates sacramenta instituerentur in tali statu : ergo asserendum est, quod ita contingeret. Utraque consequentia patet. Et antecedens suadetur supponendo, quod sacramentum potest considerari, et in ratione causæ, et in ratione signi. Nam in primis si sacramenta accipiantur in ratione signi, non paucæ apparent utilitates ex eorum usu in statu innocentiæ. Tum quia homines tunc exhiberent Deo cultum externum, ad quem aptissima sunt signa sensibilia. Tum quia homines instruerentur circa mysteria fidei : quæ instructio fieret, mediis vocibus, et aliis sensibilibus signis. Tum quia valde credibile est futuras tunc imagines ad repræsentandum absentia, et pro cultu, et memoria personarum insignium : sunt autem imagines signa sensibilia. Deinde si sacramenta considerentur in ratione causæ, non minores ex eorum usu utilitates in prædicto statu apparent. Primo quia producere gratiam mediis rebus corporeis, cujusmodi sunt sacramenta, est maximum quoddam opus divinæ sapientiæ, et virtutis : atque ideo sacramentorum usus utilissimus foret ad manifestandum prædictas perfectiones divinas. Secundo, quia recipere gratiam ex vi sacramenti applicati, et ultra meritum operis utilissimum homini est : sacramenta autem in statu innocentiæ haberent vim influendi prædicto modo, sive ad instar sacramentorum nostrorum : ergo eorum usus in tali statu foret homini valde proficuus.

17. Hoc argumentum cum sua confirmatione in Adversarios regerendum est : nam communiter docent, quod in illa duratione, in qua primi homines conservarunt innocentiæ statum, non fuerunt sacramenta instituta, vel ad minus non fuit usus sacramentorum : et tamen tunc occurrerent eædem utilitates, quas Adversarii recensent : ergo vel inconsequenter procedunt, vel recognoscant oportet talia motiva, et utilitates non evincere existentiam sacramentorum in subsequenti duratione status innocentiæ, si fuisset. Deinde omnia, quæ expendunt, apta quidem sunt ad repræsentandum non defuturas Deo congruas rationes ad instituendum sacramenta in statu innocentiæ, si vellet : at quod de facto habuerit decretum illa instituendi, minime prædicto discursu suadetur : quippe omnibus illis motivis concurrentibus, potuit Deus decernere oppositum. Sicut etiam plures possunt considerari, et excogitari utilitates ex mysterio Incarnationis, quamvis Adam non peccaret : et tamen Adamo non peccante, Verbum ex vi præsentis decreti carnem non assumeret, ut docet communior sententia. Licet intersit discriminis inter hoc exemplum, et rem præsentem, quod negationem futuræ Incarnationis Adamo non peccante fundamus in communi doctrina Patrum asserentium motivum principale Incarnationis fuisse remedium peccati : quo proinde fine non concurrente, Incarnatio non committeretur executioni. Sed negationem futurorum sacramentorum, si Adamus non peccasset, fundamus in natura talis status, et in fine primario sacramentorum : quia horum usus non congrueret elevationi, quam prædictus sta-

Retorquentur objecta.

tus haberet; et similiter eorum finis est sanctificatio, quæ in eo statu contingeret ex vi originis, atque independenter a sacramentis. Quæ duo, utpote gravissima, et principaliora prævalent contra omnes particulares utilitates, quæ excogitari valent ad persuadendum oppositum. Et id satis erat ad diluendum objecta.

Solvitur argumentum. Sed ulterius, et magis specialiter respondemus ad argumentum negando antecedens. Ad cujus probationem negamus assumptum discurrendo per omnes illas congruentiæ, aut convenientiæ rationes. Nam in primis quod homini sit connaturale procedere per sensibilia ad spiritualia, solum verificatur attenta naturali ejus imperfectione, quam de se habet, et cum statu naturæ lapsæ modo conjungit: sed non verificatur attenta perfectione, quam Deus potest illi communicare, communicaretque in statu innocentiæ in ordine ad supernaturalem finem, et perfectionem. Nam sicut mens humana in tali statu soli Deo in ordine ad prædicta subderetur; sic non oporteret, quod se subjiceret rebus corporeis, cujusmodi sunt sacramenta, ut supra declaravimus. Deinde licet homo in tali statu retineret compositionem ex corpore, et anima utpote sibi essentialem; nihilominus inter eas partes talis servaretur ordo, quod corpus perfecte subderetur animæ, et hæc illi adæquate dominaretur, ut ex D. Thom. vidimus num. 1; stante autem, et durante hac dispositione congruum non erat, quod anima pro sua propria, et supernaturali perfectione subderetur rebus sensibilibus, et ad corpus per se pertinentibus, ut forent omnes sacramentorum materiæ: sed longe congruentius foret, quod talem perfectionem a solo Deo reciperet, cui tantum subjiciebatur. Et ut homo tunc Deo corpore famularetur, opus non erat sacramentis; cum corpus posset servire Deo in obediendo animæ, et sequendo ipsius nutum in his, quæ ad cultum Dei pertinebant. Denique licet concederetur tunc fore aliqua signa externa, quibus hominum communitas uteretur ad protestandum fidem, et Dei cultum: id tamen fieri optime posset aliis signis, quæ sacramenta non essent, utputa cæremoniis, aut sacrificiis: de quibus infra. Et disparitatem inter hæc jam supra insinuavimus num. 13, quod usus cæremoniarum, et similium non subordinaret hominem rebus sensibilibus, sed potius caderet sub ipsius dominio, et auctoritate. Sed homo per usum sacramentorum rebus corporeis subjiceretur; siquidem eorum non esset auctor, et ab eisdem emendicaret perfectionem.

Di[...] con[...] ma[...] Ad confirmationem respondetur distinguendo antecedens, *In eo statu plures essent utilitates ex usu sacramentorum*, quæ æquivaleant, et ponderent contra connaturalitatem talis status, et contra finem primarium sacramentorum, negamus: quæ sint minoris convenientiæ, et ponderis, quam prædicta, permittimus. Et deinde negamus unam, et alteram consequentiam; quæ ut legitime inferrentur, debebant procedere ex antecedenti vero in priori usurpatione. Doctrina autem distinctionis satis constat ex supra dictis, quin opus sit illis addere. Et ad antecedentis probationem, quatenus illam valet impugnare, respondemus admittendo duas illas sacramentorum acceptiones. Et juxta priorem dicendum est defectum congruentiæ in usu sacramentorum pro innocentiæ statu non fundari a nobis in conceptu communi signi; sed in conceptu talis signi practici, cui homo pro sua sanctitate, et perfectione subderetur, ut constat ex dictis num. 14. Quare admittimus in tali statu signa externa, vel ad cultum Dei, ut in cæremoniis, vel ad instructionem, ut in verbis; vel ad recordationem, ut in imaginibus: sed non admittimus signa externa ad hominis sanctificationem. Et differentiæ ratio sæpius assignata est, quod priora signa hominem non deprimunt, aut sibi subordinant; sed potius ejusdem auctoritati subordinantur. Cæterum sacramenta aliter omnino se haberent: quippe quæ non essent ab hominum auctoritate, et quæ homines perficerent in parte superiori, secundum quam ex vi institutionis, et dispositionis status innocentiæ soli Deo subjiciebantur, et ab illo immediate movebantur. Unde etiam patet ad probationem antecedentis secundum aliam sacramentorum acceptionem, nempe in ratione causæ: fatemur namque multum manifestari Dei virtutem in producendo gratiam per media corporea: fatemur etiam magnum esse hominis proventum sanctificari, aut perfici ex vi sacramenti sibi applicati, et ultra propriam dispositionem, sive operis meritum. Sed tamen ut hæc congrue fiant, debet attendi

status,

status, atque exigentia subjecti, cui sacramenta applicantur : quibus attentis, non congruunt prædicta in statu innocentiæ. Unde sicut ob prædictas convenientias non sequitur Angelum pro sua sanctificatione, et perfectione in statu viæ usum fuisse sacramentis, ita neque ex eisdem colligitur hominem in statu innocentiæ illis usurum. Et ratio est proportionabiliter eadem : nam sicut Angelus ex natura sua petit a solo Deo immediate moveri, et perfici ; cum qua excellentia non cohæret,quod a sacramentis dependeat : sic etiam homo ex conditione peculiari, non quidem suæ naturæ, sed status innocentiæ,peteret perfici, et moveri a Deo solo immediate in ordine ad supernaturalia ; cum qua dignitate non satis componeretur habere pro sanctitate,et perfectione supernaturali dependentiam a sacramentis.

in- . um. 18. Arguitur secundo : quia durante statu innocentiæ, aliqui homines peccarent : sed pro his instituerentur sacramenta : ergo falsum est, quod permanente statu innocentiæ sacramenta non existerent,aut instituerentur. Major videtur certa: quia filii Adæ non nascerentur confirmati in gratia, sed haberent potestatem proximam peccandi, sicut habuerat Adam omnium parens, ut expresse resolvit D. Thom. 1 p. quæst. 108, art. 2, tum in corp. tum in resp. ad 1, ubi ait: « Dicendum, quod si « Adam non peccasset, non generaret ex se « filios gehennæ, ita scilicet quod ab ipso « peccatum contraherent, quod est cau- « sa gehennæ. Possent tamen fieri filii « gehennæ per liberum arbitrium peccan- « di : » sed incredibile apparet, quod aliqui homines in tanta multitudine non peccarent : ergo tenendum est eorum aliquos peccaturos. Minor etiam ostenditur : quia divina misericordia homines peccatores non relinqueret absque remedio : sed opportunissimum subsidium foret sacramentorum institutio, ut in omnibus statibus post Adæ peccatum apparet : ergo peccantibus aliquibus hominibus, licet Adamus non peccaret, et status innocentiæ duraret : instituerentur aliqua sacramenta.

velli- ir. Respondetur hoc argumentum nihil valere : quia nec contra resolutionem D. Thomæ, nec contra ipsius discursum quidquam evincit. Non enim agimus de hominibus, qui ab illo innocentiæ statu exciderent, et deinceps ad ipsum non spectarent, quin nec illum recuperare possent, licet gratiam consequerentur : sed difficultas procedit circa homines conservantes statum innocentiæ, et in sensu composito talis status. Unde Angelicus Doctor non inquisivit, an durante statu innocentiæ fuissent sacramenta ; sed « Utrum etiam ante peccatum fue- « rint homini necessaria sacramenta :» qui sensus est formalis, et dubium revocat ad solos homines ante peccatum, sive ad illos, qui justitiam originalem retinerent. Quod igitur in aliis hominibus peccatoribus, durante, aut non durante statu innocentiæ in aliis, fuissent sacramenta, est difficultas longe distincta, et ab scopo præsentis considerationis divertens. Quare ad argumentum omittendo præmissas negamus consequentiam intellectam, ut decet, de hominibus, qui statum innocentiæ conservarent : nam in prædicto sensu nullo modo colligitur ex præmissis. Quas merito diximus omittendas : nam plane incertæ sunt. Major quidem : quia Serra *in Comment.* ad art. 2, et quidam alii sentiunt homines, si Adam non peccasset, non peccaturos, sed omnes salvandos esse. Nobis autem videtur probabilius oppositum consectarium : tum ab exemplo Adami, qui cum præditus esset originali justitia, et nulla intrinseca pulsaretur tentatione ; tamen peccavit, et ab illo felicissimo statu dilapsus est. Tum quia licet Adam non peccasset, nihilominus omnes ab eo descendentes haberent potentiam proximam ad peccandum, ut ex D. Thoma vidimus : natura autem ita disposita exigeret manifestare defectibilitatem propriam in aliquibus saltem individuis, licet in paucioribus : et providentia divina ad illam exigentiam attendens, et juxta illam dispensans proprium concursum permitteret in nonnullis peccatum : ergo longe verosimilius apparet, quod Adamo non peccante, aliqui ejus filii peccarent. Nota 1.

19. Sed longe major incertitudo occurrit circa minorem. Nam peccantibus aliquibus Adami filiis, non propterea instituenda sacramenta docent Cabrera, et Ruyz supra allegati, et Suarius ipse : nec desunt ad id apparentes satis rationes. Prima, quia illud peccatum in prædicto statu foret omnino per accidens, et in paucissimis : ea vero, quæ hujusmodi sunt, non exposcunt regularem de remedio providentiam, qualis in sacramentorum institutione relucet. Secunda, quia peccatum in illo statu non Nota 2. Aliquorum opinio.

procederet ex ignorantia, aut infirmitate, sed ex malitia : unde ratio ex parte etiam divinæ misericordiæ non exigeret providentiam remediorum stabilium, et institutionem sacramentorum : sed satis fuisset peculiaribus lapsibus occurrere per auxilia. Accedit sacramenta in tali eventu sanctificatura non fore ex opere operato, ut modo contingit : id enim provenit ex abundantia, et præsentia redemptionis per Christum : sed ad summum sanctificarent ex opere operantis ad instar sacramentorum legis scriptæ. Id vero parum prodesset: quippe homo justificari posset per proprios actus ex gratia elicitos independenter a sacramentis. Et in illo statu non occurrerent convenientiæ motiva, quæ in sacramentis antiquæ legis reperimus, utputa repræsentare Christum futurum, et mysteria legis gratiæ : quoniam Adamo non peccante, sive durante innocentiæ statu, Christus non

Aliorum sententia. veniret. Quod vero in tali hypothesi futura essent sacramenta aliqua ad remedium hominum peccatorum, docent Serra ubi proxime, Nugno, et Granados locis supra relatis. Quorum motivum est : quod succedente peccato in aliquibus hominibus, incongruum ex una parte non esset eorum animas quantum ad gratiam perfici per media corporea, ut modo contingit ; et congruum foret ex alia parte Deum illis hominibus remedium aliquod providere, et optimum occurrit in sacramentis. Eo vel maxime, quod sicut de facto institutum est sacramentorum remedium non solum pro peccato totius naturæ, sed etiam pro peccatis singulorum : ita præsumi de divina misericordia debet, quod etiam si Adamo non peccante non esset sacramentum pro tota natura, foret tamen aliquod sacramentum ad remedium peculiarium hominum peccatorum. Hæc sunt præcipua, quæ pro una, et altera parte occurrunt. Sed quid reipsa contingeret, et quid determinate dicendum sit, latet simpliciter nos, qui nescimus, quid Deus decreverit circa ista. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Sed tamen magis inclinamur in priorem sententiam; quia motiva, quibus se fulcit, docent simul modum diluendi contraria, ut consideranti constabit.

Tertium argumentum. 20. Arguitur tertio : quia in statu innocentiæ fuissent sacrificia : ergo et sacramenta. Consequentia probatur : tum quia si dignitatem illius status non dedeceret, quod homines colerent Deum externis signis, quæ essent sacrificia ; pariter non occurrerent improportio, et innaturalitas in eo, quod sanctificarentur externis signis, quæ forent sacramenta. Tum etiam nam ideo in tali statu darentur sacrificia, quia homo componitur corpore, et anima, et debet Deo servire secundum utramque partem nempe internis actibus, et externis signis ; sed eadem ratio militat in sacramentis ; siquidem oportet hominem compositum ex corpore, et anima consequi salutem non solum per actus spirituales, sed etiam mediis signis corporeis : ergo sicut in prædicto statu forent sacrificia, sic etiam essent sacramenta. Antecedens vero suadetur : quia homo in quocumque statu obligatur lege naturæ colere Deum ut primum principium tam animæ, quam corporis, et protestari ejus eminentiam : ad id autem deserviunt sacrificia : ergo homo in statu innocentiæ illis uteretur.

Huic argumento occurrit Soto in 4, disp. 1, quæst. 2, art. 2, negando antecedens : existimat enim, quod pro innocentiæ statu discurri eodem modo debet de sacrificiis, et sacramentis. Et quantum ad sacrificia attinet, præcipuum ejus fundamentum est : quoniam de ratione sacrificii sunt tria (ut alia omittamus) requisita : primum quod offeratur pro peccatis : secundum quod offeratur ex bonis propriis ; aliter enim non apparet, quale obsequium offeratur ex parte offerentis : tertium denique, quod ejus materia cedat in utilitatem ministrorum ; siquidem Deus illa non indiget : sed in statu innocentiæ non concurrerent hujusmodi requisita : ergo sacrificia in tali statu non essent. Probatur minor : nam in primis in tali statu non essent peccata : ergo non possent sacrificia offerri pro peccatis. Deinde in tali statu omnia bona essent communia: ergo nullus sacrificia offerret ex propriis. Deinde in tali statu, vel non essent ministri, vel non haberent ullam indigentiam : ergo sacrificiorum materia non posset cedere in ministrorum utilitatem. Soto autem subscribunt Palacios eadem dist. disp. 2, Angles ibidem, Coninchus in præs. art. 2, num. 8, et alii. Juxta quam doctrinam cessat argumenti difficultas, et fit progressus cum omnimoda paritate inter sacramenta, et sacrificia.

21. Sed nobis magis arridet sententia contraria, quæ affirmat sacrificia in statu innocentiæ

Verior, et communior solutio. innocentiæ futura. Primo, quia est communis : sic enim docent Nugnus, Cabrera, Arauxo, Ruyz, Valencia, Henriquez, Suarez, et Granados, quos refert, et sequitur Prado. Prado dub. 2, § 5, nu. 93. Raphael de la Torre. Torre 2, 2, quæst. 85, art. 1, disp. 2. Castro Palao. Castro-Palao tom. 2, tract. 8, disp. 2, puncto unico, Joan. a S Thom. Joann. a S. Thoma dub. 2, in resp. ad 5, Gonet. Gonet art. 1, § 4, Sayrus. Sayrus lib. 3, cap. 2, art. 3 ad 2. N. Philippus. N. Philippus disp. 3, dub. 1 ad 5, et alii, quos prolixum esset referre. Secundo, quia id satis efficaciter colligitur D. Th. ex D. Thom. 2, 2, quæst. 85, art. 1, ubi ait : « Sicut in rebus naturalibus naturali- « ter inferiora superioribus subduntur : « ita etiam naturalis ratio dictat homini « secundum naturalem inclinationem, ut « ei, quod est supra hominem, subjectio- « nem, et honorem exhibeat secundum « suum modum. Est autem modus conve- « niens homini, ut sensibilibus signis uta- « tur ad aliqua exprimenda : quia in sensi- « bilibus cognitionem accipit. Et ideo ex « naturali ratione procedit, quo homo qui- « busdam sensibilibus rebus utatur, offe- « rens eas Deo in signum debitæ subjectio- « nis, et honoris, secundum similitudinem « eorum, qui dominis suis aliqua offerunt « in recognitionem dominii. Hoc autem « pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo « ablatio sacrificii pertinet ad jus natu- « rale.» Qui discursus etiam probat in statu innocentiæ. Cum omnia principia, quibus innititur, in illo concurrerent ut consideranti constabit : et præcepta juris naturalis obligarent in eo. Tertio, quia homo in tali statu habuisset a Deo non solum animam, et corpus, sed etiam res externas, quibus ad animi oblectationem, et ad corporis sustentationem uteretur: ergo non solum internis virtutum actibus, et externis, sive corporalibus virtutum exercitiis deberet Deum colere ; sed etiam rebus externis, nempe illas offerendo, aut consumendo ad Dei cultum, ut hujusmodi cæremoniis testificaretur sui subjectionem, et supremum Dei dominium, I Paralip. 29. juxta illud 1, Paralip. 28: *Tua sunt omnia, et de his, quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* In hac autem rerum externarum oblatione, aut comsumptione ratio sacrificii consistit.

Fulcitur eadem doctrina. Confirmatur: quia motiva pro parte contrari a proposita minime urgent. Sacrificium enim non ordinatur primario ad expiandum peccata, sed ad exhibendum Deo cultum per recognitionem supremi dominii : quamvis autem in statu innocentiæ non essent peccata, foret tamen, et deberet esse hujusmodi recognitio. Deinde non est de ratione sacrificii fieri ex rebus propriis offerentis, sed sufficit ex communibus, ubi hæc eodem modo offerri possunt, ac si illius tantum privative essent: quod satis apparet in nobilissimo Missæ sacrificio ubi nihil, aut fere nihil bonorum offerentis consumitur. Tandem ad sacrificii rationem non pertinet, quod ejus materia veniat in utilitatem ministrorum, ut patet in holocausto, ubi tota sacrificii materia consumebatur. Tenendum itaque omnino est, quod durante statu innocentiæ darentur aliqua sacrificia. Cujus autem rationis essent, et quomodo ministri pro eisdem determinarentur, nec in præsentiarum refert, nec opus habemus explicare. Videantur, quæ ex Nugno et Cabrera refert Prado loco cit. a num. 98. Recolantur etiam, quæ de sacrificii, et Sacerdotis muneribus diximus tract. præced. disp. 31, dub. 1, § 1.

Aliter ergo ad argumentum respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Duæ autem disparitatis rationes ex præmissis facile colliguntur. Disparitas inter sacrificia et sacramenta. Prima, quod offerre Deo sacrificium est de jure naturæ, ut ex D. Thoma vidimus: quare sacrificiorum usus debet admitti in statu innocentiæ, sicut et observatio aliorum præceptorum naturalium. Sed sacramenta non sunt de jure naturæ : quia nec consequuntur immediate lumen naturæ; nec sunt gratia naturaliter debita, ut patet in Angelis, et primis parentibus, ut dub. præced. explicuimus: quare nulla ratio obligat, ut illa pro statu innocentiæ admittamus. Secunda, quia ex usu sacrificiorum nulla sequitur hominis depressio, aut subjectio ad res sensibiles : quippe illas offerre est agere, et exercere in eas auctoritatem dominii: quare ex admissis pro statu innocentiæ sacrificiis non sequitur inconveniens. Inferretur autem ex usu sacramentorum: quia sanctificari per illa est recipere, pati, et perfici a rebus corporeis : quod non decebat hominem constitutum in tali statu, quod soli Deo secundum mentem, et quantum ad spiritualia subjiciebatur. Unde satis constat ad ea, quæ pro suadenda consequentia expenduntur: jam enim ostendimus, quod homo in usu sacramentorum deprimitur ad res sensibiles, non autem in usu

sacrificiorum. Et similiter constat, quod servire Deo mente, et corpore, et oblatione rerum externarum, quam important sacrificia, esset homini in statu innocentiæ connaturale. At naturale non esset, sed magis incongruum, quod homo constans corpore, et anima perficeretur secundum mentem, et in ordine ad supernaturalia per res corporeas: quia secundum mentem soli Deo subdebatur, a quo proinde solo oporteret immediate moveri, et perfici.

DUBIUM III.

Utrum in statu legis naturæ fuerint sacramenta?

Expediti ab his quæ circa statum innocentiæ occurrebant, recto ordine procedemus ad status alios, et primo ad statum legis naturæ. Pro cujus luce recolendum est ex tract. 20, disp. 3, dub, 1, § 1, quod licet Ecclesia, ex quo incœpit, sit, et semper fuerit una (juxta illud Cant. 6: *Una est columba mea,* quod in hoc sensu explicant plures Patres): nihilominus habuit tres differentes status, nempe legis naturæ, et legis scriptæ, et legis gratiæ. Primus duravit ab Adamo usque ad Moysem: secundus a Moyse usque ad Christum: tertius durat a Christo, et durabit usque ad mundi finem. Et quidem prior dicitur *legis naturæ,* non quia excluderet supernaturalem legem, nec quia solum haberet præcepta mere naturalia: tunc enim vere simul cum naturali lege supernaturalia præcepta occurrebant saltem fidei, spei, et charitatis, quibus fideles illius temporis ligabantur. Sed talis appellatur, quia distinguebantur contra legem scriptam: quippe tunc nulla erat scripta lex ex mandato Dei: sed præcepta naturalia intimabantur ex interiori instinctu naturæ, et præcepta supernaturalia ex inspiratione divina: unde utraque lex erat quasi congenita per modum naturæ, juxta illud Ps. 4: *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* De statu itaque legis naturæ in sensu proposito agimus in præsenti.

Nota. 22. Sed ut congruentior dubio locus paretur, et confusionem (quæ tractando non necessaria, nec propria præsentis considerationis adesset), magis declinemus; observandum est cum Gonet disp. 2, art. 2, § 1, quod licet status legis scriptæ non incœperit in rigore nisi a tempore Moysis, cui lex scripta primum data fuit: nihilominus ubi Deus Abrahæ imposuit præceptum Circumcisionis, cœpit deficere status legis naturæ, et se insinuare, atque introducere status legis scriptæ; quia circumcisio, ut optime observavit D. Tho. in 4, dist. 1, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 2, artic. 1, fuit quædam præparatio ad legem Moysis. Unde illud tempus, quod inter Abraham, et Moysem defluxit, vocant Theologi confinium utriusque legis, naturalis scilicet, et scriptæ. Si igitur loquamur de statu legis naturæ usque ad Moysem, certissimum est fuisse in eo statu sacramentum aliquod, nempe circumcisionem: de qua plura in sequentibus dicemus. Sed modo oportet ab ea præscindere, ut queat disceptatio locum habere. Et ideo nomine status legis naturæ solum comprehendimus tempus ab Adamo peccante usque ad confinium legis scriptæ, sive usque ad impositionem Abrahamo factam de præcepto, et sacramento circumcisionis. In quo sensu

§ II.

Præfertur sententia affirmans.

23. Dicendum est in statu legis naturæ fuisse sacramenta. Ita Divus Thom. locis infra referendis, cui frequentius subscribunt discipuli. Paludanus in 4, dist. 1, quæst. 5. Cano *in relect. de sacram* part. 3, per totam, et specialiter ad 1. Nugnus in præs. artic. 3, ubi Arauxo, Ruyz, et Serra dub. 1, Sylvius dub. unic. concl. 2, Cabrera disp. 2 et 3, Joannes a S. Thom. dub. 1, N. Philippus disp. 3, dub. 2, Gonet, disp. 2, art. 2, conc. 1, et alii plures. Idem etiam tuentur Hugo de S. Victore lib. 1, *de sacram.* par. 9, cap. 1, Alexander 4 part. quæst. 1, membr. 3, art. 1. et quæst. 2, membro 1, Scotus in 4, distinct. 1, quæst. 3, et quæst. 7, Richardus art. 2, quæst. 2, Durandus quæst. 2, Argentinas quæst. 2, artic. 2, Gabriel quæst. 2 artic. 3, Major quæst. 4, Adrianus, quæst. ult. *de baptismo* ad 3, Suarez disp. 4, sect. 2, Lugo disp. 3, sect. 2, Granados tract. 2, disp. 2, Sayrus lib. 3, cap. 3, quæst. 3, art 2, Aversa in præs. sect. 2, Bonacina disp. 1, quæst. 1, punct. 3, Leander disp. 2, quæst. 6 et 8, Caspensis disp. 2, sect. 1, Layman lib. 1, tract. 5, cap. 3, Dicastillo disp. 1, dub. 14, num. 266, Bonæspei disp. 1, dub. 9, resolut. 2, et alii.

Probatur

Fundamentum ab auctoritate. Probatur primo ab auctoritate D. Augustini, et D. Thom. nam ille lib. 5, *contra Julian.* cap. 11, disputans cum hæretico negante peccatum originale, et suum errorem confirmante exemplo parvulorum in statu legis naturæ, pro quibus nullum reperimus institutum Baptismi, Circumcisionis, aut alterius sacramenti remedium, inquit: « Nec ideo tamen credendum est ante « datam Circumcisionem famulos Dei, « quandoquidem illis inerat Mediatoris fi« des in carne venturi, nullo sacramento « ejus opitulatos esse parvulis suis: quam« vis quid illud esset, aliqua necessaria cau« sa sacra scriptura latere voluerit: nam et « sacrificia eorum legimus, quibus utique « sanguis ille figurabatur, qui solus tollit « peccata mundi » Erat ergo ex sententia D. Aug. D. Augustini in statu legis naturæ, et ante institutam circumcisionem sacramentum aliquod institutum, quo parvuli justificabantur, et mundabantur a peccato originali. In eodem sensu loquitur in lib. *de nuptiis, et concupiscentiis* cap. 11, ubi ait: « Sed supe« rioribus temporibus omnino latuit sacra« mentum justificationis ex fide. Eadem ta« men fides Mediatoris salvos justos faciebat « antiquos pusillos cum magnis. » Illa autem fides manifestabatur aliquo externo signo, sicut ad unitatem fidelis populi requirebatur: et signum externum fidei protestativum sacramentum aliquod est. Quam etiam Augustini sententiam jam olim præmiserat S. Cyprianus in lib. *de Cardinalibus* S. Cyprianus. *Christi operibus cap. de Circumcisione Christi,* ubi ait: « Sane originale peccatum, quod « in primis parentibus in totam generis « hujus successionem defluxit, aliquibus re« mediis oportuit expiari; licet vim plenam « significantia non habuerint, donec ad rem « ipsam ventum est. » Quo loco illa remedia vocat *signa significantia,* quod proprie ad sacramentum pertinet: et paulo post illa expresse appellat *sacramenta.*

Vasquezii responsio. Nec momenti est, quod Vasquez respondet D. Augustinum sacramenti nomine non intellexisse signum externum protestativum fidei, quod proprie loquendo est sacramentum: sed intellexisse ipsum internum fidei actum, quem appellat sacramentum large, et minus proprie loquendo, id est, secretum, vel mysterium ob latentem fidei energiam, cujus virtus magis tunc latebat, quam nunc: quamvis per ipsam, et parvuli justificarentur. Id, inquam, nihil valet, sed est merum effugium: tum quia Evertitur. impropriat omnes terminos, quin et totam sententiam D. Augustini: ejus namque cum Juliano disceptatio respiciebat sacramentum, sive externum signum, per quod parvuli antiquorum justificati fuerint: id namque negabat Julianus, *eo quod baptisma, quo nunc adoptamur, nondum fuerat institutum.* E contra vero D. Augustinus asserit credendum esse patres antiquos opitulatos suis parvulis fuisse aliquo *sacramento.* Sicut igitur Julianus non negabat, nec negare poterat in antiquis fidem, sed negabat sacramentum, quod parvulis profuisset: sic Augustinus non fidem internam præcise adstruxit, sed multo magis externum fidei signum, quod sacramentum proprie appellatur. Et opposita interpretatio mentem ejus detorquet in sensum a disputatione alienum. Tum etiam quia ut ipse S. Doctor palam affirmat, de eo sacramento loquitur, quod *Scriptura aliqua necessaria causa latere voluit:* fides autem, qua primi illi patres justificati fuerunt, non latet, sed magis insinuatur in Scriptura, ut patet de Abel, de Noe, de Melchisedech, et aliis justis: ergo sententia D. Augustini non bene restringitur, nec recte trahitur ad solam fidem internam; sed applicanda est externis fidei signis, seu sacramentis. Tum denique, quia verba Patrum accipi debent cum proprietate: Augustinus autem expresse nominat sacramentum: et sacramentum proprie dictum non significat internum fidei actum, sed externum fidei signum: in hoc igitur sensu accipiendus est.

24. Sed veniamus ad Angelicum Doctorem, cujus mens tam palam innotescit, quod D. Tho. similibus subterfugiis eludi nequeat, ut constabit recensendo aliqua ipsius testimonia. Et in primis notum est, quod D. Thom. tota quæst. præcedent. agit de sacramentis proprie dictis, quorum propriam rationem, et conditiones essentiales explicat artic. 1 et 2, cum seq. Inter has autem computari videtur rerum determinatio, unde artic. 5, inquirit: « Utrum requirantur determina« tæ res ad sacramenta? » Et respondet, quod « in sacramentis novæ legis, quibus « homines sanctificantur, oportet uti rebus « ex divina institutione determinatis. » Contra quam resolutionem proponit tertium argumentum in hac forma: « Non est « conveniens, ut hominis salus arctetur per « legem divinam, et præcipue per legem

« Christi, qui venit omnes salvare. Sed in « statu legis naturæ non requirebantur in « sacramentis aliquæ res determinatæ, sed « ex voto assumebantur. Ergo videtur, quod « non debuerit arctari homo, et præcipue « in nova lege ad alicujus rei determinatæ « usum in sacramentis. » Quod argumentum, si Divus Thomas sentiret in statu legis naturæ non fuisse vera sacramenta, facillime, et directe dilueret negando minorem. Sed tamen valde aliter se gessit: nam concessa minori, negavit consequentiam ob disparitatem inter status, et eisdem respondentia sacramenta, quam assignat his verbis: « Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus dicit lib. 19, contra Faustum, diversa sacramenta diversis temporibus « congruunt : sicut etiam diversis verbis « significantur diversa tempora, scilicet, « præsens, præteritum, et futurum. Et ideo « sicut in statu legis naturæ homines nulla « lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur a Deo : ita etiam ex « interiori instinctu determinabatur eis, « quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum « uterentur. Postmodum vero necesse fuit « etiam exterius legem dari: tum propter « obscurationem legis naturæ ex peccatis « hominum: tum etiam ad expressiorem « significationem gratiæ Christi, per quam « humanum genus sanctificatur. Et ideo « etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis. « Nec propter hoc arctatur via salutis: quia « res, quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel « parvo studio adhibito haberi possunt. » Ergo ex sententia S. Doctoris in omnibus illis tribus post peccatum statibus fuerunt sacramenta vera; cum illa tamen diversitate, quod in statu legis scriptæ, et in statu legis gratiæ res ad sacramenta pertinentes habeant determinationes ex lege Dei; cæterum in statu legis naturæ non habebant determinationem hujusmodi; sed juxta hominum votum, et devotionem determinabantur. Conformiter omnino ad prædictam resolutionem loquitur D. Thom. in præs. art. 3, ubi proponit hoc argumentum: « Sacramenta debent esse convenientia statui « humani generis, ut patet per Augustinum « 19. contra Faustum : sed status humani « generis non fuit mutatus post peccatum « usque ad reparationem factam per Christum : ergo nec sacramenta debuerunt « immutari, ut præter sacramenta legis « naturæ, alia statuerentur in lege Moysis.» Cui argumento occurrit his verbis : « Ad « secundum dicendum, quod status humani « generis post peccatum, et ante Christum « dupliciter considerari potest. Uno modo « secundum fidei rationem : et sic semper « unus, et idem permansit ; quia scilicet « justificabantur homines per fidem futuri « Christi adventus. Alio modo potest considerari secundum intensionem, et remissionem peccati, et expressæ cognitionis de Christo. Nam per incrementa « temporum et peccatum cœpit in homine « magis dominari ; in tantum quod ratione « hominis per peccatum obtenebrata, non « sufficerent homini ad recte vivendum « præcepta legis naturæ ; sed necesse fuit « determinari præcepta in lege scripta, et « cum his quædam fidei sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei; « quia, ut Gregorius dicit per incrementa « temporum crevit divinæ cognitionis « augmentum. Et ideo etiam necesse fuit, « quod in veteri lege quædam sacramenta « fidei, quam habebant de Christo venturo, « determinarentur. Quæ quidem comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante « legem, sicut determinatum ad indeterminatum : quia scilicet ante legem non « fuit determinate præfixum hominibus, « quibus sacramentis uterentur ; sicut fuit « per legem. Quod erat necessarium, et « propter obtenebrationem legis naturalis, « et ut esset determinatior fidei significatio.» Hæc omnia Div. Thom. ex quibus liquet ipsum non constituere differentiam inter sacramenta status legis naturæ, et sacramenta legis scriptæ, nisi penes minorem, aut majorem determinationem ex parte materiæ, et penes significationem magis, aut minus expressam Christi venturi. Cum igitur certum sit in statu legis scriptæ fuisse sacramenta vera, et propria; idem ex mente D. Thom. censendum est de sacramentis pro statu legis naturæ. Præsertim cum ipse eodem modo de utrisque loquatur, et tam absolute appellat *sacramenta* pertinentia ad legem naturæ, quam spectantia ad legem scriptam. Plura alia testimonia id ipsum manifestantia possemus expendere : quæ tamen modo remittimus ; tum ad evitandam prolixitatem non necessariam : tum quia illa congruentius

gruentius inseremus fundamentis statim proponendis.

Ratio tertio-[ne]s. 25. Secundo probatur eadem assertio ratione desumpta ex D. Thom. in præs. art. 1, quam possumus ita formare : quoniam sacramenta fuerunt homini congrua, sive necessaria ad melius esse in statu legis naturæ : ergo sacramenta extiterunt in tali statu. Consequentia patet : quoniam Deus providet hominibus remedium, ut congruit, et magis conducit ad salutem : qua de causa licet sacramenta non fuerint necessaria absolute, et simpliciter ad salvandos homines vel in statu legis scriptæ, vel in statu legis gratiæ (quippe poterat Deus absolute homines in quocumque statu salvare independenter a sacramentis) : nihilominus quia pro his duobus statibus sacramenta sunt congrua, sive necessaria ad melius esse; propterea Deus illa instituit in prædictis statibus : ergo si in statu legis naturæ fuerunt similiter congrua, sive necessaria ad melius esse; fateri oportet, quod sacramenta extiterunt in tali statu. Antecedens autem probatur : quia ut statuit, et probat Div. Thom. loco citato, Sacramenta dicuntur homini necessaria ad salutem triplici ratione. Prima sumitur ex conditione humanæ naturæ : « Cujus proprium est, ut « per corporalia, et sensibilia in spiritua- « lia, et intelligibilia deducatur. Pertinet « autem ad divinam providentiam, ut uni- « cuique provideat secundum modum suæ « conditionis. Et ideo convenienter divina « sapientia homini auxilia salutis confert « sub quibusdam corporalibus, et sensibili- « bus signis, quæ sacramenta dicuntur. » Hoc autem motivum manifeste concurrebat in hominibus pro statu legis naturæ ; siquidem ex una parte ordinabantur ad supernaturalem finem, in quem tendere debebant; et ex alia parte conservabant præmissam conditionem humanæ naturæ, absque alio altioris conditionis modo, qualem habuerant in statu innocentiæ. Secunda ratio sumitur ab statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. « Ibi autem debet medicinale reme- « dium homini adhiberi, ubi patitur mor- « bum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus « per quædam corporalia signa homini spi- « ritualem medicinam adhiberet. » Quod etiam motivum evidentissime applicatur homini in statu legis naturæ : languebat namque morbo peccati, et affectione ad sensibilia, non minus quam in statu legis scriptæ, aut in alio post Adami peccatum : inde enim trahebatur omnium infirmitas. Tertia ratio sumitur ex studio actionis humanæ, quæ præcipue versatur circa corporalia : « Ne ergo homini esset durum, si « totaliter a corporalibus abstraheretur, « proposita sunt ei corporalia exercitia in « sacramentis, quibus salubriter exercea- « tur, ad evitandum superstitiosa exercitia, « quæ consistunt in cultu dæmonum. » Quæ ratio potissimum occurrit in statu legis naturæ præ aliis : nam in tali statu cœpit idololatria, et in tali statu non occurrebant illa exercitia, quæ Deus præscripsit in lege Moysis ; atque ideo debuerunt homines alia habere in usu sacrorum signorum sensibilium, quæ dicuntur sacramenta. Hæc igitur in statu legis naturæ fuerunt homini congrua, sive necessaria ad melius esse pro consequendo salutem. Et plane nullum substantiale occurreret, aut assignabitur motivum institutionis sacramentorum in statu legis scriptæ, quod eodem modo non occurrat, et similiter repræsentari nequeat in statu legis naturæ.

Confirmatur expendendo aliud convenientiæ motivum, quod pro institutione sacramentorum proponit Div. Augustinus lib. 19, contra Faustum cap. 11, his verbis : « In nullum nomen religionis seu « verum, seu falsum coadunari possunt « homines, nisi in aliquo signaculorum, « seu sacramentorum visibilium consortio « colligantur. » Itaque sicut oves unius gregis discernuntur ab ovibus alterius gregis per proprium signum : et quemadmodum ædes sacræ distinguuntur a prophanis per aliquam visibilem formam : sic oportet, quod fideles ab infidelibus, sive cives Hierusalem a civibus Babylonis secernantur per aliqua signa sensibilia repræsentantia fidem, sive religionem, et ordinata ad veri Dei cultum. Cum enim Ecclesia sit respublica, aut communitas visibilis : congruit, quod istis insigniatur characteribus. Sed manifestum est, quod in statu legis naturæ fuerunt fideles, et eorum communitas, sive Ecclesia; et quod distinguebantur ab Idololatris, Paganis, et Atheistis. Ergo in tali statu fuerunt aliqua sacramenta, per quæ visibiliter illa distinctio fieret. Confirmatio. D. Aug.

26. Nec momenti erit, si dicatur existentiam sacramentorum dependere ex libera Dei voluntate, et hanc non aliter innotes- Evasio.

cere, quam per revelationem in Scriptura propositam. Discursus autem a nobis præmissus cum confirmatione sua solum innititur cuidam congruenti rationi, supra, et ultra quam certum est Deum operari posse; non autem innititur ulli Scripturæ testimonio, in quo Dei voluntas nobis reveletur. Quare præmissum fundamentum probat quidem non defuisse congruentias, propter quas Deus posset in statu legis naturæ sacramenta instituere : sed non evincit, quod illa de facto instituerit. Sicut etiam adessent congruentiæ, si Deus voluisset instituere, ut potuit, sacramenta in statu innocentiæ : et tamen Deus de facto pro eo statu illa non instituit, ut nos ipsi dub. præced. similia diluendo argumenta

Præcluditur. Id, inquam, nihil valet. Tum quia Dei voluntas potest nobis revelari non solum per expressa Scripturæ testimonia, quæ fundant fidem necessario adhibendam ; sed etiam per doctrinam Patrum, quæ fundat, tueturque probabilissimum nostrum assensum : duo autem celeberrimi Ecclesiæ Doctores, nempe D. Augustinus, et D. Thomas affirmant, quod in statu legis naturæ fuerunt sacramenta, ut supra ex eisdem ostendimus : ergo rationabiliter tenemus sacramenta in prædicto statu extitisse. Tum etiam quia licet hæc nostra, et communis assertio non tradatur expresse in Scriptura; nihilominus in ea implicite, et virtualiter continetur, quatenus Scriptura nos docet hominum multos, qui vixerunt tempore illo, quod a peccato Adami usque ad Abrahamum, vel Moysem defluxit, et statum legis naturæ constituit, fuisse fideles, et Ecclesiam (quæ semper fuit, estque visibilis), composuisse : at illa congregatio indigebat signis visibilibus, quæ dicuntur sacramenta, et quibus secerneretur ab infidelibus, ut proxime ostendimus cum D. August. Quin Scriptura docet, aut potius supponit omnes tunc homines habuisse media sufficientia ad salutem, juxta illud Apostoli : *Deus vult omnes homines salvos fieri.* « Hujus enim

D. Tho. « voluntatis effectus, » inquit D. Thom. in 1, distinct. 46, quæst. 1, art. 1, « est ipse « ordo in finem salutis, et promoventia in « finem, omnibus communiter proposita « tam naturalia, quam gratuita : » inter quæ computantur sacramenta. Præmissum ergo a nobis fundamentum non est merus discursus ex principiis pure naturalibus procedens : sed innititur veritatibus revelatis in Scriptura, et vim ab ipsa derivat, ut in multis aliis Theologiæ assertionibus contingit. Quare affert quidem congruentias, ob quas Deus potuerit sacramenta in statu legis naturæ instituere : sed prædictæ congruentiæ talis conditionis sunt, et cum tanta consonantia ad sensum Scripturæ procedunt, ut satis efficaciter persuadeant Deum habuisse de facto voluntatem, qua sacramenta in tali statu instituerit. Unde dispellitur exemplum in contrarium allatum : quoniam licet in statu innocentiæ excogitari possit hæc, aut illa congruentia ad institutionem sacramentorum ; nihilominus in illo occurrebat simpliciter incongruentia, atque innaturalitas ob excessum hominis in eo statu super omnes res corporeas, et sensibiles, quibus in usu sacramentorum non oportebat subordinari. Quare merito statuimus Deum, quem citra revelationem semper præsumimus operari consone ad rerum naturas, sacramenta in prædicto statu non instituisse. Et si illa, ut absolute potuit, institueret; ageret contra, et supra conditionis modum, quam homo ex vi prædicti status habebat. Oppositum autem ab omni parte motivum occurrit in statu naturæ lapsæ, et legis naturæ, ut supra ostendimus : et ideo rationabiliter affirmamus Deum, quem semper (citra contrariam tamen revelationem) præsumendum est providere juxta rerum dispositionem, et exigentiam, sacramenta in lege naturæ instituisse.

27. Tertio probatur conclusio ratione D. Thomæ in præs. art. 3, quæ potest ad hanc formam reduci : quoniam homines in statu legis naturæ poterant consequi salutem per Christum, illamque nonnulli consecuti sunt : sed ad id opus habuerunt sacramentis : ergo sacramenta fuerunt in prædicto statu. Major, et consequentia patent. Minor autem ostenditur : quia non aliter homines in eo statu poterant salvari, et salvabantur per Christum, nisi quatenus habebant fidem ipsius futuri : sed hanc fidem in Christum protestari debebant aliquibus signis sensibilibus, manifestativis illius, sicut olim contigit in statu legis scriptæ, et contingit modo in statu legis gratiæ : et prædicta signa sensibilia protestativa fidei in Christum dicuntur sacramenta : ergo ut homines in statu legis naturæ possent consequi, consequerenturque salutem, opus habuerunt sacramentis. Ali pro certi mot vu

Respondent

Respon-sio. Respondent Adversarii homines in illo statu non aliter consecutos fuisse, aut consequi potuisse salutem, quam per fidem in Christum venturum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi, ut in hoc articulo recte ponderat D. Thomas. Cæterum ad id sufficiebat fides interior : et non oportebat, quod prædicta fides manifestaretur signis sensibilibus, quæ sunt sacramenta : nam horum institutio pertinet ad statum magis perfectum, et afferentem expressiorem significationem passionis Christi, ut fuit status legis scriptæ.

Confutatur. 28. Hoc tamen effugium est voluntarium, et nulli solido innititur fundamento : quoniam supposito, ut certissimum omnino est, quod ad salutem hominum in statu legis naturæ fuerit necessaria fides in Christum ; nulla ratio occurrit, quare non oportuerit illam fidem manifestari per externam protestationem signorum sensibilium, quæ sacramenta dicuntur : sed potius occurrunt rationes, ut censeamus ita contigisse. Nam si attendamus ad hominem ; sensibilis quidem est, et cui convenit sensibilis internorum motuum significatio. Si vero attendamus ad Christum hominum Salvatorem, sensibilis etiam est homo : unde congruit homines in omni statu salvari per ipsum mediis signis sensibilibus. Si denique attendamus ad ipsam Ecclesiam, quæ tunc temporis erat, visibilis plane fuit : quare oportebat eam signis visibilibus uti. Porro causare imperfectionem illius status ad denegandum eidem sacramenta, nihil ponderis habet. Tum quia ex minori perfectione solum sequitur, quod habuerit sacramenta minus perfecta, minus determinata, minus expresse significantia ; secus vero, quod nulla habuerit sacramenta. Nam sicut ex eo, quod status legis gratiæ sit longe perfectior, quam status legis scriptæ, minime sequitur, quod in statu legis scriptæ nulla fuerint sacramenta ; sed sequitur fuisse minus perfecta : sic etiam ex eo, quod status legis scriptæ fuerit perfectior, quam status legis naturæ, non colligitur nulla in statu legis naturæ sacramenta fuisse ; sed colligitur, quod fuerint minus perfecta, et determinata. Ita plane docuit Div. Thom. in præs. art. 3 ad 2, illis verbis : « Oportebat, quod per incrementa « temporum magis explicaretur cognitio « fidei : quia, ut Gregorius dicit, per incre- « menta temporum crevit divinæ cogni- « tionis augmentum. Et ideo etiam necesse « fuit, quod in veteri lege quædam sacra- « menta fidei, quam habebant de Christo « venturo, determinarentur. Quæ quidem « comparantur ad sacramenta, quæ fue- « runt ante legem, sicut determinatum ad « indeterminatum : quia scilicet ante le- « gem non fuit determinate præfixum « homini, quibus sacramentis uteretur, « sicut fuit per legem. » D. Tho. Tum etiam, quia sicut Christus, ejusque passio significabatur sacramentis antiquorum, sic etiam repræsentabatur eorum sacrificiis, juxta illud D. Augustini lib. 10 de Civitate cap. 6, quod allegat D. Thom. supra quæst. 48, art. 3 : « Hujus veri sacrificii multiplicia, « variaque signa erant sacrificia prisca « sanctorum ; cum hoc unum per multa « figuraretur, tanquam verbis multis res « una diceretur, ut sine fastidio multum « commendaretur. » Sed non fuit contra imperfectionem status legis naturæ, quod homines ad ipsum pertinentes significarent fidem, quam in Christum venturum habebant, per sacrificia : manifestum namque in Scriptura est plura tunc fuisse sacrificia, quæ Christum, et ad Christum pertinentia repræsentarunt, ut patet in sacrificio Abel et Melchisedech : unde D. Augustinus relatus num. 23 de eisdem agens dixit : « Sa- « crificia eorum legimus, quibus utique « sanguis ille figurabatur, qui solus tollit « peccata mundi : » ergo pariter non fuit contra imperfectionem status legis naturæ, quod homines ad ipsum pertinentes significaverint fidem Christi venturi per usum sacramentorum.

Major responsionis eversio. 29. Et hæc satis erant ad evertendum eam responsionem. Sed insuper confutatur impugnatione urgentiori : quoniam parvuli status legis naturæ per aliquod remedium consecuti sunt salutem, et purgationem a peccato originali : sed hujusmodi remedium fuit sacramentum : ergo homines in prædicto statu opus habuerent sacramentis ad consequendum salutem. Consequentia patet. Et majorem censemus certam, et a nullo Theologo hujus temporis negandam : quoniam ex opposito fieret Deum reliquisse illos parvulos absque omni remedio : quod durissimum assensu est : quippe Deus vult omnes homines salvos fieri, et juxta

communem hanc voluntatem providet omnibus communiter auxilia, sive media sufficientia ad salutem, ut ex professo ostendimus Tract. 14, disput. 6, dub. 2 et 3. Accedit, quod pro fœmellis Hebræorum nullum reperitur remedium scriptum in lege Moysis, ut mundarentur ab originali peccato : quare vel dicendum est illas tunc etiam temporis nullum habuisse remedium ; quod est plane incredibile : vel fateri oportet justificatas fuisse remedio communi statui legis naturæ, quo infantes justificabantur. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : quoniam remedium sensibile peccati originalis est sacramentum : quippe tale remedium nequit non esse signum repræsentativum gratiæ sanctificantis, qua illud peccatum abstergitur : sed remedium parvulorum in statu naturæ erat sensibile : ergo fuit sacramentum. Probatur minor : tum quia prædictum remedium applicabatur parvulis : nequit autem inter homines fieri convenienter, et connaturaliter applicatio, nisi sensibiliter, sive per media sensibilia executioni mandetur : ergo prædictum remedium erat sensibile. Tum etiam : quia parvuli, ex quo illis applicabatur remedium pro peccato originali, incipiebant pertinere ad Ecclesiam, et cum aliis sub ea adunari : sed Ecclesia est visibilis, et petit visibilia signa, ut docet D. August. num. 25 relatus : ergo remedium illud erat sensibile, sicut ad sensibilem cum Ecclesia adunationem requirebatur. Tum præterea : nam remedio legis naturæ pro liberatione a peccato originali successit in lege scripta circumcicio, et in lege gratiæ baptismus : ergo sicut circumcisio, et baptismus sunt signa, et remedia sensibilia, sic etiam præsumendum est de remedio legis naturæ. Tum denique : quia sicut parvuli in omni statu contrahunt peccatum originale non solum ex malitia interna primi parentis, sed etiam mediante propagatione carnali : sic decet, quod parvuli in omni statu ab eo morbo liberentur non solum interno aliquo medicamento, sed remedio etiam sensibili, et sensibiliter applicato.

Impugnatur amplius eadem responsio. Confirmatur evertendo communem apud Adversarios responsionem : quoniam si parvuli in eo statu haberent aliquod remedium, quod nec sensibiliter applicaretur, nec subinde sacramentum foret ; maxime actum internum fidei parentum, directum in Christum venturum, et ad justificationem parvulorum explicite, vel implicite ordinatum : sed id dici non potest : ergo concedere oportet aliquod remedium sensibile pro parvulis in statu legis naturæ. Probatur minor : quia inde fieret longe faciliorem fuisse justificationem parvulorum in statu legis scriptæ, et in statu legis gratiæ : quandoquidem in prædicto statu justificarentur independenter a circumcisione, et baptismo, et aliis externis, quibus in aliis statibus opus est : et salutem consequerentur per solos actus parentum, aut aliorum eorum vice, qui facillime applicarentur : id vero apparet prorsus incredibile ob ejus status imperfectionem. Fieret etiam hominem aggregari Ecclesiæ absque ullo signo sensibili : quod est absurdum ; siquidem Ecclesia tunc visibilis foret, et posset de suis membris judicare. Fieret denique (quod absurdius est), parvulos potuisse tunc justificari, antequam nascerentur, seu intra claustrum maternum existentes : nam actus, quo parentes credebant Christum venturum, poterat dirigi ad parvulos nondum natos : quare si hoc actu deponebant originale peccatum, potuerunt, antequam nascerentur, justificari, nec proderit dicere necessariam fuisse corporalem nativitatem ad regenerationem spiritualem, ut modo contingere videmus. Nam quod nunc nativitas necessaria sit ad prædictum effectum, provenit ex eo, quod parvuli mundantur a peccato par remedium sensibile, quod eis applicari non valet, quandiu intra uterum continentur : at in prædicto statu, ut Adversarii volunt, non egerent remedio sensibili : sed mundarentur per fidem parentum ad eosdem ordinatam : et actus fidei, cum sit spiritualis, dirigi valet non solum ad pueros natos, sed etiam ad non natos, quin absentes, et longe distantes, ut ex se liquet : ergo si parvuli in eo statu justificabantur per solam fidem parentum, et independenter ab omni alio remedio sensibili ; plane sequitur eos justificari potuisse non solum post nativitatem, sed ante illam. Id vero quis non reputat absurdissimum ; cum longe faciliorem faciat parvulorum justificationem in statu legis naturæ, quam in statu legis gratiæ, quæ nobis abundantius communicatur per Christum natum, et passum ?

Punget

Conti-nuatur impu-gnatio. 30. Punget autem magis hæc impugnatio, si inquiramus ab Adversariis, utrum fides parentum, qua dicunt parvulos in statu naturæ justificatos fuisse, habuerit hunc effectum ex natura rei, sive ex conditione propria ; an vero ex sola institutione divina ? Primum minime dicere valent : quoniam actus fidei ejusdem rationis, et naturæ est ante, et post adventum Christi ; et modo constat, quod sola fides parentum parvulos non justificat : ergo nec in prædicto statu illos justificaret ex natura rei, sive ex conditione propria. Et plane si actus fidei nequit ex se producere formam justificantem, qua ratione posset ex natura rei illam efficere in subjecto distincto, et aliquando distanti ? Quæ in consideratione tam physica, quam morali procedunt. Si autem Adversarii eligant secundam partem ; tunc ulterius requirendi sunt, ut dicant quo fundamento adstruant illam institutionem divinam ? Et tunc premi debent propria doctrina, qua fundamenta nostra subruere moliuntur. Nam cum institutio Dei sit juxta liberam ipsius voluntatem, quæ non aliter nobis revelatur, quam verbis Scripturæ, aut traditione Patrum ; oportet, ut illam institutionem rationabiliter asserant, quod proferant hanc, aut illa. Id vero præstare minime possunt, ut ex eorum motivis infra referendis manifeste constabit. Qua igitur ratione ipsi fingunt remedium parvulorum a peccato originali constitutum a Deo fuisse in actu fidei parentum ; eadem et longe majori nos affirmamus constitutum fuisse in aliquo sacramento. Et excessum probabilitatis in nostra assertione evincunt tum auctoritas SS. Augustini, et Thomæ : tum conformitas ad ejusdem morbi remedium in aliis statibus : tum major proportio, quam expendimus num. præced. Nam et medicus, nempe Christus corporeus est : infirmus etiam corporeus erat : infirmitas præterea per carnalem generationem contracta fuerat : applicatio denique remedii debebat esse sensibilis, qualis sufficeret ad unionem cum visibili Ecclesia. Ad quæ omnia majorem longe proportionem habet sacramentum, res scilicet corporea ad ea munia destinata, quam interna, et spiritualis parentum fides, ut supra magis expendimus.

§ II.

Incidentia dubia, et eorum resolutio.

31. Sed tam ex assertione nostra, quam ex motivis, quibus eam munire curavimus, aliqua dubia suboriuntur, quæ expedit resolvere, priusquam sententiam oppositam referamus : pendent namque ab illis non pauca, diluendis argumentis proficua. Et primo inquiri potest, utrum sacramenta in statu legis naturæ fuerint a Deo determinata, hoc est, utrum habuerint a Deo determinatam materiam, et formam ? Ad Dubium 1. quod respondendum est sacramenta illa, sicut et nostra, fuisse signa quædam fidei protestativa. Et quidem si attendamus ad fidem, quam repræsentabant, fuerunt profecto ex determinatione Dei : quia fides repræsentata cadebat sub obligatione ex speciali Dei præcepto, quo homines tenebantur ambulare per fidem, et tendere in finem supernaturalem. Si vero loquamur de signis repræsentantibus illam fidem, ulterius distinguendum est : nam prædicta signa possunt considerari vage, et in communi, quatenus habent fidem manifestare abstrahendo a rebus, et modis determinatis, quibus ea repræsentatio fieret : vel possunt considerari in specie, aut individuo, quatenus important hanc determinatam rem, et hunc determinatum applicationis modum. Si ergo loquamur de sacramentis in priori consideratione, nempe vage, et in communi, tenendum est illa fuisse a Deo determinata. Quod facile probatur tum ex Decisio in uno sensu. eo, quod sacramenta in tali statu concurrebant in suo genere ad constituendum Ecclesiam : sed hujus auctor erat solus Deus: ergo ad ipsum spectavit determinare saltem vage, et in communi sacramenta, quibus Ecclesia constitueretur. Tum etiam quia sacramenta erant signa practica gratiæ, sive, et in idem recidit, significabant gratiam, quæ infallibiliter in legitima eorum applicatione producebatur hanc autem energiam minime habere poterant, nisi ex institutione Dei, qui solus est gratiæ auctor, et causa præcipua : ergo ut sacramenta in statu illo fuerint, necessaria fuit Deo institutio, qui ipsa saltem in communi, et vage determinaret, et approbaret.

Si autem sermo fiat de sacramentis in Decisio in alio sensu. secunda consideratione nempe quantum

ad ultimam determinationem vel materiæ, vel modi applicandi materiam; tenendum est Deum illa non determinasse, saltem communiter, et per se loquendo: sed hujusmodi determinationem (v. g. quod remedium puerorum fieret vel sola eorum elevatione, et oblatione coram Deo, vel aliqua unctione, etc.) relictum fuisse hominum electioni, et arbitrio, ut ipsi hanc materiam, et modum determinarent. Cujus resolutionis exemplum (priusquam ad probationem hujus secundæ partis procedamus), habemus de facto in sacramento matrimonii: nam Deus determinavit, quod ejus materia proxima essent signa externa manifestativa consensus inter contrahentes: cæterum prædicta signa determinavit determinatione vaga, et in communi: quia non determinavit, quod talia signa essent v. g. verba, aut quod essent nutus: sed id conjugum arbitrio reliquit, qui proinde adhibent ultimam determinationem ex parte materiæ, dum aliqui illud sacramentum perficiunt verbis, alii nutibus, alii scriptura, vel aliis signis, ut supra explicuimus disp. præced. num. 64. Et simile quid probabiliter occurrit in sacramento Ordinis: quia ut non pauci probabiliter volunt, Christus pro materia talis sacramenti solum designavit in genere signa repræsentantia traditionem potestatis spiritualis, relinquendo Ecclesiæ dispositioni, quod assignet, et decernat signa ultimo determinata, quibus illa traditio determinatur. Juxta quam Christi dispositionem, et dispensationem Ecclesia Latina assignavit pro materia talis sacramenti traditionem aliquorum instrumentorum, utputa calicis: Ecclesia vero Græca assignavit pro tali materia impositionem manuum super ordinandum. Ad hunc igitur sensum affirmamus, quod Deus in statu legis naturæ statuit, præcepitque in genere usum sacramentorum, per quæ emundatio ab originali, aliique effectus spirituales practice significarentur: sed non determinavit in particulari sacramentorum materias, sive signa materialia, quibus ratio sacramenti adjungeretur; sed id determinandum reliquit juxta arbitrium, et devotionem fidelium, qui proinde potuerunt tales materias, sive signa determinare.

[Explica]tur exem[plis].

[Proba]batur [rati]one.

32. Et hæc posterior resolutionis pars, in qua poterat esse difficultas (et quam negant Scotus, et Richardus quantum ad remedium peccati originalis, putantes illud fuisse sacramentum in specie determinatum ex divina institutione): probatur auctoritate simul, et ratione D. Thomæ: quoniam sacramenta debent proportionari statui, cui deserviunt, sive pro quo instituuntur: sed status legis naturæ importavit majorem obscuritatem, et minorem determinationem circa mysteria fidei (cujus sacramenta sunt protestationes), quam alii status legis scriptæ, et legis gratiæ: quo enim status magis distat a Christi præsentia, eo magis obscure ipsum respicit: ergo oportuit, quod licet sacramenta in statu legis naturæ habuerint determinationem a Deo, saltem vage, et in genere (hæc enim saltem determinatio necessaria est ad sacramenti rationem, ut n. præced. declaravimus), nihilominus non haberent ultimam determinationem ex institutione divina, sed juxta arbitrium, et dispositionem fidelium, ad assignandum peculiares ritus, non lege externa movebantur, sed interiori instinctu. Unde D. Thom. 1, 2, quæst. 103, art. 1, ait: « Quia ante legem « fuerunt quidam viri præcipui, prophe- « tico spiritu pollentes: credendum est, « quod ex instinctu divino, quasi ex qua- « dam privata lege, inducerentur ad ali- « quem certum modum colendi Deum, qui « et conveniens esset interiori cultui, et « etiam congrueret ad significandum Chri- « sti mysteria. » Juxta quam doctrinam statuit in hac 3 par. quæst. præced. art. « 5 ad 3, « quod sicut in statu naturæ ho- « mines nulla lege exterius data, sed solo « interiori instinctu movebantur ad Deum « colendum, ita etiam ex interiori ins- « tinctu determinabatur eis, quibus rebus « sensibilibus ad Dei cultum uterentur. » Et denique in præsent. art. 3 ad 2 inquit: « Oportebat, quod per incrementa tempo- « rum magis explicaretur cognitio fidei: « quia ut Gregorius dicit, per incrementa « temporum crevit divinæ cognitionis aug- « mentum. Et ideo etiam necesse fuit, quod « in veteri lege quædam sacramenta fidei, « quam habebant de Christo venturo, de- « terminarentur. Quæ quidem comparan- « tur ad sacramenta, quæ fuerunt ante « legem, sicut determinatum ad indeter- « minatum: quia scilicet ante legem non « fuit determinate præfixum homini, qui- « bus sacramentis uterentur, sicut fuit per « legem. Quod erat necessarium et propter obtenebrationem

D. Tho[m.]

« obtenebrationem legis naturalis : et ut « esset determinatior fidei significatio. »

Confirmatio. Confirmatur : quia si aliquod sacramentum in eo statu fuisset a Deo determinatum vel pro originalis remedio, vel pro aliis effectibus: id plane nobis innotesceret vel per scripturam, vel per traditionem, vel urgenti aliquo motivo : adstruere namque majorem determinationem absque aliquo ex prædictis fundamentis est mera, et voluntaria divinatio : atqui nobis per relata media non constat ullum sacramentum fuisse a Deo in prædicto statu determinatum : ergo tenendum est, quod determinatum a Deo non fuerit. Minor quod ad Scripturam attinet, est evidens : quia in ea non reperimus Deum aliquod sacramentum hominibus præcepisse, aut determinasse usque ad tempus Abrahæ, cui præcepit sui, et suorum circumcisionem. Unde Aug. D. August. num. 23 relatus ait : « Non est « credendum famulos Dei nullo sacramento « Mediatoris opitulatos esse parvulis suis : « quamvis quid illud esset, aliqua neces- « saria causa Scriptura latere voluerit. » Et quod ad traditionem spectat, non est minus evidens : quia Sanctorum nullus asseruit, explicuitque particulare, et determinatum aliquod sacramentum, quo homines usi fuerint in statu legis naturæ. Quin D. Augustinus positive fatetur suam circa illud nescientiam. Et Angelicus Doctor evidentius adhuc excludit ab eo statu determinationem sacramentorum ex Deo, ut proxime vidimus. Et denique si ad rationem recurramus: ipsa imperfectio status legis naturæ postulabat hanc in materia sacramentorum indeterminationem; ut sicut homo in eo statu interiori instinctu determinabatur ad materiam legis, sic etiam ex eodem instinctu ipse determinaret sacramentorum materias, et ritus, quibus perficerentur, sicut D. Th. locis supra relatis optime tradit.

Limitatur et explicatur resolutio. 33. Duo autem circa hanc doctrinam observanda sunt. Primum illam procedere communiter et per se loquendo, et quantum ex vi illius status exigebatur, ut supra num. 31 significavimus. Cum quo tamen cohæret esse probabile, quod Deus alicui, aut aliquibus specialibus amicis præscripserit aliquod sacramentum in speciali. Quod facile suadetur exemplo sacrificiorum : quæ etiam solum fuerunt vage, et in communi ex institutione divina: et homines interiori spiritu determinabant peculiares ritus; et tamen verosimile est Deum peculiaribus amicis specialia sacrificia insinuasse, atque imperasse, ut Noe, Melchisedech, Job, et aliis. Secundum est, quod licet Deus in illo statu hominum arbitrio, et dispositioni reliquerit determinare materias, et ritus sacramentorum : nihilominus credendum rationabiliter est quamlibet Rempublicam adhibuisse, et præscripsisse hujusmodi determinationem : sicut etiam ad Rempublicam pertinebat determinare sacrificia, et ordinare sacerdotes. Nam sicut hæc omnia spectabat ad bonum publicum: sic etiam oportebat, quod determinarentur per communem, et publicam populorum auctoritatem. Præsertim cum ad Rempublicam bene gubernatam pertineat dirigere cives non solum in finem politicum ; sed etiam et multo magis in finem supernaturalem, ubi hujus necessitas innotescit, ut contingebat fidelibus antiquis. Et si sacramentorum determinatio in auctoritatem publicam non revocaretur, sed relinqueretur singulorum arbitrio: non posset non inter illos oriri quantum ad sacra reprehensibilis confusio : quam ratio naturalis dictat vitandam. Quare licet determinatio sacramentorum non esset in eo statu ex immediata institutione Dei ; erat tamen ex institutione communitatum, aut populorum, quorum cives, si aliter sacramenta conficerent, proculdubio peccarent ob contrarietatem ad justam Reipublicæ institutionem, atque jussionem: sicut modo proportionabiliter contingit circa ea, quæ Ecclesia præcipit.

34. Secundo dubitari potest, utrum in eo statu præter sacramentum, quod erat in remedium naturæ, et purgabat a peccato originali, fuerint alia sacramenta, præsertim ad delendum actualia adultorum peccata? Ad quod affirmative respondendum est : quoniam eo ipso, quod Deus ordinaverit hominem ad ultimum finem supernaturalem, et voluerit ipsum in quibusvis statibus salvare; debuit conformiter ad hujusmodi ordinem, et voluntatem providere ipsi remedia, per quæ et liberaretur ab impedimentis tendendi in prædictum finem, et promoveretur ad eum consequendum : et oportebat hæc remedia esse hominis conditioni, sive statui proportionata. Sed homo in statu legis naturæ mansit ordinatus ad ultimum finem supernaturalem: Dubium 2 Resolutio.

et rursus habuit impedimenta peccatorum actualium, in quæ adulti labebantur : debuitque habere media, quibus ad ipsum finem consequendum promoveretur. Quæ omnia satis ex se liquent, ut probatione non egeant. Oportuit igitur, quod in statu legis naturæ, præter remedium naturæ, quod ordinabatur ad tollendum peccatum originale, darentur alia remedia tum ad excludendum peccata actualia, tum ad promovendum in consecutionem salutis per augmentum sanctitatis. Porro remedia hominis conditioni proportionata debent esse sensibilia, cum ipse sensibilis sit : unde videmus Deum in omnibus statibus post peccatum remedia sensibilia homini providisse. Remedia autem sensibilia conferentia ad salutem sunt sacramenta ; cum ipsam salutem practice significent. Ergo in statu legis naturæ non solum fuit sacramentum ad tollendum peccatum originale, ut supra ostendimus, sed fuerunt etiam alia sacramenta tam ad excludendum peccata actualia, quam ad augescendum justitiam. et magis promovendum in salutem. Habebant autem prædicta sacramenta quantum ad determinationem illum modum, quem explicuimus a num. 31, sic enim exigebat imperfectio illius status.

Sacramenta in statu legis naturæ ad remissionem peccatorum actualium. Et quidem quantum ad remissionem peccatorum actualium erat tunc sacramentum pœnitentiæ consistens (juxta peculiarem, et arbitrariam hominum determinationem) aut in signis externis doloris, aut in generali et confusa quadam peccatorum confessione, aut in sacrificio ad eorum deletionem ordinato : sicut Job ultimo legitur sacrificium ad remittendum peccata amicorum ipsius. Et hanc partem satis aperte insinuat D. Tho. in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 3 ad 2, ubi ait : « Ante « legem scriptam erant quædam sacra« menta necessitatis, sicut illud fidei sacra« mentum, quod ordinabatur ad deletio« nem originalis peccati : et similiter pœ« nitentiæ, quæ ordinabatur ad deletio« nem actualis. » Et assignans radicem necessitatis prædicti sacramenti in hac 3 par. quæst. 84, art. 7 ad 1, inquit : « Di« cendum quod de jure naturali est, quod « aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, quan« tum ad hoc, quod doleat ea fecisse, et « doloris remedium quærat per aliquem « modum, et quod etiam aliqua signa do« loris ostendat, sicut et Ninivitæ fece« runt, ut Jonæ 3 legitur. In quibus tamen « aliquid fuit adjunctum fidei, quam con« ceperant ex prædicatione Jonæ, ut scili« cet hoc agerent spe veniæ consequendæ a « Deo, secundum id, quod ibi legitur. Quis « scit, si convertatur, et ignoscat Dominus, « et revertatur a furore iræ suæ, et non « peribimus? Sed sicut alia, quæ sunt de « jure naturali determinationem accepe« runt ex institutione legis divinæ, ita « etiam et pœnitentia. » Et consequenter in resp. ad 2, addit : « Dicendum, quod ea, « quæ sunt juris naturalis, diversimode « determinationem accipiunt in veteri, et « in nova lege, secundum quod congruit « imperfectioni veteris legis, et perfectioni « novæ legis. Unde et pœnitentia in veteri « lege aliquam determinationem habuit : « quantum quidem ad dolorem, ut esset « magis in corde, quam in exterioribus « signis, secundum illud Joel 2. scindite « corda vestra, et non vestimenta vestra. « Quantum autem ad remedium doloris « quærendum, ut aliquo modo ministris « Dei peccata sua confiterentur, ad minus « in generali. Unde Dominus Levit. 5, dicit: « Anima si peccaverit per ignorantiam, « offeret arietem immaculatum de gregi« bus sacerdoti, juxta mensuram, æstima« tionemque peccati, qui orabit pro eo, quod « nesciens fecerit, et dimittetur ei. In hoc « enim ipso, quod oblationem faciebat ali« quis pro peccato suo, quodammodo pecca« tum suum sacerdoti confitebatur. Et secun« dum hoc dicitur Proverb. 28 : Qui abscon« dit scelera sua, non dirigetur : qui autem « confessus fuerit, et reliquerit ea, miseri« cordiam consequetur. » Quæ omnia cum debita proportione occurrunt in statu legis naturæ, illique applicari debent: quia pœnitentia, ut ait S. Doctor, est de lege naturali (quæ tunc obligabat), et quantum ad dolorem de peccatis, et quantnm ad signa externa doloris, et quantum ad doloris remedium. Sed in prædicto statu erat minor determinatio quantum ad signa, et remedium doloris : sic enim exigebat minor perfectio illius status, et confusior expressio Christi venturi, ut supra agentes de remedio naturæ dicebamus.

35. Quantum vero attinet ad augmentum justitiæ, et majorem promotionem in finem supernaturalem; probabile etiam est fuisse alia sacramenta, v. g. oblationem Melchisedech, quæ correspondet Eucharistiæ. Qu ad me gi

stiæ. Unde D. Tho. in præs. art. 3 ad 3, illam expresse vocat *sacramentum* his verbis : « Dicendum, quod sacramentum Melchisedech, quod fuit ante legem. magis assimilatur sacramento novæ legis in materia, in quantum scilicet obtulit panem, et vinum, ut habetur Genes. 14, sicut etiam sacrificium novæ legis oblatione panis, et vini perficitur. » Et plane Eucharistia est non solum sacrificium, sed etiam sacramentum. Oblatio autem Melchisedech fuit figura Eucharistiæ perfectissima, ut colligitur ex eo, quod Christus dicitur singulariter Ps. 109, et *ad Hæbreos* 7 : *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech* : unde Patres mirifice commendant illam figuram, ut videre est in D. Cypriano lib. 2, epist. 3, D. Ambros. lib. 4, *de sacramentis* cap. 3, D. Hieronymo in cap. 26, Matth. D. August. in ps. 109, et lib. 1, *contra adversarium legis, et proph.* cap. 20, et in aliis communiter, ut fuse, atque ex instituto expendimus tract. præced. disp. 31, dub. 2, Oportuit igitur, quod oblatio Melchisedech fuerit non solum sacrificium, sed etiam sacramentum, ut sic magis perfectissima figura Eucharistiæ corresponderet, et quantum ad utrumque munus quadraret. Unde Sotus ipse nobis quoad principalem assertionem contrarius in 4, dist. 1, quæst. 2, art. 3, in fine censet probabile, quod sacrificium Melchisedech fuerit a Deo institutum, et veram sacramenti rationem habuerit. Quod vero Suarez observat prædictum sacrificium, et sacramentum ad solam familiam Melchisedech pertinuisse; nec solidum est, nec ad rem præsentem facit. Primum liquet : quia ipse ostendere non valet Scripturam, aut traditionem, unde illam restrictionem ad prædictam familiam probabiliter colligat : quare sine fundamento restringit. Secundum etiam constat : quia determinatio sacramentorum in illo statu quantum ad peculiares materias, et ritus, commissa erat hominum electioni, ut constat ex dictis num. 21 ; quare sicut familia Melchisedech illam materiam pro eo sacramento constituit; sic etiam aliæ familiæ potuerunt vel ipsam materiam, vel aliam materiam pro sacramento in ordine ad eosdem effectus determinare.

(Ps. 109. Ad Heb. 7. D. Cypri. D. Amb. D. Hier. D. Aug. — Soto. — Nota.)

36. Tandem (ut ad alia sacramenta magis in speciali non descendamus) probabile nobis apparet, quod in statu legis naturæ erat sacramentum aliquod ordinationis ad consecrandum sacerdotes, et ministros. Nam offerre Deo sacrificium est de lege naturali : ad quod oportet, quod sicut minister offert sacrificium totius communitatis nomine, sic etiam agat publica auctoritate, et ad id consecretur. Unde non reperimus Sacerdotes, qui peculiari ritu, cæremonia, sive sacramento non initientur : quippe semper interveniunt signa visibilia repræsentantia consecrationem, et traditionem potestatis sacerdotalis. Porro certum est in statu legis naturæ fuisse sacerdotes. Unde Origenes lib. 1, in Job. inquit : « Erant eo tempore sacerdotes necdum adhuc a lege ordinati, sed naturali sapientia hoc requirente, ac perficiente. Ita sacerdotio functus est Noe : ita sacerdotio functus est Abraham : ita sacerdotium gessit Melchisedech : ita et ipse Job post ipsos sacerdotio functus est. » Et D. Thom. 1, 2, quæst. 103, artic. 1, ad 3, inquit, quod præceptum circumcisionis fuit ante legem, juxta illud Joann. 7: *Circumcisio non ex Moyse est, sed ex Patribus* : et tunc subjungit : *Sacerdotium etiam erat ante legem apud colentes Deum, secundum humanam determinationem, qui hanc dignitatem primogenitis attribuebant.* Et Glossa Isidori ad illud Genes. 25. « Vende mihi primogenita, *observat* : Primogenita vestis erat sacerdotalis, qua induti majores natu cum benedictione patris victimas Deo quasi Pontifices offerebant. » In quibus verbis non obscure repræsentat signum, sive sacramentum ordinationis, nempe indumentum sacerdotale adjuncta benedictione paterna. Verisimile itaque est in statu legis naturæ fuisse tale sacramentum. Et hæc sacramenta assignasse sufficit : in aliorum namque assignatione non possumus procedere nisi divinando.

(Sacramenta pro sacerdotum ordinatione. — Origenes. — D. Tho. — Glossa.)

37. Tertio dubitari potest, an sacramenta quæ extitisse in statu legis naturæ asseruimus, fuerint hominibus necessaria ad salutem ? Pro cujus resolutione observandum est, quod dupliciter potest aliquod sacramentum dici ad salutem necessarium, nempe necessitate medii, aut necessitate præcepti. Necessarium necessitate præcepti illud dicitur, quod cadit quidem sub præcepto : sed tamen sine illo salvari homo absolute potest vel ob ignorantiam, vel ob impotentiam, vel denique quia materia præcepta non occurrit : sicut confessio annua est in præcepto, et tamen salvari quis

(Dubium 3.)

potest sine illa ob aliquod ex relatis capitibus. Illud autem appellatur necessarium necessitate medii, sine quo finis salutis consequi non valet, quamvis talis medii defectus proveniat ex ignorantia, aut impotentia: sicut baptismus est necessarius parvulis, qui nisi baptizentur, non salvantur. Et hoc necessarium necessitate medii aliquando est necessarium in re determinate, ut contingit in exemplo immediate proposito : nam parvuli absque baptismo in re suscepto nequeunt consequi salutem. Aliquando autem est necessarium cum indifferentia vel in re, vel in voto, ut contingit in eodem baptismo respectu adultorum : hi namque salvari nequeunt, nisi vel baptismum in re suscipiant; vel habeant saltem votum, sive propositum illum suscipiendi, implicitum virtualiter in amore super omnia Dei finis supernaturalis. Ad propositum itaque dubium (quod ex præmissis terminis innotescit), respondet Hugo de S. Victore relatus num. 23, aliquod sacramentum in eo statu fuisse pro parvulis, non quidem necessitatis, sed devotionis: Suarez vero affirmat sacramenta fuisse parvulis necessaria ; quia incapaces sunt justificationis per dispositionem propriam : non autem adultis; nam hi poterant justificari per actus proprios. Sed uterque dicendi modus est falsus, ut statim ostendemus.

Sententia Hugonis.

Opinio Suarii.

Refelluntur.

Ad propositum ergo dubium respondetur per partes ob plura, quæ in illo attinguntur. Et primo loco sentimus sacramenta in statu legis naturæ fuisse hominibus necessaria, saltem necessitate præcepti. Si enim non adstruatur hæc infima saltem eorum necessitas, sed homines absque ulla necessitate, et pro libito eis utebantur, tollitur de medio existentia sacramentorum in tali statu : quia sicut homines potuerunt illis uti, et sic existerent : ita etiam potuerunt illis non uti; et sic non existerent. Cum igitur Hugo nobiscum sentiat sacramenta fuisse in tali statu ; minus consequenter negat fuisse in eo statu necessaria : sed ipse et nos, consequenter procedendo debemus asserere fuisse necessaria saltem necessitate precepti. Eo vel maxime, quod determinatio sacramentorum quantum ad materias, ritus, et applicationes, erat ex auctoritate, sive dispositione Reipublicæ, ut supra observavimus num. 33 ; aliunde etiam erat res gravissima : ergo necessarium erat subditos cujusvis Reipublicæ uti sacramentis, ut ipsa ordinabat : et consequenter sacramenta erant necessaria hominibus saltem necessitate præcepti. Sicut modo confessio annua est necessaria necessitate præcepti : quia licet Christus hanc temporalem determinationem non instituerit, sed solam confessionem peccatorum, ubi opus sit; nihilominus Ecclesia rationabiliter divinum præceptum ad illud tempus determinavit : cui dispositioni debent Ecclesiæ membra obedire. Sic namque proportionabiliter contingeret in statu legis naturæ : nam Deus, qui solus potest esse sacramentorum auctor, instituit saltem vage, et in communi sacramenta ad illum statum pertinentia : et populi ad Ecclesiam pertinentes hanc communem Dei institutionem ad peculiares materias, ritus, et tempora determinarunt, ut constat ex dictis num. 32, et seq. Quare prædicta determinatione præmissa, particulares homines tenebantur ad sacramenta, ut eorum communitates imperabant. Erant igitur sacramenta in eo statu homini necessaria saltem necessitate præcepti.

Res- t qu par-

38. Deinde descendendo ad magis particularem eorum considerationem, censemus remedium naturæ fuisse sacramentum parvulis necessarium necessitate medii, et in re. Quoniam certum est parvulis illius status necessarium fuisse aliquod remedium necessitate medii, ut purgarentur a peccato originali, quod erat impedimentum salutis : sed hujusmodi remedium non aliud fuit, quam sacramentum speciale, quod dicebatur remedium naturæ : ergo prædictum sacramentum fuit parvulis necessarium necessitate medii. Minor ostenditur : nam parvuli egebant aliquo remedio extrinseco, cum ipsi non possent justificari, atque a peccato mundari per dispositionem propriam : sed illud remedium non consistebat in sola fide parentum, vel aliorum ad ipsos directa : ergo consistebat in aliquo signo sensibili, quod erat speciale sacramentum, et dicebatur remedium naturæ. Qui discursus magis constat ex supra dictis num. 29, et absque alia additione evincit ultimam resolutionis partem, nempe parvulis necessarium fuisse illud sacramentum necessitate medii, non utcumque, sed in re : quoniam parvuli non erant capaces alicujus voti, propositi, aut desiderii : ergo si sacramentum fuit illis necessarium, fuit utique non solum in voto, sed in re : ita

ut

licitur. ut omnes, quibus illud remedium applicatum non fuit damnati fuerint. Confirmatur: quia sacramentum institutum pro parvulis in statu legis scriptæ, nempe circumcisio, et sacramentum institutum pro parvulis in statu legis gratiæ, nempe baptismus, est illis necessarium necessitate medii, et in re : ergo idem dicendum est de sacramento instituto pro remedio parvulorum in statu legis naturæ. Patet consequentia tum a paritate, tum a fortiori : nam cum status legis scriptæ, et status legis gratiæ sint perfectiores, quam status legis naturæ; incredibile omnino apparet parvulos in statibus legis scriptæ, et legis gratiæ indigere sacramento tanquam medio necessario in re ad salutem, et quod parvuli in statu legis naturæ non habuerint indigentiam hujusmodi : nam ex opposito fieret faciliorem tunc fuisse hominum salutem.

cisio antum l originale ulto-um. 39. Ex quibus principiis facile etiam colligitur sacramentum institutum in remedium peccati originalis fuisse etiam adultis necessarium necessitate medii; non quidem determinate in re, sed vel in re, vel in voto. Prima pars ostenditur : quia adulti, ut purgarentur a peccato originali, indigebant aliquo sacramento, sicut etiam in lege scripta contingebat, et modo contingit in lege gratiæ : ergo sicut olim in lege scripta idem sacramentum erat necessarium tam parvulis, quam adultis, nempe circumcisio ; et sicut nunc in lege gratiæ idem sacramentum utrisque prodest, scilicet baptismus : sic etiam tenendum est, quod in statu legis naturæ erat institutum idem sacramentum ad remedium peccati originalis. Et consequenter tale sacramentum erat adultis necessarium necessitate medii, sicut proportionabiliter accidit olim in circumcisione, et contingit nunc in baptismo. Ex opposito autem fieret, ut proxime arguebamus, adultos illius status fuisse melioris conditionis præ adultis pertinentibus ad status sequentes; cum facilius mundarentur a peccato originali : quod tamen nulla ratione dici valet; cum subsequentes status sint perfectiores. Accedit sacramentum illud, quo vel parvuli, vel adulti primo initiabantur, dum a peccato originali mundarentur, fuisse illis quasi januam ad ingressum in Ecclesiam, sive ad visibilem unitatem, et coadunationem cum aliis fidelibus : hæc autem introductio, et unio est in omni statu, et pro omnibus necessaria necessitate medii ad salutem, ut ex se liquet : nemo enim extra Ecclesiam potest salvari. Secunda vero resolutionis pars facile suadetur considerando differentiam inter parvulos, et adultos : illi namque ideo egebant præmisso remedio, non utcumque, sed in re suscepto; quia non habebant actus proprios, quibus se disponerent ad justitiam, et tale remedium susciperent in proposito, aut desiderio : oppositum autem contingebat in adultis, siquidem poterant elicere actus fidei, et charitatis, quibus justificarentur extra sacramentum, cum voto tamen expresso, aut implicito illud suscipiendi : ergo illud sacramentum non erat adultis necessarium necessitate medii, ut determinate in re susceptum ; sed vel in re, vel in voto. Quod facile declaratur exemplo eorum, quæ de facto circa baptismum contingunt.

40. Sed quid dicemus de sacramento ad remissionem peccatorum actualium ordinato, juxta superius dicta num. 34. Res hæc incertior est præcedentibus. Nihilominus ob majorem consequentiam ad hactenus dicta censemus tale sacramentum fuisse adultis necessarium necessitate medii vel in re, vel in voto. Tum quia in aliis statibus sacramentum aliquod remissivum peccatorum actualium fuit, et est adultis necessarium necessitate medii, ut constat ex dictis num. 34; ergo idem dicendum est de sacramento, quod in statu legis naturæ ad remissionem peccatorum actualium ordinabatur : alioquin facilior foret remissio peccatorum in eo statu, quam in aliis; quod dici non debet. Tum etiam quia congruum est, quod sicut homo peccando se subjicit secundum affectum rebus corporeis, sic etiam consequatur remissionem peccatorum non aliter, quam mediantibus rebus sensibilibus, seu sacramentis, ad quæ ex institutione Dei subjiciatur, ut tradit Div. Thom. in præs. quæst. art. 1 ; ergo quamvis homo absolute potuerit justificari independenter ab illis, sive per solus actus internos; congruum tamen fuit, quod Deus instituerit oppositum, decernendo scilicet, quod homo in statu legis naturæ non consequeretur remissionem peccatorum actualium, nisi per aliquod sacramentum : quod est tale sacramentum esse in ordine ad hujusmodi effectum necessarium necessitate medii. Tum denique quia adultus in statu legis naturæ ut mundaretur a pec-

Resolutio quantum ad actualia adultorum.

cato originali, indigebat sacramento tanquam medio necessario ad salutem, ut statuimus num. præced. ergo pariter indigebat sacramento, ut ab actualibus mundaretur : id namque paritatis ratio convincere videtur. Et eadem similitudo probat, quod sicut per actum amoris supernaturalis Dei super omnia, in quo clauditur votum sacramenti, poterat justificari, et mundari ab originali absque sacramento suscepto in re : sic etiam per eundem amorem, et sine sacramento in re poterat purgari ab actualibus.

§ III.

Refertur opinio contraria, et convelluntur ejus motiva.

D.Bon. Carth. Abul. Vazquez Ochag. Merat. Bernal. Abra. Herv. Soto. Ledesm. Prado.

41. Sententiam nostræ assertioni oppositam, quæ docet in statu legis naturæ non fuisse sacramenta, saltem vera, et propria, docent D. Bonaventura in 4, dist. 1, in secunda parte dist. art. 1, quæst. 2. Carthusianus ibidem quæst. 9. Abulensis in cap. 25. Matth. quæst. 677. Vazquez in præs. art. 3, a num. 36, et quæst. 70, disp. 165, cap. 3. Ochagavia *de sacramentis in genere* quæst. 8, num. 9. Meratius disp. 5, sect. 4, Bernal. disp. 14, sect. 4. Carolus Abra 3 p. tract. 2, disp. 1, sect. 2, et alii. Eandem sententiam tenent ex Thomistis Herveus in 4, dist. 1, quæst. 7. Soto dict. 2, quæst. 1, art. 4. Martinus de Ledesma quæst. 2, art. 3, et Prado in præs. dub. 3, § 4, quamvis enim ultimus hic auctor videatur problematice procedere, et ita se gerere affirmet num. 54, nihilominus in hanc partem magis inclinat, et plura pro ea expendit. Videatur specialiter num. 52, ubi ait : hanc sibi sententiam videri melioribus innixam argumentis, et a Div. Thom. judicatam probabiliorem.

Primum argumentum.

Arguitur ergo primo auctoritate Patrum, quam possumus sub forma argumenti introducere in hunc modum : quoniam si aliquod fuisset sacramentum in statu legis naturæ, maxime illud, quod ordinaretur ad justificationem parvulorum, et dicitur remedium naturæ : hoc enim sacramentum est, quod eo tempore apparet maxime necessarium. Atqui parvuli in eo statu justificabantur et purgabantur a peccato originali sine ullo sacramento ; sed per solam parentum, aut offerentium fidem. Ergo in statu legis naturæ nullum extitit Sacramentum. Major et consequentia patent. Minor autem probatur ex D. Gregorio lib. 4 *Moral.* cap. 2 (et refertur a Gratiano in cap. *Quod apud nos, de consecratione* dist. 4), ubi ait : « Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc agit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis. » Sola igitur fides ex sententia Gregorii præstabat parvulis, quod modo præstat baptismus : sola autem fides non est sacramentum, ut ex se liquet. Id ipsum docent V. Beda lib. 1, in Lucam cap. 8, ad illa verba : Postquam consummati sunt dies octo), ubi affirmat quod « antiqui fideles ante tempora circumcisionis, sine victimis hostiarum se, suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant. » Et D. Bernardus epist. 77, ubi ait :« Remedium peccati originalis Abrahæ, et semini ejus datum fuit circumcisionis sacramentum : in nationibus vero quotquot fideles inventi sunt, adultos quidem fide, et sacrificiis credimus expiatos ; parvulis autem solam profuisse, imo et suffecisse parentum fidem : in lege autem gratiæ solus baptismus parvulis peccatum hoc remittit. » Ergo ex prædictorum Patrum sententia nullum in statu legis naturæ sacramentum institutum fuit pro parvulis.

D. Greg. Beda.

Confirmatio.

Confirmatur specialiter ex D. Thoma, qui aperte tenet hanc sententiam in 4, dist. 1, quæst. 2, art. 6, quæstiunc. 2, ubi proposita præsenti difficultate inquit : « Circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod non sufficiebat fides sine protestatione fidei facta per aliquod exterius signum etc. Sed quia hoc non videtur consonare cum verbis Gregorii in littera positis ; ideo alii probabilius dicunt, quod parvulis proficiebat sola fides sine omni exteriori signo. » Et idem docet in alio scripto ad Annibaldum dist. 1, quæst. 2, his verbis : « Ideo alii probabilius dicunt, quod cum ad remedium peccati originalis nulla signa, vel sacramenta forent adhuc instituta ; sufficiebat professio fidei directa ad salutem parvuli in solo motu interiori sine omni exteriori. » Nec valet dicere, quod D. Thom. in Summa revocaverit hanc sententiam, quam in Quarto docuerat cum Magistro, et communiori tunc

tunc opinione. Nam contra hoc est tum, quod in Summa nulla inveniatur hujusmodi revocatio : nec verba reperiuntur, quæ illam repræsentent. Tum quia ita abest, ut S. Doctor hanc retractationem fecerit, ut potius apertissime istam sententiam tueatur : nam in hac 3 part. quæst. 70, art. 4, ad 2, inquit : « Sicut ante institutionem « circumcisionis sola fides Christi futuri « justificabat tam parvulos, quam adultos; « ita etiam et circumcisione data. Sed an« tea non requirebatur aliquod signum « protestativum hujus fidei : quia nondum « homines fideles seorsum ab infidelibus « cœperant adunari ad cultum unius Dei. » Ergo Div. Thom. non solum in libris sententiarum, sed etiam in Summa docuit hanc sententiam, nempe parvulos in statu legis naturæ purgatos fuisse a peccato originali, et justificatos independenter ab omni exteriori signo, seu sacramento.

42. Respondetur ad argumentum negando minorem. Ad cujus probationem desumptam ex testimoniis D. Gregorii respondet Durandus in 4, dist. 1, quæst. 8, nu. 9, S. Doctorem fuisse in ea peculiari sententia, quam non oportet nos in hac causa sequi. Et plane si ita res se haberet; non maximum id reputaremus inconveniens : quia cum D. Augustinus relatus num. 23, satis aperte doceat nostram assertionem : si sacri hi Doctores non possent conciliari, nec possumus nos utriusque sententiis subscribere. Unde sicut Adversarii sequuntur Gregorium contra Augustinum, sic nos adhæremus Augustino, omissa nunc Gregorii opinione.

Sed hac responsione non egemus, cum facile, et cum majori reverentia possimus D. Gregorii sententiam interpretari. Nam cum asserit, quod parvuli in statu legis naturæ justificabantur *sola fide*, non loquitur de fide mere interna, sed de fide manifestata per aliquod externum signum ipsius fidei protestativum : et hujusmodi signum erat sacramentum ; siquidem repræsentabat effectum ; nempe purgationem ab originali peccato, quæ in ejus applicatione fiebat. Unde ly *sola fide* excludit signa, sive sacramenta determinata, quæ Deus tunc specialiter instituerit, cujusmodi fuit circumcisio in lege scripta, estque modo baptismus in lege gratiæ. Sed minime per ly *sola fide* exclusit signa externa ipsam fidem manifestantia, quæ pro illo statu adstruimus, et affirmamus fuisse sacramenta. Potestque hæc interpretatio firmari ex simili expositione, quam communiter adhibent Doctores duobus aliis Pontificibus, nempe Nicolao in cap. *Sufficiat* 27, quæst. 2, et Nicolaus Papa.
Alexandro in cap. *Cum locum de sponsalibus:* nam prædicti Pontifices affirmant *solum consensum internum contrahentium sufficere ad matrimonium :* et loquuntur de matrimonio, quod in lege gratiæ est sacramentum. Quæ sententia non solum difficilis, sed improbabilis apparet : nam certe constat sacramentum esse signum aliquod sensibile, et non posse consistere in solis actibus internis, ut liquet ex dictis disp. 1, dub. 1. Sed vera, et vulgaris expositio est Pontifices illos loqui de consensu interno, per aliqua tamen externa signa explicato : et per illa verba *solum consensum internum* excludere consensum parentum, aut consanguineorum, aut alia impertinentia ad rationem sacramenti. Et in eandem interpretationem recidit, si dicatur Pontifices illos ita asseruisse : quia ad sacramentum matrimonii requiritur determinate internus contrahentium consensus : alia vero signa extrinseca, per quæ ille consensus manifestari debet, nec sunt, nec requiruntur determinata, sed tantum indifferenter, et vage : quolibet enim signo explicetur consensus, v. g. voce, scripto, aut nutibus, perficitur sacramentum. Ad hunc igitur modum docuit D. Gregorius, quod sufficiebat *pro parvulis sola fides*. Quia fides quidem sufficiebat; sed debebat esse fides, quæ per aliqua signa extrinseca explicaretur. Et rursus prædicta non erant materialiter a Deo determinata pro statu legis naturæ, sicut postea fuit determinata circumcisio, et nunc est determinatus baptismus : sed sufficiebant quæcumque signa ab hominibus electa, et determinata. Unde ly *sola fides* excludit aliud sacramentum diversum, et aliam determinationem signorum : sed minime excludit signa externa, quæ essent ejusdem interioris fidei manifestæ et sensibiles protestationes. Nec ista signa excludere potuit : nam cum parvuli ex tunc aggregarentur Ecclesiæ, quæ est, et erat communitas visibilis ; oportebat hanc adunationem signis visibilibus fieri. Et eodem modo explicandi sunt V. Beda, et D. Bernardus : nam in omnibus referunt assertionem, et sensum Gregorii.

Ad confirmationem respondetur appro-

Satisfit confirmationi, et explicatur D. Tho. bando solutionem inter objiciendum adhibitam : nam licet D. Thomas sic in libris sententiarum docuerit, se accommodans sententiæ Magistri ; nihilominus in aliis scriptis illam revocavit. Nam quæst. 4, de Malo art. 8, ad 12, ait : « Fides antiquo« rum cum aliqua protestatione fidei vale« bat parvulis ad salutem : » protestatio autem fidei non contingit absque aliquo signo exteriori fidei : unde correxit, quod in sententiariis docuerat fidem solam suffecisse *absque omni exteriori signo*. Et quod caput est, in hac 3 parte evidenter docuit, quod in statu legis naturæ fuerint sacramenta vera, ut ostendimus nu. 24; si autem fuerunt, minime negari possunt pro justificatione parvulorum, quibus erant maxime necessaria. Quod autem contra hanc responsionem objicitur ex q. 70, art. 4, non urget : quia S. Doctor statim postea verba, quasi temperans illa immediate subjunxit : « Probabile tamen est, quod paren« tes fideles pro parvulis natis, et maxime « in periculo existentibus aliquas pre« ces Deo funderent, vel aliquam bene« dictionem eis adhiberent (quod erat « quoddam signaculum fidei), sicut adulti « pro se ipsis preces, et sacrificia offere« bant. » Preces autem illæ, et benedictio, sicut erant quoddam signaculum fidei, sic etiam erant aliquod sacramentum, siquidem ordinabantur ad spiritualem parvulorum salutem, illamque ipsis sua applicatione afferebant. Sed licet hæc responsio sit satis probabilis, longe tamen probabilius censemus nullam reperiri in scriptis D. Thomæ contradictionem, nullamque proinde revocationem prioris opinionis necessariam esse. Nam cum S. Doctor in scriptis super libros sententiarum affirmat parvulos justificatos fuisse per solam fidem sine omni exteriori signo, loquitur juxta mentem D. Gregorii de signo, sive sacramento materialiter determinato : quod nullum tunc erat : sicut e converso contigit in subsequentibus statibus : in hocque constituit differentiam inter statum legis naturæ, et status alios. Sed minime negavit sacramentum, aut signum vage per quod interior fides manifestaretur : sicut certum est tunc fuisse sacrificia, et tamen non erant ex aliqua Dei lege materialiter determinata, ut ex eodem S. Doctore ostendimus nu. 32. Et hæc responsio congruit omnino doctrinæ, quam tradit in præs. art. 3 ad 2, his verbis : « Oportebat, quod per incre« menta temporum magis explicaretur co« gnitio fidei : quia, ut Gregorius dicit, per « incrementa temporum crevit divinæ « cognitionis augmentum. Et ideo etiam « necesse fuit, quod in veteri lege quædam « sacramenta fidei, quam habebant de « Christo venturo, determinarentur. Quæ « quidem comparantur ad sacramenta, « quæ fuerunt ante legem, sicut determi« natum ad indeterminatum : quia scili« cet ante legem non fuit determinate præ« fixum homini, quibus sacramentis ute« retur, sicut fuit per legem. » Ubi manifestum est D. Thomam asserere sacramenta in statu legis naturæ, et sacramenta in statu legis scriptæ ; et inter illa eam differentiam constituere, quod priora non erant determinata, et posteriora fuerunt determinata. Si autem sacramenta fuerunt in statu legis naturæ, ut expresse affirmat ; cur non etiam pro parvulis, qui maxime indigebant? Cum igitur in scriptis super Magistrum negat signa externa ; non negat absolute signa, sed signa determinata, qualia occurrunt in aliis statibus : « quia ante legem non fuit determinate « præfixum homini, quibus sacramentis « uteretur, sicut fuit per legem. » Omnia itaque S. Doctoris dicta absque ulla contradictione cohærent.

Nota.

43. Arguitur secundo : quia cum sacramenta in sua institutione dependeant ex sola et libera Dei voluntate, non possunt pro aliquo determinato statu affirmari, nisi nobis constet ex Scriptura : sed in hac nihil nobis proponitur, aut revelatur de existentia sacramentorum in statu legis naturæ : ergo sine fundamento procedimus, cum fuisse sacramenta in prædicto statu affirmamus. Confirmatur : quia de ratione sacramenti est, quod a Deo positive instituatur : sed nequit dici, quod Deus in statu legis naturæ instituerit positive sacramenta : ergo sacramenta in prædicto statu non fuerunt. Probatur minor : nam Deus in tali statu non dedit, aut imposuit particularia præcepta supernaturalia positiva ; alias prædictus status non differret a statu legis scriptæ : ergo pariter Deus in eo statu non instituit positive sacramenta. Patet consequentia tum a paritate inter præcepta, et sacramenta : tum quia Deus instituendo positive sacramenta præciperet eorum usum : ergo si præcepta positiva supernaturalia

turalia non imposuit, sequitur, quod non instituerit sacramenta.

Dissolvuntur. Ad argumentum constat ex dictis num. 26, quibus addere non oportet. Ad confirmationem respondemus negando antecedens : quia Deus in statu legis naturæ aliqua præcepta supernaturalia imposuit; licet pauca, et quæ facile absque scriptura conservarentur in hominum memoria. Idque ipsi Adversarii hæc objicientes nobiscum tueri debent ; quoniam licet negent sacramenta in tali statu, concedunt tamen pro parvulis remedium naturæ, quod constituunt in fide parentum ad eorum justificationem directa. Cumque talis fides hujusmodi effectum non habeat ab intrinseco, et ex natura rei ; opus est, illum habuerit ex institutione divina pro illo statu : ex quo ulterius consequens fit parentes in eo statu obligatos positivo Dei præcepto fuisse ad subveniendum parvulis eo remedio. Sicut igitur ipsi inconveniens non reputant hanc institutionem, istudque præceptum pro illo statu admittere : sic nec ut inconveniens objicere possunt, quod similia pro sacramentis tunc admittamus. Nec inde inferri debet ulla confusio inter prædictum statum, et statum legis scriptæ : quia licet in utroque fuerint et præcepta positiva supernaturalia et sacramenta, nihilominus quod ad præcepta pertinet, in statu legis scriptæ fuerunt plurima ; in statu vero legis naturæ fuerunt paucissima : et quod spectat ad sacramenta, in statu legis scriptæ fuerunt non solum a Deo instituta, sed etiam determinata in genere, et in specie usque ad minimas cæremonias, sicut ex Scriptura edocemur : quam determinationem non habuerunt in statu legis naturæ : quia licet Deus in genere illa instituerit, nihilominus major eorum determinatio quantum ad materias, et ritus proveniebat ex dispositione hominum, qui non aliqua lege positiva, sed interiori instinctu ad id movebantur, ut num. 32 explicuimus. Potestque hæc doctrina magis confirmari exemplo sacrificiorum : nam certum est sacrificia fuisse tam in statu legis naturæ, quam in statu legis scriptæ, quin inde sequatur ulla prædictorum statuum confusio : quia licet in utroque statu homines lege naturali obligabantur ad sacrificandum Deo, nihilominus in lege scripta tenebantur ad sacrificia, quæ Deus in genere, et in individuo, et quantum ad omnes ritus præceperat : sed in statu legis naturæ solum obligabantur ex Dei præcepto ad sacrificandum : quod vero sacrificarent hæc, aut illa, hoc, aut illo ritu, non erat ex præcepto divino : sed hæc ipsi determinabant pro suo arbitrio, et secundum internum instinctum. Idem itaque de sacramentis dicendum est. In quo sensu graves aliqui Theologi asserere solent sacramenta, et sacrificia in lege naturæ non fuisse præcepti, aut institutionis divinæ, sed electionis et devotionis : quia licet in genere obligarentur ad sacramenta, et sacrificia ; tamen horum omnium determinatio ad peculiares materias ex hominum electione, et devotione pendebat.

Ubi notandum est (ut tacitam replicam præveniamus), quod licet gubernari per interiorem instinctum sit perfectius, quam gubernari per exteriora signa, quando interior instinctus simul deservit ad percipiendum, et intelligendum mysteria gratiæ (in quo sensu D. Thomas in hac 3 part. quæst. 36, art. 5, revelationem Simeoni, et Annæ per interiorem instinctum factam prætulit revelationi factæ pastoribus per interna signa) : nihilominus gubernari per interiorem instinctum non est perfectius, quam gubernari per externa signa ; quando interior instinctus non ordinatur ad magis penetrandum gratiæ mysteria, sed solum ad determinandum materialiter ipsa signa, in quibus, et per quæ prædicta mysteria repræsentantur. In statu autem legis naturæ instinctus interior non ordinabatur ad primum illud, sed ad hoc posterius : quia homines non semper intelligebant mysteria gratiæ, quæ repræsentabantur in signis ab eisdem determinatis. Unde non sequitur (quod nobis objici poterat), statum legis naturæ, in quo homines gubernabantur interiori instinctu fuisse perfectiorem statu legis scriptæ, in quo homines gubernabantur per legem externam. Sed magis colligitur oppositum : quia homines magis cognoverunt mysteria gratiæ per sacramenta, et sacrificia legis scriptæ, quam illa in priori statu cognoverint per interiorem instinctum, et per signa ab eisdem ordinata. « Oportebat enim, *ut inquit D. Thom. « loco citato*, quod per incrementa tempo- « rum magis explicaretur cognitio fidei. Et « ante legem non fuit determinate præfixum « hominibus, quibus sacramentis uteren- « tur, sicut fuit per legem : quod erat ne- « cessarium, et propter obtenebrationem

Præoccupatur objectio.

« legis naturalis, et ut esset determinatior « fidei significatio. »

Tertium argumentum. 44. Arguitur tertio : quia si in statu legis naturæ fuissent sacramenta, contulissent gratiam ex opere operato, id est, ultra dispositionem, et meritum suscipientium ; alias inutilia forent, et præsertim in parvulis : sed sacramenta in statu legis naturæ non potuerunt conferre gratiam ex opere operato : ergo in tali statu non fuerunt. Probatur minor : quia conferre gratiam ex opere operato est conferre gratiam ex meritis Christi operatis, et positis in rerum natura : sed manifestum est, quod durante statu legis naturæ merita Christi non erant posita in rerum natura : ergo sacramenta in tali statu non potuerunt gratiam conferre ex opere operato.

Confirmatio. Confirmatur : quia de ratione veri sacramenti est esse signum practicum determinatum, sive institutum a Deo : at Deus in statu legis naturæ non instituit, nec determinavit sacramenta ; sed horum determinatio erat ab hominibus, ut cum D. Thom. supra statuimus num. 32 ; ergo in statu legis naturæ non fuerunt sacramenta, saltem vera, et propria, de quibus agimus. Et si dicatur, ut eo loco diximus, determinationem sacramentorum vage, et in communi, aut in genere fuisse ex Deo instituente : determinationem autem ad particulares materias, et speciales ritus fuisse ex hominibus secundum interiorem instinctum : contra hanc responsionem est. Primo quia inde fieret longe faciliorem fuisse remissionem peccati originalis in eo statu, quam in statu legis scriptæ, et (quod plus est) quam in statu legis gratiæ : nam in duobus his statibus requiritur determinata materia, qua non adhibita nequit adhiberi remedium : sed in statu illo sufficeret quælibet materia, quam homines eligerent. Secundo, quia ex eo, quod homines in illo statu possent materias sacramentorum determinare, sequeretur magna in Ecclesia confusio, quibusdam eligentibus unam, et aliis determinantibus aliam : quod dedecere videtur Dei providentiam pro illo statu. Tertio, quia de essentia sacramenti ut talis est esse signum determinatum ; et similiter esse a Deo instituente : ergo si sacramenta in illo statu, ut determinata, non erant a Deo, sed ab hominibus ; sequitur sacramenta ut sacramenta non fuisse a Deo : in quo est manifesta contradictio. Quarto, nam cum dicitur homines in statu legis naturæ determinasse sacramenta ; vel significatur homines illa determinasse auctoritative, et per modum institutionis ; vel significatur illa determinasse ministerialiter, et per modum promulgationis : primum est aperte falsum ; cum solus Deus, qui est auctor gratiæ queat instituere signa, quæ illam practice repræsentent : secundum autem commune est aliis statibus : siquidem homines ministerialiter, et per modum promulgationis, aut applicationis possunt concurrere ad sacramenta, quæ Deus instituit : ergo in nullo vero, et proprio sensu salvatur, quod homines in statu legis naturæ determinaverint sacramenta ad ipsum spectantia.

Ad argumentum respondetur, quod cum eisdem terminis, et sub eadem forma potest applicari sacramentis legis scriptæ : siquidem de ratione sacramenti est causare gratiam ex opere operato, sive ex meritis Christi operantis, quæ tamen tempore legis scriptæ non erant. Quare vel dicendum est tempore legis scriptæ non fuisse sacramenta ; quod est contra fidem : vel recognoscere oportet debilitatem prædicti argumenti, et quod ab omnibus dilui debet responsione communi. In primis ergo respondemus non esse de ratione veri sacramenti, quod causet gratiam ; sed sufficit, si vel illam significet ut productam in ejus applicatione : id namque satis est, ut veram rationem signi practici sortiatur, sicut ex professo explicuimus disp. 1, dub. 1, et 4. Deinde addimus, quod cum dicitur esse de ratione sacramenti, quod in ejus applicatione conferatur gratia ex opere operato ; sensus ad summum est conferri gratiam ultra meritum, et dispositionem subjecti ex meritis Christi : sed minime requiritur, quod cum talis gratia confertur, meritum Christi sit operatum, sive actu existens : oppositum enim satis certo constat in circumcisione parvulorum antiquæ legis, quibus conferebatur gratia ex meritis Christi, quæ tunc existentia non erant. Sufficit itaque ad veram rationem sacramenti, ut abstrahit a futuritione, et præsentia Christi, quod conferatur in ejus usu gratia ex meritis, sive ob merita Christi : cæterum quod in eo communicetur gratia ex meritis Christi, ut jam operatis, et existentibus, non pertinet in communi ad veram sacramenti rationem ; sed spectat determinate ad sacramenta

(Margin, beside "Ad argumentum respondetur": Occurritur argumento.)

menta legis gratiæ, quæ supponunt meritum Christi jam operatum, et actu existens, et de quibus proinde specialiter dicitur, quod justificant, et agunt ex operato. Quæ doctrina magis confirmabitur attendendo, quod merita Christi non influxerunt, nec influere potuerunt in sacramenta, et gratiam antiquorum in genere causæ efficientis, sed solum in genere causæ finalis, ut ex professo ostendimus tract. præc. disp. 7, dub. 4 ; inde enim evidentius concluditur, quod sacramenta antiquorum non concurrerunt ad suos effectus ex meritis Christi ut operatis, et existentibus, sed ut aliquando futuris : sic enim movebant tanquam pretium aliquando solvendum. Verum de hac materia iterum sermo redibit disp. 4, ubi agemus de modo, quo nostra sacramenta habent influere.

itur fir- io. 45. Ad confirmationem respondemus solutionem inter objiciendum datam optimam esse : quia licet institutio sacramentorum in statu legis naturæ fuerit a solo Deo auctoritative, et quantum ad valorem, tamen applicative, et quantum ad determinationem materiarum, et rituum potuit esse ab hominibus. Quod exemplo recte declarat Joannes a S. Thom. nam Pontifex potest concedere Principi sæculari facultatem, ut imagines, quas Princeps designat, habeant talem, aut talem indulgentiam: in quo casu solus Pontifex daret auctoritative indulgentias : sed Princeps concurreret applicative quantum ad designationem, et determinationem materiæ. Impugnationes autem hujus doctrinæ non urgent. Nam ad primam respondetur negando sequelam, attentis omnibus : nam materia remota baptismi communissima est, nempe aqua quælibet naturalis, et a quolibet ministro applicata : in statu autem legis naturæ, quamvis materia sacramenti ordinati ad remissionem peccati originalis non esset a Deo materialiter determinata, sed ab hominibus determinanda ; tamen hujusmodi determinatio non pertinebat ad particulares homines, sed ad communitatem, sive Rempublicam, ut num. 33 observavimus : facta autem per Rempublicam assignatione determinatæ materiæ, hanc, et non aliam exhibere poterant particulares in applicatione prædicti remedii, et nihil forte posset Respublica assignare magis commune, quam aquam, et nihil ablutione facilius. Unde non sequitur remissionem peccati originalis esse nunc difficiliorem. Sed (quod caput est ad regulandum perfectionem sacramentorum), remedium in lege gratiæ institutum expressius significat Christum, et gratiam per ipsum datam, ad quam etiam effective concurrit, ut dicemus disp. 4, dub. 4. Quibus perfectionibus carebat sacramentum in lege naturæ institutum ad remedium peccati originalis.

Et juxta doctrinam immediate traditam cessat secunda probatio : nam cum designare materias sacramentorum in tali statu non pertineret ad particulares homines, sed ad Rempublicam ; nulla, aut fere nulla sequebatur in hac parte confusio : nam homines obligabantur illam, et non aliam materiam adhibere, quam a Republica, vel Ecclesia designatam. Sicut licet juxta probabilem opinionem Christus non determinaverit in individuo materiam sacramenti Ordinis, sed solum signa repræsentativa traditionis potestatis, quæ per Ecclesiam assignarentur ; non videmus ortam in hac parte confusionem : nam ex quo Ecclesia Latina determinavit quædam signa, et Ecclesia Græca designavit alia signa ; homines ad unamquamque pertinentes debent prædictis ordinationibus obtemperare, et determinatas sibi materias adhibere, idque exequuntur, ut de facto constat. Ad tertiam constat ex dictis de ratione sacramenti solum esse a Deo auctoritative, et quantum ad valorem, et rem significatam : non autem quantum ad materialem designationem materiarum, et rituum : unde nulla occurrebat contradictio in eo, quod sacramenta in statu legis naturæ primum haberent ex Deo, et secundum ex hominibus, ut facile declarari potest tum exemplo immediate proposito sacramenti Ordinis, tum exemplo matrimonii, cujus externa signa non sunt materialiter determinata. Unde etiam patet ad quartam, et ultimam : jam enim explicuimus, quod determinatio sacramentorum in eo statu pertinebat ad homines solum materialiter, sive ex parte assignationis signorum. Et cum infertur id etiam contingere in statu legis gratiæ, respondemus nihil referre : tum quia in præsenti statu id tantum contingit quantum ad unum, aut alterum sacramentum ; reliqua enim habent materias materialiter etiam a Deo determinatas. Cæterum in priori illo statu ea determinatio materialis ad homines generaliter pertinebat, sic exigente

illius status imperfectione. Tum etiam e præcipue, quia differentia nostrorum ab antiquis sacramentis non ad illud caput revocanda est; sed ad alla, præsertim vero ad modum influendi, et repræsentandi: in quo certum est nostra plurimum differre, et esse illis incomparabiliter perfectiora.

Quartum argumentum. 46. Arguitur quarto: quia de ratione sacramenti pertinentis ad quemcumque statum naturæ lapsæ est significare non solum gratiam, sed gratiam ut datam per Christum, atque ideo et ipsum Christum Redemptorem: sed in statu legis naturæ non potuerunt ulla sacramenta significare Christum; ergo in tali statu non fuerunt sacramenta. Consequentia patet. Et major constat ex dictis disp. 1, nu. 31. Minor autem probatur: quia talia sacramenta non potuerunt significare Christum ut præsentem: alias eorum significatio foret falsa; cum tunc Christus præsens non esset. Nec potuerunt significare Christum ut futurum: inde namque fieret homines toto illo tempore, quod defluxit a morte Christi usque ad sufficientem promulgationem Evangelii, non potuisse recipere sacramenta pertinentia ad legem naturæ: siquidem Christus tunc non erat futurus, sed præsens: ex quo ulterius fieret homines in eo medio tempore absque remedio damnari. Nec denique potuerunt significare Christum abstrahendo ab ejus futuritione, et præsentia, ut Cabrera convictus præmissis probationibus minus recte affirmat. Tum quia sacrificia in statu legis naturæ significaverunt Christum ut futurum: ergo idem de sacramentis illius status dicendum est. Tum etiam quia sacramenta legis scriptæ significabant Christum non sub illa abstractione, sed ut futurum: ergo eodem modo illum significabant sacramenta legis naturæ. Tum denique nam fides antiquorum, licet non ex propria, et formali ratione, nihilominus ratione subjectorum, et status, quibus per accidens conjungebatur, inclinabat in Christum ut futurum: unde habuit ab hac parte aliquam variationem, et incrementum, ut sæpe docet D. Th. et nominatim in præs. art. 3 ad 2,; cum igitur sacramenta magis, quam fides, fuerint determinata ad illum statum, et prædicti status personas; sequitur quod non significaverint Christum sub illa abstractione, aut indeterminatione, sed ut determinate futurum. D. Tho.

Diluitur. Respondetur huic argumento negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est sacramenta legis naturæ significasse Christum ut futurum eo plane modo, quo sacramenta legis antiquæ illum repræsentabant. Nec enim illum significaverunt ut præsentem, quia talis significatio esset falsa: nec repræsentaverunt eum ut abstrahentem a præsentia, et futuritione ob ea, quæ contra Cabreram objecta sunt. Ad improbationem autem hujus partis dicendum est applicari eodem modo posse circumcisioni, et aliis sacramentis Hebræorum: nam ista repræsentabant Christum ut futurum: unde Christi sacrificio, et morte cessarunt: ergo toto illo tempore, quod a morte Christi usque ad promulgationem legis decurrit, pueri Hebræorum nullum habuerunt remedium ut liberarentur a peccato originali, et consequerentur salutem: damnabantur igitur sine remedio. Unde liquet objectam difficultatem esse communem, et ab omnibus diluendam. Ad quam respondemus pro parvulis vel Gentium, vel Hebræorum in eo medio tempore paratum fuisse remedium, nempe sacramentum baptismi. Quod vero illis applicatum non fuerit, nec proxime applicari potuerit, erat per accidens ob carentiam legis Evangelicæ: sicut etiam contigit apud Indos, et alias remotissimas nationes post prædictam legem sufficienter in aliis partibus promulgatam. Et dicere parvulos mortuos fuisse sine remedio in prædicto sensu nullum est inconveniens, sicut etiam contingit in eis, qui moriuntur intra claustra materna. Et quamvis pereant sine remedio, non tamen damnantur sine causa: quia peccaverunt in Adam, et habent originale peccatum, quod sufficit, ut excludantur a regno: sed nec propterea passuri sunt ullam sensus pœnam. Unde D. August. lib. *de natura, et gratia* cap. 8, inquit: « Recte ergo ea damnatione, quæ per universam massam currit, non admittitur « (*nempe parvulus*) in regno Cælorum: « quamvis Christianus non solum non « fuerit, sed nec esse potuerit, » scilicet proxime, et quantum ad practicabilem baptismi applicationem. Et D. Thom. in 4, dist. 6, q. 1, art. 1, ait: « Dicendum, quod « non est ex defectu divinæ misericordiæ, « quod in maternis uteris existentibus non « adhibeatur remedium: sed quia non sunt « capaces remedii, per quod secundum legem D. A D. T

« legem communem participes passionis « Christi efficiantur, a quo est remissio « peccatorum : quia non possunt subjici « operationi ministrorum Ecclesiæ, per « quos talia remedia ministrantur.» Sic enim Deus vult omnes homines salvos fieri, quod tamen nolit communem providentiam inverti, secundum quam componi non potest, quod remedium baptismi applicetnr parvulis omnibus, aut sit proxime applicabile. Recolat lector, quæ diximus tract. 14, disp. 6, n. 55, et num. 94, ubi hanc difficultatem fusius discussam reperiet.

Quintum argumentum. 47. Arguitur quinto : quia si in statu legis naturæ institutum fuisset aliquod sacramentum ad remedium parvulorum, aliquod ejus vestigium remansisset apud nationes, aliqua etiam ejus memoria, et relatio inter antiquissimos scriptores, præsertim apud Moysem, qui Dei nutu primordia humani generis, ejusque gubernationem litteris consignavit : atqui nihil horum occurrit : ergo incredibile est tale sacramentum fuisse, illudque sine fundamento affirmamus. Quam difficultatem promovet Soto sequenti consideratione, nam cum sacramentum circumcisionis institutum fuerit pro solis hominibus : si prius dabatur aliquod sacramentum ad remissionem peccati originalis, illud utique remansisset in populo Hebræorum pro fœmellis, nec istæ omni penitus remedio destituerentur : id vero esse falsum constat, quia Soto ipse testatur se interrogasse, Judæos in Hispania, in Germania, Venetiis, et Romæ, utrum puellis aliquod signum applicarent ad modum sacramenti : et ipsi ridentes responderunt talem ritum non esse, nec apud ipsos unquam auditum fuisse : nullum itaque a principio institutum fuit sacramentum ad generale remedium originalis peccati.

Diruitur Respondetur argumentum nihil valere, et in Adversarios regerendum esse : quia non majus vestigium apud Gentes, nec expressior in earum scriptoribus occurrit memoria peccati originalis, quam sacramenti ordinati ad tollendum originale peccatum : quare sicut ex eo, quod inter Gentiles non occurrit vestigium peccati ejusmodi, non sequitur negandam esse ejus existentiam ; ita ex eo, quod non detur vestigium, aut memoria sacramenti pro ejus ablatione, inferri non debet, quod numquam fuerit. Sed magis inferri debet, nosque inferimus, quod sicut post diluvium, et succedente Idololatriæ caligine, Gentes oblitæ sunt peccati originalis ; sic etiam oblitæ sunt sacramenti pro ejus remedio ordinati. Quamvis addendum duxerimus non pœnitus abesse vestigia hujusmodi : nam Romani, ut Festus refert, pueris, et fœmellis nomen octavo, et nono die imponebant cum lustratione, et emundatione. Athenienses etiam, referente Suida, decima nocte cognatos invitabant ad epulas, et sacrificia, quæ pro infantibus offerebant. Aliaque similia fiebant apud alias Gentes. Et quod plus est, Persæ fæmellas circumcidunt, ut refert Bellonius lib. 3 *observat.* cap. 18. Non est itaque omnino certum nullum apud scriptores exstare vestigium, quod in statu legis naturæ non fuerit aliquod sacramentum ad remedium originalis peccati. Et quod Moyses ejus non meminit, non fuit sine causa ; quamvis nos lateat, ut Div. Augustinus numer. 23 relatus observat illis verbis : « Credendum non est famulos Dei nullo sacramento Mediatoris « opitulatos esse parvulis suis : quamvis « quid illud esset, aliqua necessaria causa « sacra Scriptura latere voluerit.» Quod autem addit Soto, minus adhuc urget : fatendum namque est in populo Judæorum remansisse sacramentum, sive remedium naturæ pro puellis, illudque tempore legis in usu fuisse. Judæi autem præsentis temporis non minus ignorantes, quam obstinati sunt : quare eorum doctrina, et responsiones nihil pendi debent ; præsertim cum eorum plures negent peccatum originale. Quod autem responderunt Soto, nostram assertionem non impugnat, sed firmat potius ejus explicationem : nam dixerunt « nullum se ritum habere circa « fœmellas ; sed eas tantum offerre Deo, « nullo signo certo servato.» Et sic proportionabiliter contingebat in statu legis naturæ : non enim pro sacramento, et remedio parvulorum constituimus alium ritum, aliudve signum, quam externam oblationem aliquam parvulorum Deo factam in protestationem fidei, vel quid simile, ut Respublica decernebat.

Festus. Suidas. Bello. D. Aug.

DUBIUM IV.

Utrum in statu legis scriptæ fuerint sacramenta?

Superatis illis, quiæ circa institutionem, atque existentiam sacramentorum apparent difficiliora, proclive erit promovere considerationem ad alios status, in quibus clarior notitia sacramentorum occurrit. Et post statum legis naturæ successit status legis scriptæ, ad quem pertinet discutienda nunc difficultas. Procedit autem in sensu proprio, sive in ordine ad sacramenta vera, et propria, ut non semel in superioribus monuimus. Et a facilioribus incipiendo

§ I.

Proponitur prima conclusio.

Conclusio. 48. Dicendum est primo in statu legis scriptæ fuisse aliquod sacramentum. Hæc assertio est certissima apud Theologos propter motivum statim proponendum, et neminem vidimus, qui illam neget : quare supervacaneum censemus aliquos in particulari referre. Probatur igitur unico fundamento : quia in statu legis antiquæ erat Circumcisio : sed hæc fuit vere, et proprie sacramentum : ergo aliquod sa-
Fundamentum. cramentum fuit in statu legis scriptæ. Consequentia est evidens. Major autem sola declaratione probatur : nam licet circumcisio non fuerit primo instituta in statu legis scriptæ, sed initium habuerit in Abrahamo quadringentis, et amplius annis ante Moysem ; nihilominus dicitur, et est sacramentum legis scriptæ : tum quia erat quasi janua pro omnibus pertinentibus ad illam legem, sicut modo baptismus se habet respectu omnium pertinentium ad Christianam religionem. Unde D.
Tho. Tho. 1, 2, q. 102, art. 5, in corp. observat : « In istis sacramentis veteris legis quædam « pertinebant communiter ad totum populum : quædam autem specialiter ad ministros : et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio « in statu colentium Deum. Et hæc quidem institutio communiter quantum ad « omnes fiebat per circumcisionem, sine « qua nullus admittebatur ad aliquid legalium.» Tum etiam quia circumcisio erat velut character gentis Judaicæ, et professio determinata Mosaycæ legis, vi cujus omnis circumcisus se obligabat ad legis hujusmodi observationem, juxta illud Apostoli *ad Galat.* 5 : *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Manifestum itaque est, quod licet ritus circumcisionis fuerit antiquior lege Mosayca, nihilominus in ea permanserit, et ad ipsam specialiter pertinuerit. Minor denique, in qua poterat esse difficultas, probatur ex Apostolo *ad Rom.* 4: *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei.* Quorum verborum sincerus sensus est circumcisionem fuisse signum justitiæ, sanctitatis, aut gratiæ, quæ dabatur hominibus per fidem in Christum venturum. Sacramentum autem vere, et proprie dictum non est aliud, quam signum rei sacræ ut sanctificantis juxta superius dicta disp. 1, dub. 1, et 2. Fuit ergo circumcisio vere, et proprie sacramentum.

Confirmatio. 49. Confirmatur primo, et satis urgenter : nam cæremonia sensibilis manifestans, sive significans remissionem peccati originalis non potuit non esse sacramentum vere, et proprie ; sed hujusmodi erat circumcisio : hæc igitur fuit vere, et proprie sacramentum. Major constat ex sacramenti diffinitione supra tradita disp. 1, dub. 3, nempe sacramentum est *signum rei sacræ sanctificantis nos;* sed ritus significans remissionnem peccati originalis, quæ in ejus applicatione fiebat, erat signum rei sacræ, nempe gratiæ sanctificantis homines, sine cujus infusione illa remissio nec contingebat, nec contingere valebat, ut constat ex dictis tract. 15, disp. 2, dub. 5, et 6 ; ergo cæremonia repræsentans remissionem peccati originalis in ejus exercitio factam nequit non esse sacramentum vere, et proprie. Minor autem probatur ex Innocentio Tertio in cap. *Ma-* Innocentius 3.
jores, de baptismo, ubi præmittit baptismum successisse circumcisioni : deinde illa verba Genes. 17 : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo suo*, comparat cum illis Joann. 3: *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cælorum.* Et tamen concludit plus nunc conferri ex baptismo, quam olim ex circumcisione : *Quoniam*, inquit ille, *etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur ; non tamen perveniebatur ad regnum Cælorum,*

Cœlorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum : sed per sacramentum baptismi culpa remittitur, et ad regnum Cœlorum pervenitur. Ubi Pontifex quantum ad remissionem peccati originalis eodem modo loquitur de circumcisione, ac de baptismo : quem certe constat esse signum repræsentans remissionem peccati originalis. Quam etiam sententiam aper-
D. Aug. tissime docuerat Div. August. lib. 4, *de baptismo* cap. 24, ubi ait : « Ex circumci- « sione carnis, quam populus accepit, con- « jicere nos possumus, quid valeat in par- « vulis baptismi sacramentum.» Et lib. 3, contra Julian. cap. 18, illum ita premit : « Responde, si potes, cur ipse Isaac nisi « baptismatis Christo signo circumcisus « octavo die fuisset, periisset anima ejus « de populo suo? Explica, si potes, cur « merito tanta pœna plecteretur, nisi ab « hac tanto sacramento liberaretur ? » Et ut alios Patres nunc omittamus, Angelicus
D. Tho Doctor infra quæst. 70, art. 4, hanc sententiam aperte docet, et egregie confirmat his verbis : « Dicendum, quod ab omnibus « communiter ponitur, quod in circumci- « sione peccatum originale remittebatur. « Quidam tamen dixerunt, quod non con- « ferebatur gratia, sed solum auferebatur « peccatum. Quod Magister ponit in prima « dist. 4, sent. et Glossa ad Rom. 4. Sed « hoc non potest esse: quia culpa non remit- « titur, nisi per gratiam, secundum illud « ad Rom. 3: Justificati gratis per gratiam « etc. Et ideo alii dixerunt, quod per cir- « cumcisionem conferebatur gratia quan- « tum ad effectum remissionis culpæ, sed « non quantum ad effectus positivos etc. » Quam, et alias sententias falsas luculenter impugnat, et tandem concludit : « Et ideo « dicendum est, quod in circumcisione « conferebatur gratia quantum ad omnes « gratiæ effectus, aliter tamen quam in « baptismo. Nam in baptismo confertur « gratia ex virtute ipsius baptismi, quam « habet, in quantum est instrumentum « passionis Christi jam perfectæ. In cir- « cumcisione autem conferebatur gratia « non ex virtute circumcisionis, sed ex « virtute fidei passionis Christi, cujus « signum erat circumcisio : ita scilicet, « quod homo, qui accipiebat circumcisio- « nem, profitebatur se suscipere talem « fidem, vel adultus, pro se, vel alius pro « parvulis.» Ad veram autem, et propriam sacramenti rationem necessarium non est causare gratiam ; sed sufficit illam significare in applicatione ritus, aut sacramenti productam, ut ostendimus disp. 1, dub. 1.

Confirmatur secundo, et non minus urgenter: quia parvuli in circumcisione incorporabantur, et annumerabantur populo Dei: ergo in circumcisione recipiebant fidem habitualem : ergo et gratiam habitualem sanctificantem : atque ideo circumcisio erat ritus, sive signum visibile repræsentans rem sacram, homines sanctificantem : quo nihil amplius requiritur ad propriam rationem sacramenti. Antecedens constat : tum quia sicut modo baptismus, sic olim circumcisio se habebat ad parvulos: sed parvuli per baptismum incorporantur, sive annumerantur populo Dei: ergo idem olim contingebat parvulis per circumcisionem. Tum quia circumcisio non erat mera nota, et stigma quasi pecudum: sed erat signum pertinentium ex speciali Dei dispositione ad peculiarem hominum congregationem, sive ad populum a Deo electum. Vnde D. Hieronymus lib. 1, in epist. ad Galat. circa illa verba cap. 3 : *Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt*, inquit: *Providens Deus, ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, et paulatim familia ejus fieret incerta; gregem israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit.* Prima autem consequentia probatur: quia infideles non pertinebant ad populum Dei: ergo si parvuli, cum circumcidebantur, incipiebant pertinere ad Dei populum, recipiebant fidem : sed non actualem, cujus capaces non erant: ergo habitualem. Sicut quia modo parvuli, cum baptizantur, aggregantur Ecclesiæ, quæ est congregatio fidelium; recte colligitur parvulos, cum baptizantur, recipere habitum fidei. Unde etiam probatur secunda consequentia: quia habitus fidei connaturaliter, et per se loquendo non producitur, nec infunditur, nisi ad productionem, et infusionem gratiæ santificantis : hæc enim comparatur per modum formæ aut naturæ; illa vero per modum virtutis proximæ ex eadem resultantis juxta doctrinam traditam tract. 14, disp. 4, dub. 6; si igitur parvulis in circumcisione infundebatur fides, consequens est, quod eisdem etiam infunderetur gratia sanctificans Ex quibus tandem evincitur ultima consequentia : nam si in circumcisione infundebatur gratia sanctificans, erat utiquè circumcisio ritus, et signum

Confirmatio 2.

D. Hier

repræsentans rem sacram, qua homines in ejus usu, et applicatione sanctificabantur.

Objectio. 50. Occurrunt tamen contra communem hanc assertionem, et adversus doctrinam, qua ipsam communivimus, graves aliquæ objectiones. Prima quidem: nam communis Patrum Græcorum sententia est circumcisionem institutam fuisse non ad remissionem peccati originalis, nec ad sanctificationem subjecti; sed ad distinguendum, et consignandum peculiarem populum Dei, ut distingueretur a cæteris gentibus : ergo circumcisio non fuit signum repræsentans rem sacram, ut sanctificantem homines : atque ideo nec esse potuit vere, et proprie sacramentum. Antecedens probatur ex D. Justino martyre *in dialogo contra Triphon.* ubi ait : *Circumcisionem accepit Abraham significationis gratiæ, non justitiæ : idque et Sacræ Scripturæ et res ipsæ nos cogunt confiteri.* D. Chrysostom. hom. 27. *in Genes.* inquit: *Voluit circumcisionem lege sanciri, non quod ad salutem animi hæc proficere aliquid posset: sed ut hoc gratitudinis indicium quasi signum, et sigillum circumferrent Judæorum pueri : et ne eis liceret contaminari gentium commixtionibus. Propter quod Paulus ad Rom.* 4, *circumcisionem vacat signum : nam ad justitiam nihil ipsa conducit.* Et hom. 40, in fine concludit: *Nulla alia ex circumcisione fuit utilitas, quam hæc sola, quod hoc signo essent cognoscibiles, et ab aliis gentibus sequestrarentur Judæi : nostra autem circumcisio baptismatis gratiæ medicinam habet.* Et ut prolixitatem in referendo aliorum verba vitemus, id ipsum palam docent D. Irenæus lib. 4, *contra hæres.* cap. 30. N. Cyrillus lib. 1, *in Joan.* cap. 11, et lib. 11, *contra Julianum* in fine. D. Epiphanius hæres. 8, et hæresi 30. D. Damascenus lib. 4, cap. 26. Theodoretus quæst. 67. *in Genes.* Œcumenius ad Rom. 3. Theophyl. ad Rom. 4. Eusebius lib. 1, *de præparat. evang.* cap. 40, et lib. 1. *histor.* cap. 1, et alii communiter.

(Margin: Justin. — Chry. — Iren. — Epip. — Dam. — Theo. — Œcum. — Theoph.)

Responsio. Respondetur Doctores Græcos ita communiter asseruisse. Sed tamen Patres Latini post D. Augustinum non minori conformitate docuerunt circumcisionen fuisse institutam ad remissionem peccati originalis. Sic enim affirmant D. Gregorius lib. 4 *Moral.* cap. 2, et 3. D. Prosper, lib. *de promissione Dei,* 1 part. cap. 14. D. Isidorus *in Genes.* cap. 13. D. Bernardus serm. 3, *de circumcis.* V. Beda lib. 2, *in Lucam* cap. 8. Rupertus lib. *de operibus Trinit. in Genes.* cap. 3. D. Thom. frequentissime, et præsertim 3 p. quæst. 70, art. 4. Hugo Victorin. lib. 2, *de Sacrament.* p. 6, cap. 3. Magister sentent. in 4, dist. 1, ubi id ipsum absque opinionum varietate docent D. Bonav. B. Albertus, Scotus, Durandus et alii Scholastici. Accessit etiam huic parti auctoritas Innocentii Tertii supra relata. Unde Suarez disp. 4, sect. 1, § *Secundo dicendum* loquens de ista sententia non immerito observavit : « Hæc videtur non « posse nunc negari sine aliqua temeritate « propter communem consensum tantorum « Patrum, et Scholasticorum omnium, et « maxime Innocentii Tertii. » Quare ubi nulla esset via conciliandi Patres Latinos cum Doctoribus Græcis, hos plane oporteret cum reverentia relinquere : præsertim cum sic docuerint occasione impugnandi eos, qui post Evangelium observabant ritum circumcisionis, et ut ostenderent minorem olim, et nullam tunc ejus utilitatem comparative ad baptismum : non enim semel occurrit in Patribus, quod cum unum impugnant errorem, in oppositum declinent extremum. Et profecto ex Græcis Magnus Athanasius, qui pro pluribus est, nobiscum haud obscure sensisse videtur orat. in illud : « Omnia tradita sunt mihi a Patre « meo, ubi ait : Rebus autem ita constitu- « tis, videtur circumcisio data esse, ut « auferretur vituperium terreni stemmatis « ab Abrahamitis, quo in posterum non « simus obnoxii huic maledicto, Terra es, « et in terram ibis. Ablatum enim est oppro- « brium delicti. Id autem tunc factum est « ad figuram hujus baptismatis, quod in « Christo perficitur. »

(Margin: Greg. — Pros. — Isido. — Bern. — Beda. — Rup. — D. Th. — Hu. Victo. — Mag. — D. Ath.)

Alia responsio. Sed addendum est primo Doctores Græcos id potissimum intendere, quod circumcisio fuerit primario instituta ad consignandum specialem populum de semine Abrahæ, ex quo nasceretur Christus. Circa quod non multum controvertere oportet: nam eo admisso, minime impeditur, quod circumcisio secundario, et ex consequenti ordinata fuerit ad remittendum peccatum originale: idque sufficit ad veritatem nostræ assertionis. Addimus secundo prædictos Doctores vel inconsequenter agere, vel implicite, et æquivalenter docere communem apud Latinos sententiam: nam cum affirmant circumcisionem institutam ad id tantum fuisse, ut obsignaretur, et secerneretur specialis

specialis quidam populus; nequeunt id dicere de obsignatione ad instar pecudum, et bestiarum; hæc enim indigna apparet institutione divina: sed necessario loqui, atque exponi debent de obsignatione, et congregatione populi fidelis, quæ decebat Deum auctorem. Porro si circumcisio aggregabat, atque incorporabat hominem circumcisum populo fideli; opus est, quod haberet adjunctam fidem, atque ideo gratiam ut in secunda confirmatione per necessarias illationes argumentabamur. Contingebat itaque in circumcisione non mera obsignatio; sed etiam sanctificatio circumcisi, sicut proportionabiliter contingit in baptismo: quamvis sanctificatio non fieret virtute circumcisionis, sed sola virtute Dei in circumcisionis usu; in baptismo autem fit sanctificatio non solum a Deo, sed ex baptismo elevato virtute Dei, ut suo loco dicemus. Hac igitur via explicandi sunt prædicti Doctores. Et si qui nullo modo admittant sanctificationem in circumcisione, ut plane sentire videtur Chrysostomus; omittendi cum reverentia sunt ob majorem in Latinis auctoritatem, et certitudinem.

con- ob- tio. 51. Secundo objicitur: quia si circumcisio fuisset remedium institutum ad remissionem peccati originalis, plura consequerentur absurda: quod minime dici debet. Nam in primis sequeretur fœminas populi Hebræorum absque remedio originalis relinqui, quippe pro quibus non fuerat instituta circumcisio, sed pro solis masculis: quod indignum apparet divina erga omnes misericordia: unde videmus de facto baptismum pro utroque sexu institutum esse. Fieret deinde non recte præfixum fuisse diem octavum pro circumcisione, ita ut Judæi non potuerint illum prævenire, aut differre: consequens namque erat homines in prioribus septem diebus, et toto tempore post octavum subsequenti relinqui sine remedio ad salutem necessario; quod de providentia Dei præsumi non debet. Denique (ut alia minoris ponderis omittamus), legitur Josue 5, populum, qui natus est in deserto, per spatium quadraginta annorum, non fuisse circumcisum: quare fit consequens omnes illos homines tam parvulos quam adultos retinuisse peccatum originale, et cunctos qui eo tempore mortui sunt, damnatos fuisse: quod apparet fide indignum.

...lio. Respondetur nullum ex nostra, et communi assertione colligi inconveniens. Et ad primum, quod objicitur, dicendum est fœmellas Hebræorum derelictas non fuisse absque remedio peccati originalis: mundabantur namque ab illo in applicatione sacramenti legis naturæ, de quo egimus dub. præced. ut ibidem insinuavinus num. 29, sicut etiam circumcisio instituta est non pro omnibus nationibus, sed specialiter pro populo Hebræorum ex Abrahamo descendentium: et tamen aliæ gentes relictæ non fuerunt sine remedio: quia pro illis perseveraverunt remedia, et sacramenta legis naturæ. Quod vero sacramentum circumcisionis institutum specialiter fuerit pro masculis, non autem pro fœminis, non absque mysterio fuit, ut optime expendit D. Thom. D. Tho. infra quæst. 70, art. 2 ad 4, his verbis: « Dicendum, quod circumcisio instituta est « ut signum fidei Abrahæ, qui credidit se « patrem futurum Christi sibi repromissi. « Et ideo convenienter solis masculis com- « petebat. Peccatum etiam originale, contra « quod specialiter circumcisio ordinabatur, « a patre trahitur, non a matre, ut in se- « cunda parte dictum est. Sed baptismus « continet virtutem Christi, qui est univer- « salis causa salutis omnium, et remissio- « nis omnium peccatorum. » Unde apparet disparitas inter circumcisionem, et baptismum quantum ad modum, et extensionem remedii.

52 Ad secundum respondemus parvulos Hebræorum imminente mortis periculo ante octavum diem, potuisse salvari per applicationem remedii, aut sacramenti legis naturæ juxta doctrinam proxime traditam. Cæterum transacto octavo die, adhuc poterant circumcidi, ad idque obligabantur: sicut modo etiam transacto tempore Paschæ, quod pro communione præfigitur, manet adhuc obligatus homo ad communicandum, quam primum valeat. Unde non infertur vel desperatio salutis in eo tempore, vel objectum inconveniens, ut optime explicat D. Thom. (simul declarans convenientiam diei octavi pro circumcisione) loco citato art. 3 ad 3, his verbis: « Dicen- D. Tho. « dum, quod octavus dies determinabatur « circumcisioni tum propter mysterium: « quia in octava ætate (quæ erit ætas resur- « gentium), quasi in octavo die perficietur « per Christum spiritualis circumcisio, quan- « do auferet ab electis non solum culpam, sed « etiam omnem pœnalitatem. Tum etiam « propter teneritudinem infantis ante octa-

« vum diem. Unde etiam de aliis animalibus Levit. 22, præcipitur : Bos, ovis, et capra, cum geniti fuerint septem diebus erunt sub ubere matris suæ ; die autem octavo, et deinceps offerri poterunt Domino. Erat autem octavus dies de necessitate præcepti, ita scilicet quod octavum diem prætermittentes peccabant, etiamsi esset Sabbathum, secundum illud Joan. 7: Circumcisionem accipit homo in Sabbatho, ut non solvatur lex Moysi. Non tamen erat de necessitate sacramenti : quia si aliqui omittebant octavum diem, postea poterant circumcidi. Quidam etiam dicunt, quod propter periculum imminentis mortis poterat octavus dies præveniri. Sed hoc nec ex auctoritate Scripturæ, nec ex consuetudine Judæorum haberi potest. Unde melius dicendum est, sicut etiam Hugo de S. Victore dicit, quod octavus dies nulla necessitate præveniebatur. Unde super illud Proverb. 4: Unigenitus eram coram matre mea, dicit Glossa, quod alius Bersabee parvulus non computatur : quia ante octavum diem mortuus nominatus non fuit, et per consequens nec circumcisus. »

D. Tho. Ultimum inconveniens optime diluit idem S. Doctor eadem quæst. art. 4 ad 3, his verbis : « Dicendum, quod populus in deserto prætermittens mandatum circumcisionis excusabatur : tum quia nesciebant, quando castra movenda erant. Tum quia, ut Damascenus dicit, non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsim ab aliis populis habitabant. Et tamen, ut Augustinus dicit, inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen, quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto : quia ut in Ps. 104, dicitur, non erat in tribubu eorum infirmus. Sed illi soli mortui videntur in deserto, qui fuerant in Egypto circumcisi. Si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his, et de his, qui moriebantur ante circumcisionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octavum diem tempore legis. » Nam his omnibus, sicut etiam fœminis, proficiebat, aut succurrere poterat remedium, sive sacramentum, quod pro delendo peccato originali valebat in statu legis naturæ, ut dub. præced. explicuimus. Quod a fortiori dici deberet, si vera foret Doctorum Græcorum sententia, ad quam alludit Damascenus a D. Th. relatus. Nam juxta illam circumcisio non deserviebat ad remissionem originalis peccati, sed duntaxat ad populi Hebraici consignationem, ut vidimus num. 50. Unde prædicti Doctores obligantur assignare aliud remedium, aut sacramentum pro illius peccati deletione : idque plane foret illudmet, quod in statu legis naturæ eidem effectui serviebat.

53. Tertio sunt, qui nobis opponant Philonem Alexandrinum, dissertissimum, et peritissimum Judæorum in lib. *de Circumcisione*, tom. 2. Nam eo loco recenset omnes causas tam litterales, quam allegoricas circumcisionis. Litterales quidem quatuor. Prima est, ut morbus vocatus *carbunculus* ab urendo, qui in præpuciatis facilius gignitur, caveretur. Secunda, ut totum corpus foret mundum, ne quid sordidum sub præputio lateret. Tertia, ut pars circumcisa magis assimilaretur cordi : ab utraque enim parte est potissimum generatio. Quarto, ut semen recto tramite jacularetur, quod plurimum ad generationem conducit : unde compertum est gentes circumcisas fœcundissimas esse. Allegoricas autem causas assignat duas. Prior est, quod circumcisio significaret excisionem voluptatis sensibilis, et præsertim venereæ, quæ in eo membro viget. Posterior, quod significaret subjectionem, sive ablationem arrogantiæ : quippe ablatione pelliculæ repræsentabatur Deum esse unum, et præcipuum generationis auctorem : quod plures ethnicorum negabant sibi attribuentes illam virtutem. Istas causas recenset Philo concludens : « Hæc sunt, quæ ad aures meas pervenerunt, tradita per manus a divinis nostris majoribus, qui Moysis placita diligenter explicaverunt suis interpretationibus. » Atqui in illis nulla fit mentio remissionis peccati originalis per circumciscionem. Ergo circumcisio ad prædictum effectum non deserviebat, nec in talem finem fuit instituta. Patet consequentia : quia incredibile apparet tam Philonem sapientissimum, quam majores sive Doctores Hebræorum, quorum meminit, id latuisse, si vere utique ita contigisset.

Huic objectioni possemus respondere Philonem non omnino prætermisisse effectum, de quo agimus, sed potius haud obscure illum significasse. Nam dum inter causas

causas allegoricas circumcisionis recenset excisionem voluptatis, et arrogantiæ, ibi virtute recenset ablationem peccati originalis, quod illorum radix est, cæterorumque vitiorum : privatio namque originalis justitiæ infert, affertque secum privationes aliarum virtutum, ac rectitudinum passiones compescentium. Sed absolute respondemus non magis faciendo illud testimonium, quin eo admisso negando simpliciter consequentiam, ejusque quales vires regerendo in opponentes. Quoniam Philo Judæus inter causas circumcisionis non recenset consignationem specialis populi, ex quo Christus nasceretur : non item recenset signum, aut pignus specialis benevolentiæ inter Deum, et filios Abrahæ. Et tamen certissimum est, quod circumcisio instituta fuerit ad significandum tum specialem peculiaris populi obsignationem, et ut communiter tradunt Græci Doctores num. 50, relati : tum in signum peculiaris benevolentiæ Dei erga Abrahamitas, ut constat *Genes.* 17 : *Ut sit in signum fœderis inter me, et vos.* Ergo vel ob auctoritatem negativam Philonis oportet negare has ultimas causas ; quod est ridiculum : vel fateri necesse est, quod sicut silentium Philonis circa illas nihil probat, ita etiam nihil valet ad evincendum, quod circumcisio non profuerit ad remissionem originalis peccati. Quare sentimus Judæum illum (licet alias eloquentissimum) processisse et diminute, et valde carnaliter in assignando causas circumcisionis, ut a nobis objecta satis persuadent : et forte deceptus est traditionibus Rabynorum (qui majores ab eo dicuntur) : eo namque tempore jam cæcutiebant, et a legitima legis interpretatione exulabant. Unde longe melius circumcisionis causas recensuit Div. Thom. 1, 2, quæst. 102 (ubi usque ad stuporem de legalibus disputat), art. 1 ad 1, his verbis : « Dicendum, quod litteralis « ratio circumcisionis principalis quidem « fuit ad protestationem fidei unius Dei. « Et quia Abraham fuit primus, qui se ab « infidelibus separavit, exiens de domo « sua, et de cognatione sua ; ideo ipse pri- « mus circumcisionem accepit. Et hanc « causam assignat Apostolus ad Rom. 4, « signum accepit circumcisionis signacu- « lum justitiæ fidei, quæ est in præputio : « quia scilicet in hoc legitur fides Abrahæ « reputata ad justitiam, quia contra spem « credidit, scilicet contra spem naturæ in « spem gratiæ, ut fieret pater multarum « gentium ; cum ipse esset senex, et uxor « sua esset anus, et sterilis. Et ut hæc pro- « testatio, et imitatio fidei Abrahæ firma- « retur in cordibus Judæorum, acceperunt « signum in carne sua, cujus oblivisci non « possent. Unde dicitur Genes. 17 : Erit « pactum meum in carne vestra in fœdus « in æternum. Ideo autem fiebat octava die : « quia antea puer erat valde tenellus, et « posset ex hoc graviter lædi, et reputatur « adhuc quasi quiddam non solidum : unde « et neque animalia offerebantur ante oc- « tavum diem. Ideo vero non magis tarda- « batur, ne propter dolorem aliqui signum « circumcisionis refugerent, et ne parentes « etiam, quorum amor increscit ad filios « post frequentem conversationem, et eo- « rum augmentum, eos circumcisioni sub- « traherent. Secunda ratio esse potuit ad « debilitationem concupiscentiæ in mem- « bro illo. Tertia ratio est in sugillationem « Veneris, et Priapi, in quibus illa pars « corporis honorabatur. Dominus autem « non prohibuit, nisi incisionem, quæ in « cultum idolorum fiebat : cui non erat si- « milis prædicta circumcisio. Figuralis « vero ratio circumcisionis erat : quia fi- « gurabatur ablatio corruptionis fienda per « Christum : quæ perfecte complebitur in « octava ætate, quæ est ætas resurgentium. « Et quia omnis corruptio culpæ, et pœnæ « provenit in nos per carnalem originem « ex peccato primi parentis : ideo talis cir- « cumcisio fiebat in membro generationis. « Unde Apostolus dicit ad Coloss. 2 : Cir- « cumcisi estis in Christo circumcisione « non manufacta in expoliatione corporis « carnis ; sed in circumcisione Domini « nostri Jesu-Christi. » Hæc omnia D. Thom. doctissime, prudentissime, ad spiritum et viscera usque divinæ Scripturæ : quæ et similia ejusdem loci legens, præscrutans, et admirans quidam inter Hebræos doctissimus, reliquit Hebræorum nugas et ad fidem Christi conversus est, dictus postea Paulus Burgensis. Unde longe intervallo præponi debent discursui diminuto Philonis.

[Margin notes: Genes. 17. — D. Tho. — Causæ circumcisionis.]

§ II.

Alia assertio dubio magis directe respondens.

Alia conclusio.

54. Dicendum est secundo in statu legis scriptæ fuisse sacramenta. Hæc conclusio (quæ numerum sacramentorum in lege scripta non determinat, sed aliqua, sive multa, sive pauca, fuisse affirmat), est communis inter Theologos, tam in præs. art. 3, et infra quæst. 70, quam in 4, sent. dist. 1, unde superfluum est illos recensere. Probatur ab auctoritate : quia Concilia, et Patres aperte supponunt, et docent fuisse in statu legis scriptæ aliqua sacramenta. Sic enim Concilium Florentinum post sess. ultimam in decreto fidei pro Armenis, § *Quinto Ecclesiasticorum* inquit : « Differunt autem sacramenta nostra a sacramentis antiquæ legis, quod illa non causabant gratiam etc. » Et Concilium Tridentin. sess. 7, can 2, ait . « Si quis dixerit « ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi « quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus « externi, anathema sit. » Catechismus Romanus in titulo *de Sacramentis*, § *Principio igitur*, inquit : « Atque hæc de sacramenti nomine dicta sint : quod quidem « veteris etiam legis sacramentis convenit. » D. Dionysius *de cœlesti hierarch.* cap. 5, docet Ecclesiam esse mediam inter Synagogam et cœlestem patriam, « quod cum hac « habet communes contemplationes, cum « illa vero communia symbola, seu sacra« menta. » D. August. lib. 19, *contra Faustum* cap. 13, inquit : « Prima sacra« menta, quæ celebrabantur, et observa« bantur ex lege, prænuntia erant Christi « venturi. » Et similiter *sacramenta legis* vocat lib. *de vera religione* cap. 17, et lib. *de doctrina Christiana* cap. 9, et epist. 118. Eusebius Emisenus hom. *de Transfiguratione*, ait : « Non enim sacramenta Ecclesiæ « sicut sccramenta Synagogæ medicinam « docent, et ostendunt : sed ipsa potius « sunt medicina, et remissio peccatorum. Hugo Victorinus lib. 1, *de sacramentis*, part. 11, cap. 6, ait : « Prima sacramenta « legis naturalis quasi veritatis umbræ « fuerunt : quæ vero tempore legis Moysis « quasi quædam imago veritatis. » Denique D. Thomas in præs. artic. 3 ad 2, ait : « Necesse fuit, quod in veteri lege quædam sacramenta fidei, quam habebant de « Christo venturo, determinarentur. » Sequitur igitur, quod ex sententia Conciliorum, et Patrum fuerit non solum sacramentum circumcisionis, ut in prima conclusione statuimus, sed etiam numerus aliorum sacramentorum : loquuntur enim in plurali, ut liquet ex testimoniis relatis.

(Margin: Fundamentum. Concil. Florentin. Concil. Tridentin. Catechis. Romanus. D. Dion. D. Aug. Euseb. Hugo de S. Vict. D. Tho.)

55. Deinde probatur conclusio pluribus rationibus, quæ desumuntur ex hactenus dictis, et possunt breviter proponi. Prima : quia non est major ratio, ut in statu legis scriptæ fuerit unum sacramentum, quam aliqua sacramenta : nec occurrit inconveniens in eo, quod tunc fuerunt aliqua sacramenta ex suppositione, quod fuerit unum : sed in statu legis scriptæ fuit unum aliquod sacramentum, nempe circumcisio, ut ostendimus § præced. ergo in prædicto statu fuerunt aliqua sacramenta. Secunda : quoniam in statu legis naturæ fuerunt aliqua sacramenta : ergo idem dicendum est de eorum existentia in statu legis scriptæ. Antecedens constat ex dictis dub. præd. Et consequentia probatur a paritate : præsertim cum nulla queat assignari ratio, ut sacramenta fuerint in statu legis naturæ, quæ non occurrat etiam in statu legis scriptæ. Tertia : quia omnes rationes probantes in genere congruentiam, sive necessitatem ad melius esse, ac perinde existentiam sacramentorum, quas expendit D. Thomas in hac quæst. art. 1, et proposuimus in Comment. ad prædictum articulum, militant in statu legis scriptæ : ergo vel nihil valent, quod dici non debet ; vel persuadent aliqua sacramenta in eo statu fuisse, ut affirmamus. Consequentia patet et antecedens videtur manifestum : nam prædicta motiva consistunt in eo, quod homines nequeunt adunari in una religione absque eorundem sacrorum signorum, sive sacramentorum consortio : quod connaturale homini est per signa sensibilia duci in notitiam rerum spiritualium sacrarum : quod deceat Divinam providentiam disponere, quod homo hauriat medicinale remedium ex eisdem rebus sensibilibus, unde traxit infirmitatem. Hæc autem omnia motiva palam occurrunt in statu legis scriptæ ; siquidem homines tunc adunabantur in una religione colente verum Deum ; et retinebant modum connaturalem tendendi ad spiritualia ; atque opus habebant medicamentis sibi proportionatis contra infirmitatem peccati.

(Margin: Pl... as... ti... rat...)

Confirmatur

onfir-matio. Confirmatur ratione D. Thomæ in hoc articulo : quia sacramentum non aliud est, quam signum rei sacræ in cujus applicatione, et usu homo sanctificatur : sed in statu legis scriptæ fuerunt aliqua signa rerum sacrarum, in quorum usu, et applicatione sanctificabantur homines : ergo in prædicto statu fuerunt aliqua sacramenta. Probatur minor ; nam in statu legis scriptæ sanctificabantur homines per fidem in Christum venturum, qui est universalis hominum Redemptor : sed oportebat, quod homines manifestarent, et protestarentur hujusmodi fidem per signa aliqua sensibilia ; sicut etiam sacrificia, et alia legalia repræsentabant Christum futurum juxta illud 1 ad Corinth. 101 : *Omnia in figura contingebant illis, et Pascha nostrum immolatus est Christus* ; ergo in prædicto statu fuerunt aliqua signa rerum sacrarum, in quorum usu, et applicatione homines sanctificabantur. (. ad Corinth. 10.)

56. Potissimum autem nostræ assertionis fundamentum stat apud Scripturam in libris Exodi, et Levitici, ubi occurrunt plures ritus sive cæremoniæ sacræ, et a Deo institutæ, quibus homines illius temporis sanctificabantur, et quæ proinde fuerunt ejusdem status sacramenta. Sed ut recte observavit Suarez disp 5, sect. 2, ad id explicandum, et pro meritis materiæ persequendum, necessarium erat magnam illorum librorum partem interpretari : quod alienum est a consideratione nostra et Theologo Scholastico non admodum utile. Satis sit in genere scire omnia sacramenta veteris legis revocari ad aliqua genera, quorum munera, et diversitatem egregie declarabat D. Thom. 1, 2, quæst. 102, art. 5, his verbis : « Dicendum, quod sicut supra « dictum est, sacramenta proprie dicuntur « illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad « quandam consecrationem, per quam sci- « licet deputabantur quodammodo ad cul- « tum Dei. Cultus autem Dei generali quo- « dam modo pertinebat ad totum populum ; « sed speciali modo pertinebat ad Sacerdo- « tes, et Levitas, qui erant ministri cultus « divini. Et ideo in istis sacramentis vete- « ris legis quædam pertinebant communi- « ter ad totum populum ; quædam autem « specialiter ad ministros. Et circa utros- « que tria erant necessaria. Quorum pri- « mum est institutio in statu colentium « Deum : et hæc quidem institutio commu- « niter, et quantum ad omnes fiebat per « circumcisionem, sive qua nullus admitte- « batur ad aliquid legalium : quantum vero « ad Sacerdotes per Sacerdotum consecra- « tionem. Secundo requirebatur usus eo- « rum, quæ pertinent ad divinum cultum : « et sic quantum ad populum erat usus « paschalis convivii, ad quem nullus incir- « cumcisus admittebatur, ut patet Exod. « 12 ; et quantum ad Sacerdotes oblatio « victimarum, et esus panis propositionis, « et aliorum, quæ erant Sacerdotum usi- « bus deputata. Tertio requirebatur remo- « tio eorum, per quæ aliqui impediebantur « a culto divino, scilicet immunditiarum : « et sic quantum ad populum erant insti- « tutæ quædam purificationes a quibusdam « exterioribus immunditiis, et etiam ex- « piationes a peccatis. Quantum vero ad « Sacerdotes, et Levitas erat instituta ablu- « tio manuum, et pedum, et rasio capillo- « rum. Et hæc omnia habebant rationabiles « causas, et litterales secundum quod ordi- « nabantur ad cultum Dei pro tempore « illo ; et figurales secundum quod ordina- « bantur ad significandum Christum, ut « patebit per singula discurrenti. » Quod ibi in responsionibus ad argumenta luculenter præstat. Nominatim vero agens de sacramento Agni pachalis in solut. ad 2, inquit : « Figuralis autem ratio patet : quia « per immolationem Agni paschalis signi- « ficabatur immolatio Christi, secundum « ilud 1, ad Corinth. 5 : Pascha nostrum « immolatus est Christus. Sanguis vero « Agni liberans ab exterminatore, linitus « superliminaribus domorum significat fi- « dem passionis Christi in corde, et ore « fidelium, per quam liberamur a peccato, « et morte, secundum illud 1 Petri 1 : « Redempti estis pretioso sanguine Agni « immaculati. Comedebantur autem carnes « illæ ad significandum esum corporis « Christi in sacramento. Erant autem assæ « igni ad significandum passionem vel cha- « ritatem Christi. Comedebantur autem « cum azymis panibus ad significandum « puram conversationem fidelium sumen- « tium corpus Christi, secundum illud 1, « ad Corinth. 5 : Epulemur in azymis sin- « ceritatis, et veritatis. Lactucæ autem « aggrestes addebantur in signum pœniten- « tiæ peccatorum, quæ necessaria est su- « mentibus corpus Christi. Renes autem « accingendi sunt cingulo castitatis. Calcea-

(Margin: avius fundamentum. — uarez. — . Th. genera sacramentorum legis scriptæ.)

« menta autem pedum sunt exempla mor-« tuorum Patrum. Baculi autem habendi « in manibus significant pastoralem custo-« diam. Præcipitur autem, quod in una « domo Agnus pachalis comedatur, id est, « in Ecclesia Catholicorum, non in conven-« ticulis hæreticorum. » Hæc omnia D. Thom.

·do in-ter sa-amcn- legis riptæ legis ratiæ.

Ex quibus liquet, quod in ipsa Scriptura assignantur, et dinumerantur non pauca sacramenta pro statu legis scriptæ. Quæ veritas magis confirmatur ex comparatione, sive correspondentia illorum sacramentorum ad nostra, quam eleganter expendit idem Angelicus Doctor art. citato in resp. ad 3, his verbis : « Dicendum, « quod quædam sacramenta novæ legis « habuerunt in veteri lege sacramenta fi-« guralia sibi correspondentia. Nam cir-« cumcisioni respondet Baptismus, qui est « fidei sacramentum : unde dicitur ad « Coloss. 2 : Circumcisi estis in circumci-« sione Domini nostri Jesu Christi, con-« sepulti ei in baptismo. Convivio autem « Agni paschalis respondet in nova lege « sacramentum Eucharistiæ. Omnibus au-« tem purificationibus veteris legis corres-« pondet sacramentum Ordinis. Sacra-« mento autem confirmationis, quod est « sacramentum plenitudinis gratiæ non « potest respondere in veteri lege aliquod « sacramentum : quia nondum venerat « tempus plenitudinis : eo quod neminem « ad perfectum adduxit lex. Similiter « autem et sacramento Extremæ unctionis, « quod est quædam immediata præparatio « ad introitum gloriæ : cujus aditus non-« dum patebat in veteri lege, pretio non-« dum soluto. Matrimonium autem fuit « quidem in veteri lege, prout erat in « officium naturæ, non autem prout est « sacramentum conjunctionis Christi, et « Ecclesiæ, quæ nondum erat facta : unde « et in veteri lege dabatur libellus repudii : « quod est contra sacramenti rationem.»

a cir- nu-erum cra-ento-um rius-legis

57. Posset autem quis ex præmissa doctrina colligere plura esse sacramenta in statu legis gratiæ, quam in statu legis scriptæ ; siquidem tribus sacramentis legis gratiæ, nempe confirmationi, Extremæ unctioni, et Matrimonio nulla in veteri lege sacramenta corresponderunt, ut expresse resolvit D. Thomas. Et quidem quantum ad genera sic dici posset. Sed tamen, attentis omnibus, multo plura fuerunt sacramenta in veteri lege, quam in nova, ut expresse docet D. Augustin. lib. 19, *contra Faustum* cap. 13, his verbis : « Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia « impleta : et alia sunt instituta virtute « majora, utilitate meliora, actu faciliora, « et numero pauciora.» Idque aperte desumitur ex Scriptura : quia licet sacramenta nostra sint septem, et sacramenta veteris legis revocentur ad quatuor genera, ut num. præced. vidimus ex D. Thoma : nihilominus sub illis quatuor generibus continebantur plura sacramenta excedentia nostrorum numerum. Nam sub primo erant circumcisio, et ordinatio Sacerdotum. Sub secundo comestio Agni paschalis, et panum propositionis. Sub tertio autem plures purificationes, et expiationes populi, atque ablutio manuum Sacerdotum, et rasio capillorum. Decuit autem, quod sacramenta nostra supponerent majorem sacramentorum numerum in lege scripta. Tum quia sacramenta vetera fuerunt quasi imagines nostrorum, ut observat Hugo Victorinus num. 54 relatus : unde sicut plures sunt imagines, quam corpora, sic oportuit, quod plura fuerint sacramenta antiqua, quam nova. Tum quia illa antiqua sacramenta fuerunt signa, quæ nostra significabant, et testificabantur : quo autem major est multitudo signorum, eo securiorem, et certiorem facit signatorum præsentiam. Tum denique quia sicut congruit digniorem principem pluribus præcedentibus ministris honorari, sic etiam decuit nostra sacramenta pluribus introduci indiciis, et præambulis, quæ fuerunt sacramenta legis scriptæ.

Occurritur cuidam objectioni

Nec refert, si objicias hinc colligi, quod sacramenta legis naturæ fuerint plura, quam sacramenta Hebræorum : quia illa ista præcesserunt, atque præsignarunt. Non, inquam, id refert, sed diluitur negando sequelam : quoniam sacramenta legis naturæ non ordinabantur ad præsignandum sacramenta legis scriptæ, sed sacramenta legis gratiæ ; respectu quorum omnia illa præcedentia sacramenta fuerunt signa, umbræ, et figuræ. Et non oportuit, quod prioris temporis sacramenta excederent numerum sacramentorum Mosaycorum : sed magis decuit esse pauciora. Quoniam sicut lex naturalis dabat generalia præcepta, lex autem Moysis illa specificavit, et determinavit ; unde plura fuerunt præcepta

cepta legis scriptæ, quam legis naturalis : ita congruum fuit, quod in lege naturali darentur generalia sacramenta, et in lege scripta magis specificarentur, et determinarentur ; ac per consequens plura debuerunt esse sacramenta in lege scripta, quam in lege naturali. Ad quod motivum proxime accedit homines in statu legis naturæ fuisse quasi parvulos, quos non expedit obrui multitudine documentorum, et præceptorum ; quocirca non debuerunt tunc homines habere plura præcepta, et sacramenta : e converso autem homines in statu legis scriptæ erant jam quasi majores, et exercitati ; unde convenienter potuit in illis crescere numerus tam præceptorum, quam sacramentorum. Et quod caput est, crescente morbo necesse est augeri remedia : tempore autem legis naturalis non ita creverat in hominibus morbus peccatorum, quemadmodum postea crevit tempore legis scriptæ, ut ex sacra historia edocemur : quare cum sacramenta sint medicinæ institutæ contra peccatum ; conveniens fuit, quod plura sacramenta essent in statu legis scriptæ, quam in statu legis naturæ. Quod
Tho. motivum attigit D. Thom. in præs. art. 3 ad 2, illis verbis : « Per incrementa temporum peccatum cœpit in homine magis dominari, in tantum quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad recte vivendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari præcepta lege scripta, et cum his quædam fidei sacramenta » Ex quibus omnibus fit in statu legis scriptæ fuisse non solum unum, aut duo aliqua, vel pauca sacramenta, sed plane plura ; quod non ita expresse (quia nec oportebat) in nostris assertionibus dixeramus.

§ III.

Referuntur sententiæ contrariæ.

58. Bernal disp. 2, sect. 4, testatur plures, et graves Doctores in universum negare, quod in statu legis scriptæ fuerint vera sacramenta. Sed qui illi fuerint, nec ipse refert, nec nos deprehendere potuimus : neminem namque legimus negantem, quod saltem circumcisio verum sacramentum fuerit : unde nullus nobis occurrit Auctor, quem contra primam conclusionem proferamus. Adversus sécundam autem sentiunt Basolis in 4, dist. 1, quæst. 3, art. 3, et Carolus Abra tract. 2, disp 1, sect. 2, quæst. 1, qui docent nullum præter circumcisionem fuisse in lege scripta sacramentum proprie dictum. Quibus favet Scotus in 4, dist. 1, quæst. 6, § *De potentia vero*. Dominicus etiam Soto, ut censet Cabrera, duo tantum sacramenta in lege veteri agnovit, nempe circumcisionem, et Agnum paschalem. At Sotum nobiscum sensisse, pluraque alia sacramenta concessisse, liquet ex 4, dist. 2, quæst. 2, art. 3, et 4, et quæst. 3, art. 6, et dist. 2, quæst. 1, art. 4, et libro 2, *de justitia quæst.* 1, art. 5, concl. 4. Sed quidquid de Auctoribus fuerit, sententia negans existentiam verorum sacramentorum in lege scripta posset in primis suaderi omnibus argumentis, quæ probant de ratione sacramenti proprie dicti esse, quod causet gratiam in subjecto, cui applicatur : nam certum est sacramenta veteris legis hanc prærogativam minime habuisse. Sed prædictis argumentis jam occurrimus disp. 1, dub. 1 : ubi principium oppositum ex professo statuimus. Et ibidem dub. 4, ostendimus sacramenta antiqua, et nova convenire univoce in propria, et formali ratione sacramenti. Posset etiam prædicta sententia suaderi omnibus argumentis impugnantibus existentiam sacramentorum in statu legis naturæ : at illa jam diluimus dub. præced. ex quo potius deducitur oppositum fundamentum. Unde nulla fere relinquuntur argumenta specialia, quibus satisfacere oporteat.

Basolis. Abra. Scotus.

Argu- mentum. Arguitur tamen primo : quia de ratione sacramenti est significare gratiam ut præsentem juxta superius dicta disp. 1, dub. 2, et 3 ; sed nulli ritus veteris legis significarunt gratiam ut præsentem : ergo in prædicta lege non fuerunt sacramenta. Probatur minor : quia in prædicta lege nulla dabatur gratia præter, aut supra meritum operantis : opposita enim prærogativa est propria legis novæ : sed ad significandum hujusmodi gratiam sufficiebat externum virtutis opus, et necessarium non erat aliud signum a Deo institutum : ergo ritus veteris legis non significabant gratiam ut præsentem : sed ad summum fuerunt umbræ, et figuræ gratiæ futuræ, et pro statu præsenti repromissæ ; quod tamen non sufficit ad veram sacramenti rationem.

Confir- matio 1. Confirmatur primo : quia si fuissent sacramenta in veteri lege, conferretur gratia

in eisdem aut ex opere operantis, aut ex opere operato : sed neutrum dici valet : ergo in prædicta lege non fuerunt sacramenta. Probatur minor : nam in primis gratiam conferri ex opere operantis est gratiam conferri juxta dispositionem, et meritum subjecti : pro isto autem effectu superflua erant sacramenta ; siquidem talis effectus conferretur etiam independenter ab illis, ubi adesset eadem ex parte suscipientis dispositio. Deinde conferri gratiam ex opere operato est conferri gratiam ex passione Christi perfecta, et supra subjecti dispositionem : id vero minime competere potuit sacramentis legis scriptæ : tum quia talis excellentia est propria sacramentorum legis gratiæ : tum quia eo tempore non fuerat paracta passio Christi.

Confir- atio 2. Confirmatur secundo : quia nulla in veteri lege fuit necessitas verorum sacramentorum : ergo hæc in illa non extiterunt. Probatur antecedens : quoniam talis necessitas vel foret ad remissionem peccati, vel ad incrementum sanctitatis, aut justitiæ ? Non quidem ad primum : quia pro remissione peccati originalis sufficiebat sacramentum, sive remedium naturæ, ut in fœminis contingebat, et etiam in pueris periclitantibus ante octavum diem : pro remissione autem peccatorum actualium sufficiebat actualis dispositio, sive contritio, ultra quam sacramenta nihil operabantur. Nec etiam ad secundum : nam sicut justitia, ita justitiæ augmentum contingebat secundum propriam uniuscujusque dispositionem. Nulla igitur in veteri lege fuit necessitas sacramentorum.

olvitur argu- entum. 59. Ad argumentum respondetur negando minorem : quamvis enim sacramenta veteris legis non significabant gratiam præsentem ut ab eisdem productam ; significaverunt tamen eam ut a Deo productam in ipsorum applicatione, ut diximus disput. 1, dub. 4. Probatio autem minoris nihil valet : quoniam licet in statu legis veteris non aliter (saltem in adultis) produceretur, et communicaretur gratia, quam juxta meritum, sive dispositionem subjecti : nihilominus ad hanc ipsam dispositionem pertinebat fides Mediatoris, seu Christi venturi ; et oportuit quod talem fidem, et gratiam ab ea dependentem repræsentarent aliqua signa a Deo instituta, quæ sacramenta vocamus. Et oppositus discurrendi modus solum probat illa simpliciter necessaria non fuisse in ordine ad aliam providentiam, qua Deus uti posset : minime vero, quod de facto non extiterint, et fuerint convenienter a Deo instituta : contrarium enim satis constat ex supra dictis.

Dilui pri con mat Unde ad primam confirmationem respondemus sustinendo utramque majoris partem cum distributione accommoda statim explicanda, et negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est in aliquo saltem sacramento veteris legis, nempe in circumcisione parvulorum collatam fuisse gratiam sanctificantem ex opere operato, non quidem active, id est ab ipso sacramento, ut in nostris contingit; sed passive, quatenus in ejus usu Deus conferebat gratiam supra dispositonem subjecti. Et ad communicationem gratiæ ex opere operato in præmisso sensu necessarium non erat supponere passionem Christi peractam, aut operatam : quia ut optime tradit D. Thom. in præs. art. 3 ad 1 : « Passio Christi est « causa finalis veterum sacramentorum, « quæ scilicet ad ipsam significandam sunt « instituta. Causa autem finalis non præce- « dit tempore, sed solum in intentione « agentis. Et ideo non est inconveniens ali- « qua sacramenta ante Christi passionem « fuisse. » Sacramenta autem adultorum significabant gratiam collatam ex opere operantis, sive commensuratam ad meritum, vel dispositionem suscipientium. Et tamen inde non sequitur talia sacramenta superflua fuisse, aut minus congruenter instituta: quia sicut oportuit, quod gratia tunc conferretur dependenter a fide in Christum, qui est universalis Redemptor; sic etiam oportuit, quod conferretur in applicatione signorum, quæ talem fidem, et ipsum Christum, et gratiam per Christum significarent. Unde Div. Thom. art. citat. in corp. inquit: « Nullus sanctificari potest « post peccatum, nisi per Christum, quem « proposuit Deus propitiatorem per fidem « in sanguine ipsius, ad ostensionem jus- « titiæ suæ, ut sit ipse justus, et justificans « eum, qui ex fide est Jesu Christi. Et ideo « oportebat ante Christi adventum esse « quædam signa visibilia, quibus homo fi- « dem suam protestaretur de futuro Salva- « toris adventu. Et hujusmodi signa dicun- « tur sacramenta. »

Occur tur s cund Per quæ satis constat ad secundam confirmationem : jam enim ostendimus necessitatem,

sitatem, sive congruentiam sacramentorum in statu veteris legis: unde consequenter asserendum est illa eo tempore necessaria fuisse tum ad consequendum, tum ad augescendum justitiam. Quoniam hujus et infusio, et incrementum fiebant dependenter a fide in Christum venturum : quam congruebat signis visibilibus, sive sacramentis manifestari. Et quod dicitur de remedio, aut sacramento naturæ, nihil obest ; primo quia hoc ipsum fuit verum sacramentum,ut dub. præced. diximus. Secundo quia loco ejus subrogatum postea fuit respectu Hebræorum sacramentum circumcisionis determinate pro masculis ob congruentiæ rationes, quas assignavimus § 1, et specialiter num. 51 et 53.

ecundum argumentum. 60. Arguitur secundo : quia si in statu legis scriptæ fuissent sacramenta, homines utique ad illa obligarentur vel necessitate medii, vel necessitate præcepti ; atqui homines ad sacramenta illius legis nulla necessitate obligabantur : ergo in prædicto statu non fuerunt sacramenta. Probatur minor: nam in primis sacramenta tunc non erant necessaria necessitate medii ; siquidem peccata illius temporis poterant per aliud medium remitti , ut per contritionem internam, quæ absque alligatione ad aliquid externum sanctificat. Deinde non erant necessaria necessitate præcepti : tum quia tale præceptum non occurrit. Tum quia si forent ita necessaria, forent utique non solum necessitate præcepti, sed etiam medii, ut modo in sacramento Pœnitentiæ contingit; quod tamen proxime impugnatum est.

sponsio Suarii. Respondet Suarez sacramentum circumcisionis fuisse quidem necessarium parvulis Hebræorum necessitate medii ; quia non poterant consequi salutem, et remissionem peccati originalis per dispositionem propriam ; et sic indigebant eo sacramento. Cæterum neque circumcisio, nec alia sacramenta necessaria erant adultis necessitate medii : quia adulti poterant justificari per contritionem, quæ, ut argumentum probat, ex natura sua non alligatur sacramentis, nec ex aliquo Dei instituto submittebatur tunc clavibus, vel alicui externo signo. Et pro hoc dicendi modo refert Div. Thom. infra quæst. 70,art. 4,ad 3, qui asserit populum in deserto non exequentem circumcisionem excusari a peccato ; quod falsum apparet, si circumcisio fuisset adultis necessaria necessitate medii ad salutem. Fatetur tamen Suarius et circumcisionem, et plura alia sacramenta fuisse in eo populo necessaria necessitate præcepti : de quo præcepto satis constat ex ipsa Scriptura in Exodo, et Levitico. Quam sententiam amplecti videtur Prado in præs. dub. 4, num. 15, dum illam expendit, et non impugnat. Prado.

61. Sed legitima hujus difficultatis solutio desumitur ex doctrina supra fusius tradita dub. præced. a nu. 37. Juxta quam dicendum est sacramentum circumcisionis fuisse necessarium necessitate medii pro omnibus masculis tam infantibus, quam adultis Hebræorum. Tum quia ut docent D. August. et Innocentius Tertius nu. 49 relati, ita comparabatur circumcisio ad Hebræos, sicut baptismus comparatur ad nos : sed baptismus est necessarius nobis tam parvulis, quam adultis necessitate medii: ergo idem de circumcisione respectu Hebræorum dicendum est. Quæ comparatio fundatur in eo, quod sicut pro statu præsenti dicitur Joann. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum :* sic pro antiquo statu dicebatur Genes. 17 : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo suo.* Quæ verba, ut ibidem notat Burgensis, non intelligebantur a Judæis de pœna mortis temporalis, quam proinde transgredientibus non inferebant. Tum etiam quia idipsum probat discursus Div. Thom. in hoc art. quia nullus consequitur liberationem a peccato, nisi per fidem Christi Redemptoris, quam profiteatur sensibiliter, sive signis sensibilibus hominum conditioni accommodatis juxta institutionem divinam : sed signum, aut sacramentum pro Hebræis institutum a Deo ad remissionem peccati originalis erat circumcisio : hæc igitur fuit necessaria necessitate medii omnibus Hebræis tam parvulis, quam adultis, ut purgarentur ab originali peccato. Tum præterea, quia certum est Hebræos obligatos fuisse necessitate medii ad observandum, et profitendum legem Mosaicam ; sed janua ad hujusmodi legem introducens erat circumcisio, sine qua fieri non poterat recursus ad cætera legalia : igitur circumcisio necessaria fuit necessitate medii respectu omnium Hebræorum, sive essent parvuli, sive adulti. Tum denique, nam ex opposito fieret

Melior solutio. Ioan. 3. Genes. 17.

Hebræos facilius consequi primam salutem, sive remissionem peccati originalis, quam modo consequamur Christiani; siquidem nobis necessarium est necessitate medii aliquod sacramentum, nempe baptismus, in ordine ad prædictum effectum ; illis autem nullum ea necessitate necessarium fuisset : consequens vero nulla ratione admitti potest, aut debet. Quare generaliter tenendum est circumcisionem fuisse in statu legis scriptæ sacramentum necessarium necessitate medii non solum parvulis, quod Suarez concedit ; sed etiam adultis, quod ille

ota. negat. Erat autem differentia quantum ad modum hujus necessitatis : quoniam prædictum sacramentum erat necessarium respectu parvulorum ut in re susceptum ; sed respectu adultorum erat necessarium ut susceptum vel in re, vel in voto, sicut proportionabiliter nunc contingit in sacramento baptismi. Et ratio differentiæ est eadem proportionabiliter in utroque statu : nam parvuli sunt incapaces eliciendi operationem, qua moveantur ad sacramentum, et per votum, seu affectum efficacem consequantur ipsius effectum : quare sacramento egent suscepto in re. Sed adulti possunt operationem elicere, quæ sit sacramenti votum, et afferat effectum illius, ut cum diligunt Deum amore charitatis ; quocirca non egent sacramento tanquam medio in re determinate applicato ; sed vel sic, vel saltem in voto.

ensio trinæ 62. Idem dicendum censemus de remissione peccati actualis mortalis, nempe Hebræos, ut illam consequerentur, obligatos fuisse necessitate medii ad suscipiendum sacramentum pro tali effectu institutum : licet susceptio non fuerit necessaria determinate ut in re, sed vel in re, vel in voto, sicut de circumcisione proxime diximus. Et hæc pars probatur eisdem fere motivis, quæ pro circumcisione expendimus, ut quilibet considerare, atque applicare facile

.Th. poterit. Quibus addendum est D. Thomam id ipsum non obscure significare infra quæst. 84, art. 7, nam in resp. ad 1, ait : « Dicendum, quod de jure naturali est, « quod aliquis pœniteat de malis, quæ fe- « cit, quantum ad hoc, quod doleat ea « fecisse, et doloris remedium quærat per « aliquod medium, et quod etiam aliqua « signa doloris ostendat, sicut et Ninivitæ « fecerunt.» Et in solutione ad 2, prosequitur : « Dicendum, quod ea, quæ sunt juris « naturalis diversimode determinationem « accipiunt in veteri, et nova lege, secun- « dum quod congruit imperfectioni ve- « teris legis, et perfectioni novæ legis. « Unde et pœnitentia in veteri lege « aliquam determinationem habuit quan- « tum quidem ad dolorem, ut esset magis « in corde, quam in exterioribus signis, « secundum illud Joel, 2 : Scindite corda « vestra, et non vestimenta vestra. Quan- « tum autem ad remedium doloris quæren- « dum, ut aliquo modo ministris Dei pec- « cata sua confiterentur adminus in gene- « rali. Unde Dominus Levit. 3, dixit : « Anima si peccaverit per ignorantiam, « offeret arietem immaculatum de gregibus « sacerdoti juxta mensuram, æstimatio- « nemque peccati : qui orabit pro eo, qui « nesciens fecerit, et dimittetur ei. In hoc « enim ipso, quod oblationem faciebat « aliquis pro peccato suo, quodammodo « peccatum suum sacerdoti confitebatur. « Et secundum hoc dicitur Proverb. 28 : « Qui abscondit scelera sua non dirigetur : « qui autem confessus fuerit, et reliquerit « ea, misericordiam consequetur. Nondum « autem erat instituta potestas clavium, « quæ a passione Christi derivatur : et « per consequens nondum erat institutum, « quod aliquis doleret de peccato cum pro- « posito subjiciendi se per confessionem, « et satisfaciendi clavibus Ecclesiæ, sub « spe consequendæ veniæ virtute passionis « Christi.» Hæc omnia S. Doctor. Ex quibus constat in antiqua lege fuisse aliquod sacramentum determinatum ad remissionem peccatorum actualium : quod sacramentum dicimus fuisse necessarium vel in re, vel in voto. Et quamvis votum talis sacramenti non incluserit subjectionem ad potestatem Clavium, quæ tunc non erat, ut optime observat D. Thomas : includebat tamen propositum suscipiendi sacramentum in re, sicut de voto suscipiendi circumcisionem supra dicebamus. Differunt autem plurimum sacramentum Pœnitentiæ in antiqua lege, et sacramentum Pœnitentiæ in nostra : quoniam ut in illo fieret remissio peccatorum, necessaria erat contritio ; in nostro autem sufficit attritio. Et ratio differentiæ est : quoniam vetera sacramenta non habebant in se, et ex se virtutem activam justificandi : sed hæc refundebatur totaliter in Deum sanctificantem, atque in dispositiones suscipientis : unde Nota.

unde cum attritio non sit de se dispositio sufficiens, necessario requirebatur contritio; et propterea absque illa non contingebat justificatio adultorum in sacramentis antiquis. Sed nostra sacramenta habent in se vim activam justificandi ex abundantiori gratia, quæ nunc datur propter passionem Christi præsentis: quocirca non supponunt necessario contritionem, sed operando supra dispositionem subjecti faciunt de attrito contritum, quatenus causant gratiam sanctificantam, in qua contritio virtualiter continetur ut suo loco fusius explicabimus.

[R]eflexio. Tenendum itaque est tam pro remissione peccati originalis, quam pro remissione peccatorum actualium gravium fuisse omnibus Hebræis necessaria aliqua sacramenta non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii cum distributione explicata. Et quod Suarius ad oppositum affert ex D. Thoma, minime premit: quoniam licet Hebræi in deserto tenerentur necessitate medii ad circumcisionem; nihilominus excusabantur ab ejus susceptione in re, et obligationi satisfaciebant per votum ipsam suscipiendi, ubi convenienter possent. « Quia nesciebant, *inquit*
[D]. Th. « *S. Doctor*, quando castra movenda erant:» quæ sequi non possent paulo ante circumcisi. Sicut ob similem aliquam causam posset quis in præsenti statu excusari a suspiciendo in re aliquod sacramentum, ad quod obligatur necessitate medii: satis enim faceret suæ obligationi cum proposito ipsum suscipiendi, ubi posset. Et hæc sunt, quæ nobis certiora occurrunt: nam circa modum obligationis ad cætera sacramenta major est incertitudo. Probabilius tamen nobis videtur, quod Hebræi ad reliqua sacramenta incremento justitiæ, vel similibus finibus inservientia non obligabantur necessitate medii, sed sola necessitaet præcepti, sicut ad alia legalia. Nec enim videmus urgens aliquod motivum, in quo fundemus majorem obligationem. Ex suppositione autem, et comparative ad aliquem peculiarem finem intentum, dubium non est aliqua fuisse necessaria necessitate medii. Nam si quis v. g. vellet esse Sacerdos, nullo modo posset id consequi absque ordinationis sacramento in lege præscripto. Sicut etiam in præsenti statu nullus in particulari tenetur necessitate medii ad sacramentum Ordinis: et tamen obligatur ex suppositione, quod velit Sacerdos esse; quia Ordo est medium omnino necessarium ad talem finem. Et simili proportione poterit quis discurrere circa plura alia Hebræorum sacramenta.

63. Diximus tam frequenter in hujus argumenti responsione *Sacramenta legis scriptæ fuisse necessaria Hebræis etc.* Quoniam aliæ Nationes ad hujusmodi sacramenta non obligabantur: sed poterant salutem consequi per alia media, et sacramenta, qualia fuerunt in statu legis naturæ, ut dub. præced. explicuimus, et permanserunt, et saltem permanere potuerunt in aliis gentibus legi Moysis non subjectis. Unde D. Augustinus lib. 18, *de Civitate* cap. 47, inquit: « Nec ipsos Judæos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum præter Israëlitas, ex quo propagatio Israël cœpit esse, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera, qui proprie populus Dei diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quosdam non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israëlitas, supernæ cives patriæ, pertinentes etiam in aliis Gentibus fuisse negare non possunt. Quia si negant, facillime convincuntur de sancto, et mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, id est, advena populi Israël fuit: sed ex gente Idumæa genus ducens, ibidem mortuus est. Qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquatur. » Producto autem prædicto exemplo, consequentiam producit S. Doctor ad alios homines, et aliorum temporum in hunc modum: « Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt pertinentes ad spiritualem Hierusalem. » Ex quibus satis constat aliorum populorum homines absque sacramentis legis Mosaycæ consequi potuisse salutem: ac perinde obligatos non fuisse ad suscipiendum circumcisionem, aliave prædictæ legis sacramenta. « Cujus ratio est, « *inquit D. Thomas* 1, 2, quæst. 98, art. 5) quia lex vetus data est populo Judæorum, ut quandam prærogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat. Quæcumque autem statuuntur ad specialem aliquorum sanctificationem, non obligant

Observatio notanda. D. Aug. D. Th.

« nisi illos : sicut ad quædam obligantur « Clerici, qui mancipantur divino myste- « rio, ad quæ laici non obligantur. Simi- « militer et Religiosi ad quædam perfec- « tionis opera obligantur ex sua profes- « sione, ad quæ seculares non obligantur. « Et similiter ad quædam specialia obliga- « batur populus ille, ad quæ alii populi « non obligabantur. Unde dicitur Deuter. « 18 : Perfectus eris, et absque macula co- « ram Domino Deo tuo. Et propter hoc « etiam quadam professione utebantur, ut « patet Deuter. 26 : Profiteor hodie coram « Domino Deo tuo. »

Quamvis autem circumcisio, et sacramenta propria Judæorum non fuerit materia vel medii, vel præcepti respectu aliarum gentium ob motiva immediate assignata : fuit tamen materia consilii ob majorem tunc illius legis perfectionem, et specialia ad cultum Dei instituta, ut plane evincit discursus D. Thomæ. Unde S. Doctor sic plane docet eodem loco in resolutionibus argumentorum his verbis : « Ad « secundum dicendum, quod homo quanto « Deo magis conjungitur, tanto efficitur « melioris conditionis. Et ideo quanto popu- « lus Judæorum erat adstrictus magis ad « divinum cultum, dignior aliis populis « erat. Unde dicitur Deuter. 4: Quæ est alia « gens sic inclyta, ut habeat cæremonias « justaque judicia, et universam legem ? Et « similiter etiam quantum ad hoc sunt me- « lioris conditionis Clerici, quam laici, et « Religiosi, quam sæculares. Ad tertium « dicendum , quod Gentiles perfectius, et « securius salutem consequebantur sub ob- « servantiis legis, quam sub sola lege natu- « rali : et ideo ad eas admittebantur. Sicut « etiam nunc laici transeunt ad Clericatum, « et sæculares ad Religionem : quamvis « absque hoc possint salvari. » Et facultas ad prædictum transitum, sive professionem constat Exodi 12, ubi permittitur Gentilibus, ut possent comedere de Agno paschali, si vellent circumcidi : et Judith. 14, ubi legitur Nachor circumcisus, et populo annumeratus. Ex quo autem Gentilis circumcisionem tanquam professionem legis Mosaycæ suscipiebat, tenebatur ad observantiam prædictæ legis, sicut et Judæi, quibus data fuerat, juxta illud Apostoli *ad Galat.* 5: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Et dicimus *tanquam professionem* et c. nam si quæ gentes circumcidebantur non ad profitendum eam legem, sed vel ad imitationem Abrahæ, vel ob alios fines, quod insinuat Philo relatus num. 53, ut de Mohabitis, Egyptiis, et aliis refert Divus Hieronymus in Hierem. 9, tales non obligabantur ad prædictæ legis observantias ; quippe quæ illo materiali ritu noluerant eam profiteri, sed alio respexerint. Observat autem Divus Augustinus lib. 1, *contra Cresconium* cap 31, quod « Judæi admise- « runt circumcisionem datam a Samarita- « nis, adeo ut si quis eorum ad Judæos ve- « niret, non iterum a Judæis circumcide- « batur. » Habebant namque materiale saltem primi apud Judæos sacramenti, cui satis putabant addi votum, sive professionem in ordine ad alia legalia. Circa quæ non oportet amplius immorari.

(Margin notes: Exodi 12. — Judith. 14. — Ad Galat. — D. Hier. — D. Aug.)

DUBIUM V.

Utrum in statu legis gratiæ sint sacramenta ?

Pervenimus tandem ad nostrorum sacramentorum existentiam, præsensque dubium excitamus, non quia difficultatem habeat, sed magis ut prosequamur, et compleamus ordinem doctrinæ. Proceditque (et plane a fortiori) in eodem sensu, ac præcedentia, nempe de sacramentis vere, et proprie dictis.

§ UNICUS.

Asseritur veritas catholica.

64. Dicendum est in statu legis gratiæ existere sacramenta ejusdem legis propria. Hæc conclusio est de fide, ut constat ex diffinitionibus Eugenii quarti in decreto fidei, quod est in Concilio Florentino *post ultimam sessionem*, et Concilii Tridentini sess. 7, *per totam*, et specialiter can. 1, et 2, ubi statuit : « Si quis dixerit sacramenta « novæ legis non fuisse omnia a Jesu- « Christo Domino instituta, aut esse plura, « vel pauciora, quam septem, videlicet « Baptismum, Confirmationem, Eucha- « ristiam, Pœnitentiam, Extremam unc- « tionem, Ordinem, et Matrimonium, aut « etiam aliquod horum septem sacramento- « rum non esse vere, et proprie sacramentum,

(Margin notes: Conclusio. — Concil. Florentin. — Concil. Trident.)

« tum, anathema sit. Si quis dixerit ea ipsa « novæ legis sacramenta a sacramentis anti- « quæ legis non differre, nisi quia cæremo- « niæ sunt aliæ, et alii ritus externi, ana- « thema sit. » Id ipsum constet tum ex Scriptura, tum ex perpetua Ecclesiæ traditione, ut agentes de institutione singulorum sacramentorum in particulari, in propriis sedibus ostendemus. Unde sic docent omnes Doctores Catholici, et Scholastici cum Magistro in 4, dist. 1, et Theologi cum D. Thom. in præs. art. 4.

Magist. D.Th.

Communia motiva. Rationes autem congruentiæ, quæ probant existentiam sacramentorum in aliis statibus, et proponuntur a D. Thoma artic. 1, militant etiam in præsenti statu gratiæ. Eas autem expendimus tum in Commentario illius artic. tum per totam disputationem : unde sufficiet illas vel leviter insinuare. Nam in primis sicut adhuc remanet morbus peccati, sic oportet dari etiam sacramentorum medicinam. Deinde fideles debent ab infidelibus secerni, et in unam visibilem Ecclesiam congregari : ad quod deserviunt sensibilia signa sacramentorum. Homines etiam hujus status congruenter, et juxta connaturalem homini modum ducuntur in notitiam rerum spiritualium, et intelligibilium bonorum per signa eisdem familiaria, quæ dicuntur sacramenta. Denique expedit Deum a nobis coli specialibus ritibus, inter quos sacramenta principaliter computantur. Cum igitur hæ rationes, quibus existentiam sacramentorum in aliis statibus probavimus, militent in præsenti ; consequens fit, quod in illo etiam debeant sacramenta existere.

Specialior ratio. 65. Sed insuper probatur eadem assertione ratione magis speciali D. Thom. in hoc artic. quoniam sacramenta sunt signa manifestantia, et protestantia fidem, qua homo justificatur : sed oportebat, quod signa, quibus homines in statu legis gratiæ protestantur fidem, essent diversa ab eis, quibus illam protestabantur antiqui : ergo in statu legis gratiæ dantur sacramenta, propria dicti status, et ab antiquis distincta. Probatur minor : quia diversis signis debent significari res futuræ, et res præsentes : sed fides antiquorum respiciebat Christum ut futurum ; fides autem nostra respicit Christum ut præsentem : ergo cum sacramenta sint signa repræsentantia tam Christum, quam fidem in Christum, qua justificamur ; oportebat signa, quibus homines in statu legis gratiæ protestantur fidem, esse diversa ab eis, quibus illam protestabantur antiqui. Quem discursum desumpsit Divus Thomas ex D. Augustino lib 19, *contra Faustum* cap. 16, ubi ait : « Aliis sacramentis annuntiari de- « buerunt res completæ, quam his, quibus « adhuc complendæ pronuntiabantur. Si « enim soni verborum, quibus loquimur « pro tempore commutantur, eademque « res aliter annuntiatur facienda, aliter « facta (sicut ipsa duo verba, quæ dixi « *facienda et facta* declarant) quid mirum, « si aliis mysteriorum signaculis passio, « et Resurrectio Christi futura promissa « est ; aliis jam facta annuntiatur ? Illa « Christum nasciturum, passurum, et re- « surrecturum annuntiabant : nostra vero, « quod natus, passus sit, et resurrexit, « significant. »

D. A...

Con... mat... Confirmatur : quia sacramenta sunt medicinæ spirituales, quibus homines indigent tam in statu legis scriptæ, quam in statu legis gratiæ ; cum in utroque duret peccati infirmitas : sed alia debuit esse medicina hominum in statu legis scriptæ, et alia medicina hominum in statu legis gratiæ : ergo oportet, quod in statu legis gratiæ dentur sacramenta, et quod distinguantur a sacramentis legis scriptæ. Probatur minor : quoniam alia debet esse medicina parvulorum, et alia medicina virorum : sed status legis scriptæ comparatur ætati puerili ; status vero legis gratiæ comparatur ætati perfectæ : ergo alia debuit esse medicina hominum in statu legis scriptæ, et alia medicina hominum in statu legis gratiæ. Qui discursus desumitur ex Apostolo *ad Galat.* 4, et proponitur a D. Thoma in 4, dist. 2, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 1.

Obj... tio... 66. Oppones : quoniam voluntas Dei est immutabilis, et nulli obnoxia variationi, juxta illud Jacob. 1 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* : atqui mutabilis foret, si uno tempore institueret, approbaretque alia sacramenta; in alio autem tempore institueret, et approbaret alia, reprobando priora : ergo cum certum sit Deum instituisse, atque approbasse sacramenta legis scriptæ ; minime admittendum est, quod illa sacramenta postea reprobaverit, instituendo, et approbando alia in statu legis gratiæ. Quo mo-

Jaco...

tivo utebantur olim, et modo utuntur Judæi ad refellendum nova sacramenta legis Evangelicæ, ut expendit Divus Thomas lib. 4, *contra gentes* cap. 57.

Respondetur negando minorem : quia ut idem S. Doctor egregie tradit in præsent. artic. 4 ad 3 : « Sicut paterfamilias non ex « hoc habere monstratur mutabilem vo- « luntatem, quod diversa præcepta familiæ « suæ proponit pro temporum varietate, « non eadem præcipiens hyeme, et æstate : « ita non ostenditur aliqua mutatio esse « circa Deum ex hoc, quod alia sacramenta « instituit post adventum Christi, et alia « tempore legis : quia illa fuerunt congrua « gratiæ præfigurandæ, hæc autem sunt « congruæ gratiæ præsentialiter demons- « trandæ. » Quod alio exemplo declarat Divus Augustiuus lib. de vera religione cap. 17, his verbis : « Unus medicus alia « per ministros suos imbecillioribus, alia « per semeptipsum valentioribus præcipit « ad reparandam, vel obtinendam salu- « tem. Ut enim ars medicinæ, cum eadem « maneat, mutat tamen præcepta languen- « tibus, quia mutabilis est nostra valetudo: « ita divina providentia, cum sit ipsa om- « nino immutabilis, mutabili tamen crea- « turæ varie subvenit, et pro varietate « morborum, alia aliis jubet, aut vetat, ut « a vitio, unde mors incipit, et ab ipsa « morte ad naturam suam ea, quæ defi- « ciunt, id est, ad nihilum tendunt, redu- « cat, et firmet. » Qua doctrina vel reluctantes uti debent ipsi Judæi objicientes : nam certum est sacramenta legis scriptæ non fuisse a principio mundi, sed a tempore Moysis. Unde sicut ex eo, quod ante Moysem Deus non instituerit, et approbaverit talia sacramenta, quæ postea instituit, et approbavit, non sequitur Deum esse mutabilem : ita ex eo, quod prius instituerit, et approbaverit sacramenta legis scriptæ, eaque postea reprobaverit in statu legis gratiæ, et instituerit alia ; nequit colligi simile inconveniens. Et ratio a priori est illa, quam tradit D. Thomas 1 p. quæst. 19, art. 7, ubi ait : « Consideran- « dum est, quod aliud est mutari volunta- « tem, et aliud est velle aliquarum rerum « mutationem. Potest enim aliquis eadem « voluntate immobiliter permanente velle, « quod nunc fiat hoc, et postea contrarium. « Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis « inciperet velle, quod prius non voluit, « vel desineret velle quod voluit. » Voluntas autem Dei, cum sit actus purus, infinitus, et æternus, non habet hanc ultimam varietatem : sed eadem immutabiliter manens vult objectorum varietatem, infertque varios, et contrarios effectus secundum temporum varietatem : unde nullam in se sustinet mutationem. Quare cum S. Doctor eo loco sibi objecisset præsentem difficultatem, nempe: « Quidquid « Deus facit voluntarie facit : sed Deus non « semper eadem facit : nam quandoque « præcepit legalia observari, quandoque « prohibuit : ergo habet mutabilem volun- « tatem, » respondit brevissime juxta doctrinam proxime traditam : « Ad tertium « dicendum, quod ex ratione illa non po- « test concludi, quod Deus habeat mutabi- « lem voluntatem, sed quod mutationem « velit. »

67. Contra nostram conclusionem fuerunt plures hæreses, nempe Manichæorum, Ascoduytarum, Marcosiorum, Catharistarum, Catharorum, Albigensium, Fratricellorum Deguinarum, et similium : quas per auctores, per errores, per tempora luculenter distinguit, et recenset Vasquez *in Commentario* ad art. 4. Sed res est parum in præs. referens, quam subinde omittere duximus. Præsertim cum prædictus Auctor num. 59 testetur prædictos hæreticos nullum prorsus fundamentum habere, quod vel minimam speciem probabilitatis præseferat. Addimus non paucos ex hæreticis, quos ille refert, non negare universaliter sacramenta in statu legis gratiæ ; sed errare partim in negando aliqua nostrorum sacramentorum, ut in specialibus Tractatibus ostendemus; partim subrogando falsa quædam sacramenta loco verorum, ut de Catharis testatur Franciscus Pegna *in Comment. quæstionis post vitam S. Petri Martyris ;* partim conjungendo, et observando simul sacramenta legis scriptæ cum sacramentis legis gratiæ, ut de Nazaræis refert D. Hieronymus epist. 11 inter *epistolas Augustini*. Unde constat plures ex hæresibus relatis non oppugnare directe nostram, et communem assertionem, quæ indefinite procedit in statuendo vera, et peculiaria sacramenta in statu legis gratiæ. Aliæ enim quæstiones, ut de eorum numero, de cessatione legalium, et similes ad alios locos spectant. Si qui autem magis specialiter referri possunt hæretici contra nostram

Hæreses contrariæ.

Vazquez.

Pegna.

D. Hiero.

nostram assertionem, sunt Ascoduytæ, qui generaliter negasse videntur sacramenta ob generale motivum, quod ex eisdem refert Theodoretus lib. 1 *hæret. fabul.* cap. 13 nempe : « Non oportere divina mysteria, quæ sunt invisibilium signa, per res, « quæ videntur, peragi, nec incorporea « per sensibilia, et corporea. »

Theo.

Prima objectio. Sed prædictum motivum impugnat etiam sacramenta antiquæ legis, quorum existentia constat ex divina Scriptura : quare non opponitur specialiter nostræ assertioni, et dilutum relinquitur *in Comment.* ad art. 1, num. 10. Modo satis sit illi occurrere contrario discursu D. Thomæ in illo art ubi ait : « Proprium est humanæ naturæ, ut « per corporalia, et sensibilia in spiri- « tualia, et insensibilia deducatur. Perti- « net autem ad divinam providentiam, ut « unicuique rei provideat secundum mo- « dum suæ conditionis. Et ideo convenien- « ter divina sapientia homini auxilia sa- « lutis confert sub quibusdam corporali- « bus, et sensibilibus signis, quæ sacra- « menta dicuntur. » Et in resp. ad 1, addit : « Corporalis exercitatio, in quan- « tum est corporalis, non multum utilis « est. Sed exercitatio per usum sacramen- « torum non est pure corporalis, sed « quodammodo est spiritualis, scilicet per « significationem, et causalitatem. »

Dispellitur. D. Tho.

Secunda objectio. 68 Opponunt secundo : quia sacramenta sunt signa, sive figuræ veritatis : sed hujusmodi signa, et figuræ debuerunt cessare in statu legis gratiæ : ergo in tali statu non sunt sacramenta. Probatur minor : quia signa, et figuræ debent cessare ad præsentiam significati, et figurati : sed in hoc statu supponitur veritas, et præsentia rerum, juxta illud Joann. 1 : *Gratia, et veritas per Jesum Christum facta est :* ergo in tali statu debuerunt cessare signa, et figuræ veritatis.

Joan. 1.

Diluitur. Respondetur nullum esse inconveniens, quod eadem res significetur per unum signum, et rursus sit signum aliquid aliud repræsentans. Et sic contingit in præs. materia : nam status legis gratiæ est medius inter statum legis scriptæ et statum gloriæ cœlestis. Quare licet talis status sit veritas executa comparative ad statum legis antiquæ, et omnia ejus sacramenta, quæ proinde cessarunt : nihilominus potest significare futuram beatitudinem, et continere signa, aut sacramenta, quæ gloriam et gratiam, qua in eam perducimur repræsentet. Unde D. Thomas in respons. ad 1, inquit : « Dicendum, *quod Dionysius dicit* « in 5, cap. Cœlestis hierarch. status novæ « legis medius est inter statum veteris « legis, cujus figuræ implentur in nova « lege, et inter statum gloriæ, in qua omnis « nude, et perfecte manifestabitur veri- « tas. Et ideo tunc nulla erunt sacramenta. « Nunc autem, quamdiu per speculum, et « in ænigmate cognoscimus, ut dicitur 1 « ad Corinth. 13, oportet nos per aliqua « sensibilia signa in spiritualia devenire. « Quod pertinet ad rationem sacramento- « rum. »

D. Th.

Tertia objectio. 69. Opponitur tertio discursus præcedenti contrarius; quia sacramenta nova, et legalia sunt inter se incompossibilia pro eodem statu ut constat ex fundamento nostræ assertionis, quod legalia significabant Christum futurum, nostra vero significant Christum præsentem; sed in hoc statu durant legalia : ergo hoc statu non sunt nova sacramenta. Probatur minor : quia Apostoli post mortem Christi, et jam acceptum Spiritum Sanctum observarunt legalia, ut constat Act. 16 et 21; ergo signum manifestum est, quod in hoc statu perseverant legalia.

Act. et

Dissolvitur. Respondetur hanc objectionem attingere difficultatem prolixam, sed quæ in præs. nec urget, nec est necessaria : quia certo constat Apostolos post perfectam Evangelii prædicationem nunquam observasse legalia : unde convincitur illa minime permanere. De illa autem difficultate agit D. Thomas lib. 4, *contra gent.* cap. 57, et in 4, dist. 1, quæst. 2, art. 5, quæstiunc. 3, et 1, 2 quæst. 103, art. 4 ad 1. Et quia in hoc ultimo loco rem summa facilitate, et claritate digessit; placet ejus verba, licet aliquantulum diffusa, referre, ut hic lectori occurrant, quæ circa objectam difficultatem possent ab illo desiderari : « Dicendum, « quod circa hoc diversimode sentisse vi- « dentur Hieronymus, et Augustinus. « Hieronymus enim distinxit duo tem- « pora : unum tempus ante passionem « Christi, in quo legalia non erant mortua, « quasi non habentia vim obligatoriam, « aut expiativam pro suo modo : neque « etiam mortifera, quia non peccabant ea « observantes. Statim autem post passio- « nem Christi inceperunt esse non solum « mortua, id est, non habentia virtutem, et

D.

« obligationem; sed etiam mortifera, ita « scilicet, quod peccabant mortaliter, qui- « cumque ea obse vabant. Unde dicebat, « quod Apostoli nunquam legalia observa- « runt post passionem secundum verita- « tem; sed solum quadam pia simulatione, « ne scilicet scandalizarent Judæos, et eo- « rum conversionem impedirent. Quæ qui- « dem simulatio sic intelligenda est, non « quidem ita, quod illos actus secundum « rei veritatem non facerent; sed quia « non faciebant tanquam legis cæremonias « observantes : sicut si quis pelliculam « virilis membri abscinderet propter sani- « tatem, non causa legis circumcisionis « observandæ. Sed quia indecens videtur, « quod Apostoli ea occultarent propter « scandalum, quæ pertinent ad veritatem « vitæ, et doctrinæ; ideo convenientius « Augustinus distinxit tria tempora. Unum « quidem ante Christi passionem, in quo « legalia nec erant mortifera, neque mor- « tua. Aliud autem post tempus Evangelii « divulgati, in quo legalia sunt mortua, et « mortifera. Tertium autem est tempus « medium, scilicet a passione Christi usque « ad divulgationem Evangelii. In quo le- « galia fuerunt quidem mortua : quia nec « vim aliquam habebant, neque aliquis ea « observare tenebatur. Non tamen fue- « runt mortifera : quia illi, qui conversi « erant ad Christum ex Judæis, poterant « illa legalia licite observare : dummodo « non sic ponerent spem in eis, quod ea re- « putarent sibi necessaria ad salutem, quasi « sine legalibus fides Christi justificare non « posset. His autem, qui convertebantur « ex Gentilitate ad Christum, non inerat « causa, ut ea observarent. Et ideo Paulus « circumcidit Timotheum, qui ex matre « Judæa genitus erat. Titum autem, qui ex « Gentilibus natus erat, circumcidere no- « luit. Ideo autem noluit Spiritus Sanctus, « ut statim inhiberetur his, qui ex Judæis « convertebantur, observatio legalium, si- « cut inhibebatur his, qui ex Gentilibus « convertebantur, Gentilitatis ritus, ut « quædam differentia inter hos ritus osten- « deretur. Nam Gentilitatis ritus repudie- « bantur tanquam omnino illiciti, et a Deo « semper prohibiti. Ritus autem legis ces- « sabat tanquam impletus per Christi pas- « sionem, utpote a Deo in figuram Christi « institutus. » Hæc omnia S. Doct.

Ex quibus liquet objectionis solutio : neganda namque est minor. Et ad probationem negamus antecedens in hoc sensu, quod Apostoli post promulgationem Evangelii observarverint legalia. Liquet etiam tam Apostolos, quam alios Judæos conversos potuisse observare licite legalia tempore intermedio a passione Christi usque ad Evangelii promulgationem : non quidem quia in eis ponerent spem, aut dubitarent de sufficientia fidei in passionem Christi; sed ut matrem Synagogam deducerent ad tumulum cum honore. Liquet denique eminentia nostrorum sacramentorum supra legalia : quam variis comparationibus late ostendunt Nugnus in præs. et Suarez disput. 6, sect. 2, et quam egregie repræsentat Div. Augustin lib. 19, contra Faustum cap. 13, his verbis : « Alia instituta sunt sacramenta virtute majora, « utilitate meliora, actu faciliora, numero « pauciora, tanquam justitia fidei revelata, « et in libertatem vocatis filiis Dei, jugo « servitutis ablato, quod duro, et carni « dedito populo congruebat. » Sed quia istam superexcellentiam ex professo ostendemus disput. sequent. ubi de virtute nostrorum sacramentorum agemus; hic addere, et difficultatem prævenire non expedit. D. Aug.

DUBIUM VI.

Utrum in statu gloriæ sint sacramenta.

Nulla plane vel necessitate, vel ratione præsens dubium excitaremus, nisi provocati notitia aliquorum singularitate minime dissimulanda. Apparebat namque in præsentiarum pervia, et communis negativa sententia : sed prona quorundam ad novitatem inclinatio, vel (ut mitius, veriusque loquamur) pia nimis in favendis revelationibus propensio cogit hanc ipsam partem ad incudem revocare. Prius autem curabimus breviter proponere communem assertionem, ut fusius deinde exceptionem, quam nimis pia devotio excogitavit, repræsentemus, et pro viribus refellamus.

§ I.

Communis resolutio dubio respondens?

70. Dicendum est in statu gloriæ non esse sacramenta. Hanc assertionem docet Cabrera Conclusio.

brera in præs. art. 4, *in Comment.* num. 5, esse certam de fide : et nos censemus esse adeo certam, ut nequeat absque ingenti temeritate negari. Fundamentum est: quia præter Patres, quorum testimonia in sequentibus congruentius expendemus, omnes Doctores Scholastici, et Theologi asserunt unanimiter hanc propositionem : *In patria non erunt sacramenta*, et nullus reperitur illam negans. Unde Angelicus
D. Tho. Præceptor in præs. art. 4 ad 1, inquit : « Dicendum, quod sicut Dionysius dicit, « status novæ legis medius est inter statum « veteris legis, cujus figuræ implentur in « nova lege, et inter statum gloriæ, in qua « omnis nude, et perfecte manifestabitur « veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacra-« menta. Nunc autem quandiu per specu-« lum, et ænigmate cognoscimus, ut dicitur « 1 ad Corinth. 13, oportet nos per aliqua « sensibilia signa in spiritualia devenire : « quod pertinet ad rationem sacramento-« rum. » Et in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 5 ad 1, ait : « Ea, quæ sunt « novæ legis, et sunt veritas respectu si-« gnorum veteris legis, et sunt signa res-« pectu manifestæ, et plenæ cognitionis « veritatis, quæ erit in patria. Et ideo ad-« huc oportet in nova lege, quod maneant « aliquæ figuræ: quæ scilicet in patria, ubi « erit plenaria perceptio veritatis, omnes « figuræ cessabunt. » Et idipsum docent D.
D.Ant. Antoninus 3 p. *Summæ*, titulo 14, cap. 11,
Ægid. Roman. § 4, Ægidius Romanus 2 p. Exameron, cap.
Viguer. 41, Viguerius *in Institut.* cap. 16, vers. 9,
Capreol. Palud. Capreolus in 4, dist. 10, quæst. 4, art. 3
Argent. Soto. ad 1, Paludanus dist. 1, quæst. 3, concl. 6,
Faber. Henriq. Argentinas quæst. 2, art. 2, concl. 3, Sotus quæst. 2, art. 4, Philippus Faber cum Scoto dist. 1, quæst. 3, disp. 4, cap. 3, Henriquez referens Alensem lib. 1, *de Sacra-*
Sayrus. *mentis* cap. 6, § 8, et cap. 11, § 8, Sayrus
Aversa Prado. lib. 3, *de Sacram.* cap. 6, quæst. unica.
Henao. Nisse tract. 61, *resolut. Theolog.* part. 3, quæst. 3. Aversa, quæst. 61, sect. 2, Prado dub. 5, num. 9, Henao *in Empireologia*
Gonet. lib., 7, exercit. 24, sect. 2, num. 13, Gonet disp. 2, art. 4, num. 108, et denique omnes alii, qui rem istam attigerunt. Ergo sacramenta non erunt in statu beatitudinis, et oppositum asseri non valet absque ingenti saltem temeritate.

Ratio. 71. Deinde probatur ratione : quia sacramenta sunt media ad consequendum salutem, quæ consummatur in beatitudine sicut in termino : sed post assecutionem termini, sive finis cessant media : ergo in statu beatitudinis non erunt sacramenta. Quod facile declaratur exemplo meriti præmii essentialis : nam quia illud ordinatur ad istud sicut ad finem, et terminum ; propterea in gloria, quæ est præmium essentiale, cessat omnino meritum ejus.

Confirmatur primo : quia sacramenta non sunt necessaria in statu beatitudinis : ergo absque necessitate, ac subinde sine fundamento assererentur in tali statu. Probatur antecedens supponendo communem doctrinam traditam *in comment.* ad art. 1, nempe sacramenta non dici necessaria absolute, sive ex terminis : manifestum namque est, quod potuerint non esse : sed talia dicuntur in ordine ad finem. Et rursus adhuc in ordine ad finem non sunt necessaria simpliciter, sed solum ad melius esse : unde eatenus dicuntur necessaria, quatenus sunt congrua, sive utilia homini in ordine ad finem. Porro eæ sunt principales sacramentorum utilitates, quas Theologi cum D. Thoma art. 1 hujus quæst. assignant, nempe ut homo per sensibilia in notitiam spiritualium deducatur ; et ut homo, qui peccando se subdidit rebus corporeis, mutuetur ex rebus corporeis a Deo institutis medicinam ; et denique ut homo, qui corporeus est, non exerceatur in rebus corporalibus noxiis, sed habeat salubrem exercitationem corporalem in sacramentis. Unde quia in Angelis non occurrunt hujusmodi utilitates : propterea sacramenta non sunt Angelis necessaria, nec pro illis instituta fuerunt. Sed manifestum est idem contingere in hominibus pro statu beatitudinis : siquidem in illo cognoscunt spiritualia independenter a sensibilibus : et nullo indigent medicamento : et occupantur in nobilissimo exercitio videndi, et amandi Deum in se ipso absque ullo periculo diversionis ad nociva exercitia. Ergo sacramenta non sunt homini necessaria in statu beatitudinis. Confirmatio.

Confirmatur secundo : quia sacramenta minus necessaria, aut congrua sunt in statu gloriæ, quam in statu innocentiæ ; cum ille status sit longe perfectior, et a corporeis rebus minus dependens : sed sacramenta non fuerunt necessaria, aut congrua statui innocentiæ : et ideo nec de facto fuerunt in tali statu, nec forent, quamvis ille durasset, ut ostendimus dub. 1, et 2 ; ergo Confirmatio.

sacramenta non sunt, nec erunt in statu beatitudinis.

72. Tertio probatur eadem assertio alia ratione : quoniam sacramenta deserviunt cognitioni obscuræ,et propriæ fidei: sed in patria non erit hujusmodi cognitio ; cum ibi adsit clara rerum notitia tam in Deo per scientiam beatam, quam in seipsis per scientiam infusam : ergo in patria non erunt sacramenta. Major constat ex diffinitione sacramenti, *signum rei sacræ sanctificantis nos,* sive gratiæ justificantis, in eorum applicatione productæ : nam cum res corporeæ nullam habeant ex se connexionem cum tali significato, nequeunt ex se inducere claram ejusdem notitiam, sed solum obscuram, atque innitentem extrinsecæ dispositioni Dei ita dicernentis : quod pertinet ad fidem. Idque exprimit ipsum sacramenti vocabulum, quod idem valet,ac mysterium,sive res occulta.Unde Eusebius Emisenus *hom. de transfigurat.* distinguens cum Apostolo *ad Hebræ.*9, tria tabernacula, nempe statum Synagogæ,statum Ecclesiæ,et statum gloriæ inquit : « Primum in umbra « fuit : secundum in figura est, et veritate : « tertium in veritate sola. In primo osten« ditur vita : in secundo datur : in tertio « possidetur. Nihil est ibi in figura, omnia « in veritate. Unde Apostolus ait, videmus « nunc per speculum in œnigmate, tunc au« tem facie ad faciem. » Et D. Ambrosius lib. 1, *de officiis* cap. 48, ait : « Hic ergo in « imagine ambulamus, in imagine vide« mus : illic facie ad faciem, ubi plena per« fectio : quia perfectio omnis in veritate « est. » Et similem sententiam habet D. Thom. in testimoniis num. 70 relatis, colligens, quod in patria « omnes figuræ ces« sabunt, et quod tunc nulla erunt sacra« menta. »

Confirmatur primo : nam de ratione sacramenti est significare gratiam in usu ejusdem sacramenti productam, ut constat ex dictis disp. 1, dub. 2, et 3 ; sed in statu beatitudinis non est producenda gratia : ergo in tali statu superflua sunt sacramenta. Minor liquet : quoniam in prædicto statu nec primo producitur gratia, cum supponatur producta : nec augetur substantialiter ob immobilitatem substantialem,quam talis status importat ; alioquin beati non haberent certum, et determinatum præmium, sive gradum beatitudinis.

Confirmatur secundo : quia si in statu gloriæ existerent sacramenta : forent utique vel diversæ rationis, vel ejusdem rationis cum nostris? Neutrum potest rationabiliter affirmari. Ergo in tali statu non erunt sacramenta. Minor quoad primam partem est manifesta : nam si illa sacramenta sunt diversæ rationis a nostris, quis nos docuit rationem, sive quidditatem illorum propriam ? Quo fundamento nova illa sacramenta introducuntur ? In quos fines serviunt ? Quos effectus pariunt ? Ad quæ responderi non potest, nisi divinando, atque exorbitando etiam a communibus, quas habemus, Theologiæ regulis. Secunda autem minoris pars non minus certe constat. Quis namque ita desipiat, ut dicat in gloria futurum esse sacramentum extremæ unctionis pro moribundis institutum, cum in eo statu nulla sit infirmitas, nulla mortis imminentia ? Aut dicat esse ibidem matrimonium, cum beati nec nubent, nec nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei ? Adde sacramenta nostra communiter loquendo, sive ut in plurimum consistere in usu, et sine applicatione non perfici : quare si in cœlo sunt sacramenta ejusdem rationis cum nostris, oportebit beatos ablui, inungi, pœnitere edendo doloris signa, præstare pro matrimonio consensus: quæ sunt plane ridicula, et nequeunt sine scandalo audiri. Ex quo ulterius fiet admittenda esse in cælo plurima corruptibilia, puta aquam ad baptismum, chrisma ad confirmationem, oleum ad extremam unctionem, et similia. Hæc vero solus admittet ille, qui plane circa conditionem status beatitudinis turpiter erret, et gloriam invehat, atque imaginetur ad instar paradisi Mahumetanorum.

Confirmatio 2.

Non oportet alia adjicere : quia præmissæ, adjuncto communi Theologorum consensu, non solum evincunt liquido veritatem assertionis, sed convincunt etiam oppositam doctrinam esse ad minus insignem temeritatem,destitutam omni prorsus solido aut probabili fundamento. Estque id adeo manifestum, ut cum nulla vix inveniatur veritas, cui non occurrat aliqua hæresis contraria ; tamen in præsenti non reperimus vel ab hæreticis sententiam, quam contra communem nostram assertionem referre possimus. Fallitur enim Cabrera ubi supra dum oppositum attribuit Origeni hom. 14, *in Lucam :* hic namque minime asseruit sacramenta in beatitudine, sed dixit consequenter ad alios errores, « quod et post

Nota.

« post resurrectionem ex mortuis indigea« mus sacramento abluente nos, atque pur« gante ; quia nemo absque sordibus resur« gere poterit. » In quo licet turpiter erret, longe tamen exulat ab assertione sacramentorum in cælo.

§ II.

Insinuata, et intentata assertionis limitatio.

Exceptio cujusdam Junioris.

73. Quamvis autem regula a nobis proposita sit adeo generalis, et generaliter recepta ; nihilominus ea est diversitas ingeniorum, ut non defuerit, qui ausus sit illi parare exceptionem : scimus namque nuperum quendam Theologum Complutensem censere, et pro viribus alios inducere, ut censeant, quod sacramentum Eucharistiæ manet de facto in cælo, et ibidem permanebit in æternum. Assignat autem, ut ita limitet communem doctrinam, inter istud, et alia sacramenta disparitatis rationem, quod reliqua consistant in usu ; hoc vere sit permanens, atque ab usu, sive applicatione independens : unde sicut beatos non decet sacramentorum usus, sic beatitudinem non decet aliorum sacramentorum existentia. Congruit autem permanentia Eucharistiæ tum ob oppositam rationem, tum ob maximam sacramenti nobilitatem, quod expedit æternari tanquam perenne divini amoris testimonium, et maximum hominum beneficium, ex cujus præsentia insigne beati concipiunt gaudium, et maxime excitantur ad Christi Domini amorem. Est autem ibidem Eucharistia (addit Junior) non in alio sacrario, quam in intimis ejusdem Christi præcordiis, quæ tale sacramentum perspicue repræsentant, et oculis beatorum objiciunt : quia gloriosa, et transparentia sunt, ad instar limpidissimi crystalli. Et si inquiramus, quando Christus suscepit Eucharistiæ sacramentum, quod cælo invexit, et in pectore conservat ? respondet illud simul cum duobus discipulis suscepisse in castello Emmaus : nam ut refert Lucas 24, accepit panem, et benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis : quod plurimi exponunt de confectione Eucharistiæ ob summam correspondentiam, quam hæc actio habuit cum prima prædicti sacramenti institutione. Et cum incredibile appareat Christum gloriosum species sacramentales a se tunc sumptas vel consumpsisse, vel destruxisse, vel abjecisse ; fit consequens, quod illas retineat, atque in æternum conservet. Hæc est in summa cogitatio prædicti Junioris.

Fundatur, et explicatur.

74. Sed illam cum in tract. præced. *de Incarnat.* disp. 31, dub. 4, ageremus de Sacerdotio Christi, jam rejecimus a num. 51, breviter ostendentes, quantum res tunc postulabat ; non esse positive probabilem ; quidquid sit de alia censura. Modo autem fusius illam impugnabimus. Et primum quidem superiori motivo : quia opponitur communi Theologorum judicio unanimiter affirmantium cum D. Thom. in præs. art. 4. *Nulla erunt in cælo sacramenta*, ut vidimus § præced. Quæ propositio cum sit universalis negativa, falsificatur per suam contradictoriam : *Aliquod sacramentum est in cœlo.* Ergo qui hanc ultimam propositionem tuetur, aperte contradicit communi Theologorum sententiæ : quod temerarium apparet. Augeturque hujus impugnationis robur considerando, quod ex Theologis quidam solum in genere discutiunt, an sacramenta sint in cælo, quidam vero descendunt magis in particulari ad agendum de existentia Eucharistiæ in beatitudine. Et priores, qui plurimi sunt, in universum diffiniunt sacramenta non fore in cælo : quæ resolutio falsificatur introducendo pro statu beatitudinis aliquod sacramentum, ut proxime ponderavimus. Ex posterioribus autem, qui pauci sunt, aliqui non solum negant existentiam Eucharistiæ in cælo, sed diversis etiam notis eam assertionem percellunt. Cabrera enim in comment. art. 4, num. 5, docet esse « certum « secundum fidem, quod sacramenta non « erunt in cælo. » Quintanaduenas tom. 2, tract. 2, singul. 2 num. 7, refert quendam concionatorem dixisse Eucharistiam esse in cælo: quod ipse appellat « lucidissi« mum delirium, et doctrinam male so« nantem. » Prado in præs. dub. 2, num. 20, in fine affirmat talem assertionem « non « evadere novitatis, et temeritatis notam « in re gravi. » Henao loco supra citato late refellit eam sententiam, et num. 15, subjungit : « Hæc me cogunt, ut incunc« tanter pronuntiem Eucharistiam non « æternaturam in Empyreo. Abstineo ta« men a censura partis affirmativæ : usque « dum aliorum Theologorum ad tribunal « feratur. » Aliqui autem, qui prædictam sententiam referunt, et non impugnant ;

illam tamen proponunt ut rem plane incertam se submittendo aliorum judicio. Unde Joannes Nierembergius, quem nonnulli tanquam ejusdem patronum referunt, satis insinuat ipsius incertitudinem, ac levitatem lib. 8, *de origine sacræ scripturæ* cap. 34, in principio, ubi relata prædicta sententia subjungit : « Quod assertum « satis video probari ; quamvis his posset « conjectiunculis colorem aliquem admit- « tere. » Expendit eas, et concludit : « Quoad « conservationem Eucharistiæ in cælo non « video tot esse fundementa hujus pronun- « tiati, ut illud statuere possim. Quod licet « falsum non valeam prorsus convincere : « incertum, atque sponte meditatum non « possum non habere. » Et eodem modo se gerit Castillo *de ornatu Aaronis* vers. 18, illatione 146, num. 31. Et Sylveira tom. 5, lib. 9, cap. 3, quæst. 15, num. 98, illos referens subjunxit : « Qui Auctores « etsi rem proponant, eam tamen definire « non audent : nec ego eam definire inten- « do, sed ut incertam aliis determinan- « dam relinquo. » Et Lumbier in tract. *de Incarnat.* quæst. 36, num. 14, cum ejusdem sententiæ pro quodam effugio meminisset, adjecit, *si verum est* satis aperte insinuans ejusmodi asserti incertitudinem. Neminem autem Theologorum, aut Expositorum vidimus, qui aperte, et diserte affirmet Eucharistiam esse, aut fore in cælo. Ergo id asserere contrarium est commuui Doctorum sensui.

Deinde omnia fere motiva, quibus in genere ostendimus sacramenta non esse, nec fore in cælo, eandem virtutem habent, si sacramento Eucharistiæ applicentur ; non obstante diversitate a Juniore proposita, quod alia sacramenta consistant in usu ; secus autem Eucharistia : hæc namque differentia impertinenter se habet ad eorum vires labefactandas. Nam sacramentum in genere, et abstrahendo ab his differentiis deservit cognitioni obscuræ, ut scilicet per signum non naturale, sed ad placitum ducamur in notitiam signati; sunt etiam media ad consequendum gloriam : conferunt præterea ad augmentum sanctitatis, ut constat ex dictis § præced. Quæ omnia communia sunt Eucharistiæ, et aliis sacramentis. Constat autem, quod in statu beatitudinis non dabitur cognitio obscura : nec occurrent media ad consequendum gloriam, cum ipsa beatitudo sit terminus : nec denique in eo statu confertur augmentum gratiæ. Ergo sicut prædicta motiva probant alia sacramenta non esse in cælo ; sic etiam evincunt, quod non erit Eucharistiæ sacramentum : et disparitas insinuata fundamento solido destituitur.

75. Propter hæc respondet Theologus ille Eucharistiam institutam fuisse ob duos fines, nempe et propter sanctificationem hominum in statu viæ, et propter majus gaudium accidentale in statu patriæ : sortirique cum proportione ad tales fines diversas affectiones, sive accidentia. Nam in statu viæ vendicat accidentia corruptibilia, ut manducari queat, et per modum sacramenti applicari : sed in statu patriæ vendicat accidentia incorruptibilia, ut in æternum permaneat, et beatos per modum objecti oblectet. Unde præmissis inpugnationibus occurrebat dicendo Theologos, qui vel in communi, vel in particulari negant Eucharistiam esse in cælo, loqui de Eucharistia ut associata accidentibus corruptibilibus, et proportionatis statui viæ : sed non agere de Eucharistia ut prædita accidentibus incorruptibilibus, qualia statum beatitudinis decent. Et similiter respondebat eas, quas expendimus, sacramentorum conditiones convenire quidem Eucharistiæ associatæ accidentibus corruptibilibus in statu viæ; secus autem Eucharistiæ habenti accidentia incorruptibilia in statu patriæ. Responsio Junioris.

Hæc tamen responsio est ipsa assertione pejor, ut ostenditur promovendo præcedentia motiva, quibus occurrere satagit. Quoniam magis novum, insolens, atque inter Theologos inauditum est dari verum sacramentum Eucharistiæ cum accidentibus incorruptibilibus : nec ullum vidimus, qui id dixerit, aut insinuaverit : ergo nequit id affirmari absque aliqua temeritate in re gravi. Deinde accidentia Eucharistiæ sunt accidentia propria panis, et vini : sed accidentia propria panis, et vini sunt accidentia corruptibilia : ergo accidentia Eucharistiæ sunt corruptibilia : et opposita imaginatio destruit veram Eucharistiæ rationem. Præterea tandiu manet Eucharistia, quandiu manent accidentia propria panis, et vini : sed ubi accidentia desinunt esse corruptibilia, et fiunt incorruptibilia, pariter desinunt esse accidentia propria panis, et vini ; siquidem manifestum est accidentia propria panis, et vini esse corruptibilia Evertitur.

tibilia : ergo ubi accidentia desinunt esse corruptibilia, et fiunt incorruptibilia, non manet Eucharistia : atque ideo hæc ipsa accidentium variatio, quæ fingitur, evacuat Eucharistiæ veritatem, et existentiam in patria.

Confirmatio. 76. Confirmatur primo : quia hæc accidentium variatio penes esse corruptibilia, aut incorruptibilia, vel tollit ab Eucharistia, quod sit sacramentum, vel non tollit. Si eligatur primum, sequitur falsam esse oppositam sententiam, nempe, *Sacramentum Eucharistiæ est in cælo.* Si autem eligatur secundum, adhuc Eucharistia in gloria conservabit rationes sibi, et aliis sacramentis essentialiter communes, utputa esse signum rei sacræ eidem inconnexum ex natura rei, atque ideo repræsentare rem occultam, et deservire cognitioni obscuræ ; similiter esse remedium ad consequendum gloriam ; et denique ordinari ad profectum spiritualem. Quæ tamen omnia aliena sunt a beatitudinis statu, ut supra expendimus.

Alia. Confirmatur urgentius manifestando non obscuram in præmisso effugio Junioris implicationem : quia de essentia sacramenti Eucharistiæ est esse causativum gratiæ : sed id non haberet, si coalesceret ex accidentibus, aut speciebus incorruptibilibus ; ergo vel non est in cælo, vel existens in cælo non habet incorruptibilia accidentia. Consequentia patet. Et major est certa: quia sacramentum Eucharistiæ constituitur essentialiter sub genere sacramenti novæ legis : unde tam essentialis est hæc prædicatio, *Sacramentum Eucharistiæ est sacramentum novæ legis*, quam ista, *Hoc sacramentum est sacramentum*, et ista, *Homo est animal:* sed de essentia sacramenti novæ legis est esse causativum gratiæ, ut docent communiter Theologi, et constabit ex dicendis disp. seq. ergo de essentia sacramenti Eucharistiæ est esse causativum gratiæ, licet per accidens non semper illam causet, nec in omnibus subjectis. Minor autem ostenditur : quia sacramentum Eucharistiæ non aliter est causativum gratiæ adhuc in actu primo vel proxime, vel remote, nisi quatenus est applicabile per modum cibi, aut potus, sive dependenter ab eo, quod manducari valeat, et bibi : sic enim illud instituit Christus Dominus : sed impossibile est sacramentum Eucharistiæ constans speciebus, sive accidentibus incorruptibilibus applicari per modum cibi, et potus, aut comedi, aut bibi : quod enim est incorruptibile, est etiam infrangibile, indivisibile, et intransmeabile, ut ex se liquet : ergo si sacramentum Eucharistiæ coalesceret ex speciebus incorruptibilibus, non esset causativum gratiæ. Quocirca in tali suppositione foret, et non foret sacramentum novæ legis. Nec proderit dicere sacramentum Eucharistiæ in gloria habere accidentia ex sua specie corruptibilia, cum modo tamen incorruptibilitatis : sicut etiam beatorum corpora sunt corruptibilia ex natura sua, et tamen fiunt incorruptibilia per modum sibi additum, aut dotes gloriæ. Id, inquam, nihil valet : quia in eodem sensu, in quo species Eucharistiæ essent incorruptibiles, fierent etiam inapplicabiles per modum cibi, et potus ; atque ideo non possent secundum istam rationem causare gratiam. Sicut de beatis, quia incorruptibilitatem induunt, verificatur, quod non possent pati, aut mori, vel patiendo, aut moriendo aliquid causare. Et pomum, quod per modum sibi additum fieret incorruptibile, non posset manducari, nec haberet conditiones alimenti.

77. His, et aliis impugnationibus oppressus Junior demum respondet in Eucharistia posse considerari et rationem sacramenti, et rationem operis miraculosi, et insignis erga homines beneficii, quod recogitatum excitat nos ad maximum Dei amorem. In statu itaque præsenti nostræ mortalitatis conjungit, explicat, atque exercet utramque rationem, ut ex se liquet. Cæterum in patria exuit officium sacramenti, quod ibi necessarium, aut possibile non est ob ea, quæ hactenus diximus : retinet autem munus operis miraculosi, quod cognitum a beatis provocat ipsos ad Dei amorem, et laudes. Et hoc ultimum sufficit, ut vere, et proprie dicatur Eucharistiam in cælo esse, et fore etiam per totam æternitatem, quin inde ullum ex objectis inconvenientibus colligatur. A[...] Jun[...] effu[...]

Sed hæc etiam solutio obnoxia est principali impugnationi hactenus propositæ novitatis, et temeritatis in re gravi. Quia nullus Theologorum docuit, aut insinuavit dari de facto veram Eucharistiam, quæ sacramentum non sit. Et quidem merito : quia omnia, quæ de Eucharistia prædicantur, conveniunt illi ex Christi institutione : Christus vero non aliam Eucharistiam, Co[...] ti[...]

aut aliter instituit, quam per modum sacramenti. Ergo asserere de facto Eucharistiam, quæ sacramentum non sit, est quædam novitas opposita non solum communi Theologorum sensui, sed ejusdem etiam Eucharistiæ institutioni, quam fides docet. Adde primo Eucharistiam essentialiter importare species corporeas panis, et vini, quæ continent Christum omnis sanctitatis fontem : et nisi hæc salventur, minime salvari valet Eucharistia adhuc in ratione operis miraculosi. Porro species sensibiles continentes Christum nequeunt non habere rationem mysterii, et sacramenti; siquidem repræsentant rem sacram sub eis latentem; et sacramentum aliud non est, quam signum rei sacræ. Ergo vel non salvatur propria ratio Eucharistiæ, vel salvari etiam in illa debet propria ratio sacramenti. Adde secundo, quod si in cælo non manet Eucharistia in ratione sacramenti, falsum plane est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in cælo existere : atque ideo falsificatur singularis illa, strepitans, atque Juniori plausibilis assertio Augustissimi Sacramenti in Empyreo. Unde nec sibi, nec veritati constat, dum ex una parte affirmat ejus sacramenti in cælo existentiam, et ex alia parte negat existere in cælo Eucharistiam per modum, aut in ratione sacramenti. Et hæc satis erant ad refellendum illius sententiam. Sed addemus urgentiora.

§ III.

Præmissæ limitationis eversio ab auctoritate.

78. Facile permittemus Adversario sequentia, nempe quod non implicet contradictionem existentia, ac æterna Eucharistiæ in cælo perseverantia; quod non repugnet Eucharistiæ cum accidentibus incorruptibilibus, aut incorruptibilitatis modo; quod non sit impossibilis Eucharistia separata a conceptu sacramenti ejusdem saltem rationis cum nostris, ut si Deus illi operi miraculoso non adjungeret vim, aut promissionem causandi gratiam in ejus applicatione. Hæc omnia tanquam non impossibilia admittimus in ordine ad potentiam Dei absolutam; quidquid fuerit de proportionata commensuratione ad naturas rerum, cui consulit, seque attemperat ordinaria, et suavis Dei providentia. Sed tamen ex præmissa non implicatione, sive possibilitate absoluta non efficacius depromitur argumentum ad suadendum Eucharistiam de facto existere in cælo, quam si quis contenderet dari de facto plures mundos, quia id non repugnat; aut existere alia sacramenta in cælo, quoniam hoc non implicat. Nemo autem, nisi omnino desipiat, tali argumentatione utetur, quam infantes diluent negando consequentiam a potentia ad actum in his, quæ spectant ad factum, et a libera Dei voluntate dependent. Talia autem profecto sunt, quæ Junior ille comminiscitur tam in assertione præcipua, quam et multo magis in modo, aut distinctionibus adhibitis, ut eam tutetur. Nec enim aliter se gerit, quam si versaret quæstionem aliquam metaphysicam in ordine ad potentiam Dei absolutam, inveniendo, componendo, distinguendo, atque fingendo, et etiam fugiendo, prout sua referre putat, independenter a regulis superioribus, et quasi ex tripode loqueretur : quod plane exulat a vera Theologia, et licentiam invehit circa alia intolerabilem. Unde oportet ipsum in ordinem redigere, atque ad viam compellere, objiciendo ejus menti materiæ gravitatem, quam tractat.

Grave motivum.

Etenim regula optima, atque universalis apud Theologos invaluit, quod illa, quæ dependent ex sola, ac libera Dei voluntate, et ad factum pertineant minime affirmari queant absque revelatione divinæ voluntatis, quæ nobis intersit aut certo, aut saltem probabiliter per doctrinam Scripturæ, vel Conciliorum, vel Patrum, vel Theologorum, vel saltem per connexionem certam, aut probabilem ad communia Theologiæ principia. Qui enim hac regula posthabita, aliter se gereret; imprudens foret, Dei providentiæ injurius, et notam temeritatis minime declinaret. Manifestum autem est existentiam Eucharistiæ in cælo rem esse ad factum spectantem, et a sola, liberaque voluntate Dei dependentem. Ergo nisi assertio illius procedat conformiter ad regulam præmissam, temeraria est, et minime sustinenda. At si prædicta principia consulamus, facile reperiemus eorum nullum illi assertioni favere, ut constabit evidenter diruendo fundamenta contraria; quin potius omnia illa eidem refragari, ut hic ostendere curabimus. Nulla itaque ratione sustineri, vel admitti valet recens illa Junioris excogitatio.

Et

Juxta scripturam Eucharistia non est in cælo. Matth. 28. Clemen. 5. Urban. 4. Innocent. 3. Patres Ecclesiæ. Salmeron. Barrad. Suarez.

79. Et primo occurrit Scriptura, adjuncto communi Patrum, et interpretum suffragio. Nam Matth. 28, dixit Christus Dominus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quo loco sermonem esse de præsentia Christi in Eucharistia docent Clemens V cum Concilio Viennensi *in Clementina unica de reliquiis, et veneratione sanctorum.* Urbanus IV, *in bulla de institutione Festi Eucharistiæ.* Innocentius III, lib. 4, *de mysteriis Missæ* cap. 44. D. Hilarius, D. Gregorius Nissenus, D. Bernardinus Senensis, D. Laurentius Justinianus, Fulbertus Carnotensis, Simon de Cassia, Petrus Cluniacensis, Nicolaus de Lyra, Dionysius Carthusianus, Jansenius, et alii plurimi, quos referunt, et sequuntur Salmeron tom. 2, tract. 33, Barradas tom. 4, *in Evangel.* lib. 9, cap. 7, et Suarez tom. 3, in 3 part. disp. 46, sectione 3. Præfixit autem, descripsit, ac definivit Christus eo loco sui in Eucharistia præsentiam *usque ad consummationem sæculi.* Ergo post consummationem mundi non erit Eucharistia, nec Christus habebit præsentiam sacramentalem, quam usque ad illud tempus promisit. Atque ideo fictitium est, atque Scripturæ, repugnans, quod Eucharistia sit de facto in Cœlo, ut in æternum duret. Eandem fere vim habent verba Apostoli 1, *ad Corinth.* 11 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Negant enim memoriale Eucharistiæ post ultimum, et generale judicium, ut aperte declarant Div. Chrysostomus, Theophylactus, D. Thomas ad prædictum locum, D. Joannes Damascenus lib. 4, *de fide*, cap. 14, et alii communiter, quin ullus Interpretum meminerit ulterioris durationis.

1 ad Corinth. 11. D. Chrysost. D. Thom. D. Damas.

Præciditur fuga

Nec momenti erit, si Junior recurrat ad propositas supra distinctiones Eucharistiæ cum accidentibus incorruptibilibus, aut Eucharistiæ in ratione operis miraculosi. Tum quia hæc ejus doctrina nullum habet fundamentum, aut fundamenti vestigium in Scriptura, et Patribus, et procedit cum majori adhuc incertitudine, quam assertio. Tum quia illa verba *usque ad consummatione sæculi, et donec veniat* habent vim negationis negantis Eucharistiæ durationem post finem mundi : qui autem negat Eucharistiam futuram, negat utique Eucharistiæ modos. Sicut enim inepte quis negaret homines futuros post diem judicii, quia non erunt cum his modis, quos prius habuerunt; sic etiam inepte negaretur existentia Eucharistiæ ob carentiam, aut variationem modorum, si ipsa absolute persisteret. Tum, et præcipue quia Patres, quorum est legitimum Scripturæ sensum proponere, et quos audire debemus, palam excludunt eas distinctiones, asserendo Eucharistiæ finem, sive post ultimum judicium carentiam, aut cessationem. Et ut eorum testimonia melius intelligantur, præ oculis habere oportet, quod supra monuimus numer. 71, nempe Eucharistiam eatenus dici necessariam, aut non necessariam pro aliquo statu, quatenus est aut non est conveniens, sive necessaria ad melius esse : unde idem valet, *Eucharistia non est necessaria, et opus non est Eucharistia*, ac dicere, *Eucharistia non est conveniens* : nec enim in sacramentorum institutione, et permanentia alia major necessitas intervenit quam convenientiæ, seu congruentiæ. Videamus igitur Patrum sententias. D. Hieronymus ad locum Pauli : *Tandiu Eucharistiæ memoria opus est, donec ipse venire dignetur.* Theodoretus ibidem : *Post ejus adventum non amplius est opus Symbolis, seu signis corporis, cum ipsum corpus apparebit. Et propterea dixit, donec ipse venerit.* D. Anselmus ad eundem locum: « Significat finem sæculi, quando erit Sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiu bibitur, quod de latere Christi manavit : sed jam in ipsa perfectione salutis æternæ, cum traditur regnum Deo, et Patri, ut in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis mysteriis corporalibus egeamus. » D. Bernardinus tom. 2, serm. 54: « Tunc terminus eis ejus erit : quia non sub velamine accidentium, sed facie ad faciem tunc contemplabimur. » Petrus Cluniacensis in trac. *contra Petrobrusianos* : « Donec ergo veniat in fine sæculi, dedit hoc sacramentum corporis, et sanguinis sui fidelibus per omne tempus hujus sæculi, id est, usque ad consummationem sæculi. » Simon de Cassia lib. 14, cap. 28 : « Christus dixit usque ad consummationem sæculi, non quod peracto mundi labentis termino non sit ipse nobiscum; sed quia beatiori modo, consummato Mysterio, in intuitione conspicua erimus nos cum ipso. » Richardus Victorinus lib. 7, *in Apocalyp.* cap. 7 : « Reficit Christus suos in mundo corporis, et sanguinis

D. Hieron. Theod. D. Ans. D. Bernar. Petri Cluniacensi. Simon de Cassia. Richardus Victorin.

sui participatione ; reficit eos in Cælo perpetua divinitatis, et humanitatis suæ contemplatione. » Nicolaus Cabasilas *in expositione Liturgiæ* c.43 : « Nunc quidem apparet « Christus, et participatur, ut ipse voluit, « velis panis. Tunc autem videbitur, et par- « ticipabitur sine velis, quando videbimus « eum, sicut est. » Cardinalis Bessario *in opusc. de sacramento Eucharistiæ* : « Hoc « idem confirmare videtur B. Gregorius in- « quiens, ideo hæc vocari figuram, quia cor- « pore, et sanguine Domini nunc partici- « pamus in figura panis, et vini; tunc vero « eum talem, qualis vere est, manifestis- « sima visione contemplabimur. » Algerus lib. 1, *de sacramento corporis, et sanguinis Domini*, cap. 8 : « Apostolus huic sacra- « mento, ne æternum videatur, finem de- « nuntians ait, Quotiescumque, etc. » Et rursus : « Non solum comparatur sacra- « mentum corporis Christi cæteris sacra- « mentis consignificando, sed et in corpore « Christi æternaliter non permanendo. « Quamvis enim panis substantia, ut dictum « est, mirifice in corpus Christi conversa « esse dicatur, forma tamen in sacramento « remanens, non in corpore Christi ma- « nere perpetualiter, sed post hanc vitam « omnino desinere creditur, sicut et cætera « sacramenta. » N. Incognitus in Ps. 77 : « In vita beata isto sacramento opus non « erit, quia videbimus Christum sicuti « est. » Alios eandem sententiam proferentes omittimus, quia præmissi sufficiunt. Sed Patribus addere oportet illuminatissimam Virginem et Matrem nostram D. Theresiam. Agit *in lib. viæ perfectionis* cap. 33, de pane Eucharistiæ, cui accommodat petitionem illam Orationis Dominicæ, « *Panem nostrum* « *quotidianum da nobis hodie*, et subjungit : « Torna a dezir, danoslo oy Senor. Es como « dezir, que ya una vez nos le dio, que no « nos lo torne a quitar, asta que se acabe el « mundo. » Et cap. seq. addit : « El dezir oy, « me parece es para un dia, que es mien- « tras durare el mundo, y no mas. Quod di- « citur Hodie, videtur mihi idem esse, ac « in unum diem, id est, quandiu mundus « duraverit, et non amplius. » Quibus verbis subtilissima profunditate communem Patrum sensum expressit, non aliam comminiscens, aut recognoscens Eucharistiæ durationem post mundum.

80. Veniam jam ad Concilium Tridentinum, quod inter alia expressius, ac diffusius egit de hoc augustissimo sacramento, et ostendamus, quam longe ab ejus mente peregrinetur imaginatio junioris. Hic enim asserit (et quidem satis consequenter ad sua principia) finem adæquatum institutionis Eucharistiæ non consistere in sola utilitate fidelium pro statu viæ; sed in gaudio etiam beatorum, quod capiunt ex æterna istius sacramenti præsentia in patria. At contra Concilium nec leviter, aut per umbram hoc motivum insinuavit : sed potius omnia motiva institutionis ad statum viæ, sive nostræ vitæ mortalis reduxit. Nam in c. 2, sess. 13, sub hoc titulo, *De ratione institutionis sanctissimi hujus sacramenti* inquit : « Ergo Salvator noster discessurus ex hoc « mundo ad Patrem sacramentum hoc ins- « tituit, in quo divitias divini sui erga ho- « mines amoris velut diffudit, memoriam « faciens mirabilium suorum. Et in illius « sumptione colere nos sui memoriam « præcepit, suamque annuntiare mortem, « donec ipse ad judicandum mundum ve- « niat. Sumi autem voluit sacramentum hoc « tanquam spiritualem animarum cibum, « quo alantur, et confortentur viventes « vita illius, qui dixit : Qui manducat me, « et ipse vivet propter me : et tanquam « antidotum, quo liberemur a culpis quoti- « dianis, et a peccatis mortalibus præser- « vemur. Pignus præterea id esse voluit « futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felici- « tatis, adeoque Symbolum unius illius « corporis, cujus ipse caput existit, cuique « nos tanquam membra arctissima fidei, « spei et charitatis connexione adstrictos « esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, « nec essent in nobis schismata. » Hæc, et non plura Concilium, ubi ex professo agit de *ratione* (id est de fine, et motivis) *institutionis sanctissimi hujus sacramenti*. In eis autem nec minimum verbum occurrit, quod indicet permanentiam Eucharistiæ in cœlo ad oblectandum beatos. Porro manifestum est, quod cuncta, quæ expendit, vel memorialis mortis Domini usque ad ejus adventum; vel pignoris gloriæ, quam speramus; vel cibi spiritualis, quo alimur, et confortamur : vel antidoti, quo a peccatis præservamur, vel Symboli unitatis, qua conjungimur, et schismata vitamus, pertinent ad statum vitæ præsentis, ut ex se liquet. Ergo dicere cum Juniore Eucharistiam institutam fuisse non solum pro hoc statu : sed etiam propter finem permanentiæ ipsius in gloria per totam

Tridentini Eucharistia non erit in cœlo.

totam æternitatem ad accidentale gaudium beatorum, non cohæret menti Concilii : quin tacite insinuat Concilium diminute processisse in assignando *rationem institutionis sanctissimi hujus sacramenti;* siquidem Junior motivum, seu finem porrigit ultra assignata a Concilio.

Idem. Et elucet amplius ejus dissonantia ad sacræ Synodi mentem in eo, quod Junior asserit Christum in Cœlo dupliciter existere, sive habere duos modos essendi : est namque sine velaminibus in propria specie, et est etiam cum velaminibus specierum sacramentalium in Eucharistia. Id vero manifeste adversari videtur verbis, et menti Concilii : nam cap. 8 ejusdem sessionis loquens de Christo Domino, quem sub speciebus manducamus, inquit : « Et is vere « eis fit animæ vita, et perpetua sanitas « mentis : cujus vigore confortati ex hujus « miseræ peregrinationis itinere ad cœles- « tem patriam pervenire valeant, eundem « panem Angelorum, quem modo sub sa- « cris velaminibus edunt, absque ullo ve- « lamine manducaturi. » Ubi perspicue supponit Concilium, quod Christus in Cœlo est absque ullo specierum sacramentalium velamine, et sic manducatur spiritualiter a beatis. Quam sententiam prius expresse-

D. Greg. rat D. Gregorius relatus in cap. *Species* 34. dist. 2, his verbis : « Postulat quippe Sa- « cerdos, ut corpus Christi, quod sub spe- « cie panis, et vini nunc geritur, mani- « festa visione, sicut revera est, quandoque « capiatur. De qua visione Dominus in « Evangelio secundum Joann. 14, ait : Qui « diligit me, diligetur a Patre meo, et ego « diligam eum, et manifestabo ei me ip-

Rupert. Abbas. « sum. » Et Rupertus Abbas in cap. 17 Josue, eundem sensum eleganter proposuit his verbis : « Quandiu per desertum hujus « sæculi incedimus, quandiu per fidem, et « non per speciem, ambulamus, nimirum « istis alimentis indigemus. Pascimur « mente legendo, vel audiendo verbum « Dei : pascimur et ore manducando de « mensa Domini panem vitæ æternæ, et « calicem salutis perpetuæ. At ubi veneri- « mus ad illam terram viventium, et in « illam beatam Sion, ubi in sua specie vi- « debitur Deus Deorum ; neque verbo doc- « trinæ indigemus, neque istis speciebus « panis, et vini. Sed in propria substantia « videndo panem Angelorum manducabi- « mus. Igitur postquam comederunt fru- « ges terræ, defecit manna : quia videlicet « postquam venerit, quod perfectum est, « evacuabitur, quod ex parte est. » Igitur ex sententia Concilii, adjuncta etiam conformi Patrum expositione, Christus, qui est panis Angelorum, et quem modo sub velaminibus, sive speciebus Eucharistiæ edimus in via, nulla velamina, nullas species panis et vini habebit in patria, sed palam prorsus, sive independenter ab omni sacramento nobis occurret. Cum qua doctrina minime cohæret assertio Junioris introducentis Eucharistiam in Cælo : nam ubi Eucharistia existit, impossibile est, quod non habeat velamina, sive species, et accidentia panis, et vini ; sicut etiam impossibile est, quod Christum non contineat sub his accidentibus, aut velaminibus : quidquid enim horum auferatur, tollitur de medio Eucharistia.

81. Ex præmissis autem satis manifeste, ut putamus, constat tantum abesse, quod nupera illa excogitatio habeat fundamentum in Scriptura, Conciliis, et Patribus ; ut eisdem potius tam verbis, quam sententia adversetur. Succedebat, ut introduceremus Theologorum suffragia, qui per Scripturam, Concilia, et Patres edocti solent veritates Theologiæ expressiori, ac resolutiori modo proponere. Sed ab studio isto ut plane superfluo, nunc supersedemus: quia jam ostendimus num. 70 et 74, sententiam nostram esse inter Theologos communem. Nam qui discutiunt in genere, an sacramenta sint in Cælo, negant in genere, quod sacramenta in Cœlo existant : et qui in specie versant, utrum Eucharistia in Cœlo sit, negant in specie Eucharistiæ in Cœlo existentiam : quin et addunt censuræ notas in oppositam assertionem. Et nullum hactenus Theologum legimus, qui eam aperte, et ex propria sententia docuerit. Nullum itaque illa habet in Theologis fundamentum, sed declaratam potius oppositionem. Refricare tamen debemus disertissimas illas assertiones, quas Theologorum Princeps Div. Thomas statuit locis relatis num. 70 : « In statu gloriæ, in qua omnis « nude, et perfecte manifestabitur veritas, « nulla erunt sacramenta. In patria, ubi erit « plenaria perceptio veritatis, omnes figu- « ræ cessabunt. » Nam si sub eis subsumamus Eucharistiam esse sacramentum, Eucharistiam essentialiter esse figuram ; evidenter sequitur, quod ex sententia tanti

Recapitulat et sententia Theologorum. D. Tho.

Theologi (qui pro millibus est), Eucharistia in Cœlo non sit. Et qui docet propositionem illis universalibus negativis contradictoriam, nempe aliquod sacramentum, aliquam figuram, Eucharistiam scilicet, in Cœlo existere; aperta fronte contradicit Angelico Præceptori. Quam oppositionem minime dissimulare poterit, licet dicat se non loqui de Eucharistia cum modis, quos nunc habet apud nos : nam propositiones Div. Thomæ sunt universales negativæ, quæ per quamlibet existentiam, et per quemlibet modum, et cujuslibet sacramenti, si asseratur in patria, falsificantur. Sicut dicere non possumus : *Nulli homines erunt in gloria;* licet habituri non sint illum omnem modum, quem habuerunt in via : sufficit enim, si vel alio modo sint, ad falsificandum *nullos homines esse in patria.* Et opposita expositio est mera figura, et tergiversatio nihil valens apud sapientes.

ite- tur la- tum. Colligendo itaque hactenus dicta instauratur propositum ab auctoritate fundamentum : quia sententia, quæ in re gravi, qualem versamus, dependentique a sola, libera, et supernaturali Dei voluntate, aliquid asserit non solum sine fundamento in Scriptura, Conciliis, Patribus, et Theologis, sed etiam cum oppositione ad præmissas regulas, seu principia; rejici plane debet, et reputari temeraria : hujusmodi autem est sententia affirmans Eucharistiam esse in Cœlo, ut hactenus ostendimus : ergo talis sententia rejici debet, et non videtur notam temeritatis effugere, qua quidam Theologi eam percellunt. Sed nos sic loquimur præcise in vi consequentiæ (et sic tam in supra dictis, quam infra dicendis intelligi desideramus), censuram relinquentes superiori tribunali, quam ab eodem interrogati daremus : quamvis nec dubitemus asserere prædictam Junioris sententiam non essse apud nos positive probabilem, hoc est, nos non videre pro ea fundamenta, ob quæ possit prudenter, aut probabiliter admitti ; quidquid fit de gravi censura, quæ, ut diximus, est illi tribunali deserenda, ad quod pertinet.

§ IV.

Continuatur ejusdem limitationis impugnatio aliquibus rationibus.

82. Sed addamus unam, aut alteram rationem Theologicam. Prima sit, quod si Eucharistia esset in cœlo, beati manducarent spiritualiter Eucharistiam : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequelam concedit Junior, et non inconsequenter ad suam excogitationem : ad id quippe introducit Eucharistiam in patria, ut a beatis affective, et spiritualiter manducetur : atque in hoc sensu interpretatur verba Christi Domini apud Matth. 26. *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei,* ut magis expendemus num. 93. Falsitas autem consequentis probatur auctoritate, et ratione D. Thomæ, infra quæst, 80, art. 2, ubi ait : « Dicendum, quod in « hoc sacramento continetur ipse Christus, « non quidem in specie propria, sed in « specie sacramenti. Dupliciter ergo con- « tingit manducare spiritualiter ipsum « Christum. Uno modo prout in sua specie « consistit. Et hoc modo Angeli manducant « spiritualiter ipsum Christum, in quan- « tum ei uniuntur fruitione charitatis et « visione manifesta (quem panem expecta- « mus in patria), non per fidem, sicut nos « ei hic unimur. Alio modo contingit « spiritualiter manducare Christum prout « est sub speciebus hujus sacramenti : in « quantum scilicet aliquis credit in Chris- « tum cum desiderio sumendi hoc sacra- « mentum. Et hoc non solum est spiritua- « liter manducare Christum, sed etiam « spiritualiter manducare hoc sacramen- « tum. Quod non competit Angelis. Et « ideo licet Angeli spiritualiter manducent « Christum : non tamen convenit eis « spiritualiter manducare hoc sacramen- « tum. »

Ratio contra Iuniorem.

Matth. 26.

Dices D. Thomam loqui de Angelis, non autem de hominibus in cœlo. Sed nihil valet : quia si sermo fiat de hominibus beatis præcise quantum ad animas, ut communiter ante generalem resurrectionem contingit ; eadem prorsus ratio est de illis, ac de Angelis : sicut enim Angeli sunt incapaces suscipiendi sacramentaliter, sive manducandi sacramentum Eucharistiæ, quia substantiæ spirituales sunt : sic etiam animæ hominum separatæ, atque in cælo existentes habent incapacitatem suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam ; cum sint etiam substantiæ spirituales. Unde nec Angeli, nec animæ separatæ queunt habere affectum de se absolutum, et

Præciduntur effugia.

efficacem

efficacem suscipiendi Eucharistiam : quod tamen ad spiritualem ejus manducationem requirebatur. Et hoc satis superque erat ad vim præmissi fundamenti : nam Junior statuit Eucharistiam de facto in cœlo existentem ab Angelis, et animabus sanctis spiritualiter manducari. Si autem fiat sermo de hominibus beatis anima, et corpore, ut post generalem resurrectionem continget ; quamvis in eis non concurrant omnes rationes, quæ militant in Angelis, ne dicantur manducare spiritualiter Eucharistiæ sacramentum ; occurrit tamen, et militat illa ratio, qua Divus Thomas suam resolutionem unice probat, nempe Angelos manducare spiritualiter Christum in specie propria, quatenus ei uniuntur fruitione charitatis perfectæ, et manifesta visione : quare non congruit, quod manducent spiritualiter Christum in specie sacramenti ; nec opus habent tali manducatione ad complementum gloriæ. Hoc enim motivum probat similiter in hominibus mente, et corpore beatis ; siquidem manducant spiritualiter Christum in propria specie propter unionem fruitionis, et visionis manifestæ. Unde Suarez *in Comment. ad prædictum artic.* optime observavit : « Angeli non per fidem ambulant, sed per speciem : et ideo nihil appetunt, nisi quod eorum statui est accommodatum. Et ita D. Thomas magis hoc fundat in statu gloriæ, quam in conditione spirituali angelicæ naturæ. Unde illius conclusio non solum de Angelis, sed etiam de hominibus beatis vera est ; etiam si anima, et corpore sint gloriosi. Secus vero est de viatoribus, qui secundum præsentem statum capaces sunt hujus sacramenti, et absolute possunt, ac tenentur illud accipere : et ideo fide saltem, et proposito illi debent uniri, si ex accidenti contingat non posse illud actione corporis manducare etc. »

Suarez.

Confirmatio. Confirmatur et declaratur amplius : quoniam ad manducationem spiritualem requiritur affectus absolutus, et de se efficax illud realiter, et sacramentaliter suscipiendi : sed in hominibus beatis non datur hujusmodi affectus suscipiendi sacramentum Eucharistiæ : ergo homines beati non manducant illam spiritualiter : atque ideo Eucharistia non est spiritualis beatorum panis in cœlo, ut comminiscitur Junior ille. Utraque consequentia patet ex præmissis. Major autem est certa : quia spiritualis Eucharistiæ manducatio non aliter potest explicari, nisi per affectum illum absolutum, et de se efficacem suscipiendi illam realiter, et sacramentaliter : alias qui posset illam ita recipere, et non suscipit, diceretur spiritualiter manducare : quod est falsum. Minor autem ostenditur : tum quia beati non habent affectum absolutum, et de se efficacem ad impossibilia, et statui beatitudinis non congruentia : foret enim tale desiderium imprudens, et irrationale : sed impossibile, vel saltem incongruum statui beatitudinis est, quod beati suscipiant sacramentaliter Eucharistiam, et hoc sacramentum realiter manducent : ergo beati non habent affectum absolutum, et de se efficacem suscipiendi sacramentaliter Eucharistiam. Tum etiam quia viso, et possesso aliquo bono in seipso, sive in propria specie, cessat desiderium, aut affectus videndi, et possidendi ipsum in figuris : sicut cognita causa in se ipsa, cessat appetitus cognoscendi causam in effectu, aut per effectum : sed homines beati cognoscunt Christum evidenter in se ipso, illique uniuntur visione, et fruitione : ergo cessat in illis affectus cognoscendi ipsum, et se illi uniendi prout in sacramento : cessante autem hujusmodi affectu, consequens est, quod non habeant desiderium absolutum, et de se efficax suscipiendi Christum prout existentem, et latentem sub sacramento Eucharistiæ. Tum denique probatur eadem minor exemplo Angelorum : nam quia manducant spiritualiter Christum in se ipso (qui propterea dicitur panis Angelorum), non habent desiderium manducandi ipsum in sacramento, ut vidimus ex D. Thom. sed etiam homines beati manducant spiritualiter Christum in se ipso : ergo idem de illis dicendum est.

83. Secundo ratio est hujusmodi : nam species Eucharistiæ panis, et vini corpus et sanguinem Christi repræsentant per modum symboli, et typi : sed corpus, et sanguis Christi in beatitudine repræsentantur clare in se ipsis : ergo species Eucharisticæ panis, et vini non sunt in beatitudine : atque ideo neque Eucharistia est in cœlo. Hæc secunda consequentia patet ex prima ; siquidem manifestum est Eucharistiam nec esse, nec conservari Alia ratio.

posse absque speciebus, quibus essentialiter constat. Prima vero probatur ex præmissis : quia symbolum, et typus cessant, ubi adest evidenter res, quam repræsentant : ergo si in cœlo corpus, et sanguis Christi manifestantur clare, et evidenter in se ipsis ; consequens est cessare, et non adesse in cœlo species eucharisticas panis et vini, quæ corpus, et sanguinem Christi repræsentant per modum symboli, et typi. Qui discursus desumitur ex P. N. S. Cyrillo Alexandrino lib. 9, *contra Julianum,* ubi ait : « Manifestum omnibus « est, quod assumptum est ad typum « alterius, non propter se ipsum fit ; sed « ut inferat ipsum spectantibus quandam « futuri præmonstrationem. Cum autem « videtur veritas, superfluus est typus, « et inutile, quod illam ante prædixit. » Et eandem consequentiam urgent in hac speciali materia plures ex Patribus, quos supra dedimus. D. Bernardinus ait : « Tunc terminus ejus (nempe Eucharis« tiæ) erit : quia non sub velamine acci« dentium, sed facie ad faciem contem« plabitur. » Rupertus : « Ubi in sua specie « videbitur Deus Deorum, neque verbo « doctrinæ indigebimus, neque istis spe« ciebus panis, et vini. » D. Anselmus : « In illa perspicua contemplatione incom« mutabilis veritatis, nullis mysteriis « corporalibus egemus. » Theodoretus : « Præsentia umbræ sunt futurorum. « Hic videmus symbola Domini corporis ; « illic autem ipsum Dominum videbi« mus. » Denique D. Thomas : « In gloria « omnis nude, et perfecte manifestabitur « veritas : et ideo tunc nulla erunt sacra« menta. » Et rursus inquit : « In patria, « ubi erit plenaria perceptio veritatis, « omnes figuræ cessabunt. »

yril-is

Ber-ır.

per-ıs.

An-lm.

co-ret.

hom.

Nec momenti erit, si dicatur, quod quando Christus in ultima cœna instituit hoc sacramentum, simul concurrerunt species eucharisticæ panis, et vini, et Christus ipse in propria specie : unde nullum videtur esse inconveniens, quod prædicta duo simul in cœlo concurrant. Id, inquam, nihil valet : quoniam quod in cœna Christus in se, et Eucharistia simul adfuerint, fuit ex necessitate ad institutionem sacramenti : quod Christus non potuit immediate, et per se ipsum (sicut decebat), instituere, nisi concurrendo cum ipso. Oportebat enim, quod Christus ab hominibus mortalibus discessurus Eucharistiam, sui scilicet symbolum, et typum eisdem hominibus commendaret, ut ejus recordarentur, cum in propria specie abesset, idque illis verbis præmonuit, *Hoc facite in meam commemorationem :* commemoratio namque absentiam rei, atque distantiam supponit. Cæterum ubi Christus in propria specie, clare, evidenter ac permanenter occurrit, ut repræsentatur omnibus beatis ; sicut superflua est ejus commemoratio, sic etiam superfluit ipsius symbolum, et typus. Quod facile declaratur exemplo : nam quod rex peregrinaturus, aut longe a subditis discessurus fabricetur sui imaginem, et illam eisdem tradat, ut sui recordentur, simulque hoc modo nempe transeunter, et quantum fabrica, et traditio imaginis exigunt, simul cum imagine concurrat ; nulla plane est incongruitas. Sed quod ubi rex præsentialiter, et permanenter adest coram civibus in throno, ibi simul introducatur ejus typus, et figura ; superfluum plane est, et ridiculum : quia typus deservit ad absentis memoriam, quæ excluditur ipsa præsentia. Et idem apparet in sponso, qui sui imaginem sponsæ ad recordationem relinqueret : amentia namque esset, si sponsa occurrente sponso in se ipso, converteretur ad ejus imaginem, cum posset sponsum amplecti. Sic igitur species Eucharistiæ, quæ sunt symbolum, et typus Christi, desserviunt quidem nobis pro hoc statu ad Christi recordationem : sed in statu gloriæ superfluæ sunt beatis, quibus Christus manifestatur præsens in se ipso.

æoc-patur ısio.

84. Tertia ratio (quæ potest esse confirmatio præcedentis discursus), sic se habet : Eucharistia in cælo existens ad nihil deservit, nullumque specialem effectum habet in beatis : ergo Eucharistia non est in cœlo. Consequentia videtur evidens : quoniam si Eucharistia ibi constituta ad nihil deservit, nullumque in beatis effectum causat ; plane introducitur absque ulla ratione vel necessitatis, vel congruentiæ, atque ideo absque ullo prorsus fundamento : quo nihil stultius dici valet. Antecedens autem probatur discurrendo per omnes fines, atque effectus, qui possent Eucharistiæ correspondere, aut imaginari. Ibi namque non desservit ad memoriam Christi : cum beati illum habeant in se præsentem utn. præced. discurrebamus. Præterea non comparatur ut pignus Alia ratio.

pignus gloriæ ad excitandum hujus spem, quippe beati gloriam actu possident, et ipsius spem deposuerunt. Insuper non prodest ad causandam gratiam per modum sacramenti : tum quia gratia non augetur in gloria, tum quia beati non manducant sacramentaliter Eucharistiam. Deinde neque deservit ad manducationem spiritualem : quippe Angeli, et homines beati manducant sacramentaliter Christum, non tamen sacramentum, ut vidimus num. 82. Denique non requiritur, ut per modum objecti cogniti beatos delectet generando in eisdem aliquod gaudium accidentale : quia ad hujusmodi effectum necessaria non est Eucharistia in cœlo : ubicumque enim sit, aut fuerit, potest affectiones similes, si semel cognoscitur, excitare. Unde beati eodem modo delectantur in Eucharistia apud nos existente, et similiter oblectantur in cognitione aliorum mysteriorum, utputa justificationis peccatorum, quamvis ista non existant in cœlo. Ad quid ergo deservit hæc sacramenti Eucharistiæ in cœlesti patria introductio ?

Responsio. Repondet Junior collocari in cœlo Eucharistiam, tum ut cognoscatur non utcumque sed intuitive a beatis, et sic generet in eis admirationem tanti mysterii et magnum erga Deum amorem ob eximium adeo beneficium. Tum etiam ut perennet per totam æternitatem in cœlo : quod non convenit Eucharistiæ apud nos existenti.

Evertitur. Sed hæc eadem, qua dicuntur, facilitate rejici possunt. Nam in primis ut beati cognoscant intuitive aliquod objectum non requiritur hujus existentia in cœlo ; sed sufficit ut beati intuitive cognoscant sacramentum Eucharistiæ in terra existens : ergo ut salvetur in beatis cognitio intuitiva hujus sacramenti, superfluum omnino est ipsum in beatitudine collocare. Et sic procedit propositum motivum quia objectum idem, et eodem modo cognitum, eodem modo delectat, eosdem effectus habet per modum objecti cogniti : sed Eucharistia sive sit in cœlo, sive sit in terra, est idem objectum, et eodem modo a beatis cognoscitur : ergo Eucharistia vel in cœlo, vel in terra existens eosdem habet effectus in beatis per modum objecti cogniti: ergo ab hac parte minime requiritur ipsius in cœlo præsentia. Præterea non ob aliam rationem Eucharistia constitui deberet in cœlis, nisi ut beati illam perfectius cognoscerent, magisque inde oblectarentur : sed ad id non requiritur ; ergo sine fundamento dicitur Eucharistiam in cœlo existere. Probatur minor : quia ubi objectum eadem claritate, et certitudine cognoscitur, ejus coexistentia physica nihil perfectionis addit in linea cognitionis : unde cognitio intuitiva, quæ non addit claritatem, aut certitudinem supra abstractivam, non est illa perfectior : sed beati eadem claritate et certitudine cognoscunt Eucharistiam, sive in cœlo existat, sive non : sicut etiam eadem claritate, et certitudine cognoscunt alia mysteria gratiæ, quamvis non existant in cœlo : ergo existentia Eucharistiæ in beatitudine nec requiritur, nec conducit, ut beati illam perfectius cognoscant. Et hinc exclusum manet secundum motivum a Juniore propositum : quia si semel Eucharistiæ in cœlo existentia non confert de facto, ut beati illam perfectius cognoscant ; vanum est illam in cœlo introducere vel in duratione præsenti, vel per totam æternitatem.

85. Confirmatur, et explicatur primo : quia in sacramento Eucharistiæ tria objecta possunt distingui, et cognosci, nempe Christus, et species, et modus unionis ad species. Et in beatis tres possunt cognitiones distingui ad rem præsentem conferentes, videlicet cognitio per scientiam beatam, cognitio per scientiam infusam, et cognitio per sensus, quæ inducat scientiam, aut experientiam naturalem. Conferendo itaque hæc omnia, facile reperiemus cognitionem, quam habent beati hujus mysterii, minime perfici, aut augeri ex ejus physica in cœlo coexistentia, vel præsentia. Nam beati per scientiam beatam clarissime cognoscunt in essentia divina tam Christum, quam species, et modum, ubicumque sint : coexistentia enim materialis objectorum nihil ad hanc scientiam confert. Similiter beati per scientiam infusam cognoscunt clarissime tria illa per proprias species, quin ad id opus habeant materiali objectorum præsentia. Denique beati cognoscunt per sensus non quidem Christum sub speciebus latentem, nec modum præsentiæ ad illas : id enim repugnat ; cum sensus non cognoscant objecta supernaturalia, et habentia esse ad modum indivisibilium, et spiritualium : præsentia autem, sive unio Christi ad species est supernaturalis, et Christus habet esse sub

Maio[r] respo[n]sioni eversi[o]

illis ad instar substantiæ indivisibilis, et spiritualis. Cognoscunt itaque sensus beatorum solas species Eucharistiæ. Sed eodem modo illas cognoscunt, ac si cognoscerent alias species, sive accidentia cujuslibet panis ; nec aliud experiuntur, juxta illud D. Thomæ opusc. 57 : « Ut sensus a deceptione « reddantur immunes, qui de accidentibus « judicant sibi notis. » Unde sensus beatorum in videndo, aut experiendo accidentia Eucharistiæ non plus cognoscunt, non magis delectantur, quam si viderent, aut experirentur panem non consecratum. Ergo ex præsentia physica Eucharistiæ in cœlo non sequitur ulla major perfectio in ulla cognitionum, quas beati hujus sacramenti habent. Ad quid ergo ibi introducitur, si nec causat per modum causæ physicæ, et sacramenti ; nec magis confert per modum objecti cogniti ?

Confirmatur secundo, et satis urgenter exemplo aliorum mysteriorum gratiæ, et operum divinorum : nam ut beati illa perfectissime cognoscant, et in eisdem summe delectentur, opus non est illa in cœlo physice constituere : alias oporteret introducere in patria conversiones peccatorum, renovationem per baptismum, miracula a sanctis patrata, atque similia ; quod est omnino falsum, et stultum : ergo pariter ut beati cognoscant perfectissime mysterium Eucharistiæ, et summe in eo delectentur, minime requiritur, quod Eucharistia in cœlo physice constituatur. Consequentia patet a paritate omnium mysteriorum ad unum mysterium. Quæ magis promoveri valet in hunc modum : nam ideo alia mysteria cœlo non invehuntur, quia beati independenter ab eorum physica coexistentia, habent circa ipsa eam cognitionem, et oblectationem, quæ illorum statum decent : sed eadem ratio militat in Eucharistia : ergo idem de illa, ac de aliis mysteriis quantum ad physicam in cœlo existentiam dicendum est.

86. Occurrit Junior dicens specialem de Eucharistia rationem haberi debere, ut exceptionem fundet in hac materia. Tum quia Eucharistia importat modum specialissimum unionis Christi ad species : quem cognoscentes beati maxime admirantur, et delectantur ; et nihil in aliis mysteriis occurrit, quod possit cum tali modo conferri. Tum qua licet alia mysteria ad Christum immediate non pertinentia a cœlo exulent ; nihilominus quæ ad ipsum spectant, in cœlo constituuntur, ut beatos singulariter objectent : hac enim ratione constituuntur in cœlo humanitas Christi, et Mater Christi. Cum igitur modus eucharisticus ad Christum singulariter pertineat, oportet ipsum in cœlo præ aliis mysteriis specialiter collocari.

Sed hæc omnia dicuntur voluntarie, et Præcluditur.
sine apparenti in Teologia motivo. Nam quod ad primum attinet, concedimus plane beatos maxime admirari, et oblectari in consideratione modi Eucharistiæ : sed ad hos effectus impertinens est, quod ille modus, et tota Eucharistia in cœlo physice existant. Sic enim admirantur, et delectantur in cognitione aliorum mysteriorum : quæ certum est non existere in cœlo. Et ratio generalis jam assignata fuit num. præced. in prima confirmatione, quod scilicet coexistentia physica objecti cogniti nihil confert ad majorem cognitionis perfectionem, ubi objectum perfectissime cognoscitur per scientiam tam beatam, quam infusam, ut in hoc mysterio sicut et in aliis respectu beatorum contingit. Et quod ad secundum spectat ; falsum omnino est omnia mysteria ad Christum immediate pertinentia in cœlo existere. Neque enim ibi sunt modus specialissimus, quo Christus fuit in utero Virginis ; nec modus, quo ab illo egressus fuit absque virginitatis læsione ; nec modus, quo in passione conjunxit gaudium beatificum cum extrema tristitia, et dolore ; nec modus passibilitatis, quem habuit in carne mortali, nec denique plura alia, quæ ad Christum pertinuerunt. Sicut igitur beati omnia hæc cognoscunt, et in eorum cognitione admirantur, delectantur, atque excitantur ad Dei amorem, et laudem, quin pro eis effectibus opus sit tales modos, vel accidentia in cœlo constituere : sic possunt se gerere erga modum, quem Christus habet in Eucharistia, licet talis modus in cœlo non sit. Quod vero humanitas Christi, et Mater Christi in cœlo existant, non provenit primario e radice, aut generali regula, quam Junior assignat ; sed ex eo, quod Christus, et Christi Mater debuerunt in anima, et corpore remunerari, ac beari : quod fieri non posset absque eorum in cælo præsentia. Ex consequenti autem communicant beatis gaudium accidentale, quo istorum oculi oblectantur in tam pulchris objectis. Accidentia

dentia autem Eucharistica nec requiruntur, ut Christus beatificetur in se; nec conferunt ad gaudium accidentale, quod beati ex eorum sensibili prospectu percipiant: quia sensibiliter non magis oblectant, quam visa accidentia panis communis; et beati vident pulchritudinem Christi in se ipsa. Plane si ex eo, quod aliqua ad Christum attinuerint, oportet illa in cœlo constituere; existent illic præsepium in quo jacuit infas, vestes, quas induit, omnia instrumenta passionis, et similia, quin et asina, in qua sedit.

Urgens confutatio. 87. Præcluditur autem magis hæc Junioris fuga ostendendo non levem ejus inconsequentiam: quoniam si ob motiva, quæ assignat, Eucharistia esset in cœlo; foret utique Eucharistia perfecta, sive mysterium completum tam speciebus panis, quam speciebus vini: consequens est falsum: ergo et antecedens. Sequela ostenditur: quia ad Christum non minus pertinet mysterium Eucharistiæ in speciebus vini, quam in speciebus panis: ergo nulla est ratio, quare ex vi pertinentiæ ad Christum Eucharistia sit in cœlo in speciebus panis, quam in speciebus vini: ergo si est in cœlo, existit utique in utrisque. Tum etiam quia vel Eucharistia non debet collocari in cœlo, vel debet collocari cum modo perfecto; sic enim decet statum beatitudinis, in quo omnia existentia complementum habent: sed certo constat, quod ad perfectum modum Eucharistiæ pertinent ambæ species panis, et vini: et ideo Christus Eucharistiam in illis instituit, quia sine eis non daretur perfecta refectio, et repræsentatio convivii: ergo si Eucharistia existeret in cœlo, esset utique tam in speciebus panis, quam in speciebus vini. Minor etiam constat primo ex confessione Adversarii, qui solam hostiam, sive species panis in cœlo introducit. Secundo quia non est assignabile, qua via species vini possint in cœlo existere: neque enim ibidem consecratæ sunt; nec reperitur tempus, aut occasio, in quibus eo ab aliqua persona delatæ fuerint: idque nemo dicet, nisi divinando, aut etiam errando. Et hic instauratur, et roboratur præmissus discursus: nam sicut beati admirantur, et oblectantur in cognitione mysterii Eucharistiæ perfectæ speciebus tam panis quam vini; quin inde sequatur desiderari ad prædictum effectum Eucharistiæ in cœlo existentiam cum utraque specie, ut Junior negare non valet: sic etiam admirari, et delectari valent in consideratione Eucharistiæ cum specie panis, quamvis hæc in cœlo non sit.

§ V.

Convelluntur motiva contraria.

88. Pro sententia nobis opposita, et a communi regula proposita num. 70 Eucharistiam excipiente, neminem referre possumus, nisi Juniorem sæpe relatum, ut satis constat ex dictis num. 74, et 81. Arguitur tamen pro illa, et primo ab auctoritate Patrum: nam eorum aliqui significant Eucharistiam esse duraturam in æternum. Sic enim Cosmas Hierosolymitanus *hymno* 6, *in Theogoniam*, illa vocat *immortalem mensam*. S. Odo in hymno de Eucharistia canit, *Hoc genus, hoc unum placet, hoc durabit in ævum*. Et communiter Patres docent Eucharistiam esse causam resurrectionis, et immortalitatis, juxta illud Joann. 6: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum:* ad quod necessarium apparet, quod ipsa Eucharistia æterna sit in duratione, atque permaneat in cœlo. Prim... argu... menti... Cosm... Hier... sol. S. O... Joan.

Respondetur Patres communiter negare propriis, et formalibus verbis Eucharistiæ in cœlo existentiam, ut ostendimus num. 79. Cosmas autem ille ideo eam vocavit mensam immortalem, quia continet Christum Regem sæculorum immortalem, et immortalitatis causam: et quia ipsa causat, vel auget gratiam sanctificatem, quæ durabit in æternum. Et S. Odo propterea dixit Eucharistiam duraturam in ævum, quia durabit usque ad finem mundi: quæ namque in longissimum durant tempus, dicuntur permanere in ævum, licet habitura sint finem, ut frequenter occurrit in scriptoribus tam sacris, quam prophanis, et observat D. Augustin. lib. 1 quæst. *super Genesim*, quæst. 31. Patres etiam merito dicunt Eucharistiam esse causam resurrectionis, et immortalitatis: tum quia continet Christum, qui hæc causat: tum quia efficit gratiam qua resurgemus ad æternam gloriam. Sed ut hæc verificentur, minime requiritur existentia Eucharistiæ in cœlo: quia certum est Eucharistiam hos effectus in cœlo non efficere, cum ibidem non suscipiatur. Cum autem hic in Ecclesia militante sumitur, prædictos effectus, quantum est de se, Respo... sio. D. A... gust...

gignit, ut recte declarat D. Thom. infra quæst. 79, art. 2.

89. Arguitur secundo : quia manna fuit symbolum Eucharistiæ, ut communiter docent Interpretes ; Sabbathum etiam Judæorum significavit æternam requiem Sanctorum in cœlo : at filii Israel comederunt mannam non solum in aliis sex diebus repræsentantibus statum vitæ præsentis, sed etiam in Sabbatho, ut constat ex Scriptura: ergo homines manducant aliquomodo Eucharistiam non solum in statu mortalitatis, sed etiam in statu beatitudinis : ad quod oportet, quod Eucharistia existat illis præsens in cœlo. Potestque hoc argumentum eodem exemplo magis promoveri : quoniam Israelitæ non solum in deserto habuerunt mannam, sed etiam post aditam promissionis terram, illud in speciali loco reservarunt . terra autem promissionis repræsentavit cœlestem patriam, terminum scilicet nostræ peregrinationis : ergo oportet, quod in cœlo servetur, et conservetur cœleste manna et panis Angelorum, nempe Eucharistia.

Respondetur argumentnm hoc excessive probare, et regerendum fore in opponentem sub eadem fere forma, suppositis analogiis inter mannam, et Eucharistiam, inter desertum, et statum viatorum, atque inter Sabbathum, et requiem patriæ cælestis. Nam filii Israel non solum comederunt mannam in sex diebus, et in Sabbatho, sed illud etiam comederunt eodem modo, sive genere comestionis : ergo homines tam in via, quam in patria comedunt Eucharistiam eodem modo : atque ideo in cælo existentes manducant sacramentaliter Eucharistam. Id vero est erroneum, aut plus aliquid : sumptio namque sacramentalis Eucharistiæ est propria viatorum, et plane habitura finem, ut aperte supponit Ecclesia tam Latina, cum in festo corporis Christi petit : *Fac nos quæsumus Domine, divinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis, et sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat :* quam Græca, dum in quodam tropario Paschali apud Lugum disp. 11, num. 26, orat : *Præsta nobis, ut expressius, et non per typos, tui participes efficiamur in die, quæ vespere caret, etc.* Et similiter augmentum, et promotio difficultatis retorquetur : quia manna reservatum in terra promissionis mansit in statu corruptibilitatis, et potuit materialiter ab Israelitis comedi ; ergo pariter Eucharistia in cælo reservata manet in corruptibilitatis statu, et potest a beatis sensibiliter manducari. Quod nec Junior ipse arguens concedit, nec aliquis nisi insanus admittit. Sicut igitur præmissa inter mannam, et Eucharistiam similitudo hæc non evincit ; sic etiam non probat Eucharistiæ in cælo manducationem, aut permanentiam : sed prædicta similitudo quantum ad alias analogias attenditur. Disparitas autem ad rem præsentem facile occurrit : nam Israelitæ per desertum peregrinantes manducabant mannam in Sabbato, quia in Sabbatho etiam cibo indigebant, et alium non habebant : sed beati in cælo non indigent cibo Eucharistiæ, cum spiritualiter manducent Christum in se præsentem. Rursus Israelitæ in terra promissionis existentes reservarunt partem mannæ ad memoriam tanti beneficii, ne ipsi, et eorum filii illius obliviscerentur : sed beati his memorialibus non indigent, qui Dei beneficia in eodem vident, et eorum oblivisci non valent. Et advertere debuit Junior argumenta ab his allegoriis desumpta parum habere efficaciæ, nisi aliis adminiculis innitantur, ut tradit D. Thom. 1 p. D.Thom.
quæst. 1, art. 10 ad 1, his verbis : « Nulla « confusio sequitur in sacra Scriptura, cum « omnes sensus fundentur super unum, « scilicet litteralem : ex quo solo potest « trahi argumentum, non autem ex his, « quæ per allegoriam dicuntur, ut dicit « Augustinus in epist. contra Vincentium « Donatistam. Non tamen ex hoc aliquid « deperit sacræ Scripturæ : quia nihil sub « spirituali sensu continetur fidei necessa- « rium, quod Scriptura per litteralem sen- « sum alicubi manifeste non tradat.» Unde oportebat, quod Junior aliquid hujus generis afferret. Quantum autem illi obsint testimonia Scripturæ in sensu litterali, et proprio, adjuncta etiam communi Patrum expositione, constat ex dictis num. 79.

90. Arguitur tertio : quia non implicat Eucharistiam in cælo existere : et alias ex hujus existentiæ assertione plura commoda consequuutur, nempe duratio tanti beneficii ; beatorum gaudium ex ejus præsentia, atque cognitione ; major etiam fidelium devotio, dum hæc ita accidere contemplantur : ergo asserendum est Eucharistiam in cælo existere : quippe credere oportet Deum id efficere, quod non repugnat, et magis decet. Tertium argumentum.

Respondetur

Dispellitur. Respondetur in his supernaturalibus, quæ ex sola, ac libera Dei voluntate dependent, invalidum esse hoc argumentationis genus : quia certum est Deum posse plura efficere, quæ si efficeret, congrua forent; et tamen illa non efficit. Potuit enim, ut alia exempla omittamus, eligere plures prædestinatos, quam elegit : quos si eligeret, talis electio congruentissima foret ipsius bonitati, et majori hominum commodo : et tamen eos non elegit. Regula itaque in his asserendis attendi non debet penes non repugnantiam, aut rerum convenientiam: sed penes solam Dei voluntatem, quæ nobis revelatur vel in Scriptura, vel in Conciliis, vel in Patribus, vel in communi Theologorum sensu, vel denique in aliqua necessaria, aut probabili connexione cum principiis revelatis. In nullo autem horum occurrit fundamentum ad asserendum existentiam Eucharistiæ in beatitudine; sed magis occurrit oppositum, ut ostendimus § 3. Quare ad argumentum concedendo majorem, et omittendo minorem, neganda est consequentia, utpote quæ nullius roboris est in hac materia, et similibus. Et diximus non concedendam, sed omittendam esse minorem : quia pensatis, et libratis omnibus, quæ in statu beatitudinis contingunt, non commoda, sed plura absurda, atque inconvenientia consequuntur ad assertionem Eucharistiæ in patria : est namque ibidem superflua ob præsentiam Christi in propria specie, et nullum peculiarem habet effectum, qui prosit ad majus in beatis, vel sanctitatis, vel oblectationis augmentum, ut constat ex late dictis toto § præced. quin opus sit alia nunc addere.

Quartum argumentum. 91. Arguitur quarto : nam Christus Dominus post suam resurrectionem, et jam gloriosus suscepit Eucharistiam : ergo illam conservat in cælo. Consequentia videtur manifesta : quia corpus gloriosum non facit coctionem, nec digerit cibum : atque ideo ex suppositione, quod corpus gloriosum Christi Eucharistiam sumpserit; non potuit in eo cessare per viam coctionis, aut digestionis, ut in nobis de facto contingit. Aliunde vero Christus species sacramentales a se non expulit : id enim incredibile apparet, et sacramenti dignitatem non decens. Si igitur Christus gloriosus Eucharistiam suscepit ; sequitur, quod nunc, atque in æternum illam in se conservet. Antecedens autem probatur ex historia apud Lucam 24, nam cum Christus gloriosus in specie peregrini recumberet ad cœnam cum duobus discipulis in castello Emmaus, *accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.* Quibus verbis significari Eucharistiæ consecrationem est valde probabile, et commune apud Doctores, colligiturque ex verbis Lucæ immediate sequentibus : *Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum :* atque inferius : *Et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Nam effectus adeo mirabilis referri debet in mirabile aliquod motivum, nempe ad sacramenti consecrationem. Luc. 24

Confirmatio. Confirmatur, et ut apparet, urgenter : nam Christus Dominus, ut scribit Matthæus 29, *Accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ubi sermonem esse de vino, aut sacramento Eucharistiæ manifestum est ex prioribus verbis. Sequentia autem aperte significant Christum, et beatos hoc vinum bibere in regno Patris, seu cælesti beatitudine. Est itaque hoc vinum Eucharisticum in cælo, ubi Christus, et beati illud spiritualiter bibent.

Occurritur argumento. Respondetur argumentum nihil concludere, et multipliciter dilui; atque in primis negando antecedens. Ad cujus probationem posset responderi cum Jansenio, Caietano, Didaco Stella, et aliis Christum in ea cæna cum duobus discipulis Eucharistiam non consecrasse. Nec oppositum colligitur efficaciter ex verbis Evangelistæ: *Aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum in fractione panis:* quoniam ad hunc effectum necessaria non fuit Eucharistiæ consecratio : sed satis fuit Christum adhibuisse illum modum benedicendi, frangendi, et porrigendi panem, quo inter discipulos utebatur, et qui duobus illis satis notus erat; cum tamen prius se dissimularet. Viso namque peculiari illo signo, atque ejusdem proprio, facile potuerunt ipsum agnoscere, et de facto statim eum cognoverunt. Sed quia D. Augustinus, et interpretes frequentius censent Christum tunc Eucharistiam consecrasse, istoque exemplo utuntur contra hæreticos, ut probent licitum esse usum unius tantum speciei; siquidem tunc Chris- Loci allegati explicatio.

tus nec consecravit, nec dedit calicem : propterea respondemus secundo, et melius concedendo quod Christus tunc panem consecraverit, et quod discipuli manducaverint Eucharistiam. Negamus tamen, quod illam manducaverit Christus. Quamvis enim sumpserit communem cænam, non tamen Eucharistiam : quia hujus consecrationem servavit ad cænæ extremum, ut recte observavit Maldonatus ad eum locum, et valde perspicue colligitur exEvangelio. Ubi enim dixit, *Accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis :* statim immediate subjunxit : *Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum, et ipse evanuit ab oculis eorum.* In ipsa itaque fractione illum cognoverunt; et ubi cognitus est, repente evanuit. Nec Christus opus habuit manducatione Eucharistiæ a se consecratæ ad confirmandum fidem suæ resurrectionis in discipulis : quia satis testatam, confirmatamque apud illos relinquebat ex sumptione cum eisdem cænæ communis. Adjecit tamen in cænæ fine consecrationem : tum ut ab illis eo signo agnosceretur : tum ut ipsos tanto beneficio ad sui amorem excitaret, atque inflammaret, ut contigit. Et huic responsioni simpliciter standum est.

ior u- iti io. 92. Addimus tamen prædictum argumentum posse etiam facile dilui omittendo antecedens, et negando consequentiam : nam licet Christus gloriosus susceperit in ea cœna Eucharistiam, non inde sequitur, quod illam semper, aut in cælo conservet ; ut enim colligitur ex Joan. 21, et aperte docent D. Gregorius, Theophylactus, Leontius, Maldonatus, et alii ad prædictum locum, Christus etiam gloriosus comedit cum aliquibus Apostolis, et discipulis de pane, et pisce juxta mare Tiberiadis. Nec inde sequitur, quod substantiam panis, et piscis in cælo, aut semper retineat. Idem itaque de pane Eucharistiæ, si illum sumpsit dicendum est. Nam species Eucharistiæ eodem modo habent esse, aut desinere tam in Christo, quam in nobis, quo permaneret aut desineret esse panis vulgaris, quibus alias correspondent, ut communiter docent Theologi. Et si inquiratur, quo genere desitionis perierint species illæ, an anhilatione, an digestione, an exclusione ? Respondemus hanc interrogationem nihil jam continere, quod præsentem materiam specialiter attingat, vel argumentanti faveat. Quippe eodem modo inquiri valet, qualiter desierint partes piscis, et panis, quas Christus gloriosus edidit. Unde oportet communem responsionem ab omnibus assignari. Verosimilius est prædicta omnia desivisse per resolutionem in elementa, sive præjacentem materiam, et quidem in ea duratione, in qua resolverentur a corpore non glorioso. Et sic colligitur ex D. Thom. 1 p. quæst. 51, art. 3, ubi cum sibi opposuisset : D.Thom.

« Comedere est proprium opus animalis. « Unde Dominus post resurrectionem in « argumentum reassumptæ vitæ cum disci- « pulis manducavit, ut habetur Lucæ « ultimo : sed Angeli in assumptis corpo- « ribus apparentes comederunt : ergo An- « geli in assumptis corporibus exercent « opera vitæ » : respondit in hunc modum : « Ad quintum dicendum, quod nec etiam « comedere proprie loquendo Angelis con- « venit : quia comestio importat sumptio- « nem cibi convertibilis in substantiam « comedentis. Et quamvis in corpus Christi « post resurrectionem cibus non converte- « retur, sed resolveretur in præjacentem « materiam : tamen Christus habebat cor- « pus talis naturæ, in quod posset cibus « converti. Unde fuit vera comestio. Sed « corpus ab Angelo assumptum non est talis « naturæ, ut in illud possit cibus converti.» In quibus verbis, licet incidenter, perspicue tamen significavit S. Doctor modum, quo illa, quæ Christus post resurrectionem comedit, desierint esse. Addunt D. Gregorius Nazianzenus, et D. Basilius apud Henricum Canisium tom. 5 *lectionis antiquæ* parte 1 : D. Nazianzen. D. Basilius.

« Cibus vero, quem sumpsit coram disci- « pulis, si quis quærat, quo abierit ? Res- « pondemus, sicut cera appropinquans igni « liquefit, sic cibus ille adhibitus carni « incorruptibili.»

Diluitur confirmatio.

93. Ad confirmationem rsspondemus cum D. Hieronymo, Beda, Theophylacto, Francisco Luco, Maldonato, Cornelio, et aliis, verba illa : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc.* minime referri ad calicem, aut vinum Eucharistiæ, sed ad calicem vini vulgaris, qui in cæna Agni Paschalis circunferebatur : qua finita, successit cæna mystica, et Eucharistiæ institutio. Liquet hoc ex Evangelio Lucæ, qui distincte, et suo ordine retulit hæc ipsa, quæ Matthæus ob brevitatem quasi convolvit, atque redegit in unum. Ait Lucas cap. 22, vers. 14 : *Et cum facta esset hora discubuit et duodecim Apostoli eum eo. Et ait illis : desiderio*

Explicatur locus Matthæi. Luc. 22.

desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, et dixit accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Hæc omnia D. Lucas referens, quæ contigerunt in cœna legali. Statim vero, et servato rerum ordine introducit cœnam mysticam, sive Eucharistiæ institutionem, prosequendo his verbis : *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter, et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ex quibus palam liquet priora illa non referri ad calicem Eucharistiæ, quam nondum Christus instituerat : sed ad calicem vini vulgaris, pertinentis ad cœnam Agni. Quare sicut ex illis verbis : *Dico vobis, quia ex hoc non manducabo illud* (nempe Agnum, panem, et pertinentia ad cœnam legalem), *donec impleatur in regno Dei ;* nec minima apparentia colligi valet futuram esse in cœlo Eucharistiam ; sic etiam inferri non potest ex illis eidem sententiæ connexis : *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat :* quia eundem sensum continent, nempe Christum non cœnaturum amplius, nec communem cœnam sumpturum cum discipulis in hac vita. Significavit enim hac phrasi mortem instare, et ultimum vale dedit amicis : sicut si quis mortem subiturus dicat, vale o amice, amplius tecum non comedam, nec bibam. Quod vero apud Matthæum dixerit : *Novum in regno Patris* pro tanto fuit, ac *Novi, et alterius generis,* ut significaret beatitudinem : nam beati in cœlo non bibunt vinum terrestre, sed cœleste, nectar scilicet æternæ felicitatis,
Ps. 35. juxta illud Ps. 35 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis potabis eos.* Frequenter enim æterna gloria solet in Scriptura significari per escam,
Origenes potum, et convivia, ut observat Origenes ad locum Matthæi, et constat Lucæ 14, et Apocalyp. 19. Hic est planus, ac sincerus sensus prædictorum verborum, ex quo nihil potest contra communem assertionem opponi.

Alia interpretatio. Sed prætermittendam non duximus aliam expositionem satis perspicuam D. Chrysostomi in catena D. Thomæ. *Regnum autem,* inquit, *resurrectionem suam nominat. Ideo autem hoc de resurrectione dixit, quod scilicet cum Apostolis esset bibiturus ; ne aliqui existimarent phantasiam esse resurrectionem. Et ideo Apostoli persuadentes hominibus de Christi resurrectione dixerunt : Simul comedimus, et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis. Per hoc ergo ostendit, quod videbunt eum clare suscitatum, et quod cum ipsis rursus erit. Quod autem dicit, Novum, intelligendum est, Novo, id est, novo modo, non quasi corpus passibile habens, et indigens cibo. Non enim post resurrectionem comedit, et bibit, quasi cibo indigeret, sed propter resurrectionis certitudinem.* Juxta etiam interpretationem, quæ clarissima etiam est, illa verba Christi, *Non bibam,* etc. non aliud continent, quam futurum signum, quo confirmaturus erat suam resurrectionem, comedendo, et bibendo cum Apostolis in hoc mundo. Ad quod impertinenter prorsus se habet vel præsentia, vel manducatio Eucharistiæ in Cœlo, ut ex se liquet.

94. Arguitur quinto ; quoniam crux Christi erit in cœlo : ergo et Eucharistia. Consequentia patet a paritate. Et antecedens docent aliqui Auctores, quos refert, et sequitur Henao lib. 7 *Empyreologiæ,* exercit. 25, sect. 2. Et insuper probari potest ex eo, quod crux Domini aderit in extremo judicio, ut constat ex verbis Christi Domini Matth. 24 : *Tunc parebit signum filii hominis in cœlo :* quod signum non esse aliud, quam crucem docent communi consensu Patres apud Suarez tom. 2, in 3 p. disp. 57, sect. 2. Unde Ecclesia canit : *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Pro hujusmodi autem crucis Dominicæ apparitione, et adventu necessarium est illam reintegrari, atque resurgere ex minutissimis particulis, quæ per universum dispersæ sunt. Et facta hac resurrectione congruit, quod iterum non destruatur, sed conservetur in cœlo.

Quintum argumentum. Henao. Matth. 24.

Confirmatur : quia Christus in cœlo existens, conservat, et perpetuo retinebit vulnera lateris, manuum et pedum : ergo pariter conservat, et conservabit Eucharistiam. Anteced. colligitur efficaciter ex cap. 20 Joann. et non potest absque errore negari. Unde D. Thom. infra quæst. 54, art. 4 ad 3, inquit : « Semper in ejus corpore « cicatrices illæ remanebunt : quia ut Aug.

Confirmatio. Joan. 20. D.Thom.

« dicit ad Cosentium de resurrectione car- « nis, Domini corpus in cœlo esse credo, ut « erat, quando ascendit in cœlum. » Idque amplius confirmat auctoritate D. Gregorii concludens : « Patet, quod cicatrices, quas « Christus post resurrectionem in suo cor- « pore ostendit, nunquam postmodum ab « illo corpore sunt removendæ. » Consequentia vero probatur : quia D. Thom. probat perpetuam in Christo illorum stigmatum permanentiam tum ut Christus circumferat suæ victoriæ triumphum : tum ut beatis ostendat, quam misericorditer sint redempti : tum ut in judicio finali manifestet reprobis, quam juste ob spreta tanta beneficia damnentur. Istæ autem et similes rationes etiam militant in Eucharistia, quod est summum donum Dei, atque instrumentum salutis. Ergo sicut cicatrices in Christo permanent ; sic oportet, quod Eucharistia in eodem Christo sicut in sacrario per totam æternitatem servetur.

Ad argumentum negatur antecedens. Ad cujus probationem dicendum est cum D. Anselmo *in Elucid.* D. Antonino 4 p. p tit. 24, cap. 11, § 5, Abulensi, et Jansenio cap. 24, Matth. Suarez loco citato et aliis crucem apparituram in extremo judicio non esse lignum illud materiale, in quo Christus pependit ; sed signum crucis ex luce in aere formatum. Tum quia oppositus dicendi modus non habet grave aliquod fundamentum in Scriptura, aut Ecclesiæ traditione : nam solum docent signum crucis fore in cœlo : quod satis verificatur de qualibet cruce ex aere lucido, vel igne formata. Tum etiam quia D. Hyppolyt. in orat. *de consummat. mundi* inquit : « Orie- « tur ab Oriente ad occidentem usque « signum crucis superantis splendorem « solis, denuntians adventum judicis. » Et alii Patres significant illud signum fore universo orbi conspicuum. Quæ nequeunt congrue adaptari exiguo ligno illi, in quo Christus passus fuit. Tum denique, quia ut recte vidit Suarez, hic dicendi modus videtur antiquis Patribus conformior, et facilior, ne sine urgenti motivo miracula multiplicentur. Sed addendum est primo, quod licet crux materialisChristi reintegraretur in judicio, consequens non erat illam conservandam in cœlo : poterat enim in præjacentem materiam resolvi, sicut alia mixta : plurima namque in extremo judicio concurrent, quæ postea in consummatione mundi peribunt. Addimus secundo sententiam asserentem, quod crux materialis erit in judicio, et conservabitur in cœlo, esse positive probabilem ; secus vero, quæ adstruit in cœlo existentiam Eucharistiæ.Et disparitas est, quod aliqui Patres, et plures Expositores primum illud asserunt, cui proinde conciliant probabilem auctoritatem : sed existentiam Eucharistiæ in cœlo nemo Sanctorum, aut Theologorum asseruit. Et in his, quæ dependent ex sola Dei voluntate argumentum a paritate procedens minime concludit, nec aliquid valet : quia Deus potuit velle unum, et nolle aliud, et similiter Dei voluntas potest nobis certo, aut probabiliter innotescere circa unum, et latere circa alterum.

Diruitur confirmatio.

Ad confirmationem, concesso antecedenti, negamus consequentiam. Cujus probatio diluitur juxta doctrinam proxime traditam : quoniam Christum retinere cicatrices lateris, manuum, et pedum probavit D. Thomas non quidem principaliter ab illis congruentiis, ut falso in confirmatione supponitur : sed ex eo, quod Christus post resurrectionem illa vulnera retinuit, ut evidenter constat ex apparitione ad Thomam Apostolum, adjuncto etiam communi Ecclesiæ Catholicæ sensu. Non itaque hanc veritatem ab illis congruentiis probavit : sed suppositam veritatem eisdem adornavit, et exposuit, sicut circa articulos fidei præstare solemus. Cum igitur circa existentiam Eucharistiæ in cœlo nihil simile ab auctoritate occurrat, sed magis oppositum, ut constat ex supra dictis ; minime potest a paritate vulnerum Christi inferri ; quidquid fuerit de rationibus similitudinis, aut congruentiæ, quæ, si daretur, occurrerent et facile possent excogitari. Et ratio hujus responsionis constat ex dictis in extrema parte responsionis ad argumentum. Quæ facile confirmari valet exemplis persistendo in eadem materia : nam ex eo, quod Christus in cœlo retineat quinque illa vulnera, non licet colligere retinere etiam foramina spinarum in capite, et verberum plagas in corpore. Et similiter ex eo, quod probabiliter asseratur crucem materialem Christi futuram esse in cœlo ; non potest inferri fore in cœlo columnam, funes, clavos, et alia instrumenta passionis. Quia licet videatur occurrere eadem congruentiæ ratio, hæc tamen in similibus parum, aut nihil probat : Deus enim potuit velle

velle unum, et non velle alterum ; et nos habemus fundamentum ab auctoritate pro uno, sed non pro cæteris.

Sextum argumentum. S. Mectil. S. Getrud. B. Alanus. Cæsarius.

95. Arguitur sexto : quia personæ insignis sanctitatis, et probatissimi spiritus viderunt Eucharistiam in cœlo, ut constat de S. Mectilde in primo lib. *suarum visionum*, cap. 60, de S. Getrude Mansfeldensi lib. 4, *insinuationum divinæ pietatis*, cap. 62, de B. Alano de Rupe, ut ipse refert 4 part. serm. 3. Et alias similes revelationes, sive apparitiones referunt Cæsarius lib. 7, cap. 20, part. 5. Nauclerus volum. 2, generat. 34, et alii. Fateri itaque oportet vel personas adeo insignes deceptas fuisse, quod minime dici debet ; vel Eucharistiam existere realiter in cœlo, quod intenditur.

Retorquetur, et solvitur.

Respondemus argumentum istud nihil convincere, sed regerendum fore in opponentem : quia personæ illæ, quas recenset, viderunt non solum in cœlo Eucharistiam, sed Missam, et communionem. Unde S. Mectildis refert a se visos cœlicolas sumentes Eucharistiam. S. Geltrudis testatur se aliquando audivisse Missam in cœlo, et quod illam *Christus ineffabili sui sanctissimi corporis, et sanguinis perceptione univerit*. B. Alanus vidit Christum Pontificalibus amictum procedere cum Ministris, Sacrificium celebrare, et *sibi ter porrigere sacram Synaxim*. Certissime autem constat veram Missam non celebrari in cœlo, et beatos, et multo minus viatores suscipere in cœlo vere, et realiter, sive sacramentaliter Eucharistiam. Ergo sicut præmissæ revelationes oppositum non probant ; sic non evincunt realem Eucharistiæ existentiam in cœlo. Unde potius arguitur : Missæ, et communiones ab illis visæ non contingebant realiter, sed solum per visionem imaginariam : ergo idem de Eucharistia ab eisdem in cœlo visa dicendum est : nam personæ illæ eodem modo atque tenore verborum prædicta referunt. Oportet itaque, et earum sanctitatem decet, quod illarum verba pie exponamus in sensu mystico, quatenus per prædictas imagines repræsentabantur ipsis summa cœlicolarum reverentia, et affectio ad venerabile sacramentum : quia « plurimum gaudent, « (inquit D. Thomas opusc. 58, cap. 25,) et « congratulantur in hoc sacrificio de memo- « ria redemptionis, de aspectu nostræ salu- « tis, et de admiratione divinæ bonitatis. » Et generale apud Mysticos, et Expositores est hæc corporalia aut materialia, quæ describuntur in cœlo, interpretari non in sensu proprio, sed figurativo, aptoque ad aliud denotandum. Sic enim Apocalyp. 5, describitur Agnus in cælo *tanquam occisus*, ubi Lyra : *Dicitur Jesus Agnus tanquam occisus, quia quotidie, ac jugiter pro nobis in Ecclesia immolatur*. Et in eodem lib. cap. 8, introducitur *Aquila loquens*, ubi D. Thomas : « Hæc sunt, inquit, secundum sen- « sum mysticum accipienda, quia Aquila « materialis loqui non potest. » Et idem de omnibus revelationibus, quæ significant Eucharistiam in cœlo, dicendum est.

D. Thom. Apocal. Lyra. D. Thom.

QUÆSTIO LXII

De principali effectu sacramentorum, qui est gratia in sex art. divisa.

Deinde considerandum est de effectu sacramentorum. Et primo de effectu eorum principali, qui est gratia. Secundo de effectu secundario, qui est character. Circa primum quæruntur sex. Primum, etc.

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta sint causa gratiæ ?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacramenta non sint causa gratiæ. Non enim idem videtur esse signum, et causa, eo quod ratio signi videtur magis effectui competere. Sed sacramentum est signum gratiæ; non igitur est causa ejus.

Præterea : Nullum corporale agere potest in rem spiritualem, eo quod agens honorabilius est patiente : ut Augustin. *dicit* 12 *super Genes. ad litteram*. Sed subjectum gratiæ est mens hominis, quæ est res spiritualis. Non ergo sacramenta possunt gratiam causare.

Præterea : Illud quod est proprium Dei, non debet alicui creaturæ attribui : sed causare gratiam est proprium Dei, secundum illud Psalm. 83 : Gratiam et gloriam dabit Dominus. Cum ergo sacramenta consistant in quibusdam verbis et rebus creatis, non videtur quod possint gratiam causare.

Sed contra est, quod Augustin. dicit super Joann. quod aqua baptismalis corpus tangit, et cor abluit. Sed cor non abluitur nisi per gratiam, et pari ratione alia Ecclesiæ sacramenta.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere sacramenta novæ legis, per aliquem modum gratiam causare. Manifestum est enim, quod per sacramenta novæ legis, homo Christo incorporatur, sicut de baptismo dicit Apost. ad Galat. 3 : Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non autem efficitur homo membrum Christi, nisi per gratiam. Quidam tamen dicunt, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando. sed quia Deus sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex regis ordinatione : non quod denarius ille aliquid operetur ad habendum prædictæ pecuniæ quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas regis. Unde, et Bernardus dicit in quodam sermone de Cœna Domini. Sicut investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per annulum : sic divisiones gratiarum diversæ sunt traditæ sacramentis.

Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto. Similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur sacramenta novæ legis nihil plus essent, quam signa gratiæ : cum tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novæ legis non solum significant, sed causant gratiam.

Et ideo aliter dicendum, quod duplex est causa agens, principalis. et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus : sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo nihil potest causare gratiam nisi Deus : quia gratia nihil est aliud, quam quædam participata similitudo divinæ naturæ, secundum illud 2 Petr. 1 : Magna nobis, et pretiosa promissa donavit, ut divinæ simus consortes naturæ. Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti ; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta novæ legis gratiam causant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis causandam. Unde August. dicit 19 contra Faustum: Hæc omnia, scilicet sacramentalia, fiunt et transeunt : virtus tamen, scilicet Dei, quæ per ista operatur, jugiter manet. Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde, et Tit. 3 dicitur : Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.

Ad primum ergo dicendum, quod causa principalis non proprie potest dici signum effectus, licet occulti, etiam si ipsa sit sensibilis et manifesta. Sed causa instrumentalis si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti : eo quod non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus, in quantum movetur a principali agente. Et secundum hoc sacramenta novæ legis, simul sunt causæ, et signa : et inde est quod sicut communiter dicitur, efficiunt quod figurant. Ex quo etiam patet quod habent perfecte rationem sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ.

Ad secundum dicendum, quod instrumentum habet duas actiones. Unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis : facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam : scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia, per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam : sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propriam virtutem ; abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinæ : nam ex anima, et corpore unum fit. Et hoc est, quod August. dicit, quod corpus tangit, et cor abluit.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de eo, quod est causa gratiæ per modum principalis agentis. Hoc enim est proprium Dei, ut dictum est.

Prima conclusio : *Necesse est dicere sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam causare.*

Secunda conclusio : *Ut sacramenta dicantur causare gratiam, non sufficit, quod Deus illis adhibitis gratiam operetur.*

Tertia conclusio : *Sacramenta novæ legis sunt causæ gratiæ, non principalis, sed instrumentalis.*

Absoluta consideratione eorum, quæ pertinent ad essentiam, et existentiam sacramentorum, quibus D. Thomas incubuerat in duabus quæstionibus præcedentibus ; incipit nunc agere de quibusdam eorum affectionibus, seu proprietatibus. Et primo investigat, an sint causæ, quibus correspondeant tum gratia sanctificans per modum effectus principalis, tum character per modum effectus secundarii. Et quamvis hæc consideratio videatur aliena a natura sacramentorum, quæ constituuntur non in genere causæ, sed in genere signi, et per differentias proprias intra idem genus, ut late ostendimus disp. 1, dub. 1 et 2, nihilominus extranea non est: quia ut eisdem locis exposuimus, et magis declaravimus in eadem disp. dub. 4, dantur aliqua sacramenta, nempe novæ legis, quæ constituuntur per habitudinem signi ad gratiam ut ab eisdem productam. Idque exposcebat specialem discussionem, quam D. Thomas in præsenti quæst. adhibet. Inquirit itaque in primo artic. *Utrum sacramenta sint causa gratiæ ?* Et quamvis titulus videatur generalis, possetque ad omnia sacramenta extendi : resolutio tamen trahitur ad sola novæ legis sacramenta, ut evidenter constat tam ex primis, atque immediatis corporis verbis, quam ex artic. 6 sequenti ubi inquirit D. Thom. *Utrum sacramenta veteris legis gratiam causarunt ?* Agit itaque in præsenti de solis novæ legis sacramentis, quæ merito potuit in titulo sacramenta antonomastice vocare ob eorum excellentiam. Quæ autem sit ejus resolutio, et quam vera, disp. sequenti ostendendum est. Ordo doctrinæ.

ARTICULUS

ARTICULUS II.

Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam Virtutum, et donorum?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod gratia sacramentalis non addat aliquid super gratiam virtutum, et donorum. Per gratiam enim virtutum, et donorum perficitur anima sufficienter, et quantum ad essentiam animæ, et quantum ad potentias ejus, ut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animæ perfectionem. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum, et donorum.

Præterea : Defectus animæ ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum, et donorum : quia nullum est peccatum, quod non contrarietur alicui virtuti : gratia ergo sacramentalis, cum ordinetur ad defectus animæ tollendos, non potest aliquid addere super gratiam virtutum, et donorum.

Præterea : Omnis additio, vel subtractio in formis, variat speciem : ut dicitur 8 Metaph. Si ergo gratia sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum, et donorum, sequitur quod æquivoce dicatur gratia. Et sic nihil certum nobis ostenditur ex hoc, quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

Sed contra est, quod si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum, et virtutum, frustra sacramenta, habentibus et dona, et virtutes conferrentur. In operibus autem Dei, nihil est frustra. Ergo videtur, quod gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum, et donorum.

Respondeo dicendum, quod (sicut in secunda parte dictum est) gratia secundum se considerata, perficit essentiam animæ, in quantum participat quamdam similitudinem divini esse Et sicut ab essentia animæ fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, et dona : quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana, sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, et fit membrum Christi ; qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes, et dona addunt super gratiam communiter dictam quamdam perfectionem, determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum ; ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam. et super virtutes, et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum, et donorum.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia virtutum, et donorum sufficienter perficit essentiam, et potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ. Sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita christiana. requiritur sacramentalis gratia.

Ad secundum dicendum, quod per virtutes, et dona excluduntur sufficienter vitia, et peccata, quantum ad præsens, et futurum, in quantum scilicet impeditur homo per virtutes, et dona a peccando. Sed quantum ad præterita peccata, quæ transeunt actu. et permanent reatu, adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Unde sicut non æquivoce dicitur animal communiter dictum, et pro homine sumptum ; ita non æquivoce dicitur gratia communiter sumpta, et gratia sacramentalis.

Conclusio *est affirmativa.*

Nomine gratiæ virtutum, et donorum intelligit D. Thomas gratiam habitualem, sive sanctificantem, et se habentem in ordine supernaturali per modum naturæ, et radicis, cui correspondent virtutes proxime operativæ. De qua gratia late egimus tract. 14, disp. 4. Nomine autem gratiæ sacramentalis intelligit gratuita Dei beneficia quæ in sacramentis specialiter conferuntur juxta propriam uniuscujusque institutionem, et in ordine ad peculiares illorum effectus : sicut in baptismo confertur gratia regenerativa, in confirmatione gratia roborans, in eucharistia gratia cibans, et sic de aliis. Resolvit autem, quod sicut virtutes, et dona addunt aliquid ad gratiam habitualem ; sic etiam gratia sacramentalis, sive quæ est peculiaris sacramentorum effectus, addit aliquid super eamdem gratiam habitualem. De quo dicemus dub. 9 sequentis disp. Hic autem servare oportet aliquos auctores occasione doctrinæ D. Thom. plura hoc loco tradere, quæ ad alium pertinent, dum discutiunt, an et quo sensu gratia sanctificans sit participatio divinæ naturæ in esse talis? Utrum producatur per creationem? et an agens creatum queat illam per modum causæ principalis efficere? aliaque ejusdem generis. Sed hæc omnia pertinent ad specialem tractatum de gratia, in eoque a nobis discussa fuerunt. Quare ubi opus sit aliquid ejusmodi attingere, longas istas, et modo non necessarias controversias minime protendemus, sed lectorem remittemus ad proprias prædicti tractatus sedes.

ARTICULUS III.

Utrum sacramenta novæ legis contineant gratiam?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod sacramenta novæ legis non contineant gratiam. Contentum enim videtur esse in continente. Sed gratia non est in sacramento, neque sicut in subjecto (quia subjectum gratiæ non est corpus, sed spiritus) neque sicut in vase, quia vas est locus mobilis, ut dicitur in 4 Physic. Esse autem in loco, non convenit accidenti. Ergo videtur, quod sacramenta novæ legis non contineant gratiam.

Præterea : sacramenta ordinantur ad hoc, quod homines per ea gratiam consequantur. Sed gratia cum sit accidens, non potest transire de subjecto in subjectum. Ergo pro nihilo esset gratia in sacramentis.

Præterea : spirituale non continetur a corporali, etiam si in eo sit : non enim anima continetur a corpore, sed potius continet corpus. Ergo videtur, quod gratia, cum sit quiddam spirituale, non contineatur in sacramento corporali.

Sed contra est, quod Hugo de Sancto Victore dicit, quod sacramentum ex sanctificatione invisibilem continet gratiam.

Respondeo dicendum, quod multipliciter aliquid dicitur esse in alio, inter quos duplici modo gratia est in sacramentis. Uno modo sicut in signo : nam sacramentum est signum gratiæ. Alio modo sicut in causa : nam sicut dictum est, sacramentum novæ legis est instrumentalis gratiæ causa. Unde gratia est in sacramento novæ legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus in causa univoca : neque etiam secundum aliquam formam propriam, et permanentem proportionatam ad talem effectum,

sicut effectus in causis non univocis, puta, res generatæ in sole : sed secundum quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluens et incompleta in esse naturæ, ut infra dicetur.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia non dicitur esse in sacramento, sicut in subjecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam ; sed prout vas dicitur instrumentum alicujus operis faciendi : secundum quod dicitur Ezech. 9 : Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

Ad secundum dicendum, quod quamvis accidens, non transeat a subjecto in subjectum, transit tamen a causa per instrumentum aliqualiter in subjectum : non ut eodem modo sit in eis, sed in unoquoque secundum propriam rationem.

Ad tertium dicendum, quod spirituale existens perfecte in aliquo, continet ipsum, et non continetur ab eo. Sed gratia est in sacramento secundum esse fluens, et incompletum. Et ideo non inconvenienter sacramentum dicitur continere gratiam.

Conclusio : *Sacramenta novæ legis continent gratiam secundum quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluens, et incompleta in esse naturæ.*

ti- con- ndi us. Quia Div. Thomas in art. 1, statuerat sacramenta novæ legis esse causas effectivas gratiæ, et de ratione causæ efficientis est continere effectum ; propterea ut modum prædictæ continentiæ declararet, distinctum hunc articulum proposuit. Et tam in corp. quam in respons. ad 1, distinguit modos, quo unum dicitur in alio contineri, nempe vel tanquam in subjecto, vel tanquam in vase, vel tanquam in signo, vel denique tanquam in causa. Et rursus hæc ultima continentia multipliciter potest contingere ; continetur enim unum in alio sicut in causa, aliquando secundum similitudinem speciei, ut leo continetur in leone generante : aliquando secundum virtutem propriam, et perfectam, licet cum dissimilitudine in specie, ut leo continetur in sole ; ut uterque continentiæ modus est proprius causæ efficientis principalis : aliquando autem solum continetur secundum virtutem fluentem, et incompletam in esse naturæ, sicut leo continetur in semine ; et hinc continendi modus pertinet ad causas efficientes instrumentales. Quibus adhibitis distinctionibus, præmittit Div. Thomas tanquam indubitatum, quod sacramenta novæ legis continent gratiam, sicut signum dicitur continere signatum : quoniam sunt signa illius, ut supponit ex dictis quæst. 60, atque ideo habent illam continentiam, quæ est propria signi. Deinde resolvit prædicta sa- (olu- . iom.) cramenta continere gratiam per modum causæ efficientis, non quidem principalis univocæ, vel æquivocæ, sed solum instrumentalis ; qnoniam sacramenta eo modo in ratione causæ continent gratiam, quo illam efficiunt : at non efficiunt eam per modum causæ principalis : siquidem nec habent similitudinem specificam cum illa, nec influunt per virtutem propriam, et perfectam : sed præcise concurrunt per modum instrumenti, ut S. Doctor statuerat art. 1 ; ergo sacramenta novæ legis continent gratiam per modum causæ efficientis, non quidem principalis, sed instrumentalis. Et quia instrumentum agit per virtutem imperfectam, et sibi ab extrinseco derivatam ; merito statuit Div. Thomas : « Sacramenta « nostra continere gratiam secundum quan- « dam virtutem, quæ est fluens, et incom- « pleta in esse naturæ. » Qua doctrina sæpius egebimus, utemurque in disput. seq. Denique conclusit Div. Thom. gratiam non contineri in sacramentis sicut in subjecto : nam subjectum gratiæ sanctificantis non est corpus, sed anima : sacramenta autem pro materiali sumpta sunt quædam corpora. Similiter gratia non est in sacramentis sicut in vase : quia vas est locus quidam, nempe rei mobilis, ut dicitur 4 Physic. sacramentum autem non comparatur ad gratiam sicut locus ad locatum, ut ex se liquet. Sed quia vas aliquando dicitur instrumentum operis faciendi, juxta illud Ezechiel. 9 : *Unusquisque vas interfectionis* (Ezechiel) *habet in manu sua*, et Ps. 7 : *In eo paravit* (Pf. 7. Act. 9.) *vasa mortis*, id est, instrumenta; et Actor. 9. Paulus dicitur *vas electionis*, nempe instrumentum electum ad conversionem gentium : propterea in eo sensu, quo gratia continetur in sacramentis sicut in instrumentis, potest etiam dici, quod sit in eisdem tanquam in vasis. Sed locutio est metaphorica, et minus usitata. Illa tamen utuntur Hugo Victorin. lib. 1, parte 9, cap. 2 et 4, et quidam alii.

ARTICULUS IV.

Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causativa?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod in sacramentis (Hugo Victor.) non sit aliqua virtus, gratiæ causativa. Virtus enim gratiæ causativa, est virtus spiritualis. Sed in corpore non potest esse virtus spiritualis ; neque ita, quod sit propria ei (quia virtus fluit ab essentia rei, et ita non potest eam transcendere) neque ita quod recipiat eam ab alio, quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modum recipientis. Ergo in sacramentis non potest esse aliqua virtus gratiæ causativa.

Præterea : omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis, et ad aliquem gradum boni : sed non est dare in quo genere entis sit talis virtus (ut patet discurrenti per singula), nec

nec etiam potest reduci ad aliquem gradum bonorum : neque enim est inter minima bona, quia sacramenta sunt de necessitate salutis : neque etiam inter media bona, cujusmodi sunt potentiæ animæ, quæ sunt quædam potentiæ naturales : neque etiam inter maxima bona, quia nec est gratia nec virtus mentis. Ergo videtur quod in sacramentis nulla sit virtus, gratiæ causativa.

Præterea : si talis virtus est in sacramentis, non causatur in eis, nisi per creationem a Deo : sed inconveniens videtur, quod tam nobilis creatura, statim esse desinat sacramento perfecto. Ergo videtur, quod nulla virtus sit in sacramentis ad gratiam causandam.

Præterea : idem non potest esse in diversis : sed ad sacramenta concurrunt diversa, scilicet verba, et res : unius autem sacramenti, non potest esse nisi virtus una. Ergo videtur quod in sacramentis nulla sit virtus.

Sed contra est, quod Augustin. dicit super Joann. Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat; et cor abluat? Et Beda dicit, quod Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam, contulit aquis.

Respondeo dicendum, quod illi, qui ponunt quod sacramenta non causant gratiam nisi per quandam concomitantiam, ponunt quod in sacramento non sit aliqua virtus, quæ operetur ad sacramenti effectum, est tamen virtus divina sacramento assistens, quæ sacramentalem effectum operatur; sed ponendo quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quod in sacramento sit quædam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum : et hæc quidem virtus proportionatur instrumento : unde comparatur ad virtutem absolutam, et perfectam alicujus rei, sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim (ut dictum est) non operatur, nisi in quantum est motum a principali agente quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura : virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud, et incompletum : sicut, et motus est actus imperfectus, ab agente in patiens.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completæ, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali, ad aliquem effectum spiritualem inducendum : sicut, et in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.

Ad secundum dicendum, quod sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti (sicut alteratio ad qualitatem) ita virtus instrumentalis non est, proprie loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus, et speciem virtutis perfectæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento, ex hoc ipso quod movetur ab agente principali, ita et sacramentum consequitur spiritalem virtutem ex benedictione Christi, et applicatione ministri ad usum sacramenti. Unde Augustin. dicit in quodam sermone de Epiphania : nec mirum quod aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandum animam dicimus pervenire : pervenit plane et penetrat conscientiæ universa latibula : quamvis enim sit subtilis, et tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, occultans vitæ causas, ad secreta mentis subtili rore pertransit.

Ad quartum dicendum, quod sicut eadem vis principalis agentis, instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum, ita etiam eadem vis sacramentalis invenitur in verbis, et rebus, prout ex verbis, et rebus perficitur unum sacramentum.

Conclusio : *Ponendo, quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quod in sacramento sit quædam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum.*

Mens D.Thom. Quamvis Div. Thomas videatur sub conditione loqui, tamen ejus conclusio, seu resolutio est absoluta. Præmisit namque art. 1, quosdam docuisse sacramenta nostra non dici causare gratiam proprie loquendo, et quia ipsa illam efficiant ; sed improprie, et per quandam concomitantiam, quatenus scilicet Deus in applicatione, et præsentia sacramentorum gratiam operatur. Sed ipse prædictam sententiam rejecit asserendo talem modum concurrendi non transcendere signi rationem. Statuit autem sacramenta nostra esse causas effectivas gratiæ, non quidem principales, sed instrumentales. Unde consequenter agens, dum ait : « Ponendo, quod sacramentum, etc. » manifestat juxta suam sententiam necessarium esse, « quod in sacramentis sit quædam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. » Idque magis liquet ; quia hac assertione obligatus declarat in solutionibus argumentorum talem virtutem esse spiritualem ; non esse completam, et permanentem, sed incompletam, et per modum transeuntis ; comparari ad instar motus, non esse proprie loquendo in aliquo genere, sed reduci ad genus virtutis : participari tam in verbis, quam in rebus sacramentorum ; aliaque asserit, quæ superflua, et falsa etiam forent, nisi S. Doctor sentiret talem virtutem inesse intrinsece sacramentis, illaque afficere. Respondit itaque absolute affirmative ad propositam difficultatem : « Utrum in sacramentis sit « aliqua virtus, gratiæ causativa?» Sed quæ Div. Thom. tam in hoc art. quam in præcedentibus tradit, continent graves difficultates, pro quibus elucidandis, et superandis sit

DISPUTATIO IV

De principaliori effectu sacramentorum novæ legis, et de eorum causalitate.

Post considerationem sacramentorum quantum ad essentiam, et existentiam, quæ sunt prædicata illorum intrinseca, succedit de ipsis agere quantum ad aliqua extrinseca, quæ concernunt. Et primo loco occurrit principalis eorum finis, hominum scilicet sanctificatio, quæ fit per gratiam. Unde videre oportet, an sacra-

menta ad illius productionem concurrant, et quo genere concursus : ad idque deserviet præsens disputatio. Quam merito restringimus ad sola sacramenta legis gratiæ: tum quia concursus nobilior his utpote nobilioribus attribui debet : tum quia quod ad vetera attinet, haud obscure constat ex dictis disp. 1, dub. 1, § 4, et magis constabit ex dicendis in Comment. ad art. 6 præsentis quæstionis.

DUBIUM I.

Utrum sacramenta nostra causent vere gratiam ex opere operato ?

Ab hac difficultate ordimur (quæ nulla inter Catholicos est), ut ab hæreticis expediti ad controversias inter Theologos liberius progrediamur. Porro veræ causæ nomine id intelligimus, quod comparatur ad gratiam non præcise per modum signi, illam scilicet repræsentando, sed etiam per modum principii, in eam videlicet influendo. In quo sensu, qui ex dicendis magis constabit,

§ I.

Proponitur prima assertio catholica.

nclu- 1. 1. Dicendum est primo sacramenta novæ legis causare vere gratiam. Hæc conclusio est de fide, ut immediate dicenda convin-
ida- tum. cunt : quare ita communiter defenditur a Theologis tam Scholasticis, quam controversistis hujus temporis, ut supervacaneum sit eos in particulari referre. Probatur primo ab auctoritate Scripturæ, quæ satis expresse veram causalitatem in gratiam nostris sacramentis attribuit. Nam Joan. 3,
1. 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei :* nam particula *ex* donotat principium, atque ejus influxum, et refertur tam ad aquam baptismi, quam ad Spiritum Sanctum : ergo sicut ad Spiritum Sanctum relata significat Deum esse causam gratiæ justificantis, sic etiam cum refertur ad aquam baptismi, significat istam vere influere in prædictam gratiam ; quamvis cum eo discrimine, quod materia exigit : nam Deus influit ut causa principalis, baptismus autem per modum causæ instrumentalis.

Respondent hæretici ideo nos dici regenerari ex aqua baptismi, non quia baptismus influat in nostram justificationem, sed quia baptismus nos excitat ad fidem, per quam justificamur. Et Calvinus lib. 4 institut. cap. 26, non veretur respondere, quod in eo loco non agitur de baptismo, sed solum de Spiritu Sanctu, ac si sensus sit : « Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu « Sancto, qui ad instar aquæ mundat, non « potest introire in regnum Dei. » Quam expositionem confirmat:quia Joannes apud Matth. et Luc. cap. 3, dixit : *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ipse* (Nempe Christus) *vos baptizabit Spiritu Sancto et igne.* Ubi per ignem non intelligitur ignis materialis, sed ipsemet Spiritus Sanctus, qui purgat ad instar ignis. So hæreticorum. Calvinus

2. Sed hæc sunt omnino frivola. Et ut ab expositione Calvini inchoemus, communis Sanctorum Patrum sententia est in illis verbis, *Nisi quis renatus etc.* significari regenerationem per sacramentum baptismi, et dependentiam, quam ab ipso habemus : ergo nomine aquæ non significatur solus Spiritus Sanctus mundans per modum aquæ, sed significatur etiam aqua materialis sacramenti. Idque magis liquet ex eo, quod si Christus in prædicto loco solum ageret de Spiritu Sancto, non recenseret aquam ante Spiritum Sanctum, sed e contra : ubi enim metaphora adhibetur ad explicandum rei proprietatem, non solet, nec debet post eam proponi : non est itaque locus exponendus metaphorice, sed in sensu proprio, et de aqua materiali. Et plane si ex prædicto testimonio non convincitur necessitas sacramenti in aqua naturali; nullus profecto erit locus in Scriptura, quo probemus prædicti sacramenti necessitatem : quam tamen nec ipsi hæretici negant. In alio autem loco, quo Calvinus utitur, admittenda est necessario metaphora : quia ignis proprie dictus nequit deservire ad baptizandum, aut lavandum. Unde ubi non ponitur ignis ante, sed post Spiritum Sanctum, ut explicetur Spiritus Sancti virtus. Et ideo Marcus 1, referens Marc. 1. eandem sententiam omisit ly *et igne*, dicens simpliciter. *Ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.* Quod autem alii hæretici dicunt, nulla fere impugnatione eget : nam si ideo dicimur regenerari ex aqua baptismi quia baptismus excitat ad fidem, quia justificamur ; pariter dicemur justificari ex baptismo Confutatur.

tismo picto, aut scripto, quippe qui non minus quam executus potest homines ad fidem excitare : atque ideo necessarium non esset baptizari : quod tamen vel ipsi hæretici docent. Deinde si baptismus non aliter nos regenerat, quam excitando fidem per modum objecti cogniti ; sicut non est inconveniens sæpius excitari ad fidem ; sic absurdum non esset sæpius baptizari : et tamen ipsi hæretici id nobiscum negant . Denique quomodo potest baptismus regenerare infantes excitando ad fidem, cum ipsi incapaces sint hujus excitationis, sicut et cognitionis ? Et si Lutherani dicant præveniri in pueris rationis usum : oportet, adhibeant aliquem hujus miraculi testem. Plane ipsorum puerorum planctus, et resistentia liquido declarant, quam bene noscant id beneficium. Recolantur supra dicta disp. 2, dub. 3, § 3, per totum, ubi istud hæreticorum effugium confutavimus.

Major responsionis eversio. Confirmatur : quia si sacramentum baptismi non influeret per modum causæ in nostram justitiam, sed præcise concurreret per modum objecti cogniti excitando in nobis motum fidei, aut fiduciæ, qua justificamur ; plane inferretur baptismum Christi non esse majoris efficaciæ, et virtutis, quam baptismus Joannis : consequens est omnino falsum : ergo et antecedens. Sequela probatur : quia baptismus Joannis æque bene excitabat ab fidem, ac baptismus Christi ; quin et excitabat ad pœni-
Act. 19. tentiam, ut constat Marci 1, et Actor. 19, ubi vocatur baptismus pœnitentiæ. Falsitas vero consequentis demonstratur tum ex verbis ipsius Joannis præferentis baptis-
Matth. 3. mum Christi apud Matth. 3 : *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, et igne.* Tum quia baptizatos a Joanne jussit Paulus baptizari baptismo Christi, ut constat Actor. 19, quod signum est baptismum Christi esse majoris efficaciæ, et virtutis. Concurrit itaque baptismus ad nostram justificationem non excitando, ut volunt hæretici, per modum objecti cogniti, sed vere, et causaliter influendo. Idque præter allegatum testimonium, satis exprimunt alia Scripturæ loca, in quibus occurrunt particulæ deno-
Ad Titum 3. tantes hujusmodi causalitatem, ut ad Titum 3: *Salvos nos fecit per lavacrum regene, rationis.* Actor. 22: *Exurge, et baptizare, et*
Actor. 22. *ablue peccata tua*, et alia quæ omittimus.

Hoc ipsum constat de aliis sacramentis. De Confirmatione Actor. 8 : *Tunc imponebant illis manus, et acciepiebant Spiritum Sanctum.* De Eucharistia Joan. 6: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De Confessione, seu Pœnitentia Joan. 20 : *Quorum remiseretis peccata, remittuntur eis :* nam hæc remissio per gratiam fit : unde in idem coincidit potestas remittendi peccata, et potestas infundendi, aut communicandi gratiam. De extrema unctione Jacobi 5: *Oratio fidei alleviabit infirmum, et si in peccatis est remittentur ei.* De Ordine 1, ad Timoth. 1 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* De matrimonio non occurrit expressus locus in Scriptura : sed tamen constat ex perenni, et inconcussa Ecclesiæ traditione, cui innitens Concilium Trident. sess. 14, diffinivit matrimonium esse « unum ex septem sa« cramentis novæ legis et gratiam con« ferre. »

3. Secundo probatur conclusio ex Conciliis, Constantinopolitano in symbolo fidei, Milevitano canone 1, Arausicano can. 1, Lateranensi sub Innocentio III, quod refertur in cap. *Firmiter* de summa Trinitate, et fide catholica, Florentino in decreto fidei, et denique ex Tridentino sess. 7, can. 6, ubi dicitur : « Si quis dixerit sacra« menta novæ legis non continere gratiam, « aut gratiam ipsam non ponentibus obi« cem non conferre, quasi signa tantum « externa sint acceptæ per fidem gratiæ, « vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ « professionis, quibus apud homines dis« cernantur fideles ab infidelibus, ana« thema sit. » Quibus verbis directe condemnat Hæreticos, Lutheranos, et Calvinistas dicentes sacramenta non se habere causaliter ad justitiam, sive gratiam sanctificantem, sed esse mera signa, vel notas, vel ad summum concurrere per modum objecti excitantis ad fidem, qua justificamur. Atque in eodem sensu statuerat can. 5 : « Si quis dixerit non dari gratiam per « hujusmodi sacramenta semper, et om« nibus, quantum est ex parte Dei, etc. « anathema sit. »

4. Tertio probatur ex Patribus, qui sacramentorum realem causalitatem in gratiam, justificationem, et remissionem evidenter significant : nam Silvester Papa, ut refert Nicephorus lib. 7, *historiæ*, cap. 33,

dixit Constantino, cum ipsum baptizavit : « Hæc aqua divina virtute per invocatio- « nem Trinitatis accepta, sicut extra cor- « pus hominis abluit, ita animam intra a « sorde, et inquinatione mundans splen- « didiorem radiis solaribus efficit. » Leo Magnus serm. 4, *de Nativit.* inquit : « Omni homini renascenti baptismus in- « star est uteri virginalis, eodem Spiritu « Sancto replente fontem, qui replevit, et « Virginem, ut peccatum, quod ibi eva- « cuavit sacra conceptio, hic solvat ablu- « tio. » Et serm. 5, ait : Virtus Altissimi, « quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, « facit, ut regeneret unda credentem. » D. Ambrosius lib. 1, *de sacramentis*, cap. 5, adhibens figuram Naaman subdit : « Non « aqua omnis sanat, sed aqua sanat quæ « habet gratiam Christi. Non sanat aqua « nisi prius Spiritus Sanctus descenderit, « et aquam illam consecraverit. » Tertullia- dus lib. *de baptismo*, cap. 4, alludens ad illud Genes. 1 : « Spiritus Sanctus ferebatur super « aquas, *addit:* Supervenit spiritus de cœlis, et « aquis superest, sanctificans eas de semet- « ipso: et ita sanctificatæ vim sanctificandi « combibunt. » D. August. lib. 19, contra Faustum cap. 3, affirmat generaliter sacramenta nostra esse antiquis *virtute majora, utilitate meliora*. Quod falsum esset, si se haberent solum significative, aut excitative, et non etiam causaliter. Et propterea enarratione in Psalm. 73, hanc inter nostra, et illa constituit differentiam, quod vetera promittebant Salvatorem, sed *nostra dant salutem*. Et lib. 1, contra duas epist. Pelagianorum cap. 3, affirmat *baptismum facere novos homines*, *et omnia peccata delere*. Et quia prolixum nimis foret, formalia aliorum Patrum verba referre ; satis sit decere, quod eodem modo loquuntur D. Basilius lib. *de Spiritu Sancto*, cap. 15, et hom. 1, *de baptismo*, D. Chrysostomus hom. *ad baptizatos*, D. Gregor. Nazianz. orat. *in sancta lumina*, *et oratione in sanctum baptisma*, D. Hieronym. epist. 83, *ad Oceanum*, D. Cyprianus lib. 2, epistolar. epist. 2, *ad Donatum*. D. Gregorius lib. 5, epist. 39, D. Bernardus serm. *de cœna Domini*, et alii communiter, quos fusius collegerunt Vasquez in præs. disp. 191, cap. 4, et Suarez disp. 7, sect. 1.

5. Quarto probatur rationibus Theologicis. Principalis autem, et a priori alia non est, quam voluntas Dei constituentis sacramenta nostra non solum in ratione signi, sed etiam in ratione causæ : de qua voluntate certo nobis constat ex testimoniis Scripturæ supra relatis, adjuncta Conciliorum determinatione, et communi Patrum intelligentia. Cæterum congruentiæ ratio fuit, quod talis influxus, aut causalitas non repugnat, eamque sacramenta nostra habere decet pro dignitate status legis Evangelicæ. Idque magis roboratur ex eo, quod Prima. in Scriptura sacramenta antiqua comparative ad nostra dicuntur *egena et vacua elementa* ; quia scilicet illa nec continebant, nec conferebant gratiam ; nostra autem illam continent, et conferunt : si enim nostris hæc perfectio negatur, poterunt etiam egena, et vacua elementa dici, et nihil occurrit, ut ab hac parte superemineant antiquis.

Præterea oportet formas verborum, qui- Secunda. bus sacramenta nostra conficiuntur, habere significationem veram : atqui prædictæ formæ significant causalitatem in gratiam, qua justificamur : ergo sacramenta nostra vere influunt in talem gratiam. Probatur minor : nam forma v. g. baptismi *Ego te baptizo, etc.* significat quidem non solum ablutionem corporalem, sed etiam et multo magis emundationem spiritualem, ut ipsi Adversarii non negant : manifestum autem est, quod illud verbum aliquem influxum, sive causalitatem significat. Quod vero hæretici dicunt ministrum illo verbo non aliud significare, quam *Ego declaro, et testificor te mundatum esse, aut tibi remissa esse peccata per fidem*, absurdissimus plane sensus est, ineptusque ad salvandum veritatem propositionis. Nam si quis v. g. testimonium perhibeat, quod vestis sit munda, aut mundetur, stulte diceret : *Ego lavo vestem.* Et idem argumentum fieri valet in forma pœnitentiæ: *Ego te absolvo a peccatis tuis :* non enim ita glossari hæc verba possunt, ut præcise idem denotent, quod hæc : *Ego declaro te absolvi, aut absolutum esse a peccatis.* Sicut tabellio, qui testificari vellet Joannem remittere Petro debitum, stulte plane et falso diceret: *Ego absolvo Petrum a debito*. Oportet itaque ad salvandum veram significationem prædictarum formarum, quod sacramenta, et ea, quibus constant, causaliter, atque influxive se habeant ad gratiam, quam significant.

Denique si sacramenta non aliter, ut Tertia. hæretici volunt, ad nostram justificationem

nem concurrunt, quam per modum objecti cogniti, excitando scilicet ad fidem, qua justificamur; plane sequitur sacramenta sermone Latino, aut Græco illis applicata, qui hos sermones ignorant, atque ideo sententiam non percipiunt, esse inefficacia, et nullius fructus; siquidem illi, quibus applicantur, non excitantur ad fidem. Consequens est falsum vel apud ipsos hæreticos: siquidem Lutherani, et Calvinistæ admittunt, et non repetunt baptismum a Catholicis datum, qui regulariter in lingua Latina, et absque alia concione fit. Ergo vel fateri debent nostra sacramenta non concurrere mere excitative,et per modum objecti cogniti; vel sibi non constant: quod verum est. Et profecto ad prædictum concursum excitativum non minus valerent sacramenta picta, scripta, vel audita, quin et sola mente recogitata; cum omnibus his etiam modis queant excitare fidem. Vana itaque, et superflua erit realis applicatio sacramentorum, quam (præsertim in baptismo), ipsi hæretici necessariam esse non diffitentur. Tenendum itaque est nostra sacramenta vere causare gratiam ab eisdem significatam.

Hæresis contraria. Messalian. 6. Contra hanc catholicam veritatem senserunt olim hæretici Messaliani, dicentes specialiter sacramentum baptismi nihil valere ad salutem, ut refert D. Damascenus in lib. *de centum hæresibus prope finem.* Armeni. Senserunt etiam Armeni apud N. Guidonem verbo *Armeni.* Sentiunt denique moLutherani. Calvinistæ. derniores hæretici, Lutherani scilicet, et Calvinistæ, qui non alium influxum nostris sacramentis deferunt, quam improprium, sive per modum objecti excitantis ad fidem, sive fiduciam, in qua sola hominum justificationem constituunt. Unde licet quandoque videantur sacramenta vocare causas, aut instrumenta, salutis; sic tamen loquuntur ad decipiendum homines, et occultandum venenum: nam in rei veritate nihil plus illis attribuunt, quam concioni, aut picturæ rei sacræ, aut alteri objecto potenti excitare Errores hæreticorum circa nostram justificationem. fidem. Considerant enim justificationem nostram tum ex parte Dei, tum ex parte nostri, tum ex parte Mediatoris, nempe Christi: et circa hæc omnia turpiter errant. Nam ex parte Dei affirmant nullum nobis donum intrinsecum et permanens dari, quo justi simus sed dicunt nos justos fieri extrinseco Dei favore, sine applicatione justitiæ, et meritorum Christi. Unde consequenter docent gratiam habitualem non esse formam inhærentem: et peccata non vere destrui, aut tolli, sed tegi tantum pallio justitiæ Christi. Ex parte autem nostri non aliam dispositionem requirunt, quam solam fidem, aut fiduciam, qua credamus, et confidamus peccata nobis remitti, et qua Christi justitiam, et merita velut manu apprehendamus, et nobis applicemus. Denique ex parte Christi affirmant ipsum taliter pro nobis satisfecisse, et pro nobis ex tunc sua merita applicuisse, ut nullis nunc egeamus sacramentis, quæ virtute meritorum ejus causent in nobis justitiam sed deserviunt præcise tanquam signa divinarum promissionum, et sicut objecta quæ excitant, foventque fidem illam, qua sola coram Deo justificamur. Hæc in summa hæretici circa progressum, et principia justificationis nostræ.

In quibus omnibus refellendis non oportet nunc immorari: tum quia ad alios tractatus spectant: tum quia in eisdem a nobis rejecta sunt ex professo. Nam gratiam, qua justi sumus coram Deo, et illi grati, esse aliquid nobis intrinsecum, atque inhærens, ostendimus tract. 14, disp. 3, dub. 1. Deinde justificationem nostram ita fieri per eam gratiam, ut non egeat extrinseco Dei favore, nec in illo consistat, ostendimus ibidem dub. 2. Præterea in hominis justificatione peccatoris, non tegi peccata, sed destrui, excludi, et detergi, ostendimus tract. 15, disp. 1, dub. 2. Denique dispositionem ex parte nostri pro justificatione requisitam non consistere in sola fide, aut fiducia, quam hæretici adeo exaggerant, sed in pluribus aliis virtutum actibus, et præsertim in pœnitentia, ostendimus in eodem tract. disp. 3, dub. 1. Unde convulsis præmissis hæreticorum principiis, nihil speciale relinquitur, nisi quod in præsenti versavimus, modus scilicet concurrendi, quem nostra sacramenta habent erga gratiam, seu justitiam. Supponimus namque hanc esse intrinsecam, et denuo a Deo produci ex meritis Christi in usu, sive applicatione sacramentorum. Et in prædicto sensu statuimus catholicam assertionem: cui etiam atque in eodem sensu opponuntur hæretici. Philippus Melanchton in apolog. 15, ubi arroganter observat « ne litteram quidem in veteribus

« reperiri, quæ Scholasticis hac in re pa-« trocinetur. » Sed quam insigniter mentiatur, constat ex Patribus relatis num. 4. Quod cum negare non posset Calvinus lib. 4 *Institut.* cap. 13, dixit « miseros So-« phistas deceptos esse immodicis istis en-« comiis Patrum, quod non animadverte-« rint has dicendi formas hyperbolicas « esse. » Sed qui ita Patres exponit, eorum patrocinium desperat : et eodem modo ludificare poterit cætera illorum in aliis testimonia, ut supervacaneum jam sit eos consulere, indeque derivare, quæ sit Ecclesiæ traditio. Lutherus autem minus hæc fastidit, qui eis non implicatus, sed oneri succumbens, liberiori fronte respondit : « Nihil moror hominum dicta, » quasi homo ipse non fuerit, et hominum mendacissimus. Aliqua autem hæreticorum quantum ad hanc partem fundamenta supra subruimus disp. 2, dub. 3, §. 3, et modo evertemus reliqua.

7. Opponunt primo : quoniam *ad Ephes.* 5, dicitur : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ :* ergo baptismus non aliter mundat, quam verbum vitæ : sed istud concurrit ut prædicatum, atque excitando ad fidem: ergo baptismus eodem modo concurrit; atque ideo non causaliter, et influxive. Confirmatur : quia sicut Scriptura dicit sacramenta justificare, sic etiam docet verbum vitæ, sive Evangelium concurrere ad justificationem. Unde ad Rom. 1, ipsum Evangelium appellatur *virtus Dei in salutem omni credenti.* Sed Evangelium non aliter nos justificat, quam proponendo credenda, et excitando ad fidem. Ergo idem de sacramentis dicendum est.

Ad argumentum respondetur *verbum vitæ,* de quo fit mentio in eo testimonio, non esse verbum concionis, sed verbum consecratorium, pertinens per modum formæ ad sacramentum baptismi, et operans effectum, quem significat. Et in hoc sensu negamus minorem : nam sicut sacramentum baptismi, sic etiam verbum, quo constat, concurrit causaliter, et induxive ad salutem. Recolantur supra dicta disp. 3, a nu. 57. Ad confirmationem respondetur, quod cum Apostolus vocat Evangelium virtutem Dei, Evangelii nomine significat legem evangelicam quæ includit sacramenta. In quo sensu neganda est minor : quia sacramenta ad legem evangelicam pertinentia concurrunt ad justificationem vere influendo, et non mere significando, atque ideo sunt cum proprietate Dei virtus omni credenti.

Nec refert, quod hæretici opponunt has expositiones contrariari Apostolo Petro in 1 epist. cap. 3, ubi ait : *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu-Christi.* Nam sincerus hujus sententiæ sensus est ablutionem carnis, sive baptismum non operari nostram salutem : sed præstare solam fidem conscientiæ bonæ, quam interrogatio conscientiæ in Deum significat. Id, inquam, minime refert : quoniam Apostolus solum intendit baptismum non operari salutem, quia habet mundare sordes corporis ; sed quia per virtutem resurrectionis Christi habet, quod sit bona interrogatio conscientiæ in Deum. Est enim baptismus janua ad salutem, et ipsa baptizatio est velut quædam interrogatio animæ quærentis Deum, et inquirentis remedium ab illo. Unde Apostolus nihil dicit, nihil in ea sententia attingit, unde possit colligi baptismum non habere virtutem justificandi : sed ad summum infertur eam virtutem non sortiri ex eo, quod mera, et naturalis corporis ablutio sit. Et forte Petrus in illis verbis, *sed conscientiæ bonæ interrogatio* alludit ad antiquissimum morem Ecclesiæ, quæ baptizandum interrogat, an velit diabolo renuntiare, et incorporari Christo : et ille respondet : volo. Est itaque sententia baptismum operari salutem, non quia mundet corpus a sordibus ; sed quia per virtutem Christi respondet, atque in effectu præstat, quod bona illa interrogatio inquirit, diaboli scilicet renuntiationem, et incorporationem cum Christo.

Replica. 1. Petri 3.

8. Opponunt secundo : nam ideo verum esset sacramenta novæ legis se habere causaliter, et influxive ad gratiam justificantem, quia de illis Scriptura prædicat, quod justificant : sed ex hoc capite id minime colligitur: ergo absque fundamento illis attribuimus prædictam causalitatem. Probatur minor : nam Scriptura etiam docet sacramenta veteris legis justificasse : et tamen talia sacramenta non operabantur salutem; sed solus Deus in eorum usu, et præsentia justificabat, et homines sibi gratos habebat : ergo idem de nostris sacramentis dicendum est. Confirmatur : nam quod est proprium

Secunda objectio.

Confirmatio. proprium Dei, non est attribuendum creaturis : sed remittere peccata et conferre gratiam est proprium Dei juxta illud Ps. 83 : *Gratiam, et gloriam dabit Dominus :* ergo sacramenta, quæ sunt aliquid creatum, prædictos effectus non operantur. Et ita plane docere videtur D. Hieronym. in cap. 4 Isaiæ, ubi expendens verba Joan. apud Matth. 3 : *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam,* subdit : *Ex quo scimus, quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum, quo sordes abluantur.* Et similem sententiam habent D. Cyprianus lib. *de baptismo,* Div. Ambrosius epist. 34, ad Demetriadem, et alii.

Ps. 83.

D. Hier. D. Cypri. D. Amb.

Diluitur objectio. Ad argumentum respondetur Scripturam satis aperte significare non solum justificationem contingere in nostris sacramentis, sed etiam per illa fieri, ut cum ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc. Mundans eam lavacro aquæ,* et similia, quæ a num. 1 expendimus. Et in hoc sensu, concessa majori, negamus minorem, quam inducta probatio minime evincit, sed magis oppositum : nam Scriptura ad Galat. 4, vocat sacramenta antiqua *vacua, et egena elementa,* comparative scilicet ad nostra : illa enim nec continebant, nec conferebant gratiam, sicut nostra continent, et communicant. Fiebat itaque justificatio in usu antiquorum sacramentorum, sed non per illa, ut resolvit D. Thomas, infra art. 6, et ibi fusius declarabimus.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem concedendum est solum Deum remittere peccata, et conferre gratiam per modum causæ primæ, et principalis. Sed sicut hic concursus non excludit influxum, et causalitatem humanitatis Christi in prædictos effectus per modum instrumenti ; ita non excludit influxum, et causalitatem sacramentorum. Et in hoc sensu loquuntur Patres, qui allegantur, intendentes nec homines, nec sacramenta, concurrere principaliter ad communicandum gratiam : sed non negant inferiorem concursum. Et sic respondet Div. Thom. prædictæ objectioni art. 1 ad 3 : « Dicendum, quod ratio illa procedit de eo, quod « est causa gratiæ per modum principalis « agentis. Hoc enim est proprium Dei, ut « dictum est, » nempe in corp. art. ubi ait: « Dicendum, quod duplex est causa agens, « principalis et instrumentalis. Principalis « quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus : sicut ignis « suo calore calefacit. Et hoc modo nihil « potest causare gratiam, nisi Deus : quia « gratia nihil est aliud, quam quædam participata similitudo divinæ naturæ secundum illud 2 Petri 1 : Magna nobis, et pretiosa promissa donavit, ut divinæ simus consortes naturæ. Causa vero instrumentalis « non agit per virtutem suæ formæ, sed « solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti: « sicut lectus non assimilatur securi, sed « arti, quæ est in mente artificis. Et hoc « modo sacramenta novæ legis gratiam « causant, etc.

D.Thom.

Tertia objectio. 9 Opponunt tertio : quia posita causa sufficienti ad effectum, superfluum est aliam adhibere : sed passio Christi est causa sufficiens ad salutem hominum, juxta illud Apost ad Rom. 5: *Si enim cum inimici essemus , reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius :* ergo superfluum est causalitatem sacramentorum inducere. Nec proderit dicere sacramenta non superfluere : quia sunt media, per quæ virtus passionis Christi nobis applicatur, et significat idem Apostolus ad Rom. 6. Nam contra hoc insurgunt hæretici : virtus enim passionis Christi applicatur, et fit nostra per fidem in ipsum, juxta illud ad Rom. 3: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi.* Et rursus . *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Ut autem habeamus hanc fidem, necessarius non est concursus sacramentorum per modum causæ : sed sufficit, quod sacramenta concurrant per modum objecti cogniti, et excitantis ad fidem. Quicumque ergo alius concursus eis attribuatur, est contra Scripturam, et contra sufficientiam, et dignitatem passionis Christi.

Ad Rom. 5.

Ad Rom. 3.

Confirmatio. Confirmatur : quia absurdum, atque indecens est fidelium mentes avertere a Deo, et convertere ad viles creaturas : sed sic se gerunt, qui docent homines sanctificari, et consequi salutem per aquam, oleum, et similia, quibus constant sacramenta : ergo talis doctrina ut absurda, et Deo injuriosa rejici debet.

Satisfit objectioni. Argumentum diluitur solutione inter arguendum data, quæ optima est, et Div. Thom. in quæst. præced. art. 1 ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod passio Christi est « sufficiens causa humanæ salutis. Nec

D.Thom.

« propter hoc sequitur, quod sacramenta « non sint necessaria ad humanam salu- « tem : quia operantur in virtute passionis « Christi : et passio Christi quodammodo « applicatur hominibus per sacramenta, « secundum illud ad Rom. 6: Quicumque « baptizati sumus in Christo Jesu, in morte « ipsius baptizati sumus. » Sic etiam Deus est causa sufficiens effectuum naturalium : et non propterea excludit concursum aliarum causarum creatarum tam principalium, quam instrumentalium. Quod vero contra hanc responsionem objicitur, non urget : quia licet virtus passionis Christi applicetur nobis per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur, et complectitur gratiam, sive justitiam : nihilominus ad hanc ipsam gratiam, atque ideo ad eandem fidem ut formatam concurrunt sacramenta per modum causæ ; quin inde colligatur aliquid eorum superfluere : sanitas enim, sive justificatio fit formaliter per fidem ut formatam ; sed fit effective per sacramenta agentia in virtute Christi, ut optime exposuit D. Thomas eidem fere difficultati occurrens in 4, dist. 5, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1 ad 1, his verbis : « Dicendum, « quod gratia, et virtutes sanant formali- « ter, sicut sanitas : sed sacramenta quo- « dammodo effective, sicut medicinæ quæ- « dam. Unde sicut non sequitur, sanitas sa- « nat, ergo medicinæ non sunt necessariæ: « ita nec hæc, gratia sanat, ergo sacra- « menta non sunt necessaria. Sed magis « posset contrarium concludi. » Unde irridendi sunt hæretici similia objicientes, inde exprobrantes, quod non recte sentimus de dignitate, et sufficientia passionis Christi ; cum oppositum possent, et deberent colligere : nam plurimum commendat illius passionis valorem, quod nobis promeruerit remedia familiaria, et hominum naturæ proportionata, qualia sacramenta sunt. Recolantur superius dicta in Comment. ad art. 1, quæst. præcedentis, ubi sacramentorum convenientiam declaravimus in ordine ad congruam hominum directionem, et salutem.

Minus adhuc præmit confirmatio : quia sacramenta nostra non aliter ad salutem nostram concurrunt, quam ut instrumenta Dei, ejusdem voluntati, et applicationi subordinata. Quare cum ad illa convertimur, non avertimur a Deo, sed ipsi potius magis unimur : quia non solum nos submittimus Deo in se, verum etiam in suis legibus, et rebus ab eodem institutis : quæ plane est major, atque humilior subordinatio. Sicut cum mulier fluxu sanguinis laborans tetigit fimbriam vestimenti Christi, ut sanitatem reciperet, minime se avertit ab eo ; quin potius magis conversa fuit : non enim consideravit vestem secundum se, aut vilem ejus materiam ; sed ut Christo cohærentem, et tanquam instrumentum divinitatis ad patrandum illud miraculum : unde illa actione suam summam declaravit erga Christum reverentiam. Et idem nobis plane contingit, dum ad sacramenta convertimur. Nec objectum inconveniens, si vere esset, vitarent ipsi hæretici, qui non negant sacramenta : convertuntur enim ad ipsa saltem tanquam ad objecta, et sicut ad signacula justitiæ, et divinarum promissionum obsignationes. Cætera argumenta, quæ expendi possent, leviora adhuc sunt, et relinquenda controversistis apud Bellarminum lib. 2, *de sacramentis*, cap. 8.

Incidentis dubii decisio.

10. Sed priusquam hinc discedamus, dubitari potest, qua ratione dixerimus esse de fide, quod nostra sacramenta causent vere gratiam? Nam de fide non est gratiam esse qualitatem, habitum, aut quid simile, quod his nominibus exprimi queat, ut statuimus tract. 14, disp. 4, dub. 1, num. 19. Si autem non est de fide gratiam justificantem esse hujusmodi : quomodo potest esse de fide, quod vere causetur per sacramenta ? Respondemus, quod prædictus scrupulus eodem modo repræsentari valet in hac propositione *Deus causat vere gratiam sanctificantem :* nam si non est de fide gratiam esse qualitatem, habitum, aut formam ejusmodi : quomodo est de fide, quod vere producatur a Deo? Sed ille facile dispellitur attendendo, quod licet non sit de fide prædictam gratiam esse qualitatem, aut habitum, ut contra aliquos statuimus loco citato : nihilominus de fide est talem gratiam esse aliquid creatum, intrinsecum, et inhærens, ut eo loco ostendimus, et evidenter constat ex diffinitione Concilii Tridentini sess. 6, can. 11. In hoc igitur sensu asseruimus sacramenta nostra vere causare gratiam, illud scilicet intrinsecum, atque inhærens, quo formaliter justi, et sanctificati coram Deo constituimur : sive sit qualitas, sive habitus, sive aliud quid : sicut in eodem sensu de fide est, quod Deus vere causat gratiam.

§ II.

§ II.

Statuitur alia conclusio catholica.

Alia conclusio.

11. Dicendum est secundo sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato. Hæc assertio est etiam de fide, ut constabit ex dicendis. Quæ ut melius intelligitur, prius oportet explicare, quid dicatur *opus operatum, et opus operans*. Et quamvis plures apud diversos Auctores occurrant modi, quibus id explicant, ut videri potest in Prado quæst. 62, dub. 1, a num. 20, nihilominus communior, verior, et in quem cæteri tandem recidunt, est, quod *opus operatum* significat illud, quod sacramentum (ubi fit) habet vi sua, sive ex virtute sibi a Christo communicata : sed *opus operans* significat id, quod in sacramentis concurrit ex parte operationis recipientis, aut ministrantis quantum ad illud, quod ex se habet meriti, satisfactionis, et impetrationis. Utimur autem his terminis, aut vocibus, ut illud, quod sacramenta habent vi sua a Christo instituente, distinguamus ab eo, quod opera nostra, in usu sacramentorum concurrentia, habent de se bonitatis, et laudis ad merendum, vel impetrandum. Unde cum dicimus sacramenta nostra causare gratiam *ex opere operato*, minime negamus concursum, et necessitatem nostrarum operationum per modum dispositionis in sacramentorum usu : sed significamus, quod præter id gratiæ, aut augmenti gratiæ, quod nostris operationibus, aut dispositionibus correspondet, datur aliquid ex vi sacramentorum, ratione virtutis, quam habent a Christo auctore. Est itaqua in summa *opus operatum* sacramentum factum, aut receptum secundum vim causandi, quam a Christo habet : est vero *opus operans* meritum, aut impetratio ex parte suscipientis, et ministri. Juxta quas radices distinguere oportet ex parte effectus id, quod datur intuitu operis meritorii aut impetrationis ; et id, quod datur efficacia, et intuitu sacramenti. Quare sincerus, perspicuusque nostræ assertionis sensus est sacramenta novæ legis causare gratiam vi sua, sive ex virtute, quam habent sibi communicatam ex institutione Christi.

Sensus assertionis.

Calvini mendacium.

Juxta quam expositionem inter Theologos communem, apparet summa calumnia, qua illos traduxit Calvinus lib. 4, institut. cap. 14, § 16, ubi præsentem difficultatem attingens ait : « Tantum hic « quæritur, propriane, et intrinseca, ut « loquuntur, virtute operetur Deus ; an ex« ternis symbolis resignet vires suas ? » Et rursus affirmat sensum dubii inter Sophistas esse: « Num sacramenta gratiam con« ferant sine fide, aut bono motu cordis, et « dispositione suscipientis. » Sed errat toto cælo, aut deposito omni pudore mentitur. Nam apud Theologos omnia, quæ ille insinuavit, certissima sunt, et sancta. Fatentur enim Deum per suam propriam, et intrinsecam virtutem influere in gratiam per modum causæ principalis, ut constat ex D. Thoma in præs. art. 1. Fatentur etiam Deum nec resignare, nec communicare posse suas vires, nempe omnipotentiam alicui creaturæ, aut symbolo, ut evidenter liquet ex his, quæ tradunt cum D. Thoma supra quæst. 13, art. 1. Fatentur denique et actum fidei, et alios actus requiri per modum dispositionis in adultis, ut a peccato purgentur, et justificationis gratiam consequantur, ut constat ex his, quæ docent cum D. Thoma 1, 2, quæst. 113, art. 3, et 4, et 5. Unde nihil horum negant Theologi, cum affirmant sacramenta novæ legis causare gratiam ex opere operato : sed præcise hac loquendi formula significant tum sacramenta causare gratiam, quod satis constat ex dictis § præced. tum gratiam causari in nostris sacramentis non ex vi solius meriti, aut impetrationis operationum, quas eliciunt suscipiens, et ministrans ; sed etiam, ac magis ex virtute, atque efficacia, quam habent nostra sacramenta ex institutione Christi ; quod pro assertione statuimus, et proxime declaravimus.

Retunditur.

Jam vero, quod hæretici opponunt illum loquendi modum barbarum esse, et contra regulas Grammaticæ ; siquidem verbum illud *operatum* transfertur a significatione activa, quam habet, in passivam, quam non habet ; pro nihilo reputari debet. Tum quia in sacra etiam Scriptura reperiuntur aliqua verba, quæ juxta communes Grammaticorum regulas, significant active, usurpata in significatione passiva, ut constat ex illo ad Hebr. 13 : *Talibus enim hostiis promeretur Deus*, ubi ly *promeretur* sumitur passive. Tum etiam quia nec insolens, aut novum est in usu linguæ Latinæ, quod majoris energiæ, aut significa-

Refellitur alia hæreticorum calumnia.

Ad Heb. 13.

tionis gratia, verbis deponentibus in participiis præteriti attribuatur significatio passiva, ut constat in his *meditatus, admiratus, consolatus*. Tum præterea quia licet aliqua improprietas contingeret in verbis, si tamen necessaria esset ad melius manifestandum conceptum, vel ad ignorantium instructionem, recusari, aut rejici minime deberet, sed potius permitti, atque induci. Au-ust. Unde D. Augustinus in Psalm. 138, maluit dicere *ossum*, quam *os* : « quia melius est, « inquit, ut nos reprehendant Grammatici, « quam ut non intelligant populi. » Tum denique quia gravissimi Doctores, quibus comparati hæretici Pygmæi sunt, prædicta loquendi formula usi fuere ad explicandum iocen. veritatem supradictam. Innocentius III, lib. 3 Thom. *de mysterio altaris*, cap. 5, D. Thomas in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 5, quæstiunc. 5, et alii veteres Scholastici. Unde hic loquendi modus adeo invaluit apud sequentes Theologos, ut communis jam sit, eratque tempore Concilii Tridentini. Eam autem vim consuetudo habet, ut vel in vocabulis proprietatem inducere possit. Quare citra omne vitium illa formula in his disceptationibus utimur. Recolantur, quæ diximus in proœmio hujus operis num. 5.

nda-ntum nclu-ionis iucto-tate. ncil. iden-ium. 12. His præmissis, ex quibus apparet legitima nostræ assertionis intelligentia, ejus veritas probatur primo ex Concilio Tridentino, quod præmissam assertionem expresse diffinit sess. 7, can. 8, his verbis : « Si quis dixerit per ipsa novæ legis sa« cramenta ex opere operato non conferri « gratiam, sed solam fidem divinæ pro« missionis ad gratiam consequendam suf« ficere : anathema sit. » Et conformiter ac hanc doctrinam jam prius sess. 5, in decreto de peccato originali, statuerat : « Si « quis negat ipsum Christi Jesu meritum « per baptismi sacramentum in forma Ec« clesiæ rite collatum, tam adultis, quam « parvulis applicari ; anathema sit. »

tio. Secundo probatur ratione in his Concilii testimonis insinuata : quoniam sacramenta conferre gratiam ex opere operato non consistit in eo, quod sacramenta excludant aut negent dispositionem in omni subjecto per proprios actus ; sed situm in eo est, quod sacramenta conferant immediate gratiam vi, et efficacitate, quam habent ex merito Christi illa instituentis : atqui sacramenta novæ legis ita comparantur ad gratiam : ergo prædicta sacramenta conferunt gratiam ex opere operato. Major constat ex dictis num. præced. ubi contra calumnias hæreticorum explicuimus, quid Catholici significemus, cum affirmamus sacramenta conferre gratiam ex opere operato. Et minor etiam constat ex dictis toto § 1, ubi ostendimus sacramenta nostra vere causare gratiam justificationis : quod nec intelligi, nec explicari valet, nisi causent immediate virtute, atque efficacia, quam habent ex merito Christi illa instituentis. Si enim gratia in sacramentis solum conferretur intuitu operum nostrorum, secundum illud, quod habent laudis, meriti, aut impetrationis : plane superflua foret sacramentorum causalitas ; siquidem opera nostra eodem modo concurrerent, influerentque independenter ab illis : ergo a contrario sensu si sacramenta vere comparantur ad gratiam justificationis causaliter, et influxive ; plane sequitur sacramenta nostra causare immediate, vi, atque efficacitate sua, quam habent ex merito Christi illa instituentis.

13. Confirmatur primo : quia parvulis confertur gratia in baptismo : sed non confertur ex opere operantis, sive ratione alicujus dispositionis actualis vel ex parte parvulorum, vel ex parte ministri : ergo confertur ex operato, sive ratione sacramenti eisdem applicati, et sanctificantis per virtutem, quam habet ex Christi merito. Probatur minor : nam in primis parvuli sunt incapaces dispositionis actualis : unde nec credunt, nec sperant, nec alios actus eliciunt : et oppositum dicere est mera fictio hæreticorum, quam supra exclusimus disp. 2, dub. 3, num. 54. Deinde in ministro nulla solet esse operatio laudabilis, et concurrens per modum meriti, aut impetrationis ; cum sæpe contingat ministrum in ipsa administratione peccare, quin, et nullam habere fidem, ut plane concedit vel ipse Calvinus relatus loco citato num. 55. Sequitur ergo parvulos in baptismo consequi gratiam non ex opere operantis, sive ratione dispositionis actualis vel ex parte parvulorum, vel ex parte ministri. Confirmatio 1

Confirmatur secundo : nam si gratia in sacramentis solum conferretur ex opere operantis, et non ex opere operato, plane inferretur gratiam in sacramentis solum conferri juxta exigentiam et quantitatem dispositionis : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela est manifesta : quia Confirmatio 2.

si

si aliquid gratiæ in sacramentis confertur ultra exigentiam, et quantitatem dispositionis ; illud profecto non confertur ex vi dispositionis, atque ideo nec ex opere operantis : ergo ut verificetur gratiam in sacramentis solum conferri ex opere operantis, necesse est nihil gratiæ conferri ultra exigentiam, et quantitatem dispositionis. Falsitas autem consequentis ostenditur : nam ut gratia in sacramentis conferatur, non requiritur tanquam dispositio actus fidei formatæ, vel dilectionis ex charitate, vel contritionis perfectæ : sed sufficit actus fidei secundum se, et attritio illa contritione imperfectior : hujusmodi autem actus non habent connexionem cum gratia : ergo gratia confertur in sacramentis ultra exigentiam dispositionis. Rursus posita qualibet dispositione etiam perfecta simul cum sacramentis, aliquid gratiæ confertur ultra talis dispositionis quantitatem : alias vanum, et superfluum foret talem dispositionem cum sacramento conjungere ; siquidem nullum ex ea unione commodum resultaret, quod non responderet, et retribuendum foret dispositioni secundum se, atque independenter a sacramento : sequitur ergo aliquid gratiæ in sacramentis conferri ultra quantitatem dispositionis. Recolantur, quæ diximus tract. 15, disp. 3, dub. 1, et 5.

resis ...tra-a. 14. Contra catholicam hanc doctrinam sentiunt hæretici num. 6 relati, et quidem consequenter: nam cum negent sacramenta esse vere causas gratiæ, nequeunt non negare, quod conferant gratiam ex opere operato, sive virtute, quam ex Christi institutione participant. Fundamenta autem principalia hujus erroris § præced. proposita sunt et convulsa. Unde nullum fere speciale in præsenti occurrit, cui opus sit satisfacere.

gu- ...tum. Opponunt tamen, quia si sacramenta nostra conferrent gratiam ex opere operato, nulla requireretur dispositio ex parte suscipientis : quod tamen est falsum, et contra fidem, ut ostendimus loco proxime cit. dub. 1 ; ergo dici non debet, quod sacramenta causant ex opere operato. Sequela ostenditur : quia id plane sonat gratiam conferri, et hominem justificari ex opere operato, nempe ex efficacia ipsius sacramenti, et independenter ab opere, seu cooperatione operantis, et suscipientis.

nfir- ...tio. Confirmatur primo : nam si gratia confertur in sacramentis ex opere operato : sicut affirmamus baptismum communicare parvulis primam gratiam independenter a dispositione ; pariter dicere debemus alia sacramenta eisdem applicata posse illis proficere causando augmentum gratiæ : quod esse falsum ex eo liquet, quod id fieri non videmus ; et tamen si utilitatem afferret, non deberet parvulis denegari : ergo fateri oportet nec baptismum, nec alia sacramenta causare gratiam ex opere operato.

Confirmatur secundo : quia hujusmodi vis influendi ex opere operato, quam sacramentis attribuimus, non convenit sacramentis ratione formæ totalis, sive significationis ; cum hæc sit ens rationis, juxta superius dicta disp. 1, dub. 1, § 3; nec illis convenit ratione materiæ, siquidem hæc est entitas naturalis, v. g. aqua, oleum, etc. quæ nullam habet virtutem ad influendum immediate, et per se in gratiam. Ergo verificari non potest, quod sacramenta causent gratiam ex opere operato. Alia.

Respondetur objectioni negando sequelam. Et ad probationem constat ex dictis num. 11, quod cum dicimus sacramenta conferre gratiam ex opere operato, minime significamus, quod gratiam communicent sine fide, et bono motu cordis in subjecto capaci ; sed quod illam conferunt ex merito Christi ultra, et supra dispositionem subjecti suscipientis, ut num. præced. explicuimus. Quare causalitas ex opere operato, quam nostris sacramentis deferimus, excludit quidem opus operantis, sive dispositionem ex parte suscipientis tanquam rationem principalem habendi gratiam, sive tanquam principium, unde sacramenta habeant vim justificandi : sed minime illud excludunt in ratione dispositionis ad suscipiendum gratiam in sacramentis productam. Sicut etiam in naturalibus effectibus distinguimus inter ea, quæ se habent per modum dispositionis, et illa quæ concurrunt active per modum causæ principalis, aut instrumentalis. Satisfit argumento,

Ad primam confirmationem respondemus alia etiam sacramenta ultra baptismum posse absolute parvulis applicari : quæ si applicarentur, gratiam profecto in eisdem augerent, ut si illis daretur Eucharistia. Et tamen id ita fieri non expedit : et propterea non est in usu, ut suis locis dicemus. Ad secundam respondetur virtutem formalem agendi, sive principium *quo*, ut sacramenta in gratiam influant, Solvuntur confirmationes.

non esse formaliter significationem, nec materiam sacramentorum : sed aliquid a Deo impressum, et ad sacramenta derivatum, sive dicatur motus, sive qualitas fluida, ut infra declarabimus. Cæterum res assumpta ad hujusmodi impressionem, elevationem, et causalitatem est illudmet, quod sacramentum denominatur, v. g. aqua, aut ablutio sub præscripta verborum forma. Istud namque licet naturale sit, et nequeat virtute propria in gratiam influere, habet tamen capacitatem, ut a Deo elevetur per vim sibi impressam ; ut Deo cooperetur per modum instrumenti, et vere causet gratiam sacramentalem. Sicut tamen non potest principaliter, et virtute propria concurrere ad substantiam geniti : potest tamen virtute sibi impressa, et per subordinationem ad generantem : et aqua de se, propria virtute, non calefacit, bene autem aqua calida.

§ III.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Primum corollarium. 15. Ex dictis colligitur falsas esse aliquas in hac parte Scholasticorum antiquorum sententias, et minime posse hoc tempore sustineri. Et primo refellitur sententia docens sacramenta nostra solum esse causas per accidens gratiæ in eis collatæ, aut conditiones, sine quibus talis gratia non conferretur. Quod asseruerunt Durandus in 4, dist. 1, quæst. 5, num. 19, et
Durandus. dist. 4, quæst. 1, num. 11, Ocham dist. 1,
Ocham. quæst. 1, § *Secundo dico.* Aliaco quæst. 1,
Aliacensis. art. 1, concl. 3. Marsilius quæst. 1, art.
Marsilius. art. 3, part. 3, concl. 2, et alii. Sed falsitas prædictæ sententiæ facile ostenditur ratio-
Ratio D. Thomæ. ne desumpta ex D. Thoma in præs. art. 1, et in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 4, quia causa per accidens, aut conditio sine qua non, nequit dici, quod vere causet, et influat, ut patet in approximatione ignis ad lignum; quæ nec est, vec vere dicitur causa caloris; et in musico ædificante, non enim musica est vere causa ædificii, licet ædificator sit musicus : sed sacramenta novæ legis causant vere gratiam justificantem, ut ostendimus § 1 ; ergo dici non valet, quod sacramenta novæ legis sint præcise causæ per accidens, aut conditiones, sine quibus non productionis gratiæ.

Confirmatio 1. Confirmatur primo, et satis urgenter : quia si sacramenta novæ legis solum compararentur ad gratiam in eis productam ad instar causæ per accidens, vel conditionis sine qua non ; in eodem sensu, atque cum eadem proprietate, aut improprietate diceretur sacramenta antiqua, et sacramenta nova fuisse, et esse causas gratiæ : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela videtur evidens : quoniam sacramenta antiqua etiam erant causa per accidens, et conditio sine qua non gratiæ, quæ in eorum usu, et applicatione producebatur : ergo si sacramenta novæ legis non habent aliam causalitatem, quam hujusmodi : sequitur sacramenta antiqua, et nova in eodem sensu, et cum eadem proprietate fuisse, et esse causas gratiæ in eorum usu productæ. Falsitas autem consequentis ostenditur : nam Concilium Florent. in ins- Conc. Florentin.
truct. Armenorum inquit : « Differunt autem « sacramenta nostra a sacramentis veteris « legis quod illa non causabant gratiam, sed « eam solum dandam per passionem Christi « significabant. » Et Catechismus Rom. in Catech. Rom.
tract. *de sacramentis in genere*, inquit : « Ideo sacramenta novi testamenti sacra« menta veteris testamenti excellunt, quod « nostra gratiam justificantem causant : « illa vero signa tantum rerum, quæ in « nostris sacramentis efficiendæ essent. » Cum igitur conceptus causæ, qui sacramentis nostris tribuitur, antiquis sacramentis negetur : minime concedi potest sacramenta antiqua, et nova eisdem sensu, ac proprietate fuisse, et esse causam gratiæ in eorum applicatione productæ.

Confirmatur secundo, et explicatur am- Confirmatio
plius ; quia esse causam per accidens, et conditionem sine qua non, ut Deus solus producat gratiam, non transcendit conditionem solius et puri signi, ad cujus præsentiam producatur infallibiliter gratia ex promissione divina. Quare si Deus certa lege statuisset producere gratiam adhibito tali signo, v. g. horologii ; tale signum foret causa per accidens, et conditio sine qua non talis gratia produceretur. Ergo si sacramenta nostra præcise comparantur ad gratiam tanquam causa per accidens, et conditio sine qua non ; liquido infertur nostra sacramenta esse sola, et pura signa gratiæ in eorum applicatione productæ. Id vero nequit, salva fide, affirmari ob diffinitionem Concilii Tridentini sess. 7, can. Conc. Tridentin.
6, et 7, et 8; nam in illis anathematizat eum, « qui dixerit sacramenta novæ legis non

« non continere gratiam, quam significant, « aut gratiam ipsam non ponentibus obi« cem non conferre : qui dixerit non dari « gratiam per hujusmodi sacramenta : et « qui dixerit per ipsa novæ legis sacra« menta ex opere operato non conferri « gratiam. » Quæ omnia merito negarentur de eo, quod est merum gratiæ signum.

bjectiones randi. rima. 16. Nec refert, si cum Durando opponas primo, quod D. Bernardus in serm. *de cœna Domini*, inquit : « Sicut canonicus in« vestitur per librum, Abbas per baculum, « et annulum ; sic diversæ gratiæ diversis « sunt traditæ sacramentis : » sed manifestum est librum, baculum, et annulum non esse causas per se, et proprie prædictorum effectuum, sed ad summum causas per accidens, et conditiones, sine quibus non fieret earum potestatum traditio : ergo idem de sacramentis in ordine ad gratiam cunda in eorum usu productam dicendum est. Secundo, nam ita comparantur sacramenta legis novæ ad sacramenta legis antiquæ, sicut ipsæ leges inter se : sed lex nova ita implet antiquam, quod hæc solutio non fit a lege nova, sed a Deo in lege nova adimplente, quod promittebat antiqua : ergo similiter gratia in sacramentis novæ legis non producitur ab ipsis sacramentis, sed a solo Deo in eorum præsentia : quod tamen sufficit, ut sicut lex nova præcellit antiquam, sic etiam nova sacramenta sint veteribus nobiliora. Nulla itaque est ratio, ut sacramenta nova aliud sint, quam causæ per accidens, et conditiones sine quibus non effecertia. tus in eisdem producti. Tertio, quia causa per se effectiva continet effectum, et eundem sibi assimilat: sed id non convenit nostris sacramentis respectu gratiæ in eisdem productæ ; siquidem manifestum est res corporeas, cujusmodi sunt sacramenta, non continere effectum spiritualem, et supernaturalem ; et pariter manifestum est, quod gratia non assimilatur sacramentis : hæc igitur non causant per se, et proprie gratiam : atque ideo solum comparantur tanquam causæ per accidens, et conditiones sine quibus non respectu illius.

ccurriur primæ. Non, inquam, referunt istæ objectiones. Nam ad primam respondemus sensum D. Bernardi esse, quod sicut oportuit, quod ad designandum illas diversas dignitates, aut potestates instituerentur diversa signa ; sic etiam congruit, quod ad significandum diversas gratias in sacramentis datas instituerentur distincta signa, seu sacramenta : ut sic adesset conveniens proportio, et commensuratio inter signa, et res significatas. Sed quod sacramenta nostra nullam habeant causalitatem in gratias, quas significant, nec dixit, nec somniavit Bernardus, nec ad ejus intentionem referebat. Unde Div. Thomas loco supra cit. ex. 4, quæs- D.Thom. tiunc. 1 ad 1, dixit « : Quod Bernardus, ut « ex præcedentibus ibidem patet, non in« tendit ostendere similitudinem sacramen« torum ad illa, nisi quantum ad signifi« cationem : quia annulus est signum, et « similiter sacramenta. Sed sacramenta ul« terius sunt causæ. » Et in præs. art. 1, cum ejusdem testimonii meminisset, non curavit illud exponere, utpote difficultate carens. Adjecit tamen : « Sed si quis recte « consideret, iste modus non transcendit « rationem signi. Nam liber est quoddam « signum, quo designatur traditio canoni« catus. Secundum hoc igitur sacramenta « novæ legis nihil plus essent, quam signa « gratiæ : cum tamen ex multis Sancto« rum auctoritatibus » (Nunc diceret, ex diffinitione duorum Conciliorum Generalium, scilicet Florentini, et Tridentini, quæ doctrinam ipsius in hac parte canonizaverunt,) « habeatur, quod sacramenta « novæ legis non solum significant, sed « causant gratiam. »

Ad secundam respondemus legem no- Satifit secundæ. vam complecti sacramenta, quibus constat : et in hoc sensu negamus minorem. Quoniam ad perfectionem novæ legis pertinet non solum quod sit materialis solutio ejus, quod lex vetus repræsentabat : sed etiam quod gratiam causet, et nos sanctificet per sua sacramenta : in quo potissimum excedit legem veterem, ut Concilium Florentinum supra allegatum declaravit, et Concilium Tridentinum satis expressit Concilium sess. 7, can. 2, statuens : « Si quis dixerit Tridentin « ea ipsa novæ legis sacramenta a sacra« mentis antiquæ legis non differre, nisi « quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus « externi ; anathema sit. » Unde sincere fateri oportet non solum Deum in præsentia nostrorum sacramentorum causare gratiam ; quod etiam in usu antiquorum contingebat, ut ostendimus disp. præced. dub. 2, sed ipsa etiam nova sacramenta gratiam causare ; quod non contingebat in antiquis. Ad tertiam objectionem respondetur solum evincere, quod sacramenta

Dispellitur tertia. non causant gratiam tanquam causa principalis : sed non excludere, quod in eam influant per modum instrumenti : quippe de hujus ratione non est continere effectum, saltem perfecte ; nec illum sibi assimilare, sed agenti principali, in cujus virtute agit. Et sic respondet D. Thom. loco cit. ex 4, in resp. ad 2, quod « Deus solus « est causa gratiæ quasi principale agens, « sed sacramenta quasi instrumentaliter. » Et ad 3 : « Effectus non proportionatur ins- « trumento, sed principali agenti, qui « quandoque per vilia instrumenta nobi- « liores effectus inducit : sicut medicus « perducit ad sanitatem per Clystere. » Quod magis in sequentibus explicabimus declarando modum, quo sacramenta ad gratiam producendam concurrunt.

D.Thom.

Aliud corollarium. Henricus. 17. Secundo ex dictis refellitur sententia Henrici quodlib. 4, q. 37, asserentis sacramenta nostra esse, dicique instrumenta effectiva gratiæ, non quia actione sua illam attingant, sed quia in se ipsis continent Deum auctorem gratiæ specialiter in eis existentem, atque eisdem assistentem. Refellitur, inquam, ex eisdem principiis : quoniam de fide est sacramenta nostra causare gratiam in eorum usu productam, ut § 1 ostendimus : id vero minime salvatur juxta præmissum dicendi modum : ergo sustineri non valet. Probatur minor : nam Deus pluribus rebus specialiter assistit, quin inde sequatur actiones Dei attribui talibus rebus, in quibus specialiter est : assistit enim Deus specialiter in anima justi : quæ non propterea dicitur producere, vel augere gratiam sanctificantem, licet Deus illam producat, et augeat : ergo ex eo, quod Deus sit in sacramentis, non sequitur, quod Dei actio sacramentts attribuatur ; atque ideo quod Deus in sacramentis existens producat gratiam, minime sufficit ad salvandum, quod sacramenta vere producant gratiam. Nec sufficit dicere cum Henrico, quod Deus est in sacramentis non utcumque, sed ut in instrumentis, quem modum essendi, aut assistendi non habet in omnibus rebus : quare licet actio Dei non attribuatur generaliter omnibus rebus, in quibus existit, bene tamen attribuitur sacramentis, tanquam instrumentis. Id, inquam, non sufficit : quoniam si Deus, ut loquitur Henricus, est in sacramentis tanquam in instrumentis, necessarium est, ut fateatur illa esse instrumenta Dei : sed ubi agens principale, et instrumentum concurrunt ad eundem effectum, non solum agit agens principale, sed etiam influit instrumentum, effectumque sua actione attingit, ut inductive potest ostendi : ergo non solus Deus assistens, et existens in sacramentis causat gratiam in eorum præsentia productam, sed sacramenta etiam causant in suo genere, nempe instrumentaliter prædictum effectum. Unde elucet inconsequentia prædicti Auctoris, dum ex una parte affirmat Deum existere in sacramentis, sicut in instrumentis ; et ex alia parte negat sacramenta sua actione attingere gratiam.

Fundamentum.

Confirmatur. Confirmatur: nam cum Deus immutabilis, atque immensus sit, eodem modo, quantum est ex parte sua, habet esse in omnibus rebus, atque eisdem assistere. Quare ut dicatur esse specialiter in aliquibus, requiritur, quod ratione alicujus effectus in tempore faciat res diverso modo se habere, et comparari ad ipsum. Si enim eodem modo se habeant, nullum est fundamentum, ut Deus dicatur illis specialiter assistere. Ut igitur Deus dicatur assistere specialiter nostris sacramentis, necessaria est nova habitudo ad ipsum ex parte sacramentorum. Inquirendum itaque erit, an Deus dicatur assistere nostris ratione solius pacti, aut promissionis agendi in eorum præsentia et applicatione ? an autem ratione alicujus virtutis, elevationis, aut motionis sacramentis impressæ ? Si eligatur primum ; plane sequitur sacramenta non transcendere rationem signi, atque ideo non habere rationem causæ respectu gratiæ in eisdem productæ : quia cum quolibet signo ita Deus pacisceretur, signum tantum foret, et non causa. Consequens autem esse contra fidem jam ostendimus § præced. Si autem eligatur secundum : poterunt nostra sacramenta agere per talem virtutem, agentque : et subinde vanum est recurrere ad illas angustias inexplicabiles, quod non alia ratione sacramenta dicantur causare gratiam, nisi quia actio Dei in illis existentis eisdem attribuitur : nam juxta hanc secundam dilemmatis partem, promptum, et expeditum est dicere, quod sacramenta influunt in gratiam per virtutem sibi a Deo communicatam.

Roboratur ex D.Thom. Desumitur autem hic discursus ex D. Thom. quæst. 27, artic. 4 ; nam in corp. art. meminit prædictæ sententiæ illis verbis :

bis : « Quidam dicunt, quod sacramenta « sunt causa gratiæ, non quia aliquid ad « gratiam habendam operentur per ali- « quam virtutem eis inditam ; sed quia in « eorum susceptione gratia datur a Deo, « qui sacramentis assistit. » Quam sententiam ipse refellit : « quia non videtur suf- « ficienter dignitatem sacramentorum no- « væ legis salvare, » ut luculenter ostendit in corp. art. Sed specialiter illum refellit hoc argumento, quod est tertium inter *sed contra*, et ita se habet : « Per institutio- « nem sacramentorum aliquid additur na- « turalibus elementis, aut nihil. Si nihil : « tunc non est aliquid collatum mundo in « institutione sacramentorum ; quod est « inconveniens. Si vero aliquid additur, « cum non frustra addatur, erit effectivum « alicujus, quod prius efficere non pote- « rant. Sed non nisi gratiæ, cum ad hoc « sint sacramenta instituta. Ergo sacra- « menta sunt effectiva gratiæ. » Subdit post hæc effugium contrariæ sententiæ, nempe non addi sacramentis aliquid absolutum, sed ordinem, sive relationem ad Deum assistentem, ut eatenus nostra sacramenta dicantur ad gratiam concurrere, quatenus Deus illis assistens gratiam producit. Sed effugium præcludit argumento sexto his verbis : « Aut assistit divina vir- « tus, quæ est ipse Deus, alio modo post « institutionem, quam ante, aut non. Si « non alio modo ; non habebunt effectum « post institutionem alium, quam ante. « Si vero alio modo ; cum Deus non « dicatur novo modo esse in creatura, nisi « per hoc, quod novum effectum in ea fa- « cit ; oportet, quod aliquid de novo sit « superadditum ipsis sacramentis. » Hoc autem superadditum debet esse virtus influendi in gratiam ; cum alia impertinenter se habeant in ordine ad gratiam, pro qua instituta sunt sacramenta. Unde vel nullo modo salvatur specialis assistentia Dei in ordine ad gratiam : vel fateri oportet dari nostris sacramentis aliquam virtutem, qua possint in gratiam influere. Et liquet illa duo Henrici dicta nec sibi, nec veritati constare.

Tertium corollarium. Scotus. 18. Tertio refellitur sententia Scoti in 4, dist. 1, quæst. 5, § *Ad primam quæstionem*, ubi docet sacramentis novæ legis non competere aliquam actionem proprie dictam, qua attingant gratiam sanctificantem, vel ullam dispositionem ad gratiam. Asserit tamen prædicta sacramenta non esse causas per accidens, sed posse dici quodam modo causas agentes, aut instrumentarias. Et hoc ultimum dictum explicat, et probat : quia omnis dispositio præparans necessario ad formam dicitur instrumentum ad producendum formam, ut patet (inquit ille) in meritis, quæ dicuntur instrumentum ad gloriam, non quia illam ulla actione efficiant, sed quia ad ipsam disponunt. Sacramentum autem, aut susceptio sacramenti (ut ipse loquitur), est dispositio proxima ad gratiam, quæ in eodem sacramento producitur. Ergo hac via dici, et salvari valet sacramenta nostra non esse causas per accidens, sed causas quodam modo et instrumentarias respectu gratiæ in eisdem productæ. Prædicta, inquam, sententia refellitur eodem illo motivo, et satis urgenti, quo præcedentes impugnavimus. Nam de fide est sacramenta nostra vere causare gratiam in eisdem productam : id autem juxta sententiam Scoti non salvatur : ergo prædicta sententia sustineri non potest. Probatur minor : quia ille asserit sacramenta nostra non aliter concurrere ad gratiam nisi dispositive, quatenus eis positis, ponitur gratia. Porro sacramenta non habent esse dispositiones ex natura rei, sicut calor disponit ad ignem : sed ad summum dicuntur dispositiones ex ordinatione divina, quatenus Deus statuit, quod eis adhibitis ipse producturus esset gratiam. Id autem non extrahit sacramenta a ratione signi, et meræ conditionis ex ordinatione divina. Ergo juxta prædictam sententiam non salvatur sacramenta nostra esse vere causas gratiæ. Unde Cano *in relect. de sacramentis*, part. 4, concl. 3, non dubitavit asserere prædictam sententiam non plus tribuere sacramentis Christi, quam sacramentis maleficorum : nam isti etiam adhibent quædam verba, et signa, quibus positis tanquam ultima ex pacto dispositione, adest Diabolus, et operatur effectum.

Fundamentum corollarii. Cano.

Confirmatio. Confirmatur : quia juxta præmissam sententiam, et expositionem sequitur sacramenta novæ legis non aliter, aut melius causare gratiam, quam sacramenta veteris legis : consequens est omnino falsum, et contra doctrinam Ecclesiæ, ut supra ostendimus num. 15 ; ergo talis sententia, et expositio sustineri non possunt. Sequela ostenditur : quia in Scoti sententia non

aliter sacramenta nostra dicuntur causare gratiam, nisi dispositive : et quod concurrant dispositive, aliud non est, quam sacramenta esse id, quo posito, Deus statuit efficere gratiam ; quare illis positis eam efficit. Sed totum hoc contingebat in sacramentis veteris legis, ut patet v. g. in circumcisione parvulorum : nam Deus statuerat, quod posito illo signo ipse illos justificaret, et purgaret a peccato originali, ut ex professo ostendimus disp. præced. dub. 1, § 1, et docent communiter Doctores. Ergo ex prædicta sententia sequitur, quod sacramenta nostra non aliter, nec perfectiori modo causent gratiam, quam sacramenta veteris legis. Unde ulterius fiet, quod sicut ob imperfectum modum, quo sacramenta antiqua concurrebant ad gratiam, possumus absolute negare sacramenta antiqua fuisse causas gratiæ, ut ponderavimus disp. 1, dub. 1, num. 22, possimus etiam negare absolute sacramenta nova esse causas gratiæ: id vero est prorsus falsum ; cum de fide sit sacramenta nostra vere causare gratiam.

[…]lia […]ntra […]tum. 19. Adde plura in ea sententia, aut explicatione contineri falsa, et vix, aut nullo modo intelligibilia. Nam quod dicit dispositionem necessario præparantem ad formam dici instrumentum, falsum plane est : actus enim, quibus impius se ad gratiam disponit, dispositiones quidem sunt, sed instrumenta non sunt, nec dicuntur : et homo illos eliciens non concurrit instrumentaliter ad justitiam. Rursus si sacramenta sunt dispositiones ad gratiam, ut Scotus vult ; vel sunt naturales, vel morales ? Non primum, quia sacramenta non connectuntur ex natura rei cum gratia. Nec etiam secundum, quia dispositiones morales eliciuntur a suscipiente sacramentum : a quo tamen communiter non sunt sacramenta, sed a ministro conficiente illa. Si autem dicat esse dispositiones extrinsecas, locutio est plane impropria : dispositio enim debet afficere immediate, aut saltem mediate subjectum, in quo recipitur forma. Deinde parvuli recipiunt in baptismo gratiam, et characterem absque dispositione, ut communiter loquuntur Theologi : et tamen ibi adest sacramentum, ut liquet ex terminis : non igitur concurrunt sacramenta per modum dispositionis, nisi loquamur improprie, et terminis abutamur. Quare licet Scotus verbis neget sacramenta nostra esse causas per accidens ; nihilominus in re nullum verum influxum illis attribuit ; sed præcise adstruit esse conditiones, quibus positis ex institutione divina datur gratia, aut esse conditiones sine quibus juxta institutionem divinam non conferretur gratia sacramentalis : quæ est ipsa sententia Durandi supra rejecta. Nihil enim horum extrahit sacramenta nostra a ratione solius signi, nec collocat in ratione veræ causæ : quod quam falsum, et periculosum sit § 1 diximus.

Unde Cajetanus *in Comment.* ad art. 1 hujus quæst. scite dixit : « A glossante autem Nota ex Cajetano.
« Scoto, aut quocumqne altero in extra-
« neum sensum, quærendum est, quibus
« verbis, aut quibus articulis, aut quo ser-
« mone Sancti, aut quicumque alii debuis-
« sent, aut potuissent explicare hoc, scilicet
« quod sacramenta sint causa effectiva
« gratiæ, si non explicatur per ista *Effi-*
« *ciunt quod figurant*, et rursus per ista,
« *Ita ut imaginem gerant, et causa existant.*
« Quæ omnia explicantur in 4 sentent.
« Doceant nos, quæso, quibus vocabulis
« explicandum fuerat. Et sic cognoscant se
« vel non sequi doctrinam Sanctorum in
« hac parte, collectam a Magistro senten-
« tiarum. Et scito, quod hodie minus libera
« apparet opinio hæc : quoniam in Concilio
« Florentino sub Eugenio IV legimus dif-
« ferentiam inter sacramenta veteris, et
« novæ legis in hoc, quod illa non causa-
« bant gratiam : ista vero continent gra-
« tiam, et conferunt eam. » Hæc omnia Cajetanus, plura et majora dicturus, si scripsisset post Concilium Tridentinum, cujus canones supra relati evertunt plane omnem sententiam, quæ vel absolute negat sacramenta nostra esse causas gratiæ, ut faciunt hæretici ; vel sic docet sacramenta esse causas, quod in re illa non extrahit a ratione signi, aut conditionis sine qua non, ut minus recte docuerunt aliqui Scholastici. Et propterea omnes prædictos dicendi modos uno impetu, eademque ratione rejecimus.

DUBIUM II.

Utrum sacramenta nostra sint causæ morales gratiæ ?

Expediti jam ab impugnatione illarum sententiarum, quas Theologi post Concilium Florentinum communiter reprobant, immediate

immediate procedimus ad investigandum modum, quo gratia a nostris sacramentis causatur. Et communiter etiam Theologi conveniunt in asserendo prædicta sacramenta esse instrumenta ad nostram justificationem, et causare in nobis per modum instrumenti justitiam, seu gratiam. Et quidem sic merito communiter docent. Tum quia Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 7, sub hoc titulo : *Quid sit justificatio impii, et quæ ejus causæ*, statuit causam finalem justificationis esse *gloriam Dei, et Christi* : causam efficientem *Deum* : causam meritoriam *Dominum nostrum Jesum Christum* : causam autem instrumentalem *sacramentum baptismi*. Et quamvis non recenseat alia sacramenta ; eadem tamen ratio in eis occurrit, et sufficiens exemplum adhibuit Concilium in uno. Conformiter ad quam doctrinam Concilium Moguntinum cap. 11, statuit : « Doceant Pastores septem esse « sacramenta divinitus instituta, per quæ « velut apta instrumenta atque media, suæ « gratiæ remedia nobis impertitur.» Tum etiam quia id, per quod agens principale operatur, est, et dicitur instrumentum : sed Deus, qui est agens principale, in nobis gratiam producens, operatur, atque illam efficit per sacramenta, juxta illud Apostoli ad Titum 3: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* : ergo sacramenta concurrunt tanquam instrumenta ad producendum gratiam. Tum denique quia cum de fide sit sacramenta nostra esse vere, et proprie causas gratiæ, ut constat ex dub. præced. §. 1, oportet, quod constituantur in aliquo causæ genere : at non in alio possunt constitui, quam in genere causæ efficientis instrumentalis : ergo ita asserendum est. Probatur minor : quoniam sacramenta non sunt causa finalis gratiæ ; siquidem ista non ordinatur ad sacramenta, sed e converso sacramentum ad gratiam : deinde non sunt causa materialis,aut formalis illius ; quando quidem non recipiunt in se gratiam, nec illam informant, aut formaliter constituunt : denique non sunt causa effectiva principalis illius ; id enim soli Deo convenit : restat igitur, quod sacramenta non constituantur in alio genere, quum causæ efficientis instrumentalis.

Supponitur sacramenta nostra esse causas instrumentales. — *Concil. Tridentinum.* — *Concil. Moguntinum.* — *Ad Tit. 3.*

20. Sed quamvis Theologi in hoc conveniant, controvertunt tamen, an sacramenta nostra sint instrumenta præcise moralia, aut moraliter influentia, an autem sint instrumenta physica, an denique utroque modo in gratiam influant, id est, tam physice, quam moraliter ? Et ut a facilioribus incipiamus, in præsenti dubio videndum præcise est, utrum moraliter influant : quod non pauci putant sufficere ad salvandum, quod sacramenta sint vere, et proprie causæ gratiæ. Unde quamlibet in hoc puncto partem teneamus, intactam relinquimus aliam quæstionem, an sacramenta physice concurrant : modo enim solum agimus de influxu morali, qui physicum nec infert, nec excludit.

Punctus difficultatis.

Ne autem rei difficultas reducatur ad nomina, oportebat prius exponere, quid sit influere, aut causare moraliter, et in quo distinguatur ab influxu, et causalitate physicis. Sed id jam exposuimus tract. 15, disp. 3, dub. 5, versantes similem difficultatem, an scilicet actus, quibus homo se disponit ad gratiam justificantem, sint dispositiones physicæ, vel morales ? Et ex ibidem dictis constat diversitatem inter causam physicam, et moralem non attendi penes entitatem causarum : fieri enim potest, quod entitas physica influat moraliter, et quod morale est, causet physice. Sic namque actus consilii quid physicum est, tamen moraliter movet : e contra autem malitia peccati gravis est quid morale, et nihilominus expellit physice gratiam. Ad modum itaque causandi magis quam ad entitatem rerum pro prædicta differentia stabilienda attendi debet. Modus autem proprius causæ moralis est, quod talis causa non inducit immediate, aut per se ipsum effectum, sed mediante influxu causæ physicæ, quam movet, excitat, et allicit ad producendum effectum; ut facile apparet in consilio, imperio, merito, impetratione, et aliis similibus, quæ apud omnes reputantur causæ morales illius effectus, in quem præcipue ordinantur. Non enim causa moralis, quatenus talis, eam virtutem, atque efficacitatem habet, ut actione sua effectum immediate attingat : unde causalitatem suam dirigit immediatius ad aliud principium, quod valeat effectum simpliciter inducere. Contrarius autem concurrendi modus constituit causam physicam, quando videlicet per id, quod in se habet, atque in proprio genere, causat immediate effectum, licet non propterea excludat aliarum causarum concursum. Qua ratione ignis, et calor, qui est virtus instrumentaria illius,

Observatio notanda.

causant physice ignem : non enim concurrunt sollicitando præcise causam superiorem, ut influat,sed se ipsis influendo, atque effectum attingendo. Similiter materia, et forma sunt causæ physicæ compositi substantialis : quia per se ipsas causant, illudque constituunt. Stat itaque causalitas moralis, sive modus moraliter influendi, quatenus a physicis distinguitur, in eo, quod causa moralis non habet influere in effectum per operationem, et efficaciam productivam effectus quantum ad esse, sive eductionem extra causas : sed solum habet movere voluntatem agentis per propositionem objecti allicientis ad producendum effectum. Inquirimus ergo, an sacramenta nostra sint in præmisso sensu causæ saltem morales gratiæ,quæ in eorum applicatione producitur.

§ I.

Duabus assertionibus expeditur difficultas.

ima- clu- o. 21. Dicendum est primo sacramenta nostra esse aliquo modo causas morales gratiæ, et ita appellari posse. Hanc conclusionem docent omnes Auctores negantes nostris sacramentis causalitatem physicam, quos tio. dabimus numer. 67. Docent etiam nonnulli, qui prædictam physicam causalitatem admittunt, ut Cabrera, Arauxo, Joannes a S. Thoma, Serra, N. Philippus, Gonet, Henriquez, Granados, et Bonacina locis referendis num. 51. Probatur ratione : quia signum, ad cujus præsentiam aliquid certo fit, est aliquo modo causa moralis illius, et sic vulgo appellatur, ut patet in scriptura significante obligationem aliquid faciendi, aut solvendi : sed sacramenta nostra sunt quædam signa, in quorum applicatione infallibiliter, quantum est ex parte eorum, confertur gratia, ut constat, ex dictis dub. præced. ergo sacramenta nostra sunt causæ morales gratiæ, et ita appellari possunt.

onfir- atio. Confirmatur primo : quia instrumentum subordinatum agenti principali ut influenti moraliter, est aliquo modo causa moralis effectus; oportet enim causam principalem, et instrumentum ejus influere in eodem ordine, atque ideo quod instrumentum agentis principalis moraliter influentis sit aliquo modo causa moralis : sed sacramenta nostra sunt quædam instrumenta subordinata Christo Domino, qui per modum causæ moralis influit in gratiam, nempe meritorie : ergo oportet, quod sacramenta sint aliquo modo causæ morales, et queant ita appellari. Quod amplius explicatur attendendo, quod sacramenta novæ legis ita se habent ad Christum in ordine ad causandum gratiam, sicut se habet pecunia ad emptorem in ordine ad emendum aliquam rem : quia sicut pecunia continet pretium rei emendæ, ita sacramenta continent aliquo modo gratiam dandam. Constat autem pecuniam cum subordinatione ad emptorem esse causam moralem rei, quæ emitur. Ergo pariter sacramenta cum subordinatione ad Christum sunt, et dici possunt causa moralis gratiæ, quæ in sacramentorum usu confertur. Et quia pro hac assertione suadenda deservire valent omnia argumenta, quæ proponemus a numer. 32, opus non est in ejus probatione amplius immorari.

22. Dicendum est secundo sacramenta nostra non esse vere, et proprie causas morales gratiæ. Ita Sotus in 4, dist. 1, quæst. 3, art. 1, § *Hoc argumentum*. Nugnus in præs. difficult. 7. Joannes a Cruce dub. 3. Coquetius lib. 2, *de gratia*, disp. 9, cap. 3. Prado dub. 2, § 3. Suarez in Comment. ad art. 1, et disp. 9, sect. 2, § *Quarto igitur*. Valencia disp. 3, quæst. 3, puucto 1. Alanus de sacramentis in genere cap. 34, et alii. Secunda conclusio. Soto. Nugnus. Joan. a Cruce. Coquetius. Prado. Valencia. Alanus.

Probatur primo auctoritate simul,et ratione D. Thomæ in præs. art. 1, quoniam illud, quod præcise concurrit per modum signi, non concurrit per modum causæ moralis veræ, et propriæ : sed sacramenta nostra præscindendo, ut nunc præscindimus, ab influxu physico, quem habeant, concurrunt præcise per modum signi : ergo prædicta sacramenta non concurrunt per modum causæ moralis vere, et proprie dictæ. Major constat : quia signum, et eausa sunt genera primo diversa, et inter se non subordinata. ut liquet ex dictis disp. 1, dub. 1, § 4, ergo quod præcise concurrit per modum signi : non concurrit per modum causæ moralis vere, et proprie dictæ : hæc enim sub communi causæ genere continetur. Minor autem ostenditur : quia sacramenta nostra, præscindendo, ut nunc præscinditur, ab influxu physico, non aliter in productione gratiæ possunt concurrere, quam repræsentando vel promissionem Dei statuentis in eorum præsentia dare gratiam, vel merita Christi Domini ad hunc finem ordinata : sed tota hæc repræsentatio pertinet ad rationem signi Fundamentum ex D. Thom.

signi significantis, et promissionem, et merita, et meritorum applicationem : ergo sacramenta nostra, præscindendo a causalitate physica, concurrunt præcise per modum signi. Unde D. Thom. loco citato refert sententiam aliquorum explicantium causalitatem nostrorum sacramentorum per hujusmodi significationem. « Et ponunt, *inquit*, exem« plum de illo, qui afferens denarium « plumbeum accipit centum libras ex regis « ordinatione : non quod denarius ille ali« quid operetur ad habendam prædictam « pecuniæ quantitatem : sed hoc operatur « sola voluntas regis. Unde et Bernardus « dicit in quodam serm. de Cœna Domini, « sicut investitur Canonicus per librum, « Abbas per baculum, Episcopus per annu« lum : sic divisiones gratiarum diversæ « sunt traditæ sacramentis.» Quam sententiam statim refellit D. Thom. his verbis, et discursu a nobis præmisso : « Sed si quis « recte considerat, ille modus non trans« cendit rationem signi. Nam denarius « plumbeus non est, nisi quoddam signum « regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia « recipiatur ab isto. Similiter liber est « quoddam signum, quo designatur tradi« tio Canonicatus. Secundum hoc igitur « sacramenta novæ legis nihil plus essent « quam signa gratiæ. Cum tamen ex multis « Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod « sacramenta novæ legis non solum signi« ficant, sed causant gratiam.» Quod nunc esse de fide constat ex dub. præced. § 1.

Aliquorum responsio. 23. Nec satisfacit, quod Granados, et alii respondent S. Doctorem non exclusisse omnem modum causalitatis moralis, sed dumtaxat illum a se relatum, qui revera est insufficiens ad explicandum rationem causæ moralis nostris sacramentis convenientem. Et addunt D. Thomam ita se gessisse, ut catholicam causæ assertionem explicaret per causalitatem physicam : non quia illam judicaverit simpliciter necessariam, sed quia eam censuit commodiorem, et faciliorem ad explicandum dicta sanctorum.

Refellitur. Hoc, inquam, minime satisfacit : quoniam si semel fit, ut modo fit, præcisio ab influxu physico, et sacramentis nostris solum attribuitur causalitas moralis ; prædicta exempla aptissima sunt ad exponendem concursum nostrorum sacramentorum in productione gratiæ, et alia non invenientur aptiora. Etenim sacramenta nostra solum concurrent, ut repræsentantia Dei promissionem, et ut deferentia, sive applicantia influxum Christi per meritum : quod non habent, quia illa physice contineant. Sed quia hoc significant, et ad hunc finem ordinata sunt a Deo, et a Christo Domino. Eodem autem modo se habet denarius plumbeus ordinatus a rege, ut significet ejus voluntatem, et promissionem de conferendo centum libras; siquidem applicat repræsentative regis voluntatem, et imperium. Et similiter se habet liber, quo quis investitur in Canonicum : est enim signum repræsentans voluntatem communitatis, et Pontificis conferentis Canonicatum. Quare denarius, et liber continent moraliter repræsentative imperium regis, et communitatis, illudque moraliter applicant. Quo non amplius habent sacramenta, ubi fit præcisio ab influxu physico : quippe si nihil physicum a Deo, et Christo recipiunt, solum comparantur moraliter repræsentando eorum promissionem, ordinationem, et applicationem. Ergo qua ratione D. Thomas rejecit eam sententiam ut illo exemplo declaratam, rejiceret etiam, quocumque alio exemplo declararetur : quælibet namque adhibeantur, non transcendunt rationem signi significantis alterius voluntatem, et influxum ; nec amplius rem declarabunt, quam denarius, et liber. Per quod etiam excluditur responsionis additamentum : quia nullum habet vel apparens fundamentum in S. Doctore, ut legenti locum constabit. Ipse namque antecedenter ad sententiam propriam rejecit aliorum expositionem ut insufficientem. Quare absque illius injuria non dicitur, quod impugnaverit eam sententiam, non quia falsam judicaverit, sed ut propriam introduceret : id enim non decebat sincerissimam ejus veritatem. Rejecit itaque sententiam illam, quod viderit ipsam non deferre nostris sacramentis veræ causæ rationem, sed solius signi ; cum tamen fateri oporteat sacramenta nostra esse veras gratiæ causas.

24. Confirmatur præmissus discursus : quia si sacramenta nostra essent vere, et proprie causæ morales gratiæ, idem dici deberet de sacramentis legis scriptæ : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : quia præscindendo pro nunc a causalitate physica, nihil morale est in nostris sacramentis, quod non fuerit in antiquis. Sicut enim Deus statuit dare gratiam in applicatione nostrorum sacramen- Confirmatio

torum ; sic etiam statuit illam conferre in usu antiquorum, illamque reipsa dabat, ut constat ex dictis disp. præced. dub. 4. Quare sacramenta tam in antiqua, quam in nova lege fuerunt, et sunt obsignationes divinæ promissionis, et signa, ad quorum præsentiam Deus decrevit gratiam conferre. Deinde sicut merita Christi non fuerunt in sacramentis antiquis nisi sicut in signo illa repræsentante; sic etiam in sacramentis nostris non sunt, nisi sicut in signo, ex suppositione, quod ex prædictis meritis nulla virtus ad hujusmodi sacramenta intrinsece derivetur. Quin nullum continentiæ genus potest excogitari, quo sacramenta nostra dicantur (præscindendo a physica elevatione) continere meritum Christi, et eo merito Deum movere ad producendum gratiam, quod applicari non possit sacramentis antiquis : præsertim apud illos Auctores (et sunt communiter, contra quos agimus), qui sentiunt merita Christi futuri influxisse moraliter efficienter in gratiam Patrum antiquorum. Ergo si sacramenta nostra sunt vere, et proprie causæ morales gratiæ; idem dici debet de sacramentis legis antiquæ. Falsitas autem hujus consequentis ostenditur : nam de eo, quod est vere et proprie causa moralis alicujus effectus, nequit absolute negari, quod sit causa illius : sicut de meritis, quæ vere moraliter in præmium influunt, non negatur absolute esse causam præmii Atqui de sacramentis legis antiquæ absolute negatur fuisse causam gratiæ, ut constat ex Concilio
l. Florentino in doctrina de sacramentis pro
n- i. instructione Armenorum, ubi dicitur : « Differunt autem sacramenta nostra a sacramentis veteris legis, quod illa non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam significabant. »
m. Et D. Thomas, qui in hac quæst. art. 1, statuit sacramenta nostra causas gratiæ, in eadem quæst. art. 6, expresse negat, quod sacramenta antiqua fuerunt ejus causæ. Recolantur quæ diximus disp. 1, dub. 1, num. 22, ubi alia similia testimonia expendimus. Ergo non potest dici, quod sacramenta antiqua fuerint vere, et proprie causæ morales gratiæ sanctificantis. Desumitur autem totus hic discursus ex D. Thoma quæst. 27, *de veritate*, art. 4, in corp. ubi refert aliquorum exempla, quibus causalitas moralis, quam nostris sacramentis deferunt, explicari posset ; et ea refelli simul confutando commune effugium distinctionis inter merita, et passionem Christi ut futura respectu antiquorum, et ut præsentia respectu nostri : « Hæc, *inquit*, opinio non videtur D.Thom.
« sufficienter dignitatem sacramentorum « novæ legis salvare. Si enim recte consideretur exemplum ab eis propositum, et « alia similia; non invenitur, quod id, « quod causam dicunt, sine qua non, se « habeat ad effectum, nisi sicut signum. « Denarius enim plumbeus non est nisi « signum acceptionis pecuniæ, et baculus « potestatis, quæ confertur Abbati. Unde « si sic se habent sacramenta novæ legis « ad gratiam, sequitur, quod sint solum « signa gratiæ : et ita nihil habebunt præ « sacramentis veteris legis : nisi forte quis « dicat, quod sacramenta novæ legis sunt « signa gratiæ simul cum eis datæ, sacramenta autem veteris legis gratiæ pro« missæ. Sed hoc magis pertinet ad condi« tionem temporis, quam ad dignitatem « sacramentorum : quia in tempore illo « promittebatur gratia; nunc autem est « tempus plenitudinis gratiæ propter re« parationem humanæ naturæ jam factam. « Unde secundum hoc sacramenta ista, si « tunc fuissent cum toto eo, quod nunc « habent, nihil plus fecissent, quam illa : « nec illa nunc minus facerent, quam ista, « nulla eis additione facta. » Hæc omnia S. Doctor permittendo etiam, quod sacramenta antiqua fuerint præcise signa gratiæ futuræ, nobis dandæ. Sed veritas est prædicta sacramenta significasse, et quidem immediatius gratiam sanctificantem, quæ in eorum usu rite suscipientibus conferebatur, ut constat ex dictis disp. præced. dub. 4, ex quo vires confirmationis magis augentur.

25. Secundo probatur eadem assertio alia ratione a priori : quia de ratione causæ moralis vere et proprie dictæ est, quod influat moraliter vere, et proprie : sed sacramenta nostra non influunt in gratiam moraliter vere, et proprie : ergo non sunt causæ morales gratiæ vere, et proprie. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur : quia omnis causalitas moralis vere, et proprie talis est per modum finis, aut meriti, aut impetrationis, aut consilii, aut denique ad horum instar : sed sacramenta nostra non sunt vere, et proprie finis gratiæ, nec ejus meritum, impetratio, aut quid simile, ut consideranti constabit : ergo Aliud pro assertione motivum.

ergo sacramenta nostra non influunt moraliter in gratiam vere, et proprie.

Confirmatio. Confirmatur explicando amplius vires, et radices hujus motivi : etenim causa moralis vere, et proprie sumpta solum dicitur illa, quæ movet finaliter, vel agit libere : sed sacramenta nostra neutro modo influunt in gratiam : ergo sacramenta non sunt causa moralis gratiæ vere, et proprie. Major probatur : quia moralitas vere, et proprie dicta solum reperitur in pertinentibus ad voluntatem, quæ influit libere in ordine ad finem : atque ideo solum attenditur vel ex parte ipsius objecti, seu finis, quæ solet dici moralitas objectiva; vel ex parte ipsius voluntatis, et actuum ejus, quæ solet dici moralitas formalis. Unde D. Thom. in 2, dist. 24, art. 3, quæst. 2, generaliter statuit : « quod ibi incipit genus « moris, ubi primo dominium voluntatis « invenitur. » Et 1 part. quæst. 48, art. 1 ad 2 : « quod moralia recipiunt species « ex fine, qui est objectum voluntatis, a « quo moralia dependent. » Minor etiam suadetur, et primo quoad primam partem : quia sacramenta nostra influunt in gratiam tanquam instrumenta, ut in limine dubii supponimus, et probavimus : sed motio, sive causalitas per modum finis non pertinet ad instrumenta; siquidem manifestum est instrumenta constitui sub genere causæ efficientis, a quo differt causa finalis : ergo sacramenta nostra non influunt in gratiam motione per modum finis; atque ideo nequit ab hac parte dici, quod causent moraliter vere, et proprie. Secunda etiam minoris pars ostenditur : quia sacramenta sunt res externæ, in quibus sicut non reperitur formaliter libertas, ita nec moralitas : ergo nequeunt influere moraliter ut actio libera; quare ab hac parte habent, quod non possint dici vere, et proprie causa moralis per modum meriti, aut impetrationis. Idque magis perspicuum fiet, si consideremus sacramenta vel ex parte institutionis Christi, vel in se ipsis. Et quidem illa institutio ad nostram gratiam concurrit moraliter per modum meriti : fuit enim actus Christi honestissimus, et meritorius, quo nobis hæc medicamenta providit. Sed sacramenta in se ipsis non habent libertatem, atque ideo nec moralitatem formalem, quæ libertati innititur. Ergo quamvis sacramenta dicant aliquid morale præsuppositive, nempe actionem laudabilem, et meritoriam Christi sacramenta instituentis, et eisdem vires dantis : nihilominus formaliter, et intrinsece non sunt aliquid morale, sed quid pure physicum actione morali institutum : sicut medicamenta externa non sunt formaliter sana, aut habentia formaliter sanitatem.

Ulterior confirmatio. Ad hæc : causans moraliter vel per modum objecti, aut finis, vel per modum efficientis debet habere bonitatem vel objectivam, vel formalem : sed nostra sacramenta neutrius bonitatis ratione causant : ergo non causant moraliter vere, et proprie. Probatur minor : nam in primis sacramenta in se ipsis sumpta non habent libertatem formalem; ergo nec habent formalem bonitatem moralem : quare nisi impropriissime dici non valent meritum, aut impetratio. Deinde sacramenta præscindendo (ut modo præscindimus) ab elevatione physica, nullam habent in se bonitatem supernaturalem, cujus ratione movere queant ad producendum supernaturalem effectum : sunt enim in se ipsis res naturales, et satis infimæ, ut aqua, oleum, etc., atque ideo non habent bonitatem objectivam, quæ cum proportione moveat ad productionem gratiæ. Nullam itaque sacramenta nostra habent bonitatem vel objectivam, vel formalem, qua vel per modum finis, vel per modum efficientis queant moraliter in gratiam sanctificantem influere. Quod producto exemplo constat in baptismo parvuli : nam si ad parvulum attendamus, nulla in eo reperitur dispositio : si ad ministrum, potest in ipsa sacramentali actione graviter peccare : si ad sacramentum, nempe ablutionem cum verborum prolatione, totum hoc est naturale, et inferioris ordinis ad gratiam. Quid ergo hic concurrit, quod gratiam moraliter contineat, et dicatur in eam moraliter influere ? Si autem fiat recursus ad Christi institutionem : plane fatemur hanc honestissimam esse, et meriti infiniti : sed tamen non intrat intrinsece sacramentum, sed ad illud præsuppositive, et causaliter se habet. Modo autem agimus non de influxu Christi, sed de influxu sacramentorum in se ipsis.

Effugi[um]. 26. Dices primo superesse adhuc modum, quo sacramenta dicantur moraliter influere, nempe repræsentando merita Christi eorum auctoris, et illa offerendo Deo, atque applicando in finem, pro quo fuerunt instituta. Dices secundo præmissum a nobis

discursum solum evincere, quod sacramenta nostra non causant moraliter moralitate proprie sumpta, sive in ordine ad regulas morum; secus autem, quod non causent moraliter moralitate latius accepta in ordine ad prudentem æstimationem, pro qua non requiritur bonitas intrinseca, aut libertas intrinseca. Ab hac enim moralitate videmus plura dignificari, quæ in se ipsis venerationis, quam eis deferimus, expertia sunt: sic enim crux, et vestes Christi merentur adorationem ob contactum ad Christum, vel propter habitudinem, quam ad Christum habent. Cum igitur sacramenta nostra sint instituta a Christo Domino, ut eisdem gratiam consequamur; ex ipsa institutione, et auctore habent sufficientem bonitatem moralem in ordine ad prudentem æstimationem, ut dicantur in eodem sensu influere moraliter in gratiam.

u- … m. Sed hæc nihil valent. Nam primum non alium concursum nostris sacramentis attribuit, quam per modum signi, videlicet repræsentando, atque sua repræsentatione alliciendo: hoc autem est insufficiens ad rem præsentem explicandam: quia sacramenta nostra concurrunt non solum significando, sed etiam vere, et proprie causando, ut dub. præced. ostendimus, et omnes in præsenti supponunt. Deinde insufficientia hujus responsionis constat tum ex eo, quod juxta illa concedendum erit sacramenta nostra non magis vere, et propre influere in gratiam, quam imagines Christi; istæ enim repræsentant etiam ejus merita; præsertim cum a nobis in hunc finem repræsentandi merita Christi, et institutionem sacramentorum formantur. Tum ex eo, quod sacramenta antiqua repræsentabant etiam passionem, et merita Christi; propter quæ Deus in eorum sacramentorum applicatione gratiam sanctificationis, et reconciliationis communicabat: ergo si sacramenta nostra non alio modo ad gratiam concurrunt, sequitur sacramenta antiqua, et nostra esse ejusdem rationis in causando: quod supra reprobatum est num. 24. Adde concursum signi in repræsentando, atque repræsentative influendo esse concursum per modum objecti cogniti, qui concursus proprie effectivus non est: concursus autem nostrorum sacramentorum ad gratiam debet esse effectivus instrumentalis, qui plane ab objectivo distinguitur: quare concursus in ratione signi insufficiens, atque impertinens est ad explicandum propriam nostrorum sacramentorum causalitatem in gratiam.

Secundum confutatur *Secundum* etiam (in quo major apparentia occurrit), non prodest: quia esto, sacramenta nostra habeant aliquam dignitatem moralem in ordine ad prudentem æstimationem ex eo, quod a Christo fuerint instituta; nihilominus hoc solum probat, quod concurrant objective, et per modum signi, non autem causaliter instrumentalitèr. Et liquet hoc ab ipsis exemplis in contrarium allatis: nam quod crux, et vestes Christi habeant in ordine ad prudentem æstimationem esse quid dignius, et promereri in hoc sensu majorem venerationem: minime evincit quod habeant aliquem influxum, quod moraliter vere, et proprie illam venerationem, aut quid simile in nobis efficiant. Et quamvis prædicta Deo oblata, aut repræsentata illum moraliter moverent, ut forte contingit; non propterea dicerentur efficere vere, et proprie talem effectum. Ergo si hoc modo explicatur causalitas nostrorum sacramentorum; plane sequitur tum eorum concursum esse dumtaxat per modum signi: tum non aliter in gratiam influere, quam influunt crux, et vestes Christi. Quæ omnia absurda sunt, et salva fide sustineri nequeunt, ut dub. præced. probavimus. Nec proderit *Præciditur alia fuga.* recursus ad promissionem Dei de dando infallibiliter gratiam, quam nostra sacramenta adjunctam habent; secus vero crux, vestes, et alia signa. Non valet, inquam, iste recursus: quoniam promissio in esse talis non addit rebus virtutem, aut causalitatem, sed adjungi potest puris signis, et conditionibus sine quibus non, quæ minime habent rationem causæ vere, et proprie dictæ. Unde videmus, quod divina promissio de dando gratiam fuit etiam adjuncta sacramentis legis antiquæ: et tamen illa non extraxit a ratione signorum; nec in conceptu, aut officio causæ vere, et proprie constituit. Ergo quod sacramenta nostra habeant adjunctam prædictam promissionem, solum probat illa esse signa infallibilia, aut conditiones, sine quibus non. Sed minime evincit esse causas morales alio modo, quam crucem, et vestes Christi, quarum exemplo se protegebat responsio: quippe æstimabilitas illa moralis in ordine ad prudentem æstimationem utrisque communis est, ut explicuimus. Ergo nisi aliquid

quid aliud nostris sacramentis addatur; sequitur illa non magis proprie causare moraliter gratiam, quam illam causant crux, et vestes Christi. Omittimus aliam longe diversam rationem habendam fore de sacramentis, ac de cruce, et vestibus Christi: istæ namque habuerunt physicum ad illum contactum, qui fundat æstimationem moralem, seu prudentialem: illa autem hunc contactum minime habuerunt, sed extrinsecam tantum institutionem: unde ex vi hujus solum sunt digna præsuppositive, atque ex parte institutoris, et institutionis: sed non sequitur, quod habeant in se ullam dignitatem, aut moralitatem, vere, et proprie dictam. Si autem illam non habent, nequeunt vere, et proprie moraliter influere ut supra loquentes de bonitate morali in ordine ad regulas morum arguebamus.

Aliud pro assertione fundamentum. 27. Tertio probatur conclusio referendo, et refellendo modos, atque exempla, quibus Adversarii declarant influxum moralem nostrorum sacramentorum in gratiam: inde enim evidentius constabit eorum insufficientia, ut salvetur prædicta sacramenta esse causas morales vere, et proprie. Et in primis exemplum illud de eo, qui afferens denarium plumbeum accipit centum libras ex Regis ordinatione, rejectum a D. Thom. vidimus num. 22, ac quidem optima ratione: quia denarius ille solum est signum ordinationis regiæ, nec ullo modo influit in libras, aut earum solutionem. Quare si sacramenta nostra ita compararentur ad gratiam, non essent vera ejus causa, sed solum signum ordinationis divinæ, aut conditio sine qua, quod salva fide dici non valet. Et profecto sacramenta antiqua etiam concurrebant tanquam signa infallibilia divinæ ordinationis, et promissionis: quo non obstante, non erant vere, et proprie causa gratiæ justificantis: idem itaque contingeret in nostris, si non aliter concurrerent, ut num. 24, fusius ponderavimus.

Cani explicatio insufficiens. Quod autem Cano, et alii post ipsum dicunt sacramenta nostra se habere ad instar crumenæ continentis pretium redemptionis (sic enim sacramenta continent merita Christi, quæ sunt pretium gratiæ nobis datæ): minus recte dicitur ob duo satis evidentia. Nam in primis pretium materiale redemptionis continetur in bursa physice, realiter, et actualiter tanquam locatum in loco, aut locatum continente: ridiculum autem foret dicere, quod pretium nostræ redemptionis, scilicet meritum Christi hoc modo continetur in sacramentis. Si qua vero alia continentia illis attribuitur, non est nisi per modum signati in signo, sicut ordinatio regis continetur in nummo plumbeo in ordine ad exigendum centum libras: quæ continentia, ut proxime vidimus, inepta est ad salvandum, quod sacramenta causent vere, et proprie gratiam. Deinde crumena continens materialiter pretium redemptionis nullo modo est vere, et proprie causa physica, aut moralis redemptionis passivæ; sicut nec locus, in quo quis continetur, et agit, potest dici causa effectus ab agente producti: si igitur sacramenta ita comparantur ad gratiam, sicut crumena continens pretium ad redemptionem, manifeste sequitur sacramenta nostra non esse vere, et proprie causas gratiæ.

Juniorum exemplum non [...]tum. Quod præterea Juniores communiter dicunt nostra sacramenta esse quasi chirographum Christi, ut nobis hujus nomine, et illius exhibitione conferatur gratia sanctificans; non magis rem explicat, quam præmissa: tum quia chirographum non est vera causa, sed solum quoddam signum contractus celebrati, et obligationis inde consurgentis: unde licet communi quadam ratione appelletur instrumentum, quod illo instructus creditor agat contra debitorem; tamen instrumentum proprie non est, sed signum, aut probatio obligationis contractæ: ergo si sacramenta nostra eo tantum modo moraliter concurrunt, quo concurrit chirographum ad extorquendum rem debitam, sequitur sacramenta nostra non esse veras causas morales gratiæ dandæ, sed præcise quædam signa. Tum etiam quoniam chirographum non aliter, nec altiori ratione concurrit ad solutionem debiti, quam denarius plumbeus ad solutionem centum librarum ex ordinatione regis; quem non esse veram causam moralem, sed merum signum, docet expresse D. Thomas, et constat ex supra dictis: si hac igitur ratione nostra sacramenta concurrunt ad gratiam, sequitur non esse veras causas, sed signa. Tum denique quia sacramenta antiqua etiam fuerunt chirographum; et obsignatio promissionum Dei de gratia in eorum usu conferenda: et hoc modo, quando in eorum applicatione producebatur, con-

currebant: et tamen non fuerunt vera causa moralis prædictæ gratiæ: ergo idem continget in sacramentis nostris, quamvis ad instar chirographi se habeant, et prædicto modo concurrant.

28. Scimus aliquos Juniores huic ultimæ impugnationi respondere assignando rationem differentiæ, quam sic declarant. Nam si princeps v. g. Hispalensi bancario schedulam mittat, ut delatori conferat mille nummos; distinguendum est, utrum princeps habeat illam, aut majorem quantitatem apud bancarium, vel non. Si hoc ultimum contingat; poterit quidem bancarius id ex liberalitate, aut amicitia facere, sed non obligatur ex justitia: et sic schedula non est vere instrumentum morale aliquid operans, sed merum signum manifestans principis voluntatem. Si autem contingat primum: tunc bancarius solvit non ex liberalitate, sed ex justitia, quam schedula defert: quæ proinde recte dicitur causa moralis solutionis nummorum, quia tot moraliter continet, et valet. Sic igitur ditissimus Princeps noster Christus habet de facto depositum apud Patrem infinitum thesaurum suorum meritorum: et sacramenta ab ipso instituta sunt veluti schedulæ, quibus exhibitis, et legitime applicatis, Deus nobis gratiam conferat, perinde ac si offeremus schedulam propria ipsius Christi manu obsignatam, quare productio gratiæ in sacramentis nostris est debita ex justitia respectu Christi, et talia sacramenta continent moraliter talem gratiam: et consequenter exercent rationem vere causæ respectu illius. Quod aliter contingebat ante adventum, et passionem Christi: eo quippe tempore nihil Christus meruerat, nullosque habebat meritorum thesauros depositos apud Patrem: quocirca licet sacramenta antiqua essent schedulæ, nihilominus non continebant valorem gratiæ, nec obligabant ad collationem ejus ex justitia, sed gratia dabatur ex sola Dei liberalitate: et hac de causa non fuerunt vera instrumenta moralia, sed mera signa.

Cæterum subtilis hæc recentiorum cogitatio nihil habet soliditatis, sed si præmatur, dehiscit. Primo quidem, quia licet in bancario supponatur pecunia principis, aut debitum eam solvendi ad illius arbitrium; nihilominus sine fundamento dicitur schedulam supervenientem esse veram causam moralem influentem in solutionem: quia nec obligatio solvendi, nec actualis solutio proveniunt ab schedula, sed a deposito, pacto, aut contractu antecedenti, et a voluntate principis. Schedula autem solum est memoriale illius obligationis, et signum voluntatis principis: ergo sive solutio fiat ex liberalitate, sive ex justitia; schedula non est vera causa moralis solutionis, sed merum siguum, ad cujus præsentiam solutio fit. Quare si hoc tantum modo concurrunt sacramenta nostra, fiet ipsa concurrere per modum signi, et sicut concurrebant antiqua. Secundo, quia prædicti Juniores valde inconsequenter loquuntur: communis quippe apud illos sententia est merita Christi influxisse meritorie in gratiam, quam antiqui per sacramenta recipiebant, sicut in quamlibet aliam gratiam post Adami peccatum productam. Habebat ergo tunc Christus thesaurum meritorum depositum apud Patrem, et collatio gratiæ erat solutio debita ex justitia respectu Christi. Ergo ex prædicta radice nequit desumi ratio differentiæ inter sacramenta nova, et antiqua. Et consequenter cum omnia fuerint, et sint quasi schedulæ ad consequendum ex Deo gratiam propter merita Christi; sequitur ex Juniorum dictis antiqua, et nova sacramenta esse veras causas morales gratiæ. Sed sicut consequens est falsum in antiquis, sic etiam manifestat falsitatem prædicti discursus in novis. Tertio, quoniam obligatio solvendi non solum oritur ex merito alterius, aut ex pacto cum illo inito, sed etiam ex promissione acceptata: sed quidquid fuerit de modo, quo merita Christi ante ejus adventum influebant, certum est Deum decrevisse, et promisisse gratiam hominibus, qui sacramentis legis antiquæ uterentur: ergo illa sacramenta erant quasi schedulæ Dei, quibus se obligabat gratiam conferre: et tamen non fuerunt causæ morales vere, et proprie influentes in gratiam, ut Juniores docent: ergo idem dicendum est de noxis sacramentis, licet sint quasi schedulæ Christi in ordine ad gratiam consequendam. Quarto et ultimo, quia denarius plumbeus ad consequendum centum libras ex ordinatione regis perinde se habet ac schedula regis in ordine ad prædictum effectum, ut negabit nemo, qui facile considerat differentiam mere materialem esse inter plumbum, et papyrum. Regis autem ordinatio regulariter supponit in solvente debitum ex justitia. Et nihilominus

nus D. Tho. universaliter, atque evidenter determinat nummum plumbeum non esse veram causam solutionis librarum, sed comparari tanquam merum, ac purum voluntatis regiæ signum, ut supra vidimus. Ergo idem dicendum est de schedula in hac, et quacumque materia, sive supponat debitum ex justitia, sive non supponat. Atque ideo ex eo, quod sacramenta nostra sint quasi schedula Christi supponentis gratiam nobis dandam esse sibi debitam ex justitia : minime sequitur, quod talia sacramenta sint causæ morales vere, et proprie in gratiam influentes.

Aliorum explicatio.

29. Quod denique alii dicunt sacramenta nostra habere esse causas gratiæ morales vere, et proprie ab ipsa Christi institutione, qui voluit hanc perfectionem ipsis deferre : consistere autem perfectionem hujusmodi in eo, quod merita sua, et efficacitatem passionis suæ in illis deposuerit, ut scilicet rite suscepta perinde impetrent a Deo gratiam, ac si ipsa Christi merita ibidem adessent : quare sicut merita Christi causant gratiam moraliter proprie, sic etiam ejus sacramenta; licet illa principaliter, hæc vero solum instrumentaliter. Noluit autem Deus, quamvis absolute posset, hoc privilegium, sive perfectionem communicare sacramentis legis antiquæ : tum quia eo tempore non erat solutum prætium nostræ redemptionis : tum quia decebat hanc perfectionem reservari sacramentis legis gratiæ, quæ, sicut ipsa lex, debent esse simpliciter perfectiora.

Confutatur.

Hoc, inquam, quod Juniores dicunt, eadem, qua dicitur facilitate repellitur. Non quia negemus majorem nostrorum sacramentorum perfectionem : sed quia Adversarii illam potius negent, dum dicunt talia sacramenta esse causas morales vere, et proprie, et tamen nihil eisdem tribuunt, quam meris signis. Quod ostenditur refellendo hanc ultimam eorum explicationem: quoniam eatenus sacramenta nostra possent influere in gratiam tanquam causæ morales vere, et proprie dictæ, quatenus Christus in eis deposuisset sua merita, et efficacitatem suæ passionis : sed juxta Adversariorum sententiam Christus non deposuit vere, et proprie sua merita in sacramentis: ergo talia sacramenta non possunt influere in gratiam per modum causæ moralis vere, et proprie. Major, et consequentia patent : quia cum sacramenta ex se, sive ex intrinsecis non habeant hujusmodi vim causandi moraliter vere, et proprie; consequens est, quod non possint ita influere, nisi ex eo, quod Christus in eis disposuerit merita sua, et efficacitatem suæ passionis. Minor autem probatur : quia non est intelligibile, quod Christus sua merita in sacramentis deposuerit, nisi aliquid reale ad sacramenta derivaverit : atqui juxta Adversariorium doctrinam Christus ad sacramenta nostra nihil physicum derivavit ; sed ea reliquit in se immota, sicut prius erant : ergo juxta Adversariorium doctrinam Christus non deposuit vere, et proprie sua merita in sacramentis.

Confirmatio 1.

30. Confirmatur primo : nam Christus non aliter potuit deponere moraliter sua merita in sacramentis, in ordine ad producendum gratiam, quam rex deponit moraliter sua merita, et auctoritatem in nummo plumbeo, aut schedula in ordine ad solvendum centum libras : sed ex eo, quod rex deponat moraliter sua merita, et auctoritatem in nummo plumbeo, aut schedula, non sequitur nummum, aut schedulam esse causas morales vere, et proprie influentes in solutione, ut sæpius in superioribus diximus cum D. Thom. sed solum sequitur esse signum voluntatis regiæ de conferendo eam quantitatem : ergo ex eo, quod Christus sua merita deposuerit moraliter in sacramentis nostris non sequitur, quod hæc sint causæ morales vere, et proprie influentes in gratiam, sed solum quod concurrant tanquam signa volutatis Christi, ut gratia producatur.

Confirmatio 2.

Confirmatur secundo : quando dicitur Christum deposuisse valorem suorum meritorum, et efficacitatem suæ passionis in nostris sacramentis ; vel sermo est de depositione, sive communicatione propria, et formali: vel solum de communicatione impropria, et repræsentativa ? Primum dici non potest:quia certum est valorem meritorum Christi, et efficacitatem passionis ejus solum reperiri proprie, et formaliter in ipso Christo : cum quo minime cohæret, quod communicata fuerint sacramentis communicatione formali, et propria : implicat enim vel eandem formam, vel eundem effectum formalem esse in diversis subjectis. Tenendum itaque est secundum, nempe valorem meritorum Christi, et efficacitatem passionis ejus fuisse sacramentis communicatam solum improprie, et quantum ad

repræsentationem. Sed eo ipso nequeunt sacramenta concurrere per modum causæ moralis veræ, et propriæ, sed solum per modum signi, ut patet in sigillo, aut chirographo continente eodem modo regiam voluntatem, et applicationem, ut sæpius diximus : ergo ita asserendum est. Explicatur amplius vis hujus impugnationis : nam Christum deponere sua merita in sacramentis in ordine ad nostram sanctificationem, non est aliud quam velle, quod adhibitis sacramentis communicetur nobis gratia sanctificans. Ad hoc autem non est necessarium quod sacramenta contineant vere, et proprie merita Christi, nec quod causent vere, et proprie gratiam ; sed sufficit, quod sint signa repræsentantia Christi voluntatem, et applicationem. Et si dicatur Christum voluisse sacramenta esse non solum signa, sed etiam causas morales vere, et proprie ; est implicatio in terminis facta suppositione, quod Christus nihil intrinsecum ad sacramenta derivaverit : quia nec sacramenta sunt ex se tales causæ, nec esse possunt ratione meriti Christi ; cum illud non contineant vere, et proprie, sed solum repræsentative, ut paulo ante dicebamus.

§ II.

Refertur opinio secundæ assertioni contraria.

31. Adversus primam conclusionem non occurrit sententia, quam referamus : quamvis enim aliqui videantur in universum, negare sacramenta nostra esse causas morales gratiæ, nihilominus eidem non opponuntur : quia non negant esse causas morales improprio, et lato modo, sed solum proprie ut constat ex motivis, quibus utuntur : unde nobiscum sentiunt in tuendo secundam. Huic autem adversantur Cano in relect. *de sacramentis in genere*, part. 4, conclus. 7, Martinus de Ledesma in 1, part. 4, q. 3, art. 1, post 6, conclus. Bartholomæus de Ledesma *in summa de sacrament.* difficult. 7. Vazquez in præs. disp. 132, et 1 part. disp. 176, cap. 6. Coninchus, et Becanus in præs. Castro Palao tom. 4, tract. 18, disp. unica punct. 8. Bernal. disp. 9, sect. 1 et 2. Lugo disp. 4, sect. 4. Kelisenus in præs. art. 1. Carolus Abra disp. 1, sect. 4, artic. 6. Aversa sect. 4, et alii plures ex recentioribus. Qui communiter sic docent sacramenta nostra esse causas morales gra-

[Left margin: no. esm. zq. inch. aci. str. al nal. go. sen. ra. rsa.]

tiæ, ut neget esse physicas (de quo dub. 4) et pro hac sententia referunt D. Bonaventuram, Richardum, Scotum, Durandum, Henric. Majorem, et alios antiquos. Sed quam fideliter, recognoscet lector, si relatos Doctores consulat, nam Seraphicus relatis sententiis, ait : *Nescio, quæ sit verior.* Et Richardus relata sententia, quæ nostris sacramentis attribuit influxum physicum, subdit : « Cum sit possibilis, et ad honorem « sacramenti, et ad confirmandum illud, « quod tenetur de actione ignis æterni, et « purgatorii, videri rationabilem, et te- « nendam. » D. Bonav. Richardus

Si autem aliorum Doctorum illa est sententia, quam juniores arripiunt plane fit istos, licet verbis tergiversentur, in re sentire, quod sacramenta nostra vere non causent gratiam justificantem : nam id docent Auctores, quibus dicunt se subscribere. Scotus enim in 4, dist. 1, q. 5, solum docet sacramenta nostra causare gratiam, « quatenus sacramenti susceptio est dispositio « necessitans ad effectum significatum per « sacramentum. » Ubi non recognoscit influxum activum, sed solam causalitatem dispositivam ; quin et subdit « instrumenta « artis, ut ferrum, non esse proprie ac- « tiva. » Durandus ibidem dist. 1, q. 4, inquit : « Sacramenta sunt causa sine qua « non confertur gratia. » Et rursus : « Re- « cipiens sacramentum recipit gratiam « non a sacramento sed a Deo » Et iterum : « Nullus Sanctus posuit in diffinitione sa- « cramenti, quod esset causa gratiæ. » Henricus quodlib. 4, q. 37, inquit : « Sacra- « menta novæ legis dicuntur causa gratiæ « non quod aliquid agant in producendo gra- « tiam, plusquam sacramenta veteris legis; « sed quia Deus ut existens in ipsis confert « gratiam. » Major in 4, dist. 1, q. 3, pronuntiat : « Habeo certitudinem sufficien- « tem, quod calor suapte natura calefacit, « et sacramentum non causat gratiam. » Et rursus : « Nec per causalitatem sacra- « menta novæ legis a sacramentis « veteris legis distinguuntur, sed per « majorem gratiam, et apertionem ja- « nuæ. » Unde manifestum est hos omnes sensisse sacramenta nostra non esse vere, et proprie causas gratiæ. Quare si Juniores contendant prædictos ab ipsis stare, ultro eisdem concedemus. Sed quam cohæreat illorum assertio cum doctrina Concilii Florentini, et Tridentini, ipsi viderint, et

[Right margin: Observatio contra Recentes — Scotus — Durand. — Henric. — Major.]

a

a nobis ostensum est dub. præced. § 2. At in illis antiquis major elucet sinceritas ; quia negantes sacramentis influxum physicum, cognoverunt optime nihil in eis relinqui, quo in ratione veræ causæ efficientis constituantur : et sic plane docuerunt non esse absolute veras causas. In recentioribus autem major est fucus, dun excluso influxu physico, commentatur adhuc esse veras causas morales, ne palam repugnent Conciliis, et eorum auctoritate opprimantur. Porro ex Thomistis, qui communiter docent sacramenta nostra esse instrumenta physica ad producendum gratiam, nonulli docent esse simul veras causas morales. Ita Cabrera, Serra, Joannes a S. Thom. Gonet, N. Philippus, et quidam alii locis referendis n. 51. Pro qua sententia, quolibet modo explicetur, et contra secundam nostrarum assertionum.

Thomist. qui sentiunt cum Junioribus.

32. Arguitur primo : nam agens principale utitur instrumentis proportionatis, et ejusdem ordinis cum ipso, atque ideo agens principale physicum utitur instrumentis physicis, et agens principale morale utitur instrumentis moralibus : sed Christus Dominus est agens principale morale utens sacramentis tanquam instrumentis : ergo sacramenta nostra sunt instrumenta moralia subordinata Christo. Cætera constant. Et minor ostenditur : quia Christus utitur sacramentis in ordine ad justificationem nostram tanquam Redemptor, et causa meritoria nostræ justitiæ : hæc autem sunt munia propria causæ moralis : ergo Christus est agens morale, cui sacramenta nostra tanquam instrumenta subordinantur.

Primum argumentum.

Confirmatur : nam illa est causa moralis instrumentalis, quæ ut subordinata agenti principali morali movet causam physicam ad producendum effectum : sed ita se habent sacramenta nostra : ergo sunt instrumenta moralia. Probatur minor : quia sacramenta nostra ut subordinata Christo agenti principali morali, excitant Deum agentem principalem physicum ad producendum gratiam. Id vero ita declaratur : etenim sacramenta nostra ita se habent ad Christum in ordine ad gratiam, nobis consequendam ; sicut se habet pecunia ad emptorem in ordine ad rem aliquam emendam : sicut enim pecunia est pretium rei emendæ, sic etiam sacramenta continent pretium gratiæ nobis dandæ, nempe meritum Christi : ergo sicut pecunia ut subordinata emptori movet venditorem ad conferendum rem vendibilem ; ita sacramenta nostra ut subordinata Christo excitant Deum ad conferendum nobis gratiam.

Confirmatio.

Ad argumentum respondemus negando majorem universaliter intellectam : nam frequentissimum est, quod causa principalis moralis alicujus effectus utatur instrumentis mere physicis, sive influentibus non moraliter, sed physice. Sic enim judex scribens sententiam condemnationis est causa moralis, ut reus moriatur ; et tamen calamus, quo utitur, non est instrumentum morale, sed physicum. Similiter qui dat consilium, aut præcipit, ut quis interficiatur globo plumbeo ab scoplo projecto vel ad id applicet ignem, est causa moralis interfectionis : et tamen globus, quo tanquam instrumento utitur, non influit moraliter, sed pure physice. Et ratio generalis est, quod causa principalis sæpissime est causa libera, et libere operans, idque sufficit, ut influat non solum physice, sed moraliter : Instrumenta autem frequentius sunt quid inanime, et libertatis, ac subinde omnis moralitatis expers ; quocirca vel nullo modo causant, sed sunt mera signa imperii, aut voluntatis principalis agentis ; vel si causant, non influunt moraliter proprie, sed tantum physice. Et ita contingit in præsenti materia : nam Christus, et Christi operationes influxerunt principaliter moraliter in nostram salutem, eo quod habuerunt libertaten, et moralitatem formalem, quibus debitus est prædictus effectus. Sed sacramenta sicut non sunt operationes Christi, sic nec habent in se ullam libertatem, bonitatem, aut moralitatem : quare vel non influunt vere, sed sunt mera signa; vel si influunt, id physice, et non moraliter præstant. Quam differentiam acute insinuavit D. Tho. in hac quæst. art. 6, dicens : « Virtus passionis Christi copulatur « nobis per fidem, et sacramenta; differen- « ter tamen : nam copulatio, quæ est « per fidem, fit per actum animæ : copu- « latio autem, quæ est per sacramenta, « fit per usum exteriorum rerum. » Res vero externæ sicut nullam veram moralitatem in se participant, sic etiam non possunt influere moraliter vere, et proprie, ut supra latius ostendimus. Dicentur itaque sacramenta, et similia, quæ agenti morali principali subordinantur, instrumenta

Diluitur argumentum.

D. Tho.

moralia extrinseca, sumpta denominatione ab agente principali, quod præcise in prima assertione intendimus et statuimus : sed tamen id non probat esse agentia moralia vera, et propria, sicut declaravimus in secunda, et liquet ex propositis exemplis.

iluitur onfir- iatio. Ad confirmationem respondemus negando minorem in sensu statim declarando. Et ad probationem dicendum est sacramenta nostra excitare Deum præcise per modum signi meritorum, et passionis Christi ; non autem ut virtutem eorum : quia nullo modo illa continent ex suppositione, quod nullam physicam virtutem a Christo participent ad influendum in gratiam, ut declarabimus num. 39. Continentia autem solum per modum signi, sive simplex repræsentatio, atque excitatio, sive motio tali continentiæ, aut repræsentationi respondens minime sufficit ad causandum vere, et proprie effectum principaliter intentum. Sacramenta enim antiqua habuerunt eandem continentiam repræsentativam, et simili modo Deum excitarunt : et tamen non fuerunt vere, et proprie causa adhuc moralis gratiæ, quæ intuitu meritorum Christi conferebatur. Nummus etiam plumbeus, aut schedula regis continet repræsentative regiam voluntatem, et ordinem, ut solvantur centum libræ : et nihilominus non transcendunt rationem signi, nec participant rationem veræ causæ efficientis moralis, ut in superioribus ostendimus. Unde idem dicendum est de nostris sacramentis. Exemplum autem, quo illa probatio confirmabatur, nihil valet ob satis notam disparitatem : nam pecunia est formaliter ipsum pretium rei emendæ, et pro eadem re moraliter computatur : quare constituit unam, et eamdem causam moralem principalem cum ipso emente in ordine ad contractum emptionis. Sed sacramenta nostra nec formaliter, nec eminenter sunt meritum Christi, nec sunt moraliter ipsa gratia ; sed præcise comparantur tanquam signa meritorum, et voluntatis Christi : quocirca nequeunt se habere ut vera causa moralis gratiæ, sed solum ut signa, ad quorum præsentiam confertur gratia ex Christi meritis : quod etiam contingebat in antiquorum sacramentorum applicatione.

ın- m u- ım. 33. Arguitur secundo : quia illud est instrumentum morale Dei in productione gratiæ, quod ab ipso habet vim movendi moraliter causam principalem physicam, ut gratiam producat : sed sacramenta novæ legis participant a Deo hujusmodi vim : ergo sunt instrumenta moralia Dei in productione gratiæ. Probatur minor : nam cum aliquis promittit se ad præsentiam alicujus rei producturum esse aliquem effectum, ubi postea talis res ponitur in executione, habet vim ex vi promissionis movendi moraliter promittentem, ut conferat, quod promiserat : sed Deus promisit se dare gratiam ad præsentiam nostrorum sacramentorum : ergo ubi prædicta sacramenta applicantur, movent moraliter Deum, ut gratiam conferant : et cum non moveant per modum causæ principalis moralis, sequitur, quod moveant ut instrumenta moralia.

Confirmatur : nam Deus excitavit, et determinavit Christum ad promerendum nobis gratiam, et ad instituendum sacramenta, per quæ et nobis merita applicaret, et Deum suo modo moveret, ut nobis gratiam daret : ergo talia sacramenta sunt instrumenta moralia Dei, id est, moventia moraliter Deum ad conferendum nobis physice gratiam. Probatur consequentia : quia Deus ita se gerens se habet, sicut se haberet artifex, qui alium hominem hortaretur, ut se invitaret ad efficiendum artefactum oblata pecunia. Sed in hoc secundo casu pecunia esset instrumentum morale non solum hominis, qui ea oblata moveret artificem ; sed etiam ipsius artificis, qui vellet moveri per eam ad operandum. Ergo similiter in nostro casu sacramenta sunt instrumenta moralia et Christi, qui per ea movet Deum, et ipsius Dei, qui vult per illa moveri ad operandum in nobis gratiam. Confirmatio.

Respondetur ad argumentum negando minorem. Ad cujus probationem negamus majorem universaliter intellectam : quia frequentissimum est quem promittere aliquid facere ad præsentiam alicujus rei, quin hæc sit vera causa rei faciendæ, sed mera conditio, signum, aut causa sine qua non. Idque contingit, quoties res, ad cujus præsentiam promittitur, et ponitur effectus, illum non continet : quippe necese tunc est, quod sit mera conditio. Et sic accidit in casu argumenti : nam sacramenta sunt res de se mere naturales, et externæ; unde nullam habent perfectionem vel physicam, vel moralem, ut gratiam, quæ est effectus a Deo promissus, Satisfit argumento.

promissus, possint continere. Quare ex eo, quod Deus promiserit gratiam producere ad præsentiam nostrorum sacramentorum; minime sequitur talia sacramenta, ubi in executione ponuntur, esse veras causas morales gratiæ, quæ in eorum usu datur, sed solum conditiones, aut causas sine quibus non. Quod manifeste constabit applicando idem argumentum, et sub eadem forma sacramentis antiquis : nam Deus etiam statuerat, promiseratque conferre gratiam in legitimo illorum usu ; atque ubi illa applicabantur, adimplebat promissionem gratiam conferendo ; et tamen prædicta sacramenta non fuerunt vere, et proprie causæ physicæ, aut morales gratiæ, sed dumtaxat signa, et conditiones sine quibus non.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem, omisso antecedenti, negamus consequentiam : tum quia ex antecedenti non sequitur sacramenta esse determinate causas moventes ; sed vel causas. vel signa, per quorum repræsentationem Christus moraliter moveat : tum quia Deus nequit efficaciter velle, quod Christus moraliter per sua merita in sacramentis repræsentata ipsum moraliter moveat ad dandum nobis gratiam, quin Deus ipse sit ad hoc determinatus ; et consequenter non necessaria est, nec locum habet alia motio moralis per sacramenta. Ad antecedentis autem probationem possemus respondere juxta immediate dicta, quod artifex eo, qui describitur, modo procedens jam est determinatus moraliter, quantum est de se, ad conficiendum artefactum ob spem pecuniæ : quare ubi hæc supervenit non movet artificem instrumentaliter moraliter, sed est finis intentionis. Verum quidquid de hoc sit, omissis præmissis negamus consequentiam ob satis notam rationem disparitatis : nam pecunia est ejusdem ordinis, et valoris moralis cum artefacto : quare per subordinationem tam ad ementem, quam ad artificem potest habere rationem instrumenti moralis in ordine ad artefactum sicut ad effectum. Cæterum sacramenta nostra, ubi ab elevatione physica fit præcisio, nec physice, nec moraliter continent gratiam : et ideo nec physice, nec moraliter possunt in eam vere influere ; sed in ejus productione præcise concurrent tanquam mera signa, et conditio sine qua non, ut supra ostendimus.

Tertium argumentum. 34. Arguitur tertio : quoniam actus humani, quales sunt oratio, dolor, consensus, et hujusmodi moraliter movent, et movendo moraliter causant : sed plura sacramenta constant hujusmodi actibus : ergo plura sacramenta movent moraliter, et movendo moraliter causant gratiam. Probatur minor : nam ad sacramentum extremæ unctionis pertinet oratio fidei ; ad sacramentum Pœnitentiæ dolor de peccatis, et ad sacramentum matrimonii consensus contrahentium.

Confirmatur primo : quia juxta doctrinam Concilii Tridenti. sess. 14, cap. 5, sacerdotes sunt vicarii Christi, et judices pœnitentium : sed vicarius est instrumentum morale proprietarii ; et judex est etiam causa moralis vitæ, vel mortis in reo : ergo sacramentum Pœnitentiæ est causa moralis remissionis peccatorum : quippe certum est tale sacramentum includere absolutionem, quæ est actus ministri. Confirmatio 1.

Confirmatur secundo : nam sacrificium Missæ est propitiatorium, et impetratorium, quatenus repræsentat sacrificium cruentum crucis : sed propitiatio, et impetratio pertinent proprie ad genus causæ moralis : ergo sacrificium Missæ causat moraliter; et consequenter idem dicendum est de sacramento Eucharistiæ, quod cum illo sacrificio coincidit. Confirmatio 2.

Solvitur argumentum. Ad argumentum respondemus concedendo præmissas, et negando consequentiam : quoniam quod actus humani moveant moraliter, habent, quatenus actus virtutis sunt, et influunt ex opere operantis : sed totum hoc præsuppositive, et materialiter se habet ad influxum proprium sacramentorum in illis actibus, qui sunt materia, aut forma sacramentorum : quippe horum concursus est ex opere operato. Unde videmus, quod oratio fidei eodem modo prodest ex opere operantis tam intra, quam extra sacramentum Extremæ unctionis. Et rursus extra sacramentum illud non semper gratiam importat, aut meretur : et tamen ubi concurrit in eo sacramento, infallibiliter communicatur gratia. Quod satis manifestat influxum proprium sacramenti non esse moraliter per modum meriti, aut impetrationis ; sed totum hoc materialiter præsupponi ; esse autem causalitatem alterius rationis, quam in sequentibus exponemus. Similiter attritio est ejusdem rationis moralis in esse actus humani, aut virtuosi : et tamen extra sacramentum non remittit culpam : atque ideo quod illam remittat in

sacramento, non est ex vi influxus moralis, quem habeat per modum actus humani. Denique consensus contrahentium sunt frequenter peccaminosi venialiter ob aliquam circunstantiam, atque ideo carent omni bonitate morali : et tamen id non impedit effectum sacramenti, nempe gratiam : ergo hæc non confertur in tali sacramento ex vi actuum humanorum, quatenus actus humani sunt, et habent bonitatem moralem · sed fit ex vi alterius influxus longe diversi, et infra declarandi.

iluitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem respondetur eodem modo absolutionem in sacramento Pœnitentiæ non concurrere ut actum humanum, aut ratione moralitatis, sed tanquam opus externum : unde videmus, quod licet absolutio sit peccaminosa, et Sacerdos in absolvendo peccet, adhuc potest perfici sacramentum, et gratia in illo communicari : quod satis manifestat totam moralitatem bonam, aut malam in absolutione repertam præsuppositive, et materialiter se habere ad influxum sacramenti. Peccat autem discursus confirmationis in eo, quod ministrum sacramenti cum ipso sacramento confundit; cum tamen minister non sit pars intrinseca sacramenti : et ideo, quod ministri Pœnitentiæ sint ministri morales, utpote agentes libere, minime probat sacramentum habere in se ullam moralitatem formalem, aut moraliter influere. Et nulla est repugnantia in eo, quod agens morale utatur instrumento influente non moraliter, sed solum physice, ut explicuimus num. 32. Unde confirmatio potest rejici omittendo præmissas, et negando consequentiam : nam paralogizat a ministro ad sacramentum, et instrumentum. Sed addendum est, quod licet judices in foro externo solum concurrant moraliter ad effectum sententiæ, quia illum per se solos regulariter non inferunt, sed movent causas physicas ad ejus executionem : nihilominus Sacerdos in sacramento longe aliter se habet, ut colligitur efficaciter ex Concil. Trident. sess. citat. cap. 1, et can. 3 ; non enim denuntiat remissa esse peccata, nec Deum excitat, aut rogat ad illorum remissionem; sed effective efficaciter dat gratiam remittentem peccata : quod non pertinet ad concursum moralem, sed ad physicum infra declarandum. Cujus urgens signum est Sacerdotem sive bonum, sive malum, et sive Deo placeat, sive displiceat in actu absolutionis, adhuc perficere sacramentum cum effectu.

Concil. Trident.

Ad secundam confirmationem concedimus primum syllogismum, et negamus secundam consequentiam : quoniam rationes sacrificii, et sacramenti sunt longe diversæ : quare ex eo, quod sacrificium Missæ influat moraliter, minime sequitur sacramentum Eucharistiæ influere eodem modo: sicut nec ex eo, quod sacramentum sit instrumentum, infertur sacrificium instrumentum esse. Sacrificium enim consistit in immolatione, et oblatione hostiæ. Et quia *una, eademque est hostia* (inquit Tridentinum sess. 22, cap. 2, agens de Missæ sacrificio) *et idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa* : propterea sicut oblatio facta in cruce fuit causa moralis nostræ salutis, sic etiam oblatio facta in Missa sacerdotum ministerio est etiam causa moralis prædictæ salutis. Sed sacramentum Eucharistiæ non consistit formaliter in ulla actione humana, sed in speciebus panis, et vini continentibus corpus Christi : quas species manifestum est non posse influere per modum meriti, aut impetrationis, sicut influit sacrificium. Quare solum concurrunt in productione gratiæ cibantis eo modo, quo cætera sacramenta concurrunt, de quibus jam diximus non concurrere tanquam causas morales vere, et proprie dictas. Diruitur secunda. Concil. Trident.

35. Arguitur quarto : nam Christus ut homo habuit potestatem excellentiæ ad instituendum sacramenta, quæ tanquam instrumenta influant in gratiam : sed non habuit potestatem instituendi instrumenta, quæ physice influerent in gratiam : ergo solum potuit instituere sacramenta ut influentia præcise moraliter : ergo sacramenta nostra sic de facto influunt in gratiam. Cætera constant. Et minor suadetur : quia solus Deus influit in gratiam per modum agentis principalis physici, ut docet Divus Thomas infra quæst. 64, art. 1, atque ideo solus Deus potest instituere instrumenta, quæ physice causent gratiam : ergo Christus ut homo non habuit potestatem instituendi sacramenta, quæ influerent physice in gratiam. Quartum argumentum. D.Th.

Respondetur negando minorem : tum quia Christus ut homo, sicut per modum causæ principalis moralis influit suo merito in nostram gratiam, movendo scilicet Deum Responsio.

Deum principalem agentem, ut illam physice producat : sic etiam per modum causæ principalis moralis potuit suo merito movere Deum ad elevandum physice sacramenta, ut per modum instrumenti physici agerent : quod est instituere moraliter instrumenta physice agentia. Et quod causa principalis moralis possit uti instrumentis physice influentibus, liquet ex supra dictis num. 33. Tum etiam quia humanitas Christi est instrumentum Deo conjunctum, influitque physice in gratiam, et habet vim ad movendum instrumenta separata, qualia sunt sacramenta, ut simili modo influant, nempe physice. Quam doctrinam expressit D.Thom. in hac quæst. art. 5, his verbis : « Dicendum quod sacramenta operantur ad gratiam causandam per modum « instrumenti. Est autem duplex instru« mentum : unum quidem separatum, ut « baculus;aliud autem conjunctum, ut ma« nus. Per instrumentum autem conjunc« tum movetur instrumentum separatum, « sicut baculus per manum. Principalis « autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, « ad quem comparatur humanitas Christi « sicut instrumentum conjunctnm, sacra« mentum autem sicut instrumentum se« paratum. Et ideo oportet, quod virtus « salutifera a divinitate Christi per ejus « humanitatem ad sacramenta derivetur. » Minoris autem probatio non urget : quia licet evincat solum Deum posse per modum agentis principalis physice constituere instrumenta physice agentia ; minime tamen convincit, quod Christus ut homo non possit suo merito infinito determinare institutionem instrumentorum, aut sacramentorum physice agentium.

Quintum argumentum. 36. Arguitur quinto : quia sacramentis nostris utpote nobilissimis inter omnia sacramenta nobilior modus influendi attribuendus est : sed nobilior est modus influendi moraliter, quam influendi physice : ergo sacramenta nostra influunt moraliter in gratiam. Probatur minor : quia influxus physicus communis est rebus inanimatis,et non sanctis ; quin in animam malam, et ipsam entitatem actus peccaminosi cadere potest ; e contra vero influxus moralis solum convenit causæ rationali,et sanctæ : ergo nobilior est influxus physicus, quam moralis.

Confirmatio 1. Confirmatur primo : quia Scriptura eo modo attribuit nostram justificationem sacramentis, ac passioni Christi, ut constat 1, Johann. 1, ubi dicuntur : *Sanguinem Christi emundare nos ab omoni peccato,* et Apocal. 1 : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Sed passio Christi influit moraliter in nostram justificationem ; siquidem cum physice loquendo præterita sit, nequit proprie loquendo physice influere. Ergo similiter dicendum est, quod sacramenta nostra moraliter influunt.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo : nam ideo diceremus sacramenta non influere moraliter, sed physice, quia Scriptura, et Concilia nostra sacramenta vocant absolute causas, et significant illa influere absolute, et proprie : sed hoc motivum nil probat : ergo sacramenta nostra influunt moraliter. Probatur minor : quia juxta communem loquendi modum inter sapientes etiam usitatum, plura sunt, de quibus dicitur absolute causare ; quæ tamen solum moraliter influunt, ut patet in consilio, merito, impetratione, pretio redemptionis, et similibus : ergo ex eo, quod sacramenta nostra dicantur absolute causæ, et quod influant in gratiam justificantem, minime convincitur, quod eorum influxus non sit moralis, aut quod habeant alium influxum magis proprium.

Solvitur argumentum. Ad argumentum respondemus admittendo, quod sacramentis attribui debeat nobilior modus influendi : sed hic debet esse possibilis, et eisdem sacramentis non repugnans, ut ex se liquet. Modus autem influendi moraliter vere, et proprie (quidquid fuerit de ejus nobilitate comparative ad influxum physicum), repugnat sacramentis ob ea, quæ a num. 25 diximus, et quæ hic repetere non oportet. Quocirca non debemus, nec possumus prædictum influendi modum sacramentis nostris deferre. Diximus *quidquid fuerit etc.* quia universaliter non est verum influxum moralem esse nobiliorem influxu physico. Unde negari deberet minor argumenti ; et probatio ad eam suadendam inducta regeri in Adversarios : nam unio hypostatica cum persona divina potest esse communis creaturis irrationabilibus, ut cum frequentissima Theologorum sententia ostendimus tract. præced. disp. 9, dub. 3 ; unio autem cum Deo per gratiam solum potest convenire creaturis nobilissimis, nempe intellectivis : ergo si bona est illa Adversariorum consecutio : sequitur unionem per *Nota.*

gratiam esse unione hypostatica nobiliorem. Quod quam falsum sit, ostendimus in eodem tract. disp. 4, dub. 3. Id autem satis manifestat debilitatem, ac falsitatem illius probationis. Quare dicendum est, quod in communi loquendo, et cæteris paribus nobilior est modus influendi physice, quam moraliter : quia modus influendi moraliter semper importat dependentiam ab alio, nempe a causa physica, atque immediate producente effectum ; a qua, vel a simili dependentia absolvi potest influxus physicus. Unde producere physice principaliter nobilissimum effectum gratiæ sanctificantis soli Deo competit : producere autem moraliter principaliter talem effectum potest convenire creaturæ : quia non repugnat puram creaturam mereri de condigno prædictam gratiam, ut ostendimus tract. 16, disp. 6, dub. 2, § 2. Et eadem ratione nobilius est nostris sacramentis producere physice instrumentaliter gratiam, quam illam producere moraliter : præsertim cum ad primum constituantur per elevationem qualitatis superioris ordinis ; et ad secundum sufficiat sola extrinseca Dei deputatio, ut Adversarii discurrunt.

...itur ...ima ...fir-...atio. Ad primam confirmationem respondetur passionem Christi non solum moraliter, sed etiam physice influere in nostram justificationem, ut modo supponimus ex dictis tract. præced. disp. 23, dub. 4, num. 41. Et quantum ad influxum physicum stat æqualitas inter Christi passionem, et sacramenta nostra, quæ insinuatur in Scriptura, et Conciliis. Quod vero passio influat etiam moraliter, non autem sacramenta proprie loquendo, provenit ex radice sæpius assignata, et præsertim a num. 25, quod passio Christi fuit voluntaria, et formaliter satisfactoria, et meritoria : unde potest habere influxum proprium satisfactionis, et meriti, nempe moralem proprie dictum. Cæterum sacramenta sunt res externæ, inanimes, atque incapaces moralitatis formalis : quare nequeunt influere moraliter proprie. Deputatio autem, vel applicatio Christi solum efficere potuit, quod ejus meritum sit in sacramentis repræsentative, et tanquam in signo, non autem sicut in causa, quæ per illud meritum, aut ratione talis meriti influat, ut diximus num. 29. Et juxta hanc doctrinam diluitur secunda confirmatio concedendo majorem, et negando minorem. Ad cujus probationem patet ex proxime dictis, quod aliqua causando moraliter vere, et proprie dicuntur absolute causare. et talia sunt, quæ ibidem recensentur : sunt enim aliquid formaliter morale, et habent adæquationem cum termino. Sed in sacramentis nostris nihil similiter reperitur, ut dicantur continere, aut causare gratiam moraliter proprie. Quod vero causent moraliter improprie, et secundum quid ; non sufficit ad salvandum locutiones Scripturæ, et Conciliorum, quæ significant sacramenta nostra causare, et conferre vere, et proprie nostram gratiam, ut ipsi Adversarii non negant.

(margin: ...se-...da.)

37. Arguitur ultimo : quia de fide est sacramenta nostra conferre gratiam ex opere operato, et influere in nostram justificationem vere, et proprie : sed non est de fide, quod sint instrumenta physica : ergo sunt instrumenta moralia. Confirmatur primo : quia sacramenta nostra influunt vere, et proprie in justificationem : sed non influunt ut instrumenta physica ; cum hujusmodi influxus, vel sit impossibilis, vel fere inexplicabilis, afferensque plurimas difficultates non necessarias : ergo fateri oportet, quod sacramenta nostra concurrunt ad justificationem ut instrumenta moralia. Confirmatur secundo : quia licet influxus physicus esset possibilis, et nostris sacramentis de facto conveniens ; non propterea excludi ab eis deberet influxus moralis : ergo minus recte hunc ultimum influxum negamus. Antecedens videtur manifestum exemplo humanitatis Christi, quæ est instrumentum conjunctum, et influit in nostram justitiam tam physice, quam moraliter , conjungendo utrumque concursus modum : ergo idem de nostris sacramentis, quæ sunt instrumenta separata, dici debet. Sextum argumentum. Confirmatio. Alia.

Respondetur ad argumentum, quod cum eadem forma potest probari sacramenta nostra esse instrumenta physica : quia de fide est illa conferre gratiam ex opere operato : sed non est de fide, quod ad id concurrant ut instrumenta moralia, ut satis constat ex dictis : ergo concurrunt ut instrumenta physica. Sed argumentum revera nihil probat : quia fides determinat sacramenta esse causas vere, et proprie gratiæ : cæterum non determinat modum, quo id contingat. Ille autem magis probari Theologis debet, qui magis hæret principio a fide asserto, et procedit cum majori Occurritur argumento.

ad

ad ipsum consequentia. De quo in sequentibus.

Solvitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem neganda est minor : oppositum enim constabit ex dicendis. Et Juniores, qui facilitatem in hac parte affectant, cum uno verbo difficultatem componunt, dicendo sacramenta *influere moraliter*, notent pluribus implicari hanc causalitatem moralem, ut ex superioribus patet, et recidere tandem in sententias Durandi, et aliquorum antiquorum, quæ hoc tempore vel improbabiles, vel parum probabiles communiter reputantur. Quantumcumque enim hæc Juniorum assertio prematur, et exprimatur : nihil tamen succi habemus, quam sacramenta esse repræsentative, aut imputative merita Christi, aut esse quædam signa, et conditiones sine quibus non datur gratia in sacramentis. Quod non negarunt Durandus, et alii rejecti dub. præced. § 3.

Diluitur secunda. Ad secundam confirmationem respondetur, quod si influxus moralis proprie dictus non repugnaret sacramentis, immerito negaretur a nobis, cum facile posset cum physico influxu conjungi, ut exemplum in confirmatione allatum suadet. Quare non negamus nostris sacramentis influxum moralem, quia censeamus esse influxui physico incompossibilem ; nec quia intendamus, ut quidam falso imaginantur, introducere, et sacramentis attribuere influxum physicum : sed quia ab his omnibus præscindendo (ut a principio notavimus), censemus repugnare, quod sacramenta influant moraliter vere, et proprie in gratiam ob motiva, quæ supra expendimus.

DUBIUM III.

Utrum repugnet sacramenta nostra esse instrumenta physica ad producendum gratiam?

Videndum succedit, an nostra sacramenta influant physice in gratiam, quæ in eis confertur. Et apud omnes certum est non posse influere per modum causæ principalis, quippe quæ sunt longe imperfectiora, quam illa. Præsertim cum generaliter implicet ullam creaturam esse causam principalem gratiæ sanctificantis, ut ex professo ostendimus tract. 14, disp. 8, dub. 1. Unde præsens dubium merito revocatur ad influxum physicum instrumentale. Circa quod longas forte controversias speraret a nobis lector, quales scilicet alii protendunt, et rei difficultas exposcit. Sed aliter nobis agendum est, qui ipsissimam hanc materiam alibi ex professo versavimus locis infra referendis, præsertim vero ubi egimus de influxu physico instrumentali, quem humanitas Christi generaliter habet in gratiam, quæ nobis datur. Quare in id tantum incumbemus, ut quæ specialiter occurrunt in sacramentis, explanemus ; cætera vero communia ad sua loca referamus : supervacaneum enim censemus, et lectori minus utile eadem in diversis locis referre. Claritatis tamen gratia sic procedemus, ut cuncta, quæ circa materiam præsentem occurrunt, et simul posita lectorem obruerent, non eodem dubio proponantur, sed in diversis. Et hac de causa prius investigamus, an implicet sacramenta nostra esse instrumenta physica ad producendum gratiam : et postea videbimus, an prædicto modo de facto influant : sunt enim hæc valde diversa, et primum non dependet ab ultimo : unde aliqui reperiuntur, qui illud concedant, cum negent istud.

(Margin note beside the start of the preceding paragraph: Supposi-tio prima.)

38. Ne autem in non necessariis implicemur, sed ab hic supponendis expediamur, tractamus difficultatem non quidem in ordine ad solam dispositionem requisitam, ut gratia producatur, quam aliqui solent appellare ornatum ; nec in ordine ad præcisam gratiæ unionem cum subjecto : sed immediate in ordine ad gratiam sanctificantem tanquam ad formam productam Et sic nos gerimus : tum quia quod aliqui antiqui dixerunt sacramenta efficere non gratiam sanctificantem, sed vel dispositionem ad illam, vel unionem ejus ad subjectum ; sicut homo generans non producit animam rationalem, sed disponit ad eam, illamque materiæ unit : procedebat ex apprehensione, quod gratia sanctificans non producebatur per eductionem a subjecto, sed fiebat per creationem : hoc autem jam a nobis ex professo rejectum est tract. 14, disp. 8, dub. 2, ubi cum communi (hoc tempore) Theologorum sententia statuimus gratiam sanctificantem non fieri per creationem, sed educi ex subjecto præsupposito. Quod facile recognoscet, qui advertat gratiam esse formam accidentalem, et subjecto inhærentem ut efficaciter colligitur ex Concil. Tridentino sess. 6, can. 11 ; forma autem accidentalis sicut non ha-

(Margin note beside the start of § 38: Suppositio secun[da].)

bet esse per se, sive independenter a subjecto ; sic etiam non habet fieri per se independenter a subjecto : sed ejus productio est re ipsa unitio, et ad subjectum communicatio:quod minime congruit creationi, sed eductioni, quæ indivisibiliter producit transmutando subjectum.

Tum etiam quia omnes difficultates, quæ repræsentari queunt in eo, quod sacramenta nostra producant physice instrumentaliter gratiam, occurrunt similiter in producendo vel dispositionem, quam vocant ornatum, vel unionem gratiæ ad subjectum : sunt enim hæc duo etiam supernaturalia, atque ideo æqualis est repugnantia, aut repugnantiæ defectus in eo, quod sacramenta nostra efficiant unum, vel aliud. Præsertim cum eædem difficultates adsint tam ex parte distantiæ localis, quam ex parte durationis, in qua sacramenta influunt, ut facile consideranti constabit. Quare omnes, qui docent implicare, quod sacramenta efficiant instrumentaliter physice gratiam, similiter docent implicare, quod efficiant eo modo vel ornatum ad gratiam, vel unionem ejus ad subjectum. Et pariter, qui sentiunt non repugnare, quod sacramenta efficiant instrumentaliter physice dispositionem subjecti ad gratiam vel unionem gratiæ ad subjectum, vel hoc concretum *gratum*; idem etiam sentiunt, aut sentirent de productione ipsius gratiæ ex suppositione, quod hæc non fiat per creationem, sed e subjecto educatur : quæ suppositio nunc est communis, et valde certa, Quare non immerito pro parte affirmante non repugnantiam illi Theologi antiqui referri possent, et debent, qui sentiunt non implicare, quod sacramenta nostra possint ut instrumenta physica influere in dispositionem ad gratiam, in unionem gratiæ ad subjectum, aut in efficiendo hominem Deo gratum, et sanctificatum in se. Quod nunc in genere adnotare libuit, ne deinceps in allegandis aliquibus antiquis idem non sine fastidio observemus ; et ut ita præcidamus artificiosam aliquorum Juniorum industriam in repræsentando minorem illorum concordiam ; cum tamen quantum ad modum causalitatis physicæ nulla apud illos dissensio sit; sed nec esset ex parte termini, ubi supponeretur gratiam non fieri per rigorosam creationem.

Nota.

Quid docuerit D. Thom.

39. Specialiter tamen, quia specialis reverentia id a nobis expostulat, observandum est D. Thom. in scriptis super Magistrum, ubi commentatorem agebat proposuisse, tenuisseque antiquorum sententiam, ut liquet in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 1, ubi ait : « Instrumentum gratiæ etiam « instrumentaliter non pertingit ad ipsam « justificationem, seu ad ultimum effectum, « quod est gratia ; sed solum ad aliquam « dispositionem, quæ est necessaria ad « ipsam gratiæ susceptionem. « Et in scripto ad Annibald. eadem dist. quæst. 1, art. 4, ait : « Instrumenta non causant gra« tiam influendo, sed disponendo, » id est non influunt efficiendo immediate gratiam; sed efficiendo ornatum, sive dispositionem ad gratiam.

explicans Magistrum

Sed prædictam sententiam retractavit S. Doctor in Summa, ubi proprias sententias proposuit. Liquet hoc evidenter primo ex 1, 2, quæst. 112, art. 1, ubi inquirit, *Utrum solus Deus sit causa gratiæ* : quo loco manifestum est non agere de ornatu, aut dispositione, sed de ipsa gratiæ entitate. Respondet autem solum Deum esse causam gratiæ, *et impossibile esse, quod aliqua creatura gratiam causet*. Sed cum in 1, et 2 argumento sibi opposuisset humanitatem Christi, et sacramenta esse causas gratiæ, respondit : « Ad primum dicendum, quod « humanitas Christi est sicut quoddam « organum divinitatis ejus, ut Damasc. « dicit in 3 lib. Instrumentum autem non « agit actionem agentis principalis propria « virtute, sed virtute divinitatis adjunctæ, « ex qua actiones humanitatis Christi sunt « salutares. Ad secundum dicendum, quod « sicut in ipsa persona Christi humanitas « causat salutem nostram par gratiam vir« tute divina principaliter operante : ita « etiam in sacramentis novæ legis, quæ « derivantur a Christo, causatur gratia ins« trumentaliter quidem per ipsa sacramen« ta, sed principaliter per virtutem Spiritus « Sancti in sacramentis operantis, secun« dum illud Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex « aqua, et Spiritu Sancto etc.* » In quibus manifestum est sermonem fieri de entitate gratiæ in seipsa, sive absque recursu ad alium ornatum prævium ex parte suscipientis. Secundo in hac 3 p. quæst. 13, art. 2, resolvit : « Si loquamur de anima Christi, se« cum quod est instrumentum Verbi uniti, « sic habuit instrumentalem virtutem ad « omnes immutationes miraculosas facien« das. » Excipit tamen inferius creationem, et

Quæ tamen fuerit propria D. Thom. sententia.

et annihilationem. Manifestum autem est productionem entitatis gratiæ inter eas mutationes contineri : et modo supponitur non esse creationem. Tertio, et adhuc evidentius ex præs. quæst. 62, art. 1, 1, ubi confutatis aliorum sententiis, ait : « Et ideo aliter dicendum, quod duplex est « causa agens, principalis, et instrumen- « talis. Principalis quidem operatur per « virtutem suæ formæ, cui assimilatur ef- « fectus : sicut ignis suo calore calefacit. « Et hoc modo nihil potest causare gratiam « nisi Deus : quia gratia nihil est aliud, « quam quædam participata similitudo di- « vinæ naturæ, secundum illud 2, Petri 1, « Magna nobis etc. Causa vero instrumen- « talis non agit per virtutem suæ formæ, « sed solum per motum, quo movetur a « principali agente. Unde effectus non as- « similatur instrumento, sed principali « agenti : sicut lectus non assimilatur ser- « ræ, sed arti, quæ est in mente artificis. « Et hoc modo sacramenta novæ legis gra- « tiam causant. Adhibentur enim ex divi- « na ordinatione hominibus ad gratiam in « eis causandam. » Unde liquet, quod illum influxum instrumentalem (quolibet modo explicetur, de quo infra), quem D. Thom. attribuit nostris sacramentis, extendit usque ad entitatem ipsius gratiæ, quæ est effectus principalis, et ultimatus Dei in justificatione principaliter agentis. Atque ideo in eodem sensu, in quo super libros sent. asseruerat, sacramenta nostra non influere instrumentaliter in entitatem gratiæ, sed in ornatum, aut dispositionem ad illam ; in eodem, inquam, docet in Summa, quod influxus instrumentalis sacramentorum ad ipsam usque gratiæ entitatem porrigitur. Quare certo constat, quod antiquam illam, et antiquorum propriam sententiam (loquens ex propria) manifeste revocaverit. Et in hoc sensu procedit præsens difficultas : nam ex una parte supponit gratiæ entitatem non creari, sed educi : ex alia autem investigat, an sacramenta queant instrumentaliter physice illam producere.

§ I.

Verior, et communior difficultatis resolutio.

Conclu-sio. 40. Dicendum est non implicare, quod sacramenta nostra sint instrumenta physica ad producendum gratiam. Hanc conclusionem docent non solum D. Thom. et alii Theologi num. 51 referendi, qui affirmant sacramenta novæ legis esse de facto instrumenta physica producentia gratiam ; sed etiam non pauci ex Auctoribus referendis num. 67, qui etsi negent ita de facto contingere, recognoscunt tamen in hoc nullam esse contradictionem. Probatur primo : Prin ratio
quia non magis repugnat, quod sacramenta ut instrumenta physica producant gratiam, quam quod humanitas Christi ut instrumentum physicum illam producat : quippe gratia supernaturalis, et superioris ordinis est tam comparative ad humanitatem Christi quam comparative ad sacramenta : et nulla fere difficultas circa hujusmodi causalitatem potest in sacramentis repræsentari, quæ in humanitate similiter non occurrat. Sed humanitas Christi concurrit per modum instrumenti physici ad causandum gratiam in nobis, ut ex professo ostendimus tract. præced. disp. 23, dub. 4. Ergo non repugnat, quod sacramenta nostra sint instrumenta physica ad producendam gratiam.

Confi matio Confirmatur primo : quia sicut res corporeæ, cujusmodi sunt sacramenta, non continent gratiam supernaturalem, nec possunt naturaliter attingere sua actione subjectum spirituale, nempe animam ; sic similiter ignis verus, et materialis potest sua actione attingere dæmones, nec continet, aut efficere valet illam qualitatem, aut modum, ratione cujus passive torquentur pœna sensus : et nemo, qui rem attente consideret, majorem, aut differentem difficultatem inveniet in his comparationis extremis : sed ignis verus, et corporalis est instrumeutum physicum Dei ad torquendum dæmones : ergo non repugnat sacramenta esse instrumenta physica, quibus Deus producat gratiam. Minor, in qua poterat esse difficultas, constat ex his, quæ late diximus tract. 13, disp. 17, dub. 2. Et nunc breviter, atque efficaciter probatur : quoniam ignis inferni vere agit in dæmones, ac illos torquet juxta illud Matth. 7: Matt.
Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Et Apoc. 20: Apo calyp
Missus est diabolus in stagnum ignis. Et 2, Petri 2 : *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quæ accipienda esse in vero sensu, et non de aliqua 2 Pe 2.

pœna, vel apprehensione phantastica, est communis sensus Patrum. Unde D. Augustin lib. 21, *de Civit.* cap. 10, diserte pronuntiat ignem illum corporeum torquere spiritus tam humanos, quam angelicos *miris, sed veris modis.* Et D. Gregorius lib. 9 *Moral.* cap. 38, affirmat : « Claustra inferni eos, quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria, vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuæ damnationis servant. » Agit itaque vere ignis ille corporeus in spiritus, producendo in eis aliquid, quo cruciantur. Sed manifestum est non posse per modum causæ principalis. Ergo agit per modum instrumenti divinæ virtutis. Atqui non agit ut instrumentum morale : ridiculum enim foret dicere quod concurrit per modum meriti, aut impetrationis, aut pretii, aut signi aliquid hujusmodi repræsentantis, aut objecti precise apprehensi : quippe inexplicabile est, quomodo moraliter torqueat, et salvetur prædictis modis verum in spiritibus tormentum, ut fusius loco citato ostendimus. Restat igitur, quod ignis ille corporeus vere agat in spiritus malos, ipsosque torqueat tanquam instrumentum physicum divinæ virtutis. Et sic palam docuit Div. Thom. quæst. 26, *de verit.* art. 1, ubi ait : « Ignis ille corporeus agens ut instrumentum divinæ justitiæ facit aliquid supra virtutem naturæ, scilicet animam detinere, vel alligare. » Et ad 1 : « Ignis, in quantum agit in animam ut instrumentum divinæ justitiæ, est anima præstantior. » Et quæst. *de Anima* art. 21 : « Ignis agit in animam ut instrumentum divinæ justitiæ. » Et in resp. ad 8, ait : « Dicendum, quod instrumentum non agit virtute sua, sed virtute principalis agentis : et ideo cum ignis agat in animam ut instrumentum divinæ justitiæ, non est attendenda dignitas ignis, sed divinæ justitiæ. » Et similia tradit in 4, dist. 44, quæst. 3, art. 3, et loco citato ex quæst. 26, *de verit.* refellit falsam aliquorum doctrinam, qua moralis influxus posset aliquatenus explicari. « Neque potest esse, *inquit,* quod quidam dicunt, quod quamvis ille ignis corporeus non potest esse spiritui nocivus, potest tamen apprehendi ut nocivus. Non enim est probabile, quod dæmones, qui acumine sensus vigent, multo melius suam naturam, et ignis corporalis non cognoscant, quam nos, ut falso credant ignem corporeum sibi posse nocere. Unde dicendum, quod vere, et non secundum apparentiam ab igne corporeo affliguntur. Et hoc est, quod Greg. dicit in 4 *Dialog.* colligere ex dictis Evangelicis possumus, quod incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. »

Confirmatur secundo : nam eo propor- Confirmatio 2.
tionali modo possunt sacramenta concurrere ad producendum gratiam, quo sancti homines solent concurrere ad patrandum miracula : sed sancti homines solent quandoque ut instrumenta physica Dei operari miracula : ergo pariter sacramenta nostra possunt ut instrumenta physica concurrere ad productionem gratiæ. Consequentia patet à paritate. Et major etiam : quia sicut gratia ex parte facti excedit potestatem creaturæ, sic etiam generaliter omne miraculum ex parte modi, quo fit, superat omnem facultatem naturalem agentis creati ; ergo eo saltem modo, quo Sancti solent miracula efficere, poterunt sacramenta concurrere ad producendum gratiam. Minor autem probatur ex doctrina D. Greg. lib. 2 *Dialog.* cap. 30, et D. D. Greg. D. Tho.
Thom. quæst. 6, *de potentia* art. 4, quibus locis hi sacri Doctores observant, quod Sancti dupliciter solent ad miracula concurrere, nempe aliquando orando, quod pertinet ad influxum moralem ; aliquando autem ex potestate, sicut etiam solent prophetare, cum recipiunt donum aut tanguntur spiritu prophetiæ, quod spectat ad influxum physicum : ergo sancti homines solent quandoque ut instrumenta physica concurrere ad patrandum miracula. Et quia testimonia Div. Gregorii, et Div. Thom. expendimus, ac ponderavimus tract. præced. disput. 23, dub. 4, num. 25, et 30, non oportet, quod circa id immoremur.

41. Secundo probatur ratione a priori : Aliud pro assertione motivum.
quia nullum instrumentum physicum attingit effectum proprium principalis agentis virtute propria ipsius instrumenti, sed virtute propria agentis principalis, cui instrumentum quatenus tale in agendo subordinatur : ergo ut sacramenta dicantur posse, aut non posse tanquam instrumenta physica influere in gratiam, attendi non debet, quid possit virtus sacramentorum propria ; sed quid possit virtus Dei, cui sacramenta debent in agendo subordinari

nari

nari : atqui virtus Dei potest physice producere gratiam : ergo sacramenta possunt ut instrumenta Dei concurrere physice ad producendum gratiam. Nec hinc sequitur (ut tacitæ objectioni occurramus) posse sacramenta, aut quodlibet ens creatum concurrere prædicto modo ad creandum : quod in via Div. Thom. non admittitur. Nam quod repugnet creaturam influere effective instrumentaliter in creationem, non provenit ex parte rei, quæ fit ; sed ex modo, quo creatio fit, nempe ex nullo præsupposito subjecto, atque ideo procedendo ad terminum absque ulla determinatione : quod repugnat creaturæ tam ex vi propriæ actionis, quæ semper est determinata, quam ex vi actionis intrumentalis, quæ determinatur per propriam. De quo alibi.

Confirmatio. Confirmatur destruendo oppositum fundamentum : nam si repugnaret sacramenta concurrere instrumentaliter physice ad producendum gratiam : maxime quia gratia utpote spiritualis, et supernaturalis, est ordinis superioris ad sacramenta, atque in eorum virtute activa non continetur : ad hanc enim radicem tandem revocantur cuncta motiva, quibus ostenditur sacramenta nostra non posse influere instrumentaliter physice in gratiam : atqui prædictum motivum nullius roboris est : ergo minime repugnat, quod sacramenta prædicto modo ad producendum gratiam concurrant. Probatur minor : quoniam si prædictum motivum aliquid valeret, universaliter concluderet repugnare instrumentum physice influens, sive causam instrumentalem physicam : quippe manifestum est effectum, ad quem instrumentum ut instrumentum potest concurrere, semper esse perfectioris, et superioris ordinis ad instrumentum, et subinde excedere propriam, et connaturalem ejusdem instrumenti virtutem. At consequens est manifeste falsum. Tum quia dari veram causam instrumentalem physicam est communis sensus Philosophorum dividentium cum Aristotele causam efficientem, in causam efficientem principalem, et in causam efficientem instrumentalem. Tum quia id evincunt exempla, quibus nulla pervicacia possit obsistere : nam in primis semen animalis influit effective in genitum, suppletque absentiam, et distantiam genitoris, quod frequenter abest, aut non est in rerum natura, cum perficitur generatio, et solum in semine deciso virtualiter adest, aut perseverat : manifestum autem est semen non influere in genitum per modum causæ principalis ; siquidem genitum est longe nobilius semine : concurrit igitur, atque influit per modum instrumenti. Deinde calor naturalis animalis concurrit effective ad producendum, aut augendum viventem : sed non ut causa principalis : ergo ut instrumentum, aut virtus instrumentaria. Præterea res naturales concurrunt simul cum artifice ad efficiendum artefactum : sed non concurrunt tanquam causa principalis ; siquidem manifestum est illud, quod in effectu artis, et intellectus relucet, pertinere ad ordinem superiorem : concurrunt ergo per modum instrumenti. Denique, ut alia exempla omittamus phantasmata corporea sensibus inhærentia ut subordinata intellectui agenti concurrunt ad productionem specierum intelligibilium, atque spiritualium in intellectu, ut docent communiter Philosophi lib. 3, de Anima, et ex Adversariis tradunt Vazquez, et alii non pauci : sed phantasmata illa non influunt in species intelligibiles ut causa principalis : ergo ut causa instrumentalis. In quibus exemplis ridiculus foret recursus ad influxum moralem, et qui physicus non sit, ut satis ex se constat.

Ma... moti... expli... tio... Potest autem vis hujus confirmationis magis expendi in hunc modum : quoniam sicut gratia sanctificans est longe perfectior, et superior, quam sacramenta, atque in virtute eorum propria non continetur ; ita similiter animal est longe dignius, ac perfectius, quam semen : et similiter caro viva est nobilior, quam calor : et artificialia sunt superioris ordinis ad naturalia : et denique intelligibilia sunt nobiliora, quam sensibilia. Sed his excessibus non obstantibus, videmus semen influere active instrumentaliter in animal genitum : calorem in carnem vivam : naturalia in artificialia : et tandem sensibilia in intelligibilia. Ergo quod gratia sanctificans sit longe nobilior, superior, ac divinior, quam sacramenta, minime probat sacramenta non posse influere active in gratiam. Sed evincit quidem, quod sicut semen, calor, naturalia et sensibilia nequeunt influere effective principaliter, aut virtute sibi propria in animal, carnem, artificialia, et intelligibilia : sic etiam sacramenta nequeunt gratiam efficere principaliter, aut

virtute sibi propria. Quod plane concedimus, et supponimus. Cæterum sicut semen, quia subordinatur animali, potest in virtute ejus attingere instrumentaliter animal genitum, (et idem contingit in aliis exemplis, quæ inculcare non expedit) : sic etiam sacramenta, quia subordinantur Deo, possunt in virtute Dei efficere instrumentaliter gratiam. Quemadmodum enim animalis virtus continet animal genitum, et potest ad semen derivari : sic etiam virtus Dei continet gratiam, et potest communicari sacramentis. Nec inter rem præsentem, et exempla adducta facile assignabitur disparitas, quæ voluntaria non sit.

m rtio- in- en- n. 42. Ultimo probatur conclusio alio fundamento, quod solet in similibus dubiis concludere : nam de divina virtute, quæ infinita est, præsumi debet posse, quidquid non implicat contradictionem : sed Deum uti sacramentis tanquam instrumentis physicis ad producendum in nobis gratiam, non implicat contradictionem : ergo fateri oportet Deum posse ita se gerere : et consequenter non repugnare, quod sacramenta nostra sint instrumenta physica ad producendum gratiam. Cætera constant. Et minor probatur. Primo : quia si ulla esset in præmissis contradictio, vel esset ex parte rei factæ, nempe gratiæ, quæ est nobilior sacramentis : vel ex parte modi, quo fit, et qui excederet omnem causalitatem creaturæ. Non quidem ex primo capite; siquidem quod gratia sit nobilior, solum probat non posse principaliter produci a sacramentis, ut exempla numero præced. proposita manifestant. Neque etiam ex secundo : quandoquidem gratia non fit per creationem, sed per eductionem, ut a limine dubii præmisimus, et producere per eductionem non repugnat creaturæ : ergo non implicat Deum uti sacramentis tanquam instrumentis physicis ad producendum in nobis gratiam. Probatur secundo, et evidentius eadem minor dissolvendo argumenta, quibus Adversarii obtendunt aliquam in hac parte contradictionem.

§ II.

Diluuntur contrariæ opinionis motiva.

43. Oppositam nobis sententiam tuentur Durandus, Scotus, Vazquez, et plures alii ex referendis num 67. Argumenta autem, quibus utuntur, partim pertinent ad ipsum f ctum, sive actualem causalitatem, et his congruentius occurremus dub. seq. partim ad durationem, in qua sacramenta causant, et his satisfaciemus dub. 5, partim denique ad modum, quo sacramenta influunt recedente fictione, et illa diluemus dub. 6. Nunc vero illa tantum argumenta expendere, ac superare oportet, quæ procedunt per se, hoc est, comparando sacramenta, et gratiam, quantum instrumentalis physicus influxus illorum in hanc essentialiter exposcit, sive præscindendo ab aliis, quæ accidentaliter possunt occurrere. Similia namque argumenta sunt, quæ directe queunt oppugnare assertionem nostram, utpote procedentem etiam per se, atque independenter ab aliis accidentalibus, quæ difficultatem ab alio latere addant. Porro prædicta argumenta (mutatis præcise terminis) cum illis reipsa coincidunt, quæ formari solent contra influxum instrumentalem physicum humanitatis Christi in nostram gratiam, et dissoluta a nobis fuerunt tract. præced. disp. 23, dub. 4, § 3 et 4, et toto dub. seq. Quare licet illa oporteat hic proponere, et refricare pro complemento præsentis materiæ; supervacaneum tamen duximus in eis diffluere, actum agendo. Repetenda itaque sunt, et breviter diluenda, remittendo lectorem ad locos proxime relatos. Nota.

Arguitur primo: quia si sacramenta nostra possent ut instrumenta physica influere in gratiam ; fieri posset, quod gratia a sacramentis dependeret : consequens est falsum : ergo et antecedens. Probatur minor : quoniam gratia ex natura sua, et quantum est de se, non dependet a sacramentis : sed quod est de se independens ab aliquo, per nullam potentiam potest fieri dependens ab illo ; siquidem esse independentem est eo non indigere, et fieri dependentem aut dependenter est egere illo : quæ sunt contradictoria : ergo fieri non potest, quod gratia de se independens a sacramentis fiat dependenter ab illis. Sicut quia productio animæ rationalis est de se independens a materia, fieri nullatenus valet, quod exerceatur dependenter ab illa. Primum argumentum

Respondetur retorquendo argumentum in objicientes : quia gratia de se non dependet a sacramentis ; cum fieri possit independenter ab illis : et tamen Adversarii non Solutio

non negant sacramenta nostra influere vere, et proprie in gratiam, quæ in eorum usu communicatur : nec id salva fide negari valet ob ea, quæ diximus dub. 1; unde ipsi obligantur inducere influxum instrumentalem sacramentorum saltem moralem : ergo vel inconsequenter agunt, vel fateri oportet, quod licet gratia ex se non dependeat essentialiter a sacramentis, potest tamen per illa fieri sicut instrumenta physice influentia. Pœna etiam sensus, qua spiritus in inferno torquentur, non dependet essentialiter ab igne corporali sicut ab instrumento; quippe quæ posset a Deo solo immediate causari, et inferri : quo non obstante prædictus ignis est instrumentum illud tormentum inducens, ut vidimus numer. 40 ; ergo ex non dependentia gratiæ a sacramentis minime infertur, quod hæc nequeant esse instrumenta physica ad influendum in illam. Ad argumentum igitur concedendo sequelam, negamus minorem : cujus falsitas liquet exemplis proxime allatis. Ad ejus autem probationem dicendum est gratiam non dependere per se a sacramentis ; dependere tamen per se a virtute Dei, quæ dupliciter influere valet in gratiam : uno modo influendo se sola, et immediate, alio modo influendo per instrumenta, ubi tota gratiæ dependentia reducitur tandem ad idem caput, scilicet Dei virtutem, quolibet modo influat. Exemplum autem animæ rationalis nihil valet : quia hæc cum sit forma essentialiter per se subsistens, non continetur in potentia materiæ, atque ideo nec esse, nec fieri habet dependenter ab illa : unde nullatenus produci valet cum dependentia a materia, sive per eductionem. Recolantur dicta tract. cit. num. 33.

Secundum argumentum. 44. Arguitur secundo : quoniam sacramenta sunt de se impotentia ad producendum gratiam : ergo nisi eis aliquid superaddatur, nequeunt in gratiam influere : idem namque manens idem semper facit idem : sed impossibile est aliquid sacramentis superaddi, quo fiant potentia ad influendum in gratiam tanquam physica instrumenta : ergo repugnat sacramenta prædicto modo gratiam producere. Cætera constant. Et minor subsumpta ostenditur : quia talis virtus vel est ejusdem perfectionis cum gratia producenda, vel inferioris ? Si primum ; non constituet sacramenta causas instrumentales, sed principales, quarum proprium est habere adæquationem cum effectu producendo. Si autem secundum ; non constituet instrumentum proxime potens agere : sicut enim sacramenta, quia sunt minoris perfectionis, quam gratia producenda, nequeunt per virtutem propriam illam producere ; sic etiam si virtus illis superaddita est minus perfecta, quam gratia, non poterit hanc efficere, nec constituere sacramenta proxime potentia, ut influant.

Confirmatio. Confirmatur primo : nam repugnat virtus, quæ non sit spiritualis, vel corporea : sed virtus, quæ elevaret sacramenta ad agendum, nec esset spiritualis, nec corporea : ergo impossibilis est talis virtus : et consequenter repugnat sacramenta tanquam instrumenta physica in gratiam influere. Minor, in qua posset esse difficultas, ostenditur : quia si talis virtus est spiritualis, nequit recipi in subjecto corporeo, cujusmodi est sacramentum : unumquodque enim recipitur ad modum recipientis. Si autem talis virtus est corporea, non potest influere ad effectum spiritualem, qualis est gratia sanctificans. Repugnat ergo virtus, qua sacramenta eleventur ad influendum physice in gratiam.

Confirmatio. Confirmatur secundo : quia si daretur talis virtus, deberet collocari in aliquo prædicamento, aut post prædicamento, ut generaliter contingit cuicumque entitati creatæ : sed talis virtus non potest in illo genere vel post prædicamento constitui : ergo est fictitia. Probatur minor : nam si dicatur talem virtutem esse quandam qualitatem, et in genere qualitatis constitui ; in contra est D. Thomas frequenter significans talem virtutem non esse qualitatem, sed motum. Uude in hac quæst. artic. 1, agens de sacramentis ait : « Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed per motum, quo movetur a principali agente. » Et art. 4, inquit : « Instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens, et completum esse in natura : virtus autem instrumentalis habet esse transiens ab uno in aliud. Sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens. » Idemque alibi frequenter repetit. Si autem dicatur talem virtutem esse quendam motum, ut D. Thomas significat ; in contra est quod

instrumentum debet continere in suo ordine effectum, et constitui potens in actu primo ad ipsum producendum : hæc autem munia nequit obtinere per motum, quo movetur ab agente principali ad agendum ; siquidem prius ordine naturæ est, quod contineat effectum, et possit illum efficere, quam quod moveatur, vel applicetur ad operandum : ergo prædicta virtus nequit esse motus.

rri- rgu- to. 45. Respondetur ad argumentum concedendo primam consequentiam, quam optime evincit inserta probatio, ut fuse expendimus tract. præced. disp. citato dub.5, excludentes contra Suarium § 3, recursum ad potentiam obedientialem immediate activam ; et contra Joan. Vincentium § 4, recursum ad extrinsecam erga Deum subordinationem. Quare fatendum in universum est instrumenta divinæ virtutis elevari ad agendum per aliquid sibi de novo realiter superadditum, quo fiant proxime potentia ad influendum in proprio ordine causæ instrumentariæ. In quo sensu neganda est minor subsumpta. Et ad probationem dicendum est virtutem sacramentis superadditam, ut gratiam producant, esse gratia simpliciter imperfectiorem ; et tamen esse sufficientem, ut sacramenta per modum instrumenti gratiam efficiant. Nam cum ex una parte sacramenta de se non contineant gratiam ; oportet per aliquid elevari, ut ipsam in suo ordine contineant, atque producant. Et cum ex alia parte non eleventur ad agendum per modum causæ principalis, quæ perfecte continet effectum ; sed per modum causæ instrumentalis, quæ illum continet imperfecte : propterea non requiritur, quod virtus, qua elevantur, sit ejusdem perfectionis cum effectu ; sed sufficit, quod talis virtus sit ejusdem quasi ordinis, licet in gradu perfectionis longe inferiori. Sufficientia itaque instrumentorum ad agendum exposcit quidem proportionem; non autem adæquationem cum effectu principalis agentis. Nec ex eo, quod virtus superaddita non habeat adæquationem hujusmodi ; sequitur, quod fulciri debeat nova alia elevatione, et sic usque in infinitum : nam cum talis virtus sit ipsa elevatio, et proportio in ordine ad agendum instrumentaliter ; per se ipsam elevat, et proportionat instrumentum absque elevatione ulteriori. Potestque tota hæc responsionis doctrina explicari, et confirmari exemplo instrumentorum naturalium. v. g. seminis : istud namque non est æque perfectum, ac animal gignendum, egetque virtute sibi superaddita ab animali generante, cui in agendo subordinatur : et quamvis nec ipsa virtus superaddita sit ejusdem perfectionis cum termino, nihilominus constituit semen in ratione instrumenti physice influentis : quia est ipsa formalis elevatio, et proportio, ut semen agat instrumentaliter, nempe cum inferioritate ad terminum productum, et cum subordinatione ad principium principaliter influens : inter quod, et terminum debet adæquatio attendi. Et idem proportionabiliter contingit in præsenti materia.

Ad primam confirmationem respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est probabile esse, quod virtus elevans instrumenta est entitative corporea, et probabile esse, quod talis virtus est entitative spiritualis. Et si eligatur primum, respondendum erit ad impugnationem talem virtutem etsi entitative corpoream in se, esse tamen spiritualem ut *quo*, et causaliter : sicut virtus residens in semine est entitative et in se quid inanime ; et tamen est virtus viva ut *quo*, et causaliter, et hac ratione efficit instrumentaliter animal vivum. Si autem eligatur secundum, diluetur impugnatio dicendo hanc virtutem instrumentariam non recipi in subjecto permanenter, et in esse quieto, sed transeunter, et ad instar motus : quare non communicatur ad modum recipientis, sed magis commensuratur termino : atque ideo licet recipiatur in corpore, non oportet esse corpoream : sed spiritualem juxta conditionem termini, ad quem producendum ordinatur. Unam, et alteram responsionem adhibuimus tract. et disp. citat. num. 74. Sed præferenda est secunda, quia illam expresse et in propriis terminis docet D. Thom. in hac quæst. art. 4, ubi proponit hujus confirmationis difficultatem iis verbis : « Videtur, quod in sacramentis non « sit aliqua virtus gratiæ causativa. Virtus « enim gratiæ causativa est virtus spiri- « tualis. Sed in corpore nequit esse virtus spi- « ritualis : neque ita, quod sit propria ei « (quia virtus fluit ab essentia rei, et ita « non potest eam transcendere), neque ita, « quod recipiat eam ab alio : quia quod « recipitur ab aliquo, est in eo per modum « recipientis. Ergo in sacramentis non potest

Dispellitur prima confirmatio.

D.Thom.

« test esse aliqua virtus gratiæ causativa. » Respondet autem hoc modo : « Ad primum « dicendum, quod virtus spiritualis non « potest esse in re corporea per modum « virtutis permanentis, et completæ, sicut « ratio probat. Nihil autem prohibet in « corpore esse virtutem spiritualem ins- « trumentaliter, in quantum scilicet cor- « pus potest moveri ab aliqua substan- « tia spirituali ad aliquem effectum spiri- « tualem inducendum. Sicut et in ipsa voce « sensibili est quædam vis spiritualis ad « excitandum intellectum hominis, in « quantum procedit a conceptione mentis. « Et hoc modo vis spiritualis est in quan- « tum ordinantur a Deo ad effectum spiri- « ritualem. » Et idem S. Doctor eandem difficultatem diluens in 4, dist. 1, quæst. 1, artic. 4, quæstiunc. 2 ad 4, inquit : « In « re corporali non potest esse virtus spiri- « tualis secundum esse completum : potest « tamen ibi esse per modum intentionis : « sicut in instrumentis motis ab arte est « virtus artis. » Si autem quis ex hac doctrina inferre contendat, quod accidens entitative corporeum queat recipi per modum transeuntis in subjecto spirituali, v. g. in Angelo, quæstionem excitabit in præsenti non necessariam : in qua negativam partem tuetur Nugnus in hac quæstione artic. 6, difficult. unica ; affirmativam vero Arauxo art. 6, dub. 3 ad 1, et problematice utramque Prado dub. 4, num. 57. Qui autem negantem amplectatur (et ea nobis magis arridet), haud obscuram assignabit disparitatem, et doctrinæ jam datæ innitentem, quod non repugnat subjectum corporeum subordinari agenti spirituali, a quo recipiat vim spiritualem per modum intentionis, et motionis in terminum : sed repugnat Angelum subordinari agenti corporeo ut agat tanquam instrumentum illius ; atque ideo ex vi hujus fieri non valet, quod Angelus, aut alia substantia spiritualis recipiat aliquod accidens corporeum vel per modum permanentis, vel per modum transeuntis.

Nota. Nugnus. Arauxo. Prado.

Diluitur secunda confirmatio. Ad secundam confirmationem constat ex dictis tract. et disp. citatis, dub. 6, per totam : quæ hic ad compendium redigi valent dicendo, illud intrinsecum, quo elevantur sacramenta, esse aliquid de genere qualitatis, ut ibidem ostendimus § 1, num. 62, non esse autem qualitatem completam, et habitualem, ut statuimus n. 64, sed esse qualitatem fluidam, incompletam, et transeuntem, ut declaravimus num. 66. Et hæc absque dubio est frequentior inter Thomistas sententia. Præcipua vero ejus pars, nempe hujusmodi elevationem non esse verum motum, aut meram motionem, sed qualitatem aliquam : (quam partem negat M. Joan. a S. Thom. agens de humanitate Christi disp. 15, art. 3, concl. 3, et agens de sacramentis disp. 24, art. 1, concl. 4) probatur motivo satis urgenti: quia illud intrinsecum, quod additur sacramentis ad influendum physice in gratiam constituit illa in actu primo proximo, ut influant : implicat enim, quod sacramenta vere physice agant, et quod prius non sint, et præintelligantur potentia agere : ergo illud superadditum est vere aliqua virtus activa proxime : sed omnis virtus activa proxime constituitur directe, aut indirecte in genere qualitatis : ergo idem dicendum est de illo superaddito intrinseco, quo sacramenta elevantur ad gratiæ productionem. Quod fundamentum sicut nos convincit, ut asseramus cætera principia proxime operativa esse in genere qualitatis, utputa potentias, habitus, dispositiones, species, auxilia sufficientia, et hujusmodi ; sic etiam nos convincit, ut censeamus hoc intrinsecum, quod sacramentis ad agendum additur, esse in eodem qualitatis prædicamento ; quidquid sit de actuali motione, aut applicatione ad effectum. In his autem, quæ pro parte contraria affert perdoctus ille Magister, nihil reperimus (minorem fatemur comprehensionem nostram), quod vel levem nobis difficultatem injiciat, nisi ad summum aliqua (summi apud nos ponderis) testimonia Divi Thomæ, in quibus hanc sacramentorum elevationem vocat motum, aut dicit esse ad modum motus : qualia sunt, quæ in confirmatione expenduntur. Sed ea facile explicantur sola sincera lectione : quoniam S. Doctor ita elevationem vocat motum, quod eidem semper conservat appellationem virtutis, ut constat ex ipsis locis pro parte contraria relatis, et ex artic. 3 hujus quæst. ubi ait : « Gratia non est in « sacramentis secundum aliquam formam « propriam, et permanentem, proportio- « natam ad talem effectum etc. ; sed se- « cundum quandam instrumentalem vir- « tutem, quæ est fluens, et incompleta in « esse naturæ. » Et artic. seq. inquit : « Virtus principalis agentis habet perma-

Joan. a S. Tho. Mens D. Thomæ.

« nens, etc. completum esse in natura : « virtus autem instrumentalis habet esse « transiens ex uno in aliud, et incomple- « tum. » Et clarissime eodem artic. in resp. ad 2 : « Sicut motus, eo quod est actus « imperfectus non proprie est in aliquo « genere, sed reducitur ad genus actus per- « fecti (sicut alteratio ad qualitatem) : ita « virtus instrumentalis non est proprie « loquendo in aliquo genere, sed reducitur « ad genus, et speciem virtutis perfectæ. » Respondeatur, quæsumus, in quo genere collocetur virtus perfecta? Et cum notissimum sit constitui in genere qualitatis ; fateri oportet, quod ex sententia S. Doctoris virtus elevans sacramenta in eodem genere sit, ut quid tamen incompletum, et per reductionem ad perfectum. Ideo autem D. Thomas prædictam qualitatem appellat motum, quia ad instar motus se habet, quatenus non communicatur per modum permanentis, sed per modum transeuntis. Quomodo vero cum hac ejus fluxibilitate cohæreat, quod longo tempore duret, ut patet in qualitate elevante ignem inferni ad torquendum dæmones, non facit ad rem præsentem, atque explicatum a nobis est tum alibi, tum specialiter tract. et disp. relatis dub. 6, § 2. Recolantur etiam, quæ in similibus difficultatibus diximus tract. 13, disput. 17, dub. 2 et tract. 14, disp. 5, dub. 3, § 5 et disp. 7, dub. 6, nu. 331.

[T]ertium [a]rgumentum. 46. Arguitur tertio : nam quod de se nullam habet potentiam proximam, vel remotam ad influendum in aliquem effectum, nequit in ipsum physice influere : sed sacramenta nullam habent de se potentiam proximam, vel remotam ad influendum in gratiam : ergo repugnat, quod in illam physice influant. Probatur minor : quia si sacramenta haberent ullam de se virtutem propriam ad influendum in gratiam ; aliquid sacramentorum proprium reluceret in gratia, quæ in applicatione sacramentorum producitur : virtus enim agentis splendet, et manifestatur in effectu : atqui nihil proprium sacramentorum relucet in gratia producta; siquidem ita nihil magis, aut minus habet, quam haberet, si produceretur independenter a sacramentis : ergo sacramenta nullam habent ex se potentiam proximam, aut remotam ad influendum in gratiam.

Confirmatio. Confirmatur, et explicatur amplius : nam ideo implicat oculum verbi gratia, elevari ad percipiendum sonum, et auditum elevari ad percipiendum colorem, quia prædicta objecta sunt extra sphæram activitatis prædictarum potentiarum : sed gratia est extra sphæram activitatis sacramentorum ; siquidem manifestum est illam non pertinere ad objectum vel proportionatum, vel extensivum rerum corporalium : ergo implicat, quod sacramenta attingant, aut efficiant physice gratiam.

Solvit[ur] argumentum. Respondetur ad argumentum, quod major solum verificatur in eo, quod nullam habet ad effectum potentiam proximam, vel remotam et tam naturalem, quam obedientialem : nam quod ita comparatur, non potest influere in effectu virtute propria, nec virtute sibi ab extrinseco communicata : atque ideo manet simpliciter impotens. Sed falsa est major, ubi aliquid caret potentia proxima, et remota naturali ad influendum in effectum ; habet tamen potentiam obedientialem ad suscipiendum virtutem, qua influat : tunc enim fit potens remote per potentiam obedientialem, et proxime per virtutem sibi impressam. In quo sensu minor argumenti est falsa, et negari debet : quia omnia corporalia habent obedientialem potentiam, ut queant esse instrumenta divinæ virtutis, quam aliquando participant. Minoris autem probatio non urget : nam cum sacramenta (sicut et alia instrumenta) non agant virtute propria, sed virtute principalis agentis : non assimilant effectum sibi, sed agenti principali, ut optime observavit D. Thom. in præs. art. 1, unde non oportet, quod in gratia per sacramenta producta reluceat aliquid proprium sacramentorum, aut in quo sacramentis assimiletur. Habet tamen prædicta gratia aliquid, quod non haberet, si a Deo solo pro duceretur, nempe respectum dependentiæ ad ipsa sacramenta, et aliquem modum ad speciales effectus per sacramenta significatos, ut dub. 9 videbimus.

Dilui[tur] confi[r]mati[o]. Ad confirmationem dicendum est, quod sensus nequeunt elevari ad percipiendum sensibiliter objecta, quæ sunt extra sphæram activitatis eorum, sive quæ non pertinent ad eorum objectum essentiale tam proportionatum, quam extensivum : quia perceptio sensibilis objectorum est actio vitalis, quæ elicitur a principio se movente, et principaliter agente : et implicatorium est potentiam ita se gerere in ordine ad objectum ad se non pertinens. Cæterum si loquamur

quamur non de hac attingentia vitali, sed de alia attingentia instrumentali, quæ respicit non tam objectum, quam effectum ; nulla est repugnantia in eo, quod oculus elevetur ad attingendum physice sonum, hoc est, ad producendum instrumentaliter eam qualitatem : et sic de aliis. In quo sensu, qui tantum ad rem præsentem facere poterat, neganda est major, et suppositum illius. Nec verior est minor, dum adstruit gratiam esse omnibus modis extra activitatem sacramentorum : habent enim sacramenta activitatem radicalem obedientialem, ut in responsione ad argumentum significamus. Juxta quam doctrinam tria genera objectorum queunt respectu instrumentorum distingui. Nam aliquod objectum est naturale, et instrumento æquale, aut omni commensuratione proportionatum : et in id potest instrumentum per modum agentis principalis : sicut serra potest scindere. Aliud est naturale, non tamen proportionatum, sed extensivum : et in id potest instrumentum per modum instrumenti naturalis, nempe ut agenti naturali subordinatum : sicut serra potest concurrere ad cathedram. Aliud denique est extensivum, non naturale, sed obedientiale : et in id potest instrumentum per modum instrumenti obedientialis, hoc est, ut subordinatum Deo principaliter agenti, et communicanti virtutem supra exigentiam totius ordinis naturalis : sicut ignis inferni concurrit ad torquendum spiritus. Et ad hoc ultimum instrumenti genus non requiritur naturalis proportio, aut naturalis extensio : sed sufficit, et requiritur capacitas obedientiæ, quæ inest omni creaturæ. Quare salvatur, quod nullum instrumentum agit ultra sphæram activitatis, quatenus verificatur, quod non agit ultra objectum proportionatum, et extensivum, tam naturale, quam obedientiale.

Nota.

Quartum argumentum.

47. Arguitur quarto : nam de ratione instrumenti physici est habere, et elicere actionem propriam, qua prævie, et dispositive operatur ad effectum principalis agentis : sed implicat sacramenta habere actionem sibi propriam, qua prævie et dispositive operentur ad gratiam : ergo implicat sacramenta physica ad gratiæ productionem. Consequentia patet. Et etiam minor : quoniam sacramenta non habent ex se ullam actionem sibi propriam, quæ naturalis non sit : repugnat autem id, quod naturale est, disponere proxime, aut remote ad gratiam, quæ est super omnem dispositionem, atque exigentiam naturæ, et oppositum dicere pertinet ad hæresim Pelagii, ut ostendimus tract. 14, disp. 3, dub. 5, 6, et 7 ; ergo implicat sacramenta habere ex se actionem sibi propriam, qua prævie, et dispositive operentur ad gratiam. Major autem (quam negant Suarius in præs. disp. 9, sect. 1, et alii, ut huic argumento occurrant), asseritur expresse, et frequenter a D. Tho. præsertim 1 p. q. 4, 5, art. 5, ubi ex hoc principio probat creaturam non posse concurrere instrumentaliter ad creationem ; quia scilicet nequit operari prævie, et dispositive ad talem effectum, cum creatio sit ex nihilo. Unde sic docent N. Complut. in lib. *Physic.* disp. 12, q. 2, et communiter alii D. Tho. discipuli, quos refert, et sequitur Prado in præs. dub. 2, n. 139 Et plane S. Doctor aliter omnino difficultatem objectam diluit, ac Suarius et quidam alii Juniores. Sic enim habet in hoc art. 1 : « Ad secundum dicendum, « quod instrumentum habet duas actiones. « Unam instrumentalem, secundum quam « operatur non in virtute propria, sed in « virtute principalis agentis. Aliam autem « habet actionem propriam, quæ competit « sibi secundum propriam formam : sicut « securi competit scindere ratione entita- « tis ; facere autem lectum, in quantum est « instrumentum artis. Non autem perficit « instrumentalem actionem, nisi exer- « cendo actionem propriam : scindendo « enim facit lectum. Et similiter sacra- « menta corporalia per propriam ope- « rationem, quam exercent circa cor- « pus, quod tangunt, efficiunt operatio- « nem instrumentalem ex virtute divi- « na circa animam : sicut aqua baptismi « abluendo corpus secundum propriam « virtutem, abluit animam, in quantum « est instrumentum virtutis divinæ : nam « ex corpore, et anima unum fit. Et hoc « est, quod Augustin. dicit, quod corpus « tangit, et cor abluit. » Ex quibus manifestum est D. Thomam exigere hujusmodi actionem præviam in physicis instrumentis. Sed tamen solutio, et doctrinæ applicatio a S. Doctore adhibita non videtur satisfacere : quia licet sacramentum baptismi habeat aliquid proprium, et prævium, quo mediate saltem attingat subjectum gratiæ, nempe animam, quatenus abluit cor-

D. Thom.

N. Complut. Prado.

pus, in quo est anima : nihilominus sacramenta id generaliter nec exposcunt, nec habent ; quia manifestum est non exigere physicum contactum subjecti, in quo recipitur gratia, sed posse agere in distans, ut patet in sacramento Pœnitentiæ,quod absolutione sacerdotis eminus positi perficitur.

Responsio. Respondetur id, quod assumitur ad officium instrumenti, assumi, atque elevari tanquam agens inferius, et de se improportionatum ; atque ideo debere habere aliquam ex se virtutem, licet improportionatam ad effectum principalis agentis. Unde ulterius fit, quod sicut virtus elevans instrumentum supponit in illo aliquam virtutem activam, quamvis insufficientem : sic etiam actio instrumentaria attingens effectum principaliter intentum debet supponere in instrumento actionem ejus propriam, quæ operatur effectum sibi correspondentem : ita namque comparatur actio ad actionem, sicut virtus ad virtutem. Quare sicut virtus propria instrumenti est dispositio, aut conditio, ut possit instrumentum suscipere virtutem elevantem, et propriam principalis agentis : sic etiam actio instrumentaria, ad quam exercendam instrumentum elevatur, supponit actionem propriam instrumenti, quæ scilicet naturali ejus virtute correspondet. In quo sensu verum est instrumentum habere actionem propriam, quæ prævie, et dispositive operatur ad effectum principalis agentis. Non quidem ad hunc sensum (ut quidam falso imaginantur), quod instrumentum per actionem sibi propriam debeat efficere aliquid, quod sit dispositio ad effectum proprium agentis principalis. Id enim solum habet locum in instrumentis naturalibus, et naturalium agentium, quæ ex horum indigentia assumuntur : sed minime requiritur in instrumentis Dei, præsertim in ordine ad effectus supernaturales : nam, ut recte argumentum expendit, natura per proprias vires nequit efficere aliquid, quod sit vera dispositio ad gratiam ; cum hæc excedat totius naturæ exigentiam. Sensus itaque illius proportionis toties a D. Tho. assertæ est longe diversus, et solum denotat instrumenta eliciendo propriam operationem disponi passive in se ad participandum operationem principalis agentis : atque ideo disponere ad effectum prædictum, non quia efficiant dispositionem veram, et propriam ad talem effectum : sed quia eliciendo operationem propriam, ex hoc ipso intransitive disponuntur passive ad suscipiendam motionem, sive applicationem, atque ad eliciendum operationem propriam principalis agentis. Assumuntur enim ut agentia inferiori modo, et de se improportionato : unde agendo prædicto modo (quod absque actione propria non sit),constituuntur habilia, ut moveantur ab agente principali in ordine ad producendum instrumentaliter ejus effectum. Idque et non amplius essentialiter loquendo significamus, cum dicimus instrumenta debere habere, atque elicere actionem præviam, quæ prævie dispositive concurrant ad effectum agentis principalis. Qui sensus longe exulat ab hæresi Pelagiana, ut ex se liquet.

In præmisso itaque sensu concedenda est major, et neganda minor. Ad cujus probationem constat ex immediate dictis, quod licet omnis actio prævia, et propria sacramentorum sit naturalis, et quæ nequit disponere ad gratiam : nihilominus sacramenta illam eliciendo disponuntur passive in se ad suscipiendum motionem,atque applicationem Dei principalis agentis in ordine ad effectum præcipue intentum. Nam sicut nequeunt suscipere vitutem elevantem, nisi habeant ex se aliquam virtutem activam inferiorem : sic etiam non moventur ad eliciendum actionem virtuti elevanti correspondentem, nisi eliciant actionem inferiorem, quæ propriæ illorum virtuti respondet. Unde Baptismus abluendo sanctificat,Extrema unctio ungendo sanctificat, Eucharistia cibando sanctificat, et sic de aliis. Quamvis autem regulariter loquendo No actio prævia instrumenti attingat saltem mediate passum principalis agentis (ad quod sicut ad magis commune, et per se attendit D. Thom. loco citato, ex artic. 1 hujus quæst.), id tamen essentialiter non requiritur in instrumentis divinæ virtutis: fieri enim potest,quod attingendo per actionem propriam unum subjectum, attingat per actionem instrumentariam aliud subjectum diversum, aut longe distans : sicut ignis inferni calefaciendo actione propria illius carceris parietes, ligat, et torquet actione instrumentaria dæmones, in quocumque loco sint. Dicitur nihilominus actio prævia instrumenti attingere virtualiter passum principalis agentis : quia instrumentum eliciendo actionem propriam modificat, et determinat actionem principalis agentis.

agentis, ad quam participandam disponit in sensu proxime explicato. Et ab hac radice provenit, quod nulla actio instrumentaria queat ad creandum concurrere, ut determinat D. Thom. loco citato ex 1 part. quia hoc ipso, quod talis actio egrediatur cum ea determinatione, nequit respicere terminum sub communi ratione entis, et ut producendum ex nihilo : quod tamen ad creationem desideratur. De quo alibi.

intum -gu- ntum. 48. Arguitur quinto : quia nullum instrumentum physice influens potest agere in subjectum distans secundum locum : sed sacramenta nostra agunt in subjectum distans secundum locum : ergo sacramenta nostra non concurrunt, ut instrumenta physice influentia. Minor est certa : nam cum Sacerdos absolvit pœnitentem, non solent absolutionis verba hunc physice attingere : et tamen virtus sacramenti Pœnitentiæ consistit præcipue in verbis absolutionis (et eadem probatio occurrit in verbis contrahentium et celebrantium sacramentum Matrimonii, ut facile consideranti constabit) : ergo sacramenta nostra agunt in subjectum distans secundum locum. Major autem probatur ex Philosopho 7, *Physic.* text. 10, ubi generaliter statuit : *Movens, et motum oportet esse simul.* Unde Div. Thom. 1 part. quæst. 8, artic. 1, ex hoc principio probat Deum esse omnibus rebus præsentem, quia in rebus omnibus operatur. Per quod præciditur recursus, quo quis dicere posset prædictam præsentiam, aut contactum solum requiri naturaliter ; secus autem essentialiter, aut per respectum ad potentiam absolutam. Nam si ita res se haberet, corrueret D. Thomæ discursus : posset enim dici Deum de potentia absoluta operari in distans secundum locum, atque ideo non necessario esse physice præsentem effectibus.

utio. Respondetur præsentiam physicam agentis ad passum non esse rationem formalem agendi, nec inter principia activa computari, sed esse meram conditionem, eamque non essentialiter requisitam, sed connaturaliter tantum. De quo videri possunt N. Complutenses *abbrev. in Physic.* disp. 26, quæst. 2. Unde major argumenti solum est vera, ubi agens est naturale, et connaturaliter agit, secus autem per respectum ad potentiam Dei absolutam : quia non implicat instrumenta divinæ virtutis agere in passum situaliter, et secundum locum distans, ut patet in igne, qui in inferno existens torquet, ut instrumentum Dei dæmones, ubicumque sint, ut explicuimus loco supra cit. ex tract. 13. Cum enim Deus, cui instrumenta divinæ virtutis subordinantur, sit omnibus rebus præsens, et effectum principaliter causet ; possunt ejus instrumenta cum subordinatione ad ipsam pertingere causaliter usque ad passum, quod situaliter non attingunt, et inducere eumdem effectum : qui proinde dependet tum a Deo principaliter agente, et physice præsenti, tum ab instrumentis Dei instrumentaliter agentibus, et physice distantibus. Distinguendo itaque in præmisso sensu majorem, et concedendo minorem, negamus absolute consequentiam : quia sacramenta sunt instrumenta divinæ virtutis, et per subordinationem ad ipsam producere possunt effectum in subjectis secundum locum distantibus. Nec inde sequitur labefactari D. Thomæ discursum loco cit. ex 1 part. tum quia S. Doctor non probat præsentiam Dei in omnibus rebus ex quacumque operatione, sed ex operatione intima, et immediata. Tum etiam quia omne agens debet esse præsens passo, aut effectui saltem virtualiter, et secundum causalitatem : Deus autem est sua virtus, et causalitas : unde nequit non esse præsentialiter assistens effectibus, quos producit. Tum denique, nam ideo instrumentum Dei potest distare a passo, quia Deus, cui in agendo subordinatur, est effectui intime præsens : semper enim debet dari aliquod agens immediatum, et immediate passum attingens: cæterum Deus nequit esse instrumentum alterius causæ, quæ intimius rebus assistat: quare nequit distare ab effectibus. Recolantur, quæ diximus loco cit. ex tract. præced. num. 38.

49. Dices ex præmissa doctrina inferri, quod sacramenta actu non existentia, sed futura possint ut instrumenta Dei physice influere : quod omnino falsum apparet. Quis enim in animum inducat fieri posse, quod gratia nunc præsens producatur actu physice per sacramenta futura ? Sequela ostenditur : nam ideo sacramenta ut instrumenta Dei possunt influere physice in rem secundum locum distantem, quia Deus, cui sacramenta in influendo subordinantur, est præsens omnibus locis, et rebus, ut constat ex proxime dictis : sed etiam Deus, Replica.

cui sacramenta in agendo subordinantur, est præsens omnibus temporibus, et effectibus : ergo sacramenta, quæ actu non existunt, sed erunt, poterunt per subordinationem ad divinam virtutum influere in effectus actu præsentes.

Dispellitur. Respondemus negando sequelam, ut negavimus loco cit. num. 40, ubi rem fusius discussimus refellendo sententiam Medinæ illam sustinentis. Ad sequelæ autem probationem, concedendo præmissas, negamus consequentiam ob rationem disparitatis satis notam : quoniam res actu existens, licet distet actualiter ab effectu, est actu aliquid, et potest actu elevari, et actu subordinari Deo principaliter agenti, qui omnibus locis, et passis adest præsens. Sed res nunc non existens, sed futura, est actu nihil : unde non potest actu aliquid recipere, quo agat, nec actu subordinari Deo agenti principali : unde quod Deus sit præsens physice omnibus locis, nullatenus conducit ad hoc, quod res futura agat nunc actu etiam per subordinationem ad Deum : quippe quod actu est nihil, actu nihil habet elevationis, aut subordinationis. Unde propositio a nobis asserta, nempe instrumenta divinæ virtutis posse agere in passum similiter distans, quia subordinantur Deo, qui est omnibus locis præsens, supponit dari subjectum, aut instrumentum, quod subordinetur : ubi enim subjectum actu non est, actu subordinari non valet : Nota. quia non entis nulla sunt prædicata. Ex quibus liquet differentia inter existentiam agentis, et præsentiam agentis ad passum, quod licet neutra sit virtus, aut ratio agendi, et utraque sit mera conditio ad agendum : nihilominus existentia est conditio essentialiter necessaria, quippe sublata existentia non manet agens, quod virtute propria, vel aliena agere valeat : sed præsentia, aut indistantia agentis ad passum est conditio connaturaliter requisita, non tamen essentialis : quia suppleri potest per præsentiam agentis principalis, cui instrumentum in attingendo causaliter passum subordinatur. Et quod diximus de sacramentis futuris, dicendum etiam est de sacramentis omnino præteritis, sive de illis, quæ nullo modo vel in se, vel in aliqua virtute, aut effectu physice perseverant : militat etiam eadem ratio, ut considerans facile recognoscet. Quid autem dicit debeat de sacramentis ficte receptis, dub. 6, constabit.

50. Nec refert, si insistas, quod licet sacramenta sint in se futura, possunt tamen existere actu in fide, apprehensione, et speciebus cognoscentis ea sacramenta, eo plane modo, quo merita Christi futuri erant in fide Patrum antiquorum : ergo prout ibi existentia possunt subordinari Deo principali agenti, ut actu physice influant. Id, inquam, nihil valet : quia sicut illa futurorum sacramentorum existentia in fide, aut speciebus non præstat, quod sacramenta sint actu aliquid physice, sic conferre non valet, quod possint actu subordinari, actu elevari, et actu physice influere. Idque confirmatur exemplo meritorum Christi futuri : licet enim fuerint præcognita a Patribus, nihilominus non influxerunt physice in eorum gratiam : quia actu physice non existebant, licet in illorum cognitione existerent intentionaliter. Quin nec influxerunt moraliter effective, proprie loquendo, ob defectum scilicet prædictæ conditionis, ut ostendimus tract. præced. disp. 7, dub. 4. Diruitur alia replica.

Ex quibus refellitur sententia Cabreræ in præs. art. 1, disp. 1, § 3, num. 27, asserentis sacramenta nostra in voto causare gratiam ex opere operato : et pro se affert aliqua testimonia D. Thomæ ; in quibus tamen S. Doctor nihil hujusmodi insinuat. Refellitur, inquam, quoniam sacramenta causare gratiam ex opere operato est causare gratiam virtute eis intrinseca, et physice, ut constat ex hactenus dictis in hac disp. quæ magis firmabuntur dub. seq. ad quem causalitatis modum requiritur physica sacramentorum existentia, ut proxime ostendimus : atqui sacramenta in voto non existunt, nec applicantur physice, sed habent esse mere affective, aut intentionaliter : ergo sacramenta in voto non causant gratiam ex opere operato. Et profecto si sacramenta in voto causarent effectum ex opere operato, pari ratione causarent gratiam sacramentalem, et quæ illam comitantur : ac perinde baptismus in voto causaret characterem : ex quo ulterius fieret vel non posse postea suscipi baptismum in re; vel susceptum in re characterem non imprimere. Quæ sunt plane absurda. Adde non debere hujusmodi causalitatem asseri absque solido fundamento : nihil autem ejusmodi affert prædictus Auctor ; quin contra se habet communem sententiam Theologorum, quos refert, et sequitur Prado

Prado. Prado in præs. dub. 3, num. 71. Nulla itaque ratione ducimus admittendum, quod sacramenta in solo voto dicantur causare gratiam ex opere operato.

DUBIUM IV.

Utrum sacramenta nostra de facto sint instrumenta physica ad producendum gratiam?

Plura sunt possibilia, quæ non existunt de facto. Unde quamvis ex dictis habeamus non repugnare, quod sacramenta nostra possint esse instrumenta physica Dei, quæ vera, atque immediata causalitate efficiant gratiam, in eorum usu productam; adhuc tamen discutiendum restat, an ita de facto contingat: præsertim cum aliqui primum illud permittant, aut etiam concedant, et tamen negent posterius. Sed in resolvendo parum cunctabimur, qui perspectam habemus mentem Doctoris.

§ I.

Asseritur vera, et affirmans D. Thomæ sententia.

Conclusio. 51. Dicendum est sacramenta nostra esse de facto instrumenta physica in efficiendo gratiam, quæ in eorum applicatione producitur. Propria D. Tho. Sic evidenter docet D. Thomas, ut statim evidenter ostendemus. Et sic loquimur provocati aliquorum Juniorum astutia, qui ausi sunt dicere mentem S. Doctoris in hac parte esse obscurissimam, quin et ab ipsis id negantibus stare. De quibus non Prado. immerito dixit Prado dub. 2, § 5. num. 72 : « Sed non credo, quod ex corde dicant; « sed ne publice in quæstione adeo celebri « communi Magistro videantur contradi- Gonet. « cere. » Et Gonet disp. 3, art. 2, § 4, num. 51, inquit : « S. Doctor tam clare, et perspicue pluribus in locis causalitatem, et « efficientiam physicam in sacramentis « novæ legis agnoscit, ut de hoc dubitare « sit tenebras soli offundere, et ut aiunt, « in meridie cæcutire. » Unde sic communiter docent Thomistæ. Quamvis enim aliqui ex antiquioribus significaverint sacramenta nostra efficere non quidem gratiam, sed ornatum, aut dispositionem ad gratiam, aut hoc concretum *esse gratum*; nihilominus istimet asseruerunt esse instrumenta physica in attingendo effectum illum supernaturalem sibi correspondentem : unde reipsa tuentur assertionem nostram, atque adversantur contrariæ opinioni eorum qui causalitatem physicam nostris sacramentis negant, ut supra num. 38 observavimus. Excluso itaque isto (quantum ad præsens punctum) levissimo scrupulo, ita sentiunt Capreolus in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 1, concl. 3. Deza quæst. 3, art. 3, notab. 4. Herveus dist. 1, quæst. 1, Paludanus quæst. 1, concl. 2, Soto quæst. 3, art. 1, Ægidius Romanus *de ente et essentia*, quæst. 6, Ferrara lib. 4, *contra gent.* cap. 57, § *considerandum secundo*, Cajetanus in præs. art 1, ubi Nugnus difficult. 7, Arauxo dub. 1, Serra dub. 2, Cabrera disp. 3, Joann. a S. Thoma disp. 24, dub. ult. Sylvius quæsito 3, N. Philippus disp. 5, dub. 1, N. Franciscus tract. 1, cap. 2, dub. unic. Contenson dissert. 1, cap. 2, specul. 2, Labat disp. 1, dub. 5, § 1, Petrus de Soto *de sacramentis*, lect. 9, Petrus de Ledesma *de sacramentis in genere* cap. 4, in fine, Joann. a Cruce quæst. 2, dub. 8, Prado, et Gonet locis supra relatis, Joannes de Neapoli, Sylvester, Soncinas, Viguerius, Bannez, Ripa, Nazarius, Alvarez. Medina, Conradus, et alii, quos refert, et sequitur Coquetius lib. *de gratia*, disp. 6, cap. 1. Idem etiam tuentur alii Doctores, Argentinas in 4, dist. 1, quæst. 1, Palacios ibidem disp. 4, Vega lib. 7, *in Triden.* cap, 10, Ruardus art. 3, Sayrus lib. 5, *de sacram.* cap. 3, Alanus lib. 1, cap. 34, et 35, Bellarminus lib. 2, *de sacramentis in genere* cap. 11, Valencia disp. 3, quæst. 3, punct. 1, Suarez disp. 9, sect. 2, Henriquez lib. 1, cap. 16, Reginaldus lib. 26, num. 47, Granados tract. 3, disp. 3 et 4, Bonacina disp. 1, quæst. 4, punct. 6, Trullench *in praxi sacram.* lib. 1, cap. 3, dub. 5, Thomas Hurtado tom. 2, *resol. moral.* tract. ult. resolut. 10, § 9, Isambertus in præs. Joannes de Ripalda lib. 2, disp. 39, sect. 3, Meratius disp. 4, sect. 1, Antonius Escobar lib. 8 *Theolog. moral.* sect. 2, cap. 11, problem. 28, Dicastillo disp. 2, dub. 5, num. 148, Bonæspei Orlandum referens disp. 2, dub. 2, num. 13, Christophorus a S. Joseph tom. 1, *de sacramentis* dub. 8, Rubius lib. 2 *Physic.* tract. 4, quæst. 3, num. 33, Pesantius, Biusfledius, Marchinus, et Torreblanca, quos refert, et sequitur Leander tom. 1, tract. 1, disp. 3, quæst. 8, Collegium Conimbricense, Canisius, Fonseca, Alberti-

Capreol. Deza. Herveus. Paludan. Soto. Ægid. Ferrara. Nugnus. Arauxo. Serra. Cabrera. Joann. a S. Tho. Sylvius. N. Phil. N. Franc. Contens. Labat. Petrus de Soto. Ledesm. Joann. a Cruce. Coquet. cum multis. Argent. Palacios. Vega. Ruard. Sayrus. Alanus. Bellarm. Valenc. Suarez. Henriq. Regin. Granad. Bonac. Trull. Hurtad. Ripalda. Dicastil. Leand. cum pluribus.

nus, et Costerus apud Coquetium loco citato, et alii plures.

obatur x Div. homa. 52. Et quod ita senserit D. Thomas, ostenditur, ut promisimus, evidenter : quia evidens est securim, dum cooperatur artifici in efficiendo lectum, esse instrumentum physicum : sed S. Doctor affirmat, quod sacramenta nostra eodem modo subordinantur Deo in productione gratiæ : ergo ex ejus sententia sunt instrumenta physica. Probatur minor : nam in præs. art. 1, inquit : « Causa instrumentalis non agit « per virtutem suæ formæ, sed solum per « motum, quo movetur a principali agente. « Unde effectus non assimilatur instru« mento, sed principali agenti : sicut lectus « non assimilatur securi, sed arti, quæ est « in mente artificis. Et hoc modo sacra« menta novæ legis gratiam causant. »

Præterea in sententia S. Doctoris, proprium est instrumentorum physicorum habere duas actiones, unam sibi propriam, et præviam, alteram vero instrumentariam, ad quam eliciendam elevantur. Quo principio utitur 1 part. quæst. 45, art. 5, ut probet creaturam non posse esse instrumentum creationis : quia scilicet sua prævia actione deberet determinare ad peculiarem rationem entis : cujus oppositum exigit terminus proprius creationis, cum fiat ex nihilo tam subjective, quam dispositive. Et hæc doctrina solum procedit in instrumentis physicis : loquendo namque de instrumento morali, nulla est contradictio in eo, quod creatura concurrat moraliter ad creationem ; posset enim suo merito, aut impetratione movere Deum, ut crearet unum Angelum. Atqui D. Thom. in sacramentis nostris manifeste distinguit exigitque duas actiones, unam præviam, et aliam instrumentariam : ergo ex ejus sententia sacramenta nostra sunt instrumenta physica. Probatur minor : nam in præs. art. 1 ad 1, inquit : « Instrumentum habet duas « actiones. Unam instrumentalem, secun« dum quam operatur non in virtute pro« pria, sed in virtute principalis agentis. « Aliam autem habet actionem propriam, « quæ competit sibi secundum propriam « formam. Sicut securi competit scindere « ratione suæ acuitatis : facere autem lec« tum, in quantum est instrumentum artis. « Non autem perficit instrumentalem ac« tionem, nisi exercendo actionem pro« priam : scindendo enim facit lectum. Et « similiter sacramenta corporalia per pro« priam operationem, quam exercent circa « corpus, quod tangunt, efficiunt operatio« nem instrumentalem ex virtute divina « circa animam : sicut aqua baptismi « abluendo corpus secundum propriam vir« tutem, abluit animam, in quantum est « instrumentum virtutis divinæ : nam ex « corpore, et anima unum fit Et hoc est, « quod Augustinus dicit, quod corpus tan« git, et cor abluit. »

Alia probatio. Deinde evidens est in instrumentis non physicis, sed quæ moralia præcise vocantur, non requiri elevationem per virtutem intrinsecam eisdem ab agente principali communicatam : unde qui docent sacramenta esse instrumenta non physica, sed moralia, minime admittunt eam elevationem per virtutem intrinsecam superadditam : et superfluum apud eos esset disquirere, an virtus, qua elevantur instrumenta moralia, sit transiens, vel permanens, sit corporea, vel spiritualis : quin ab hoc latere impugnant nostram assertionem, quod sacramenta sint instrumenta physica, quia scilicet impossibile reputant hujusmodi elevationem, ut constat ex dictis num. 44. Hæc omnia sunt per se nota in Adversariorum doctrina. Sed non minus evidens est, quod D. Thom. in sacramentis nostris, ut agant instrumentaliter, exigit additionem virtutis, intrinsecæ : et hac ratione obligatus explicat modum talis virtutis, subtiliter determinando ejus conditiones. Ergo ex sententia D. Thomæ nostra sacramenta influunt de facto ut instrumenta physica. Probatur minor : nam in hac quæst. art. 4, inquit : « Ponendo, quod sacramentum est « instrumentalis causa gratiæ, necesse est « simul ponere, quod in sacramentis sit « quædam virtus spiritualis ad inducen« dum sacramentalem effectum. Et hæc « quidem virtus porportionatur instru« mento. Unde comparatur ad virtutem « absolutam, et perfectam alicujus rei, si« cut comparatur instrumentum ad agens « principale. Instrumentum enim non « operatur, nisi in quantum est motum a « principali agente, quod per se operatur. « Et ideo virtus principalis agentis habet « permanens, et completum esse in natura : « virtus autem instrumentalis habet esse « transiens ab uno in aliud, et incomple« tum. » Et in resp. ad 1, ait : « Virtus « spiritualis non potest esse in re corporea per

« per modum virtutis permanentis, et com- « pletæ, sicut ratio probat Nihil autem « prohibet in corpore esse virtutem spiri- « tualem instrumentaliter etc. Et hoc modo « vis spiritualis est in sacramentis. » Et in solutione secundi inquit : « Sicut motus eo « quod est actus imperfectus, non proprie « est in aliquo genere, sed reducitur ad « genus actus perfecti : ita virtus instru- « mentalis non est proprie loquendo in ali- « quo genere, sed reducitur ad genus, et « speciem virtutis perfectæ. » Ad quid hoc dispendium subtilitatum, et distinctionum, si sacramenta, ut agant instrumentaliter, nihil in se de novo recipiunt, ut docent (et quidem consequenter) qui ea negant esse physica instrumenta ?

Alia. 53. Insuper notum est tam ex sententia D. Thomæ, quam ex consensu Adversariorum, quod humanitas Christi, et sacramenta novæ legis causant in nobis gratiam eodem modo causalitatis ; ita tamen quod humanitas est instrumentum divinitati conjunctum, sacramenta autem sunt instrumenta separata. Sed D. Thom. manifeste docet, quod humanitas Christi influit in nostram gratiam ut instrumentum physicum. Ergo idem sentit de sacramentis novæ legis. Minor fuse a nobis probata fuit tract. præced. disp. 23, dub. 4, §. 1, et ideo nunc breviter suadetur : quoniam S. Doctor supra quæst. 13, art, 2, affirmat animam Christi, in quantum est instrumentum unitum Verbo, « habere virtutem ad omnes immutationes « miraculosas faciendas, quæ conducunt ad « finem Incarnationis ; non tamen ad crea- « tionem, vel annihilationem. » Ubi evidens apparet, quod loquitur de instrumento habente virtutem physicam, sive physice influente : nam quod ad causalitatem instrumentalem moralem spectat, nulla vel apparens occurrit repugnantia in eo, quod anima Christi potuerit impetrare annihilationem unius formicæ, vel creationem unius animæ. Et non minus evidenter id ipsum colligitur ex toto contextu quæstion. 48, nam S. Doctor statuit in art. 1, passionem Christi causasse nostram salutem *per modum meriti* : in secundo *per modum satisfactionis* : in tertio *per modum sacrificii* : in quarto *per modum redemptionis*. Ecce omnes modos, quibus explicari valeat moralis passionis influxus. Sed D. Thom. ultra progressus statuit, art. 6, « quod quia humanitas « Christi est divinitatis instrumentum ; « ideo ex consequenti omnes actiones, et « passiones Christi instrumentaliter ope- « rantur in virtute divinitatis ad salutem « humanam. Et secundum hoc humanitas « Christi efficienter causat salutem huma- « nam. » Cum igitur ista efficientia instrumentalis sit distincta ab omni influxu morali per modum meriti, satisfactionis, sacrificii, et redemptionis (in quas classes omnis moralis causalitas revocatur), sequitur talem efficientiam esse physicam. Unde idem S. Doctor in 4, dist. 10, quo loco Magister refert ista D. Ambrosii : *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet*? Subjunxit in expositione textus suam explicationem his verbis : « Lo- « cus est a minori. Unde intelligendum est, « quod plus valet sermo Christi, et in per- « sona Christi probatus. Quia sermo Eliæ « in se ipso non habebat virtutem aliquam, « sed operabatur per modum intercessionis : « sermo autem Christi habet virtutem in- « traneam. » Non negabunt autem Adversarii sermonem Eliæ fuisse instrumentum morale, et operatum fuisse moraliter, ut ignis de cælo miraculose descenderit. Ergo D. Thomas, dum affirmat sermonem Christi plus valuisse, defert illi influxum physicum. Idque satis liquido manifestat ex ratione, qua prædictam inæqualitem probat, nempe quod sermo Eliæ non habuerit virtutem aliquam, sermo autem Christi habuerit *virtutem intraneam*. Nam si ad influxum præcise moralem attendamus, nulla major, nec magis intranea virtus fuit in sermone Christi, ac in sermone Eliæ : nec enim virtus intranea ad concursum moralem requiritur, ut Adversarii concedunt. Excessus ergo virtutis intraneæ, quam Div. Thom. attribuit sermoni Christi, satis manifestat ipsum sentire, quod sermo Christi influxerit physice in miracula tanquam instrumentum divinæ virtutis.

Magister. Tho.

54. Ad hæc : omnia sacramenta novæ legis per se loquendo (id est abstrahendo ab accidentaria suppositione, quod ficte recipiantur), causant eodem modo, nempe vel physice, vel moraliter, ut Adversarii concedunt : sed ex sententia Div. Thomæ aliquod novæ legis sacramentum causat physice : ergo ex ejus sententia idem de aliis dicendum est. Probatur minor : quia Sanct. Doctor in 4, distinct. 14, quæst. 2, articul. 4, inquit : « Pœnitentia, ut est sacramen Alia.

« tum, effective tollit peccatum ex parte « maculæ, quia gratiam tribuit : sicut in- « ducens albedinem aufert nigredinem. Et « secundum hoc pœnitentia, in quantum « est sacramentum, peccata dimittit : quia « sacramentum novæ legis est causa instru- « mentalis gratiæ.» Manifestum est autem, quod inducens albedinem tollit effective physice nigredinem. Hoc igitur modo sacramentum pœnitentiæ juxta sententiam Div. Thom. excludit peccata. Idque magis ex eo confirmatur, quod sacramentum pœnitentiæ eodem modo remittit peccata, quo Sacerdos absolvens, et sacramentum perficiens. Sacerdos autem effective, executive, et physice remittit peccata, ut satis declarant verba, quibus utitur : *Ego te absolvo :* non enim sunt rogantis, aut moraliter monentis alium, ut solvat; sed sunt exequentis immediate. Unde sicut in humanis cum judex pronuntiat, *Absolvo Petrum*, non excitat alium ad solvendum, nec impetrat ab alio absolutionem ; sed auctoritate, quam habet (et supponitur a supremo Principe ipsi commissa), immediate absolvit reum : ita Sacerdos in sacramento pœnitentiæ instituto per modum judicii, gerens munus judicis cum dicit, *Ego te absolvo* non se gerit ut rogans Deum, nec ut impetrans ab eo absolutionem ; sed authoritate sibi a Christo concessa causat vere instrumentaliter executive, et immediate effectum verbis significatum nempe passivam absolutionem a culpa. Interest tamen discriminis inter hanc rem, et exemplum, quod absolutio in judicio externo non fit per intrinsecam ejus, qui absolvitur, mutationem : unde talis absolutio nullum physicum effectum eidem imprimit. Sed liberatio a peccato non fit absque infusione physica gratiæ : quare sicut Sacerdos absolvens causat executive immediate remissionem culpæ : ita etiam immediate executive inducit gratiam absolutionis, sive justificationis. Unde sicut ad utrumque effectum concurrit immediate, id est non movendo alium, ut causet, sic etiam ad utramque physice comparatur. Quam doctrinam satis expressit D. Thom. infra quæst. 84, art. 3 ad 4, his verbis : « Apos- « tolis non est data potestas, ut ipsi sana- « rent infirmos, sed ut ad eorum orationem « infirmi sanarentur. Est autem eis collata « potestas operandi instrumentaliter, sive « ministerialiter in sacramentis. Et ideo « magis possunt in formis sacramentorum « exprimere actum suum, quam in sana- « tionibus infirmorum. »

55. Denique manifestum apparet, quod instrumenta, quibus Deus utitur et ad sanctificandum homines per gratiam, et ad puniendum in hominibus culpam, concurrunt eodem modo, nempe vel physice, vel moraliter : quia absurdum videtur instrumenta ultionis esse physica, et rigorose influentia, instrumenta vero sanctificationis esse solum moralia, et influentia secundum quid ; cum Deus longe pronior sit ad miserendum, quam ad puniendum. Sed ex sententia D. Thomæ instrumenta, quibus Deus utitur ad puniendum in hominibus peccata, concurrunt ut instrumenta physica, et physice influentia in prædictum effectum. Ergo idem sentit de instrumentis, nempe de sacramentis, quibus utitur ad miserendum, et sanctificandum homines per gratiam. Probatur minor : nam D. Thom. manifeste docet ignem inferni tanquam instrumentum divinæ virtutis vere, et proprie torquere damnatos, causando in eis vere, et proprie pœnam sensus, ut evidenter constat ex ejus testimoniis, num. 40 relatis : at talis ignis non concurrit moraliter ad prædictum effectum, ut ibidem ponderavimus : ergo ex sententia D. Thomæ est instrumentum physicum divinæ virtutis ; vere, et immediate, et physice torquens damnatos. Recolantur testimonia supra relata : quibus ut idipsum evidentius constet addimus locum ex lib. 4 sent. disp. 44, quæst 3, art. 3, quæstiunc. 3. Qui locus ut manifestiorem vim habeat, ponderandum est, quod si ignis inferni solum esset instrumentum moraliter torquens spiritus, facillimo negotio, et uno, ut dicunt, verbo, explicaretur, qualiter ille ignis sit verum spiritibus tormentum, ut si quis asserat esse signum, ad cujus præsentiam Deus spiritus torqueat : unde superfluum foret plura in ejusmodi explicatione adhibere. At. S. Doctor multum circa hoc laboravit referens, et refellens varios dicendi modos, et proponens tandem modum (et quidem physicum, ut statim constabit), quo vere, et proprie spiritus per instrumenta corporea puniantur. Ergo ex ejus sententia ignis inferni est instrumentum physicum ad tormentum spirituum. Verba S. Doctoris sunt : « Quamvis res corporea ex sua « natura habeat, quod spiritum incorpo- « reum loco diffiniat; non tamen habet

sua

« sua natura, quod spiritum incorporeum « loco diffinitum detineat, ut ita alligetur « illi loco, quod ad alia divertere non pos- « sit ; cum spiritus non ita sit in loco natu- « raliter, quod loco subdatur. Sed hoc su- « peradditur igni corporeo, in quantum « est instrumentum divinæ justitiæ vin- « dicantis, quod sic detinet spiritum, et ita « efficitur ei pœnalis retardans eum ab « executione propriæ voluntatis, ne scilicet « possit operari, ubi vult, et secundum quod « vult. Et hunc modum ponit Gregorius in « 4. Dialog. Exponens enim quomodo ani- « ma incendium experiendo patiatur, sic « dicit : Dum veritas peccatorem divitem « damnatum in igne perhibet, quisnam « sapiens reproborum animas teneri igni- « bus neget ? Et hoc etiam Julianus « dicit, ut in littera Magister dicit : Si « viventis hominis incorporeus spiritus « detinetur in corpore; cur etiam non post « mortem corporeo igne teneatur? August. « etiam 12 de Civitate, dicit, quod sicut « anima in hominis conditione jungitur « corpori ut dans ei vitam, quamvis illud « sit spirituale, et hoc corporale ; et ex illa « conjunctione vehementer concipit amo- « rem ad corpus : sic ligatur igni ut acci- « piens ab eo pœnam, et ex illa conjunctione « concipit horrorem. Oportet ergo omnes « prædictos modos in unum colligere, ut « perfecte videatur, quomodo anima ab « igne corporeo patiatur : ut scilicet dica- « mus, quod ignis secundum naturam suam « habet, quod spiritus incorporeus ei con- « jungi possit ut loco locatum. Sed in quan- « tum est instrumentum divinæ justitiæ, « habet, ut ipsum quodam modo ligatum « retineat. Et in hoc veraciter ignis ille est « spiritui noxius : et sic anima ut sibi no- « xium videns ab igne cruciatur. Et in « resp. ad 7, addit : Dicendum, quod quam- « vis non sit aliquis tactus corporalis inter « animam, et corpus ; tamen est inter ea « aliquis tactus spiritualis : sicut etiam « motor Cœli, cum sit spiritualis, spirituali « tactu tangit Cœlum, ipsum movens. » Ex-pendat lector, quæsumus, hæc principia, hæc exempla tanto subtilitatis acumine proposita a Sancto Doctore, et censeat, an attendebat ad actionem physicam pro qualitate materiæ satis difficilem ; an autem ad crassum illum, et nullo ingenio dignum discurrendi modum, quo aliquid dicitur moralis causa per hoc, quod sit signum ex pacto, aut promissione, ut ad ejus præsentiam agens principale physice causet et solus producat effectum. Plane vel cæcus erit, vel iniquus judex, si dicat D. Thomam in relato loco, hoc ultimum præcise circa tormentum spirituum ab igne intendisse, explicuisse, atque probasse. Indignum quippe nobilissimo illo ingenio erat tantum laborasse in adstruendo dumtaxat illud, quod pueriles mentes non latet.

56. His itaque convicti censemus nostram, et communem assertionem esse evidenter sententiam propriam S. Doctoris. In eoque judicio magis confirmamur attendendo ad levia illa motiva, quibus Adversarii lucem hanc infuscare tentarunt, et pusillis facere dubiam. Quare priusquam ab hoc loco discedamus, congruum duximus nubes ab illis objectas pellere : in quo parum laborabimus, et immorabimur. Opponit ergo Vazquez verba D. Thom. in hac quæst. art. 4 ad 1, ubi ait : « Nihil prohi- Objectiones. « bet in corpore esse virtutem spiritualem « instrumentaliter, in quantum scilicet « potest moveri ab aliqua substantia spi- « rituali ad aliquem effectum spiritualem « inducendum. Sicut in ipsa voce sensibili « est quædam vis spiritualis ad excitan- « dum intellectum hominis, in quantum « procedit a conceptione mentis. Et hoc « modo vis spiritualis est in sacramentis, « in quantum ordinantur a Deo ad effec- « tum spiritualem. » In quo testimonio duo ponderat Vazquez : primum, quod S. Doctor docet vim spiritualem ita esse in sacramentis, sicut vis spiritualis est in voce sensibili ad excitandum intellectum : secundum, quod idem S. Doctor affirmat prædictam vim esse in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad producendum gratiam. Manifestum namque est, inquit ille Auctor, vim spiritualem existentem in voce sensibili ad excitandum intellectum non esse aliquid physicum, sed morale ; siquidem vocum significatio est ens rationis : et non minus manifestum est constitutionem Dei ordinantis sacramenta ad effectum spiritualem nihil intrinsecum physicum ponere in sacramentis, sed extrinsece se habere. Sentit ergo S. Thomas sacramenta nostra non esse instrumenta physica, sed moralia. Quod magis confirmat Vazquez : quia D. Thom. art. 5, docet virtutem, quam habent sacramenta, derivari ad ipsa ex passione Christi : passio autem

non fuit instrumentum physicum ad productionem gratiæ, sed solum morale per modum impetrationis : ergo ex sententia D. Thomæ idem de nostris sacramentis dicendum est. Addit D. Thomam in 4, dist. 1, quæst 1, art. 4, quæstiunc. 2, in corp. docere, quod Deus utitur sacramentis *quasi quibusdam instrumentis justificationis*. Et in resp. ad 2, docet sacramenta esse causas gratiæ *quasi instrumentaliter*. In quibus locis adhibuit illam particulam *quasi* non sine causa, nempe ut denotaret sacramenta non esse instrumenta rigorosa, seu physica, sed solum moralia.

Respondetur tantum abesse, ut hæc a
ur. Vazquio objecta dubium circa mentem D. Thom. incutiant, ut nos potius in ea pro nobis asserenda confirment. Unde ad objectionem respondemus, quod licet significatio ad placitum sit ens rationis, tamen voces sensibiles præter hujusmodi significationem solent participare aliquam vim spiritualem ex magistro loquente, per quam causant realiter scientiam, aut quid simile in audiente disciPulo : alias unus homo non posset esse causa realis scientiæ, vel artis in alio ; quod est absurdum. Et huic virtuti spirituali, non autem significationi, comparat D. Th. loc. cit. virtutem,qua elevantur sacramenta : unde magis apparet ipsum sensisse, quod sacramenta nostra sunt instrumenta physica. Idque amplius
Tho. ex eo confirmari potest, quod S. Doctor in 4, dist. 1, q. 1, art. 5, quastiunc. 2, in corp. statuit : « Dicendum, quod propter auctori- « tates inductas necesse est ponere ali- « quam virtutem supernaturalem in sacra- « mentis.» (Quod minime dicerent Adversarii.) Contra hanc autem conclusionem opponit : « Omne, quod recipitur in « aliquo est in eo per modum recipientis : « et inde est, quod virtus spiritualis non « potest esse in re corporali : sed hæc « virtus, quæ ordinatur ad gratiam in- « ducendam, est maxime spiritualis : ergo « non potest esse in rebus corporalibus. » A qua difficultate facile se expedirent Adversarii negando, ut negant, talem virtutem recipi in sacramentis. Sed videant, quid respondeat D. Tho. « Ad quartum di- « cendum, quod in re corporali non potest « esse virtus spiritualis secundum esse com- « pletum; potest autem ibi esse per modum « intentionis : sicut instrumentis motis ab « artifice est virtus artis : et sermo audibi- « lis existens causa disciplinæ, ut dicitur « in lib. de sensu, et sensato, continet in- « tentiones animæ quodammodo : etiam in « motu est virtus substantiæ separatæ « moventis secundum Philosophos : et « semen agit id virtute animæ, ut dicitur « in 1, de generat. animalium. » Et conformiter ad hujusmodi exempla absolverat corp. art. his verbis : « Quia sacramenta Idem.
« non faciunt effectum spiritualem, nisi in « quantum sunt instrumenta; ideo virtus « spiritualis est in eis non quasi ens fixum, « sed sicut ens incompletum. Et in resp. « ad 1:Virtus hæc, quæ est in sacramentis, « reducitur ad id genus, in quo est virtus « principalis agentis, quæ est qualitas, vel « in qua esset, si id genere esset.» Perpendat hic Vazquez exempla a D. Tho. proposita, et recognoscat instrumenta artis, semen animalis, et motum substantiæ separatæ physice influere in effectus principalium agentium,quibus in agendo subordinantur. Cum autem ex sententia D. Thom. ita se habeant sacramenta; sequitur,quod physice influant.Cur enim,ut oppositum asseratur, unice attendemus ad exemplum vocis sensibilis, tribus his omissis, aut spretis ? Sed plane ad unum illud etiam attendendo, idem fateri oportet : nam S. Doctor illud inter alia tria recenset : quare vel lubrice, atque inconsequenter procedit ; quod dici non debet : vel voci sensibili attribuit,quod participet physice aliquam virtutem spiritualem transeuntem, et quod influat physice in disciplinam, ad modum aliorum instrumentorum physicorum, quæ in exemplum adduxit. Modum autem, quo vox magistri ea munia præstet, non est hujus loci exponere,et colligi haud obscure potest ex his, quæ docet D. Tho. 1, p. q. 106, art. 1, et q. 117, art. 1. Sufficiat insinuare virtutem, qua vox præceptoris immittit species ordinatas usque ad sensus audientis, et eis mediantibus transmittit loquentis conceptum usque ad mentem audientis, realem esse. Et si Vazquez de hoc dubitet, nostra non refert, quibus satis est ostendisse id ita contingere ex sententia S. Doctoris : inde enim constat difficultatem a Vazquio objectam nullius ponderis esse, sed esse regerendam in illum.

57. Reliqua, quæ opponit, minoris momenti sunt : nam licet Dei ordinatio, aut constitutio sit extrinseca sacramentis, utpote formaliter in se manens; nihilominus

ponit

ponit effective aliquid in illis, nempe virtutem, et motionem. Sicut generaliter quidquid habent creaturæ, habent ex constitutione Dei; et tamen convenit illis intrinsece. Ad confirmationem negamus minorem: nam oppositum docet D. Thom. supra quæst. 48, art. 6, et nos statuimus tract. præced. disp. 23, dub. 4. Unde non oportet circa hæc immorari. Videantur specialiter, quæ ibidem diximus num. 47. Additamentum difficultatis facile excluditur: nam particula *quasi* non semper est diminutionis, sed sæpe adhiberi solet expressionis, et
Joan. 1. confirmationis gratia, ut cum Joan. 1, dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Unde ex eo, quod D. Tho. uno, aut altero loco dixerit sacramenta esse causas quasi instrumentales, minime probatur ipsum sensisse, quod non sint vera instrumenta. Præsertim cum frequentissime illa appellet instrumenta absolute et absque ulla additione, ut in præs. art. 1, ubi in fine corporis proponit verba D. August. « Sacramenta fiunt, et transeunt; virtus tamen Dei, quæ per istas operatur, jugiter manet. » Et subdit Doctor Angelicus: « Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquid operatur. Unde et ad Titum 3, dicitur, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. » Ex quo etiam constat ad alias objectiunculas, quas circa mentem D. Tho. formant Coninckus, Lugo, et quidam alii: nam vel revocantur ad testimonia jam explicata, vel inserunt aliqua rationis momenta infra diluenda.

Objectio Bernalis. Magis compendiosam viam elegit Bernal, ut alienum a nostra sententia ostenderet D. Thom: quippe nullo allegato illius testimonio objicit incredibile esse, quod S. Doctor senserit sacramenta nostra esse instrumenta physica ad causandum gratiam: quia ex tali positione argueretur « ignorantiæ, ineptæ Philosophiæ, improprietatis, falsitatis, incredibilis oscitantiæ, ne dicam (*inquit*) stupiditatis, vel certe insignis injuriæ in lectorem. » Sed quale sit hoc probationis genus, sincero lectorum ju-
Nota. dicio remittimus. Non hic opponimus auctoritatem D. Thomæ, quam ab illis supinitatibus immunem facit Bernal; sed quid satis evidenter docuerit, constat ex supra dictis. Non opponimus auctoritatem omnium fere Thomistarum, de quorum mente non licet dubitare; cum in propriis terminis doceant nostram assertionem. Sed admirantur, quod « cum ignorantibus, ineptis Philosophis, stupidis, etc. » involvantur ab eo Suarez, Bellarminus, Canisius, Valencia, Henriquez, et alii nobiles Theologi suæ Societatis nu. 51 relati, qui ipsissimam cum Thomistis tenent in hac causa sententiam. Nec hic aliud nobis occurrit, nisi maledictio illa Salomonis (quam tamen nemini imprecamur) Prov. 30: *Oculum, qui* Prov. 30. *subsannat patrem, et despicit partum matris suæ, suffodiunt eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Et alia ad objecta non egemus responsione: quia non continet nisi verba, et qualia vidimus.

§ II.

Expenditur fundamentum D. Thomæ.

58. Motivum autem, quo D. Thomas convictus fuit, ut assereret sacramenta legis gratiæ esse non solum signa, aut instrumenta moralia, sed etiam veras causas physicas, influentes immediate in gratiam, est gravissimum, et tanto Theologo dignum, nempe auctoritas Sanctorum. Illud autem proponit in præs. artic. 1, ubi relata illorum sententia, qui dicebant sacramenta nostra se habere ad instar denarii plumbei, quem si quis exhibeat, accipit centum libras, non quidem ex influxu denarii, sed ex ordinatione regis, quam denarius repræsentat (quod exemplum coincidit cum exemplo syngraphæ apud Recentiores usitato), statim subdit: « Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est, nisi quoddam signum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto. Secundum hoc igitur sacramenta nova nihil plus essent, quam signa gratiæ: cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novæ legis non solum significant, sed causant gratiam. » Et infra quæst. 78, art. 4, inquiritur: « Utrum verbis consecrationis Eucharistiæ insit aliqua vis creata effectiva consecrationis » et resolvit: « Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt nullam virtutem creatam esse nec in prædictis verbis ad transubstantiationem faciendam, nec etiam in aliis sacramentorum formis ad inducendos sacramentorum effectus. Quod (sicut supra habitum est), et dictis Sanctorum repugnat,

« et derogat dignitati sacramentorum novæ « legis. Unde cum hoc sacramentum sit « præ cæteris dignius (sicut supra dictum « est), consequens est, quod in verbis for- « malibus hujus sacramenti sit quædam « virtus creata ad conversionem hujus sa- « cramenti faciendam ; instrumentalis ta- « men sicut et in aliis sacramentis. » Et quæst. 27, *de Verit.* art. 4, inquit : « Hæc « autem opinio non videtur sufficienter di- « gnitatem sacramentorum novæ legis sal- « vare. Si enim recte consideretur exem- « plum ab eis propositum, et alia similia « non invenitur, quod id, quod causam « dicunt sine qua non, se habeat ad effe- « ctum, nisi sicut signum. Denarius enim « plumbeus non est nisi signum acceptio- « nis pecuniæ, et baculus potestatis, quæ « confertur Abbati. Unde si sic se habent « sacramenta novæ legis ad gratiam ; se- « quitur, quod sint solum signa gratiæ : et « ita nihil habebunt præ sacramentis vete- « ris legis etc » Hæc omnia S. Doctor : ex quibus liquet ipsum, ut adstrueret in nostris sacramentis physicum influxum, attendisse quasi unice ad dicta Sanctorum, et quidem prudentissime, atque omnino solide : nam cum modus, quo influunt sacramenta, pendeat ex voluntate Dei nobis revelata per doctrinam Sanctorum, et Ecclesiæ; nulla congruentior via stabiliendi modum influxus occurrit, quam a Patribus insinuata. Et qui in materia adeo gravi non ita se gerit, minime profitetur se Theologum, sed Sophistam liberum, et audacem. Quæ dixit S. Doctor attendens præcise ad dicta Sanctorum, eadem a fortiori dicturus, si vidisset asserta in Concilio Florentino, et Tridentino, quæ post illum celebrata fuerunt, et videntur ejus doctrinam canonizasse, ut infra ponderabimus.

oca- : ad nam. Fundamentum itaque D. Thomæ reducitur ad hanc formam : sacramenta novæ legis causant vere, et proprie gratiam in eorum applicatione productam : sed non causant vere, et proprie gratiam, si solum concurrant ut instrumenta moralia : ergo sacramenta novæ legis in productione gratiæ concurrunt non præcise ut instrumenta moralia : ergo fateri oportet, quod sunt instrumenta physica, et quod instrumentaliter physice influunt in gratiam. Prima consequentia legitime infertur ex præmissis. Secunda vero patet ex prima : quia nullus concursus instrumentalis potest esse medius inter influxum moralem, et physicum : atque ideo si sacramenta nostra concurrunt in productione gratiæ non præcise ut instrumenta moralia ; sequitur, quod influant tanquam instrumenta physica. Major constat ex dictis dub. 1, ubi illam probavimus, ostendentes simul tantum esse illius certitudinem, ut negari nequeat absque insigni temeritate, et notorio errore in fide. Minor etiam probata relinquitur dub. 2, num. 23, ubi expendimus, et confutavimus omnes modos, quibus dici posset sacramenta nostra esse causas morales vere, et proprie in gratiam influentes : indeque ostendimus hujusmodi sacramenta, si ad concursum præcise moralem attendamus, non causare vere, et proprie. Quare suppositis illis principiis, per necessariam consequentiam infertur præsens conclusio, nempe sacramenta nostra esse causas physicas instrumentales gratiæ in eisdem productæ. Et forte opus non erat alia addere : sed tamen addamus, et magis expendemus.

59. Confirmatur, et explicatur amplius motivum Div. Thomæ : quia sacramenta nostra habent illum influxum, sive causandi modum, quem Sancti Patres illis attribuunt : sed Patres ipsis attribuunt influxum physicum : ergo sacramenta nostra physice influunt. Minor probatur primo ex illa vulgari, et celebri sententia D. Augustini tract. 80, *in Joan.* quam induxit Div. Thomas art. 4, et optime expendit Gonet loco cit. num. 49: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat ?* Si enim Magnus Augustinus loqueretur solum de ablutione, aut causalitate morali ; indigna profecto esset ea inquisitio, et admiratio tanto Doctore. Communissimum namque, et usitatissimum apud homines etiam vulgares est, ut in virtute chirographi, aut sigilli regii, et similium signorum conferantur officia, dignitates, et pecuniæ. Quare si quis admiraretur, et in hanc exclamationem erumperet : « Unde est tanta virtus chiro- « graphi, ut eo exhibito statim numeretur « pecunia ? Quæ est tanta virtus monetæ, « ut illa ablata mercator statim det, quæ « vendidit? » plane ista admirans tanquam fatuus, et stupidus irrideretur ab hominibus, qui probe norunt prædicta non aliam vim ad eos effectus habere, quam ex promissione, et contractu. Ergo si sacramenta hoc tantum modo concurrunt ad effectum exhibendi gratiam, nempe ut signa, aut causæ

Confirmatio.

D. August.

causæ morales ex ordinatione divina : irrisoria plane est illa Augustini admiration « Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus « tangat, et cor abluat ? » Ut enim est apud Senecam, « Magno nihil magnum, parvo « nihil parum. » Aliter vero, et omnino aliter sentiebat Augustinus, qui ut occultum illum influendi modum explicaret, ad vim altiorem reduxit his verbis, quæ refert

D.Thom. D. Tho. art. 4 ad 3 : « Nec mirum, quod « aquam, hoc est, substantiam corporalem « ad purificandam animam dicimus per« venire : pervenit plane, et penetrat con« scientiæ universa latibula. Quamvis enim « ipsa sit subtilis, et tenuis, benedictione « tamen Christi facta subtilior, occultans « vitæ causas, ad secreta mentis subtili « rore pertransit. » Et hoc modo intellexerunt, exposueruntque illam D. Augustini

Catechismus Roman sententiam Auctores Catechismi Romani editi jussu S. Pii V, nam in 2 part. Symboli, cap. 1, quæst. 18, dicitur : « Quo pacto « tanta res, et admirabilis per sacramen« tum efficiatur, ut quemadmodum S. Au« gustini sententia celebratum est, aqua « corpus tangat, et cor abluat ; id quidem « humana ratione, atque intelligentia com« prehendi non potest : constitutum enim « esse debet nullam rem sensibilem suapte « natura ea vi præditam esse, ut penetrare « animam queat. At fidei lumine cognosci« mus omnipotentis Dei virtutem sacra« mentis inesse, qua id efficiant, quod sua « vi res ipsæ naturales præstare non pos« sunt. » Hæc quidem longe exulant ab illa affectata Recentiorum facilitate, qua exponunt sacramenta non aliter influere, quam principum chirographa.

Deinde probatur eadem minor ex aliis Patribus non minus expresse hunc concursum, et influxum physicum significan-

D. Greg. Nissenus tibus. Divus Gregorius Nissenus in lib. *de baptismo* ait : « Si quis mihi dubitando, et « ambigendo negotium exhibeat, interro« gans, qua ratione aqua regeneret ? Dicam « optimo jure ad eum : ostende mihi mo« dum nativitatis, quæ fit secundum car« nem. Dices fortassis : semen causa effec« trix hominis est. Audi igitur contra a « nobis, quod aqua, quæ benedicitur, pur« gat, et illuminat hominem. » Sicut igitur semen concurrit instrumentaliter physice ad generationem ; sic etiam baptismus, ut

N. Cyrillus regeneremur. S. P. N. Cyrillus Alexandrin. lib. 2, *in Joan.* cap. 42, inquit : « Quemadmodum viribus ignis intensius « aqua calefacta non aliter urit, quam ipse « ignis : sic Spiritus Sancti operatione aqua, « qua baptizati corpus aspergitur, reforma« tur ad divinam virtutem, et potentiam. » Sicut ergo aqua virtute ignis physice calefacit ; sic etiam aqua baptismi virtute Spiritus Sancti physice sanctificat. S. Sylves- S. Sylvest.

ter Papa apud Nicephorum lib. 7, *hist.* cap. 33, agens de baptismo dixit : « Hæc « aqua, divina virtute per invocationem « Trinitatis concepta, sicut exterius corpus « hominis abluit, ita etiam animam mun« dat. » Ergo sicut aqua physice abluit corpus, sic etiam physice mundat animam.

D. Leo serm. 5, *de Nativit.* inquit : « Vir- D. Leo « tus Altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret « Salvatorem, facit, ut regeneret unda cre« dentem. » Concursus autem Mariæ in virtute Altissimi physicus fuit. D. Chrysos- D.Chrys tomus hom. 25, *in Joan. Quod est matrix embrioni, hoc et fideli unda.* Matrix vero physice concurrit ad embriorem fovendum.

D. Ambros, lib. 1 *de sacramentis*, cap. 1 : D.Amb *Tibi reservatum est, ut aqua te generavit ad gratiam, sicut illa generavit vitam.* Quemadmodum ergo aqua causat physice vitam animalium, ita aqua baptismi causat vitam gratiæ. Unde Tertullianus lib. *de baptismo* Tertullia. cap. 4, fideles appellat *pisciculos*, quasi genitos ex aqua, et inquit : « Omnes aqua de « pristinæ originis prærogativa sacramen« tum sanctificationis consequuntur : super« venit statim spiritus de cælis, et aquis « superest, sanctificans eas de semetipso : « et ita sanctificatæ vim sanctificandi com« bibunt. » Quæ omnia significant passivam physicam elevationem aquæ baptismi, et quod habet vim activam physicam sanctificandi, ut magis expresse, atque universalius significavit D. Cyprian. serm. *de* D. Cypria. *unctione Chrismatis* his verbis : « In sacra« mentis divina virtus operatur : adest ve« ritas signo, et spiritus sacramento, ut et « ipsis rerum efficientiis gratiæ dignitas « pateat. » Alia Patrum testimonia similem sensum referentia, atque eandem energiam nostris sacramentis attribuentia brevitatis causa omittimus, quæ reperiet lector apud Capreolum, Sotum, Suarium, et Pradum locis supra relatis.

60. Nec valet dicere, quod Patres loquuti Præoccupatio responsio. fuerint per hyperbolem, nempe exaggerando vim certissimam, quam habent sacramenta ad movendum Deum, ut confe-

rat gratiam : unde utuntur similitudinibus causarum physicarum ; non quia ipsa physice influant, sed quia se habent in productione gratiæ cum ea infallibilitate, qua causæ physicæ solent effectus proprios inducere. Hæc, inquam, evasio, aut interpretatio minime potest sustineri ; quia latam sternit viam, ut hæretici eodem modo exponant Patrum testimonia dicendo Patres non docere, quod sacramenta nostra causant vere, et proprie gratiam, et multo minus ex opere operato ; sed locutos esse per hyperbolem, et exaggerationem ad significandum infallibilitatem, qua Deus præsto est ad sanctificandum ; licet sacramenta ipsa non causent vere, et proprie sanctificationem, et gratiam. Patres namque non magis expresse affirmant sacramenta esse causas veras, et proprias, quam esse causas physicas : atque ideo si ex eorum testimoniis non convincitur sacramenta esse causas physice influentes ; pariter nec ex eisdem probabitur sacramenta esse causas vere, et proprie causantes : utraque enim assertio eidem subterfugio, si valet, obnoxia est, nempe quod Patres loquuti fuerint hyperbolice ad significandum certitudinem, qua gratia in sacramentis significata causatur a Deo, quidquid sit de modo, quo sacramenta concurrunt. Porro nemo non videt hujus expositionis periculum : nam catholice fateri oportet sacramenta nostra causare vere, et proprie gratiam in eisdem significatam. Sicut ergo Patres sunt absque exaggeratione admittendi, ut denotent sacramenta esse causas veras, et proprias ; sic etiam ut significent causas physicas. Eo vel maxime, quod sententiæ Sanctorum Patrum admitti debent cum proprietate, atque in rigore sermonis, ubi nullum sequitur inconveniens : quippe ex opposito interpretandi modo nihil adeo firmum in eisdem occurreret, quod vanis subterfugiis vel hæreticorum, vel Theologastrorum non subjaceret. Testimonia autem Patrum supra allegata significant in proprietate sermonis influxum physicum, sive immediatum sacramentorum in gratiam : et quod in hoc rigore accipiantur, nullum est inconveniens, sed magis commendat dignitatem, atqne efficaciam sacramentorum pertinentium ad statum legis gratiæ. Ergo prædicta testimonia in hujusmodi proprietate accipi debent, sicut et illa intellexit D. Thom. qui juxta antiquos, et supra recentes scivit.

61. Sed opponit Lugo hanc ipsam materiam, in qua versamur exposcere, quod sermo Patrum non intelligatur de causa physica, et stricte dicta. Nam quoties agitur de effectu supernaturalis ordinis, et ab alio principaliter obtinendo, non debet sermo alligari ad influxum rigorosum, et proprie acceptum. Sic enim vulgo dicimus Sanctos facere miracula : quod tamen non intelligitur de essentia physica, sed de morali, quatenus suis precibus impetrant, quod Deus miracula faciat : quia scilicet applicatur sermo ad effectum superantem vires Sanctorum, et a Deo principaliter obtinendum. Cum igitur gratia sit effectus supernaturalis, et a Deo principaliter descendens ; ipsa rei natura exposcit, quod locutiones Patrum non intelligantur de causalitate physica, sed de morali. Idque magis ex eo confirmat, quod passim apud Scripturam, et Patres reperimus peccatorem suis delictis esse causam suæ perditionis, et sibi inferre mortem spiritualem. Quod tamen non intelligitur de aliqua causalitate physica, sed solum de morali ratione demeritorum. Hoc itaque modo possunt juxta qualitatem materiæ decenter exponi, cum agunt de influxu sacramentorum.

Objectio.

Confirmatio

Respondetur negando assumptum, sive antecedens. Ad cujus probationem dicendum est Sanctos, cum dicuntur efficere miracula, efficere illa ut instrumenta physica Dei : licet virtutem physice elevantem regulariter loquendo obtineant moraliter, precibus, et impetratione. Et quidem humanitatem Christi fuisse instrumentum physicum in operando miracula ostendimus ex professo Tractat. præced. disp. 23, dub. 4, et ibidem incidenter diximus cum D. Gregorio lib. 2 *Dialog.* cap. 30, et D. Thom. quæst. 6, *de potentia* art. 4, Sanctos dupliciter concurrere ad miracula, nempe impetrative, et potestative, quorum primum pertinet ad concursum moralem, posterius vero ad influxum physicum. Juxta quam doctrinam propositum ab objiciente exemplum confirmat assertionem nostram, et in opponentem rejici debet. Sed addimus, quod licet ad verificandum communem modum loquendi sufficeret in sanctis influxus moralis ad miracula ; minime tamen ad verificandum assertiones Patrum sufficeret in sacramentis concursus moralis

Dispel-tur ob-jectio

moralis ad gratiam. Et ratio disparitatis constat ex dictis dub. 2, nam sancti sunt capaces influxus moralis vere, et proprie dicti : cum eliciant actus laudabiles meritorios, et impetratorios : quare moraliter influendo possunt dici absolute agere, aut operari miracula. Sed in sacramentis nihil hujusmodi reperitur, non meritum, non oratio, non impetratio, non aliud quid simile ; sunt enim istarum affectionum incapacia : quare vel nullo modo concurrunt moraliter, vel solum concurrunt ut signa : quod tamen minime sufficit ut dicantur absolute causare. Unde Patres asserentes absolute sacramenta nostra causare gratiam, aut improprie locuti sunt, quod jam supra refutavimus ; aut locuti sunt non de concursu morali, sed de influxu physico, et proprio, quem intendimus.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem eodem fere modo respondendum est : nam in primis peccatum grave expellit physice gratiam, ut docent communiter Thomistæ, et diximus Tractat. 15, disput. 2, dub. fere per totum, et specialiter num. 95. Quare homo graviter peccans infert sibi physice mortem spiritualem, quæ in privatione gratiæ consistit : unde etiam inducit eodem modo, quantum est de se, privationem vitæ æternæ, atque ideo pœnam damni, et æternam sui damnationem. Quare mirum non est, quod absolute, et communiter dicatur peccatorem causare tales effectus. Deinde permisso, quod illos non induceret physice; nihilominus esset causa illorum moralis vere, et proprie, quippe qui ageret per actus capaces influxus moralis proprie dicti, cujusmodi est demeritum ; quod satis est, ut communiter absolute dicatur illos effectus causare. Hoc autem, ut proxime diximus, non habet locum in sacramentis ; sunt enim incapacia cujuscumque moralitatis proprie sumptæ ; atque ideo nequeunt causare moraliter vere, et proprie. Unde vel non possunt dici absolute causæ gratiæ, cujus oppositum reperimus in Patribus ; vel dici debent causæ influentes influxu physico.

§ III.

Major præmissi fundamenti confirmatio.

62. Divus Thomas, ut vidimus, ductus doctrina Patrum, et reverentia erga illos asseruit sacramentis nostris veram, propriam, et physicam, sive immediatam causalitatem in gratiam. Sed nec vidit, nec prævidere potuit doctrinam duorum Conciliorum, Florentini scilicet, et Tridentini, qua S. Doctoris resolutio vehementer roboratur, et invicem illustratur. Florentinum post ultimam sess, § *Quinto Ecclesiasticorum* docet : « Novæ legis septem sunt sa« cramenta. Quæ multum a sacramentis « differunt antiquæ legis : illa enim non « causabant gratiam ; sed eam solum per « passionem Christi dandam esse figura« bant. Hæc vero nostra et continent gra« tiam, et ipsam digne suscipientibus con« ferunt. » Hæc autem Concilii doctrina minime subsistit, nisi sacramenta nostra influant physice in gratiam : ergo fateri necessarium est, quod hujusmodi sacramenta sunt instrumenta physica ad gratiam producendam. Probatur assumptum : nam excluso influxu physico, non remanet in sacramentis nisi concursus moralis : sed hic est communis omnibus sacramentis tam antiquis, quam novis : ergo excluso a sacramentis nostris influxu physico, non subsistit differentia, quam Concilium assignavit inter sacramenta nostra, et antiqua. Declaratur hoc amplius : nam quando Concilium docet sacramenta antiqua non causasse gratiam, sacramenta vero nostra gratiam conferre : aliquem concursum attribuit sacramentis nostris, quem negavit antiquis : sed non negavit antiquis concursum moralem : ergo attribuit nostris sacramentis aliquem concursum ultra moralem, atque ideo concursum physicum. — Concil. Florentin.

Urgens confirmatio. Idque ut magis constet, inquiramus ab Adversariis, in quo sensu sacramenta nostra dicantur causa moralis gratiæ, quæ in eorum usu producitur ? Videbimus namque nihil ipsos assignare, quod non reperiamus in sacramentis antiquis. Si enim dicant sacramenta nostra concurrere per modum meriti, aut impretationis; falsum plane dicunt; nam ratio meriti, et impetrationis non reperitur formaliter in his signis externis, sicut nec libertas. Et si in nostris inveniatur, admitti etiam debet in antiquis : erant enim signa sacra, et religiosa, atque ex institutione divina. Si autem respondeant in antiquis sacramentis non fuisse datam gratiam, sed solum promissam, aut præfiguratam, in nostris autem dari gratiam promissam ; falsum iterum respondent : nam in sacramentis

antiquis, præsertim in circumcisione parvulorum infallibiliter propter Christum producebatur gratia significata per eadem sacramenta, ut docet communis Theologorum sententia, et statuimus disput. præcedent. dub. 4. Si præterea respondeant sacramenta nostra continere, et applicare merita Christi, quæ jam præcesserunt: quod non potuit contingere in antiquis respicientibus Christum ut futurum, non minus falsa, et frigida responsio est: quoniam sacramenta non continent merita Christi nisi repræsentative, quod minime transcendit rationem signi, nec conceptum proprium causæ constituit: aliunde vero continentia illa repræsentativa etiam conveniebat sacramentis antiquis, quippe quæ sicut Christum, ita Christi meritum præfigurabant. Idque magis urget in sententia Adversariorum, qui sicut non negant fuisse datam gratiam antiquis ex merito Christi, sic negare non poterunt gratiam in sacramentis antiquorum datam fuisse non solum significatam, sed etiam collatam ex eodem Christi merito. Denique si dicent sacramenta nostra esse quasi chirographum divinæ promissionis, ut eis exhibitis, et adhibitis nobis detur gratia; verum forte dicent, sed quod eodem modo in antiquis sacramentis reperiebatur: supponebant enim promissionem Dei de gratia danda in eorum applicatione, ut de circumcisione liquet. Unde executioni mandata erant velut singrapha monens sua exhibitione Deum, ut staret promissis, et gratiam conferret. Quis ergo iste concursus moralis est sacramentis nostris assertus, qui rationabiliter possit denegari antiquis? Et si nullus est, quomodo consistet differentia a Concilio Florentino assignata, quod sacramenta antiqua non causabant gratiam, nostra vero gratiam conferunt? Plane quantum ad concursum moralem spectat (sive ille dicendus sit causalitas moralis vere, et proprie, sive non, de quo diximus dub. 2), æqualia simpliciter sunt in modo. Quare nisi agendo contra Concilium negari non potest, quod sacramenta nostra habeant modum magis proprium concurrendi ad gratiam, nempe physice, et immediate influendo in ipsam: quod non conveniebat antiquis.

Aliquorum responsio. 63. Sunt, qui, ut vim hujus motivi declinent, dicant Christum sua passione, et merito curam tantum habuisse nostræ salutis spiritualis; atque in eo posuisse dignitatem legis Evangelicæ, et sacramentorum ad ipsam pertinentium, ut prædicto fini perfectissime provideretur. Porro in ordine ad hujusmodi finem nihil refert, quod sacramenta sint instrumenta physica, vel moralia: quippe gratia collata eodem modo prodest, sive conferatur physice per sacramenta, sive præcise moraliter. Sunt enim sacramenta medicinæ, quæ non quæruntur propter se, sed propter salutem; quare ubi salutem consequimur, non oportet curare de modo, quo medicinæ vel applicantur, vel influunt. Ita Vasquez disput. 132, nu. 110. Cui subscribit Lugo addens, quod sicut non conducit ad dignitatem sanguinis Christi, quod influxerit physice in salutem nostram; sic non spectat ad dignitatem sacramentorum nostrorum quod causent physice gratiam. Idque magis confirmat exemplo; nam si aliquis Sanctus miraculose restituit visum cœco; parum, aut nullo modo iste attendit, quod Sanctus fuerit instrumentum physicum, vel morale: habet enim eandem videndi perfectionem, sive isto, sive altero modo collatam.

Sed hæc illorum doctrina efficaciter confutatur. Nam in primis non salvat intentionem, et assertionem Concilii Florentini; quin non videtur aliunde processisse quam vel ex oblivione, aut minori erga ipsum attentione. Concilium enim extollit sacramenta legis gratiæ supra sacramenta legis scriptæ, probatque majorem nostrorum dignitatem, quia illa conferunt gratiam, quam non causabant antiqua. Fateri itaque omnino oportet pertinere ad dignitatem legis Evangelicæ non solum quod in ea detur gratia, sed etiam quod gratia datur per sacramenta tanquam per veras, et proprias causas illius. Hoc autem minime salvant prædicti Juniores, dum negant sacramenta nostra esse causas physicas, et præcise concedunt esse instrumenta moralia: nam quicumque moralis concursus nostris sacramentis attribuatur, etiam conveniebat antiquis, ut num. præced. explicuimus. Et tamen de antiquis minime dici potest, quod vere, et proprie causaverint gratiam, ut constat ex doctrina Florentini, cui præluxit Apost. ad Galat. 4, vocans illa sacramenta *infirma, et vacua elementa*: non quia non fuerint sacramenta vere, et proprie; nec quia in eorum usu gratia non conferretur; sed quia ipsa non habebant virtutem causandi gratiam. Ergo prædicta responsio

responsio non potest sustineri, ut quæ minime cohæret doctrinæ Concilii, nec salvat intentionem illius.

Major responsionis eversio. 64. Deinde prædicti Juniores vel inconsequenter agunt, vel obligandi sunt concedere ad dignitatem legis Evangelicæ non pertinere, quod ejus sacramenta sint vere, et proprie causæ morales sanctificationis, sed sufficere, si vel sint mera signa, aut conditio sine qua non. Id vero ostenditur applicando eorum discursum: quoniam finis prædictæ legis est spiritualis hominum salus, quæ in eorum sanctificatione consistit. Porro sicut Adversarii discurrunt pertinere quidem ad hominum utilitatem, quod sanctificentur; et parum, aut nihil inferre, quod sanctificentur per sacramenta tanquam per instrumenta physica, vel solum moralia; quippe hoc aut illo modo semper esset eadem sanctificatio: sic etiam, et totidem verbis dici potest pertinere ad hominum utilitatem, et salutem, quod sanctificentur; et parum, aut nihil referre, quod sanctificentur per sacramenta tanquam per veras causas morales, aut solum tanquam per signa, et meras conditiones; quippe hoc, aut illo modo semper contingeret eadem passiva hominum justificatio, eisdem semper, et pariter proficua. Ergo nisi inconsequenter agant, fateri debent non pertinere ad dignitatem legis Evangelicæ, quod ejus sacramenta causent vere, et proprie, saltem moraliter gratiam sanctificantem. Id autem non audent admittere, ne palam contradicant Concilio Florentino, quod nostra sacramenta præfert antiquis ab effectu, et causalitate. Sicut ergo quamvis eadem esset ex parte hominum utilitas, sacramentis nostris concurrentibus non tanquam veris causis, sed ut meris signis, aut conditionibus; tamen confiteri oportet pertinere ad dignitatem legis Evangelicæ, quod ejus sacramenta non sint mera signa, aut conditiones, sed sint veræ causæ: sic etiam ad prædictam dignitatem spectat, quod ipsius sacramenta sint causæ non præcise morales, sed etiam physicæ. Præsertim cum concursus moralis fuerit antiquis sacramentis communis, ut supra ostendimus, atque ideo non fundet specialem dignitatem sacramentorum legis gratiæ, ut magis expendimus dub. 2.

Alia impugnatio. Denique refellitur illorum doctrina manifestando ejus insufficientiam, quoniam ad dignitatem legis Evangelicæ, cui Christus sua passione, et merito providet, non solum pertinet passiva hominum sanctificatio, sed etiam excellentia sacramentorum ejus: oportet enim, quod sicut in aliis, excedat etiam in perfectioribus sacramentis. Sed quamvis sacramentis non concurrentibus physice, salvaretur eadem utilitas hominum ex parte sanctificationis; nihilominus non salvaretur eadem sacramentorum excellentia. Ergo pertinet ad dignitatem legis Evangelicæ, quod sacramenta ejus non solum sanctificent, sed quod sanctificent etiam physice, influendo scilicet immediate in gratiam. Probatur minor: quia si Deus omnes effectus causarum secundarum operaretur, ut potest, per se solum, creaturis physice non influentibus; profecto eadem esset utilitas ex parte effectuum in se ipsis. Et tamen non esset eadem perfectio ex parte creaturarum, quibus deesset illis influxus physicus; nec eadem pulchritudo ex parte Universi, in quo non essent causæ creatæ physice influentes. Unde D. Thomas impugnans positionem aliquorum negantium causas secundas agere, dixit 3, *contra Gentes* cap. 69: D. Thom.
« Si nulla creatura habet aliquam actionem
« ad aliquem effectum producendum,
« multum detrahitur perfectioni creaturæ:
« ex abundantia enim perfectionis est, quod
« perfectionem, quam habet, possit alteri
« communicare. Detrahit igitur hæc positio
« divinæ virtuti, etc. » Nempe in recta dispositione pulchritudinis Universi. Ergo similiter, quamvis nostris sacramentis non influentibus physice, esset eadem perfectio, et utilitas ex parte hominum sanctificatorum; tamen non esset eadem perfectio ex parte ipsorum sacramentorum; atque ideo nec eadem dignitas ex parte legis Evangelicæ, ad quam pertinent sacramenta. Unde liquet prædictos Auctores non attendisse ad completam perfectionem nostræ legis; sed satis diminute mensos illam fuisse, oculum convertentes ad solam passivam hominum utilitatem, omisso respectu ad dignitatem ipsius status, in quo, et in omnibus ejus instrumentis, ac partibus (ut sacramenta sunt), resplendet providentia Dei, et profusior meritorum Christi applicatio. Quam attentionem minime prætermisit Concilium Florentinum evincens majorem nostrorum sacramentorum dignitatem ex causalitate, quam habent: nec D. [illegible]s Augustinus lib. 19, *contra Faustum*, cap. 13, D. Augustin. D. Tho.

dicens sacramenta nostra esse *virtute majora, utilitate meliora :* nec Divus Thomas quæst. 27, *de veritate*, art. 4. dicens : « Hæc « opinio (negans nostris sacramentis in- « fluxum immediatum in gratiam) non « videtur sufficienter dignitatem sacra- « mentorum novæ legis salvare. » Ex quibus corruunt, quæ addebat Lugo : nam ad dignitatem sanguinis Christi pertinet influxus physicus in nostram sanctificationem : et ad majorem dignitatem Sanctorum operantium miracula spectat, quod concurrant non solum moraliter impetrando, sed etiam physice exequendo. Et unum, atque alterum ostendimus locis supra relatis. Attentio vero Lugonis ad solam utilitatem ex parte effectus valde diminute processit, perfectioni causæ in modo causandi non consulens.

Motivum ex Concil. Trident. 65. Veniamus ad Concilium Trident. quod sess. 7, can. 6, sic habet : « Si quis « dixerit sacramenta novæ legis non conti- « nere gratiam, quam significant, aut gra- « tiam ipsam non ponentibus obicem non « conferre, etc. anathema sit. » Quæ diffinitio intelligenda est de aliqua continentia vera, et propria : tum quia canones Conciliorum procedunt in hoc sensu, non autem secundum metaphoras : tum quia ex opposito nihil faceret ea diffinitio ; cum nullus circa hæc curet de locutionibus metaphoricis. Et idem statuerat Concilium Florentinum loco supra relato illis verbis : *Hæc vere nostra et continent gratiam.* Hæc autem continentia gratiæ in sacramentis nostris non valet juxta aliquem verum, et proprium sensum salvari, nisi dicamus sacramenta nostra esse instrumenta physica ad causandum gratiam. Quod sic ostenditur: nam in primis gratia sanctificans non continetur formaliter in sacramentis, sicut forma solet esse, aut contineri in subjecto, quod afficit : manifestum quippe est gratiam santificantem non esse hoc modo in sacramentis ; sed solum in hominibus sanctificatis. Deinde gratia sanctificans non continetur in sacramentis tanquam locatum in loco, ad eum modum, quo dicimus aquam contineri in vase, et pecuniam in crumena; tum quia est qualitas spiritualis, atque ideo non occupat locum : tum quia ad prædictum continentiæ modum requirebatur, quod gratia secundum suum esse formale haberet esse in sacramentis: id vero falsum est, ut proxime ostendimus. Relinquitur ergo, quod gratia solum contineatur in sacramentis nostris virtualiter eo modo, quo omnis effectus continetur in sua causa efficienti, sicut calor continetur in sole, et planta in semine. Rursus non continetur in sacramentis sicut in causa principali, ut ex se liquet : ergo continetur in sacramentis sicut in causa instrumentali. Sed repugnat instrumentum continere virtualiter effectum nisi ratione alicujus virtutis in ipso instrumento existentis, quæ sit ejusdem ordinis cum effectu, licet perfectionis inferioris. Ergo de primo ad ultimum sequitur vel sacramenta nostra non continere gratiam, contra expressam diffinitionem Concilii; vel quod sacramenta nostra habent virtutem sibi inhærentem, qua possint influere in gratiam. Quod minime pertinet ad causam moralem, sed ad instrumentum physicum, ut ex se liquet.

Præ di eva Nec momenti erit, si dicatur, quod sacramenta nostra continent gratiam, quatenus continent virtutem sanguinis, et meritorum Christi tanquam signa, et chirographa, ad quorum exhibitionem, et præsentiam Deus confert infallibiliter gratiam, et quæ proinde afferunt gratiam, et ipsam moraliter producunt. Id, inquam, nihil valet. Primo, quia sacramenta antiqua fuerunt etiam signa, et chirographa, ad quorum præsentiam, et usum Deus conferebat infallibiliter gratiam tam ex pacto, et promissione sua, quam ex meritis Christi, ut Adversarii non negant: sed tamen de prædictis sacramentis dici non potest, quod continuerint gratiam : quippe Concilia hujusmodi excellentiam attribuunt nostris sacramentis tanquam eorum propriam, et quæ spectat ad dignitatem status legis gratiæ, ut constat ex illis verbis Florentini: *Hæc vero nostra et continent gratiam :* ergo præmissa explicatio non salvat sacramenta nostra continere gratiam in aliquo sensu vero, et proprio, ut determinant Concilia. Secundo, quia sacramenta nostra, negato concursu physico, non continent virtutem sanguinis, et meritorum Christi vere, et proprie, sed solum repræsentative, et per modum signi : id vero minime constituit ipsa in ordine veræ causæ, ut patet in sacramentis antiquis, quæ fuerunt etiam signa repræsentantia passionem Christi; et tamen non fuerunt vere, et proprie causa gratiæ, quæ hominibus propter meritum illius passionis conferebatur : ergo cum Concilia

Concilia doceant sacramenta continere vere, et proprie gratiam, idque asserant in ordine ad manifestandum nostrorum sacramentorum influxum; minime ea expositione potest Conciliorum menti satisfieri. Tertio quia plura sunt signa repræsentantia effectum aliquem, quin propterea dicantur illum effectum continere, aut esse illo plena: sic enim hedera significat vinum vendibile, quod tamen non continet : chirographum etiam significat pecuniam certo dandam, et nihilominus non continet illam, nec dicitur illa plenum : ergo quod sacramenta sint signa repræsentantia passionem Christi, et gratiam intuitu passionis infallibiliter dandam ; non sufficit, ut dicantur vere, et proprie continere gratiam, ut palam docent Concilia.

[...]no- [...]io. Relinquitur ergo, quod sacramenta nostra dicuntur continere gratiam, quia intrinsece habent, et continent virtutem instrumentariam productivam gratiæ in eo plane sensu, quo dicitur semen continere animal ex eo generandum. Et sic docuit D. Thomas in præs. art. 3, statuens sacramenta novæ legis continere gratiam non secundum formam, aut virtutem perfectam, ut contingit in causis principalibus, « sed secundum quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluens, et incompleta in esse naturæ. » Et hanc resolutionem adeo illustrat in solutionibus argumentorum, ut nihil aptius ad rem elucidandam, juxta phrasim postea assumptam, atque in Conciliis assertam, possit expendi. In prima inquit : « Gratia non dicitur esse in sacramento sicut in subjecto, nec sicut in vase, prout vas est locus quidam : sed prout vas dicitur instrumentum alicujus operis faciendi, secundum quod dicitur Ezech. 9 : Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. » In secunda subdit : « Quamvis accidens (*intellige gratiam*) non transeat a subjecto in subjectum : transit tamen a causa per instrumentum aliqualiter in subjectum : non ut eodem modo sit in eis; sed in unoquoque secundum propriam rationem. » Et ita gratia habet esse formaliter in subjecto sanctificato, habet autem esse virtuatiter in causa efficienti ; perfecte quidem, et secundum formam completam in agente principali; in instrumento autem solum imperfecte, et secundum esse fluens. In tertia denique concludit: « Spirituale existens perfecte in aliquo continet ipsum, et non continetur ab eo. Sed gratia est in sacramento secundum esse fluens, et incompletum. Et ideo non inconvenienter sacramentum dicitur continere gratiam. » Hæc omnia S. Doctor. Ex quibus facile diluuntur, quæ contra præmissum motivum, sive explicationem continentiæ gratiæ in Conciliis assertæ possent opponi : quæ ideo duximus omittenda. Liquet etiam, quam procul a mente Div. Thomæ eant Adversarii, qui nihil minus necessarium reputant, quam subtiles istas ejus expositiones, et omnia absolvunt uno verbo, *Sacramenta causant moraliter.*

66. Succedaneum nunc videbatur, ut rationem a priori nostræ assertionis hic proferremus. Sed hæc non recte exigitur in his rebus, quæ dependent ex sola Dei voluntate, inter quas computatur tam institutio, quam modus influendi sacramentorum. Porro Dei voluntas nec colligitur ex solo naturali discursu, nec alia via congruentius nobis innotescit, quam per doctrinam Conciliorum, et Patrum. Hanc autem regulam si sequamur, facile deprehendimus sacramenta nostra vere, proprie, et immediate influere in gratiam, ut constat ex supra dictis. Unde solide, atque efficaciter, quantum materiæ qualitas fert, colligimus, et asseveramus sacramenta nostra esse instrumenta physica ad producendum gratiam. Aliter enim vix, aut nullo, aut in verosimili modo salvantur dicta Conciliorum, et Patrum. Quæ sit ratio a priori in hac materia.

Confirmari autem potest hoc motivum : quoniam ex una parte non implicat, quod sacramenta nostra sint instrumenta physica ad producendam gratiam, ut dub. præced. ostendimus, et concedunt aliqui ex Adversariis : ex alia vero admissus semel hic influxus physicus magis congruit dignitati sacramentorum legis gratiæ; cohæret etiam magis verbis Sanctorum, et Conciliorum, ut in præsenti expendimus : ergo irrationabile est negare, quod sacramenta nostra concurrunt ut instrumenta ad producendum gratiam. Consequentia apparet evidens apud omnem intellectum recte dispositum, quia quod sacramenta nostra sint instrumenta physica nequit negari, nisi ratione repugnantiæ ex parte facti, aut ratione incongruitatis, aut ratione oppositionis ad doctrinam Ecclesiæ : ergo si hæc omnia motiva absunt; irrationabile est negare, quod sacramenta nostra sint ins- Confirmatio.

trumenta physica ad causandam gratiam. Et explicatur hoc amplius refellendo communem responsionem Adversariorum, qui dicunt non oportere concedere sacramentis nostris omnem possibilem causalitatem in gratiam, sed eam præcise, quæ necessaria est ad verificandum, quod hujusmodi sacramenta sunt causæ gratiæ vere, et proprie, juxta doctrinam Ecclesiæ, quam dub. 1 statuimus. Ad id autem satis est concedere, quod sacramenta sunt instrumenta moralia ad gratiam causandam. Refellitur, inquam, hæc responsio dupliciter. Primo, quia sacramenta nostra non causant moraliter vere, et proprie, ut ostendimus dub. 2, ergo vel non salvatur doctrina Ecclesiæ, quod causant vere, et proprie; vel recurrere oportet ad alium influxum, sive modum causalitatis, nempe physicum. Secundo, quia licet sacramenta nostra haberent causalitatem moralem veram, et propriam; non propterea eis denegari debet causalitas physica, si non implicat, ut non implicare constat ex dub. præcedent. Nam verba Conciliorum, et Patrum (sicut et Scripturæ) accipienda sunt cum amplitudine, atque in omni sensu vero, et proprio, quem admittunt. Cum ergo doceant sacramenta nostra causare vere, et proprie, idque non limitent ad influxum determinate moralem; extendi eorum doctrina debet ad influxum etiam physicum, si non repugnat: quia hic influxus est verus, et proprius, quin magis verus, et proprius, quam influxus moralis sacramentorum. Et opposita limitatio nullum habet in Conciliis, et Patribus fundamentum. Permisso itaque influxu morali vero, et proprio, adhuc tenere oportet sacramenta nostra esse instrumenta physice influentia in gratiam. Sicut humanitas Christi physice simul, et moraliter ad causandum gratiam concurrit: et sicut Sancti operari solent miracula non solum moraliter aut impetrando, sed etiam physice, sive exequendo, ut diximus locis supra relatis.

[margin: ...ecidi... ...r fuga.]

§ IV.

Refertur sententia negans, et occurritur ejus motivis.

67. Multi negant sacramenta esse physicas gratiæ causas. Sed interest discriminis inter eos, quod Durandus, et Scotus, et quidam alii ex antiquioribus sic docuerunt, quia sentiebant sacramenta non esse veras causas gratiæ, sed solum causas per accidens, aut conditiones, sine quibus non: unde non ita debent allegari contra assertionem in hoc dub. propositam, quam contra conclusionem stabilitam in primo. Sed cum ea conclusio sit hoc tempore veritas ab Ecclesia diffinita; nihil de illorum antiquorum oppositione curandum est, ut observavimus in eo dub. § 3. Alii vero Theologi magis recentes sentiunt quidem sacramenta nostra esse vere, et proprie causas gratiæ, quippe qui id negare nequeunt salva fide: sed tamen negant sacramenta esse causas physicas instrumentales, solam causalitatem moralem illis attribuentes, et hi directe adversantur nostræ assertioni. Sic sentiunt Vazquez in præsent. disp. 176, et 1 part. disp. 176, cap. 2, Coninckus, et Becanus in præsent. Castro Palao tom 4, tract. 18, disp. unica, punct. 8, Lugo disp. 4, sect. 4, Bernal disp. 9, sect. 1, Caspensis tract. 21, disp, 3, sect. 3, Pasqualigus disp. 68, sect. 3, Mascarenhas tract. 1, disp. 5, cap. 5, Kelisonus, Cartagena, et Carolus Abra, quos refert, et sequitur Aversa quæst. 62, sect. 4, et alii ex Junioribus. Eadem etiam sententia placuit aliquibus Thomistis, nempe Melchiori Cano *in relect. de sacramentis* part. 4, post. 6 conclusionem, Martino de Ledesma 1, part. 4, quæst. 3, artic. 1, post. 6, conclus. et Bartholomeo de Ledesma *in summa de Sacramentis* difficult. 7. Non pauca vero, quibus hæc opinio suaderi solet, diluta relinquuntur in præcedentibus. Nam quod attinet ad mentem Divi Thomæ liquet ex dictis § 1, per totum. Quod autem objici solet repugnare, quod sacramenta sint instrumenta physica ad producendum gratiam, convulsum est toto dub. præcedent. ubi oppositum ostendimus. Denique quod opponi posset sacramenta nostra esse causas morales in gratiæ productione, vires etiam amisit dub. 2 ubi ostendimus omnem causalitatem moralem, quæ attribuatur sacramentis, non esse influxum vere, et proprie dictum, qualem deferendum esse nostris sacramentis constat ex dictis dub. 1. Admisso autem, quod essent instrumenta moralia vere, et proprie influentia, non inde convinceretur, quod non sint de facto instrumenta physica: possent enim utrumque modum causalitatis conjungere,

[margin: Vazq... Conin...ckus Becan... Cast... Palao Lugo Berna... Caspen... Pasqua... Keliso... Avers... Cano Martin... Ledesm... Bartho... Ledesm...]

jungere, ut numer. præcedent. dicebamus. Et hæc erant principaliora pro hac opinione motiva. Quare non multa supersunt, quibus opus habeamus occurrere.

imum rgu- ntum. 68. Arguitur tamen primo ab auctoritate : nam Patres satis communiter docent solum Deum in usu sacramentorum dare Spiritum Sanctum, seu conferre gratiam sanctificationis : sed hoc falsificaretur, si sacramenta nostra efficerent physice gratiam : ergo prædicta sacramenta non sunt instrumenta physica ad gratiam producendam. Cætera constant. Major probatur : Hier. quia Divus Hieronymus in cap. 4 Isai. expendens illud *Matth.* 3 : *Ego baptizo vos aqua,* subjungit : « Ex quo discimus, « quod homo tantum aquam tribuat, « Deus autem Spiritum Sanctum, quo « sordes abluuntur etc. » . Au- gust. Divus Augustinus lib. 15, *de Trinit.* cap. 15, inquit : « Nullus discipulorum Christi dat Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant. » Basi- lius. Ambr. Similia affirmant Divus Basilius lib. *de Spiritu Sancto,* cap. 5. Divus Ambrosius lib. 10. *epist.* 84, *ad Demetriadem.* Divus Chrysostomus *homil.* 15, *in Matth.* Divus Damascanus lib. 4, *de fide* cap. 10 et expressius Auctor sermonis *de Baptismo apud* . Cy- prian. *Cyprianum* his verbis : « Remissio peccatorum, sive per baptismnm, sive per « alia sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est, et ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet. »

Confir- matio. Confirmatur : quoniam sacerdos absolvens, seu perficiens sacramentum Pœnitentiæ non concurrit physice ad remissionem culpæ, et productionem gratiæ : ergo idem de aliis tam ministris, quam sacramentis dicendum est. Consequentia patet a paritate. Et antecedens probatur ex Div. . Hie- ronymus Hieronymo super cap. 16, Matth. ubi comparans nostros sacerdotes cum sacerdotibus veteris legis inquit : « Quomodo ibi leprosum sacerdos mundum, vel immundum « facit ; sic et hic alligat, vel solvit Episcopus, vel Presbyter. » Constat autem sacerdotem in veteri lege non fuisse causam, quæ efficienter physice mundaret leprosum. Ergo sacerdos nunc absolvens non est causa, quæ efficienter physice inducat remissionem peccatorum.

Solutio argu- menti. Ad argumentum respondetur retorquendum esse in contrarios : nam Patres docent solum Deum dare Spiritum Sanctum, seu conferre gratiam : ergo ex Patrum sententia sacramenta nostra non sunt vere, et proprie causa gratiæ adhuc per modum instrumenti moralis. Consequens autem est contra fidem, ut Adversarii recognoscunt, et constat ex dictis dub. 1 ; sicut ergo non obstante illa universalis negativa Patrum, ipsi affirmant sacramenta esse vera instrumenta moralia : sic etiam nos asserimus esse vera instrumenta physica. Testimonia itaque Patrum, et ab illis, et a nobis explicanda sunt. Legitima autem expositio est Patres solum intendere, atque docere. quod Deus est auctor gratiæ, habens ex se virtutem illam producendi ; et quod nulla creatura habet ex se virtutem hujusmodi. Sed non negant, quod creatura ex dono Dei queat gratiam producere instrumentaliter physice, et eodem modo homines sanctificare : id quippe nec Patrum intentioni repugnat, nec excluditur per dictionem universalem negativam, qua utuntur. Et hanc responsionem, sive expositionem docet Div. Thom. infra quæst. D.Thom. 78, artic. 4, his verbis : « Dicendum, quod « cum dicitur sola virtute Spiritus Sancti « panem in Corpus Christi converti, non « excluditur virtus instrumentalis, quæ « est in forma hujus sacramenti : sicut « dicitur, solus faber facit cultellum, non « excluditur virtus martelli. Et quæst. 5, *de veritate,* artic. 8 ad 1, ait : « Quod dictio « exclusiva non excludit ab operatione « instrumentum, sed aliud principale « agens ut si dicatur, Faber cultellum facit, « non excluditur operatio martelli, sed « alterius fabri. Ita etiam, quod dicitur, « quod Deus per se mundum gubernat « (juxta illud Gregorii lib. 34 *Moral.* cap. « 26. Mundum quippe per semetipsum « regit, quem per semetipsum fabricatus « est.) non excludit operationem inferiorum causarum, quibus quasi instrumentis Deus agit : sed excluditur regimen « alterius principaliter agentis. » Videatur etiam Sanct. Doctor quæst. 27, *de veritat.* art. 4 ad 9, et 19, et in 4, distinct. 8, quæst. 2, art. 3 ad 1.

Respon- sio ad confir- matio- nem. Confirmatio etiam regerenda est in opponentes sub eadem fere forma : quoniam sacerdos antiquæ legis non erat causa vera, propria adhuc moraliter, emundationis a lepra : ergo si sacerdos novæ legis eodem modo se habet in mundando homines a lepra peccati, sequitur sacerdotem absol-

ventem, et perficientem sacramentum Pœnitentiæ non esse vere, et proprie causam, adhuc moraliter, remissionis culpæ, et gratiæ justificantis : quod Adversarii minime possunt admitere. Sicut ergo illi affirmant sacerdotes nostros esse instrumenta moralia ad prædictum effectum; sic nos asserimus, quod sunt instrumenta physica. Unde ad confirmationem negamus antecedens. Ad cujus probationem dicendum est Div. Hieronymum alienum omnino esse ab æqualitate, quam illa ejus verba solitarie sumpta repræsentare videntur. Non enim negat sacerdotes nostros habere potestatem veram ad absolvendum homines a peccatis; sed intendit, ne id fiat, absque peccatorum notitia, sive causæ cognitione. Invehitur enim contra arrogantes quosdam Episcopos, et Presbyteros, qui hæc munia temere exequebantur : in huncque finem affert exemplum sacerdotum veteris legis, qui priusquam censerent de lepra, qualitatem infirmitatis probe noscere satagebant.

ens D. Hieron. Liquet legitimus iste Hieronymi sensus referendo integrum testimonium. «Istum, *inquit*, locum Episcopi, et Presbyteri non « intelligentes, aliquid sibi de Pharisæo« rum assumunt supercilio, ut vel dam« nent innocentes, vel solvere se noxios « arbitreutur : cum apud Deum non sen« tentia sacerdotum, sed reorum vita « quæratur. Legimus in Levitico de lepro« sis, ubi jubentur, ut ostendant se sacer« dotibus, et si lepram habuerint, tunc a « sacerdote immundi fiant ; non quod sa« cerdotes leprosos faciant, et immundos ; « sed quod habeant notitiam leprosi, et « possint discernere, qui mundus, qui re « immundus sit. Quomodo ergo sibi lepro« sum sacerdos mundum, vel immundum « facit : sic et alligat vel solvit Episcopus, « et Presbyter : nam is, qui insontes sunt, « vel noxii pro officio suo, cum peccatorum « audierit varietates, scit, qui ligandus sit, « quive solvendus.» Hæc Div. Hieronymus : in quibus non negat nostris sacerdotibus veram potestatem remittendi peccata ; sed vult, quod modus in ligando, et solvendo sit discretus. Nec habet ullum verbum, quo neget prædictam potestatem importare vim physicam cooperandi instrumentaliter ad prædictam remissionem.

Secundum argumentum. 69. Arguitur secundo : quia sacramenta nostra sic de facto influunt in nostram gratiam, sicut in illam influxit, influitque passio Christi ; sed hæc non se habet de facto ut instrumentum physicum ad producendum gratiam ; cum sit physice præterita : ergo idem de sacramentis nostris sentiendum est.

Diluitur. Respondetur negando minorem : oppositum enim constat ex dictis Tractat. præcedent. disput. 23, dub. 4. Et ad insertam minoris probationem dicendum est, quod licet passio Christi in se formaliter sumpta physice transierit ; manet tamen actu virtualiter physice in humanitate Christi sacris stigmatibus insignita : quod sufficit, ut nunc physice instrumentaliter possit ad producendum in nobis gratiam concurrere. Videantur specialiter in loco cit. num. 41, quæ diximus.

Tertium argumentum. Arguitur tertio : nam quod sacramenta nostra sint instrumenta physica in producendo gratiam, est quoddam miraculum, utpote cum excedat non solum totam naturam, sed etiam omnem connaturalem modum agendi intra ordinem tam naturæ, quam gratiæ : ergo non oportet asserere, quod sacramenta nostra sunt de facto instrumenta physica producentia in nobis gratiam. Probatur consequentia : quoniam miracula nec admittuntur, nec creduntur, nisi probentur, et quidem (sicut qualitas materiæ exposcit), urgentissimis fundamentis ; sed istud probationis genus non occurrit, ut dicamus sacramenta nostra concurrere de facto tanquam instrumenta physica ad producendam gratiam : ergo minime debemus id asserere. Confirmatio. Confirmatur : nam singuli effectus dicendi sunt procedere ab illis causis, a quibus naturaliter petunt produci ; ne scilicet miracula absque necessitate fingamus : alias simili licentia possemus dicere animam Christi Domini fuisse productam instrumentaliter physice a B. Virgine. Sed gratia naturaliter petit produci a solo Deo, sicut ab ipso solo extra sacramentum infunditur. Ergo dicere oportet, quod etiam a solo Deo intra sacramentum physice producitur : atque ideo, quod sacramenta non concurrunt ut instrumenta physica ad productionem illius.

Occurritur argumento. Ad argumentum concesso antecedenti, negamus consequentiam. Ad cujus probationem neganda est minor : nam ad dicendum quod sacramenta nostra sunt instrumenta physica, habemus satis urgentia fundamenta, ut constat ex præsentis disputationis

tationis processu. Primum, quod de fide est sacramenta nostra causare vere, et proprie gratiam, ut ostendimus dub. 1 ; omnis autem causalitas moralis, quæ in sacramentis nostris potest excogitari, non est vera, et propria, ut ostendimus dub. 2 ; oportet igitur ultra omnem causalitatem moralem attribuere sacramentis nostris influxum physicum. Secundum, quod propositiones, quibus Concilia, et Patres significant sacramenta nostra causare gratiam, et insinuant causalitatis modum, vix, aut nullo modo salvari queunt, nisi in sacramentis nostris influxus physicus admittatur ut constat ex supra dictis § 2 et 3 ; unde reverentia erga Concilia et Patres obligat prædictum influxum concedere. Tertium, quod dignitas nostrorum sacramentorum comparative ad antiqua hunc concursum extorquet : nam si præcise ad concursum moralem attendamus, nullum legitimum discrimen inter antiqua, et nova invenire, aut assignare valemus, ut argumentati sumus a num. 62. Quartum, quod reperimus alia instrumenta divinæ virtutis concurrere instrumentaliter physice ad effectus principaliter intentos : sicut humanitas Christi concurrit ad productionem gratiæ ; ignis inferni concurrit ad torquendum spiritus ; et Sancti solent concurrere ad effectus miraculosos, ut magis expendimus dub. 3, § 1. Hæc autem solidissima sunt fundamenta, ut non leviter, sed summo jure asseramus sacramenta nostra esse instrumenta physica ad producendum gratiam. Quare sicut non est inconveniens, quod miraculorum a Christo factorum maximum, nempe conversio panis, et vini in ejus corpus, et sanguinem, fiat quotidie a Christo, Sacerdotum ministerio : sic etiam nullum est inconveniens, quod gratia sacramentalis producatur miraculose per sacramenta : sed id magis confert ad commendandum bonitatem Dei, et dignitatem sacramentorum legis gratiæ. Ad confirmationem patet ex dictis nu. 43, quin sit opus alia addere. Et exemplum in ea propositum nihil valet : nam anima rationalis fit per creationem, ad quam nulla creatura potest concurrere instrumentaliter physice, juxta doctrinam Div. Thom. 1 part. quæst. 45, art. 5. Unde non solum sine fundamento, sed cum repugnantia contraria assereretur B. Virginem prædicto modo concurrisse ad creandum animam Christi. [margin: ...t confirmationi.]

70. Arguitur quarto : quoniam gratia sacramentalis quatenus talis, et prout a gratia habituali communiter dicta distinguitur, non producitur physice per sacramenta nostra : ergo hæc non concurrunt ut instrumenta physica ad causandum gratiam. Consequentia patet : nam si sacramenta nostra haberent causalitatem physicam, illam præcipue exercerent in ordine ad propriissimum eorum effectum, qui est gratia sacramentalis. Antecedens autem suadetur : nam cum gratia sacrementalis supra gratiam communiter dictam non addat aliud, quam auxilium Dei in ordine ad peculiares effectus sacramentis correspondentes ; quod auxilium non datur, quando perficitur, et existit sacramentum, sed alio tempore diverso, quando scilicet, et ubi oportet : impossibile est, quod gratia sacramentalis producatur physice a sacramentis : quippe existentia est conditio essentialiter necessaria ad physicam efficientiam. [margin: Quartum argumentum.]

Confirmatur : quia cum conservatio non sit aliud, quam continuata Dei productio ; necessarium est, quod actio physice producens aliquem effectum sit etiam actio eundem conservans : sed sacramenta non conservant gratiam, quæ in eorum usu producitur : ergo non producunt physice talem gratiam. Minor est manifesta : nam transactis physice, atque ideo non existentibus sacramentis, conservatur gratia in eorum usu producta : quod minime contingeret, si sacramenta influerent physice in prædictæ gratiæ conservationem ; quippe sublata causa tolleretur etiam effectus. [margin: Confirmatio.]

Respondetur argumento negando antecedens. Ad cujus probationem respondemus, quod ut dub. 9 ostendemus, gratia sacramentalis addit realiter aliquid habituale, et intrinsecum supra gratiam habitualem communiter dictam : et hoc habituale, et intrinsecum producitur simul cum gratia habituali communi, quæ in applicatione sacramentorum confertur : quare potest, sicut et illa per sacramenta physice attingi. Permisso autem, quod gratia sacramentalis non adderet supra gratiam communem, nisi auxilium postea suo tempore dandum ; adhuc negari non deberet sacramenta influere physice : quia inferrent physice gratiam habitualem, cui ut in sacramento productæ annexa foret promissio de dando auxilio temporibus, et occasionibus oppor- [margin: Diruitur argumentum.]

tunis, juxta exigentias diversorum sacramentorum, ut eo loco declarabimus.

itur ifir-tio. Ad confirmationem respondemus majorem non esse universaliter veram, ut patet in causis tam principalibus, quam instrumentalibus : mortuo enim patre, qui physice principaliter concurrit ad filium generandum, perseverat filius : et destructo semine, quod physice instrumentaliter concurrit ad animalis generationem, perseverat animal. Quare licet sacramenta nostra produxerint instrumentaliter physice gratiam, potest nihilominus hæc conservari, licet desint sacramenta : quia eis cessantibus manet adhuc divina virtus conservans sine instrumentis gratiam, quam per instrumenta produxit: sicut etiam conservat accidentia Eucharistica sine illis virtutibus instrumentariis, quæ in primam eorum productionem influxerunt. Maxima ergo illa, *Conservatio est continuata productio*, verificatur tum passive ex parte rei productæ : tum active ex parte causæ universalis attingentis per se principaliter *esse* rerum, quæ est solus Deus. Sed non oportet verificari in aliis causis creatis, et minus in instrumentalibus.

ntum gu-ntum. 71. Arguitur quinto : quia sacramentis nostris deferri debet nobilior influendi modus, sed nobilius est influere moraliter quam physice : siquidem influxus moralis solum convenit creaturis nobilioribus, nempe intellectualibus, influxus vero physicus est creaturis etiam imperfectis communis : ergo sacramenta non influunt physice, sed moraliter in gratiam.

spon-sio. Ad hoc argumentum constat ex dictis num. 36. Et diluitur dupliciter : primo negando minorem : quia ut ibidem ostendimus, ubi effectus est nobilissimus, perfectius est influere in eumdem physice, quam præcise moraliter : unde videmus, quod cum solus Deus queat esse causa principalis physica gratiæ ; pura creatura potest moraliter principaliter in gratiam influere, merendo scilicet illam de condigno. Quæ doctrina a fortiori verificatur, ubi influxus moralis non est vere talis, sed improprie, et secundum quid sicut contingit in sacramentis, quæ sicut sunt libertatis expertia, sic etiam, et moralitatis proprie dictæ, atque ideo, et influxus moralis vere, et proprie sumpti, ut dub. 2 ostendimus ex professo. Diluitur secundo idem argumentum, et quidem facilius, concedendo majorem, omittendo minorem, et negando consequentiam : quia licet concederetur nobilius essse influere moraliter, quam influere physice ; nihilominus dubitari non potest majus quid, ac nobilius esse influere moraliter simul, et physice, quam influere tantum moraliter : quare cum sacramentis nostris debeat attribui nobilior modus influendi in gratiam, ut argumentum supponit, et quod influant physice non repugnet, ut ostendimus dub. præced. ex ipso argumento concluditur sacramenta concurrere ad productionem gratiæ non tantum moraliter, sed etiam physice, influendo scilicet immediate in prædictum effectum.

72. Arguitur ultimo : quia sacramenta ficte suscepta, ubi tollitur fictionis obex, causant gratiam non minus vere, ac illam a principio causarent, si ficte suscepta non fuissent : sed quando causant recedente fictione, non influunt physice in gratiam : ergo nec physice in eam influunt a principio, quando suscipiuntur sine fictione. Probatur minor : quia cum tollitur obex fictionis, non existunt physice, sed sunt physice præterita : sed quod non existit physice, nequit physice influere : siquidem existentia est conditio essentialis ad causalitatem physicam : ergo sacramenta, quando causant recedente fictione, non influunt physice in gratiam. Sextum argumentum

Confirmatur : quia sacramenta sunt entia successiva, consistunt enim in quibusdam motibus, ut baptismus in ablutione, et sic de aliis : sed eo ipso nequeunt physicere influere : ergo sacramenta non sunt instrumenta phycica ad producendum gratiam. Probatur minor : quia vel influerent physice, quando durat motus, vel in ultimo instanti terminativo motus ? Non primum : quia quandiu durat motus, non est completa significatio sacramenti, cui annexa est ejusdem causalitas. Nec etiam secundum : quia in ultimo instanti terminativo jam non est motus, sed fuit : atque ideo nequit motus in prædicto instanti physice causare, cum in eo physice non existat. Confir-matio.

Respondetur ad argumentum, quod si sacramenta ficte suscepta, quando tollitur fictionis obex, existunt physice vel formaliter, vel virtualiter ; causant quidem tunc vere, et proprie : sed si nullo modo, id est, nec formaliter, aut virtualiter existunt physice ; nequeunt tunc vere, et proprie Satisf arg mento

prie influere. Ubi autem possunt vere, et proprie influere, possunt etiam physice causare, atque ita causant. Distinguendo itaque in hoc sensu præmissas, negamus absolute consequentiam : nam ex eo, quod in aliquo casu sacramenta, recedente fictione, nequeant physice influere (quia videlicet quando recedit fictio, nullo modo physice existunt), minime sequitur idem dicendum esse, quando applicantur a principio, nulla occurrente fictione: occurrit enim opposita ratio, nempe quod tunc physice existunt, et nullum datur impedimentum, ut physice influant. Et resolutio nostra procedit per se loquendo, et præscindendo ab hujusmodi accidentalibus. Potestque responsio confirmari in omnium sententia : quia de fide est, quod sacramenta, cum recipiuntur nulla occurrente fictione, causant vere, et proprie gratiam, ut constat ex dictis dub. 1, et tamen non est de fide, quod sacramenta cum fictione suscepta, ubi illa recedit, causent vere, et proprie: nec ex eo, quod non sit de fide sacramenta, recedente fictione, causare vere, et proprie, inferri valet non esse de fide, quod sacramenta recepta sine fictione causent vere, et proprie gratiam. Sic igitur licet concedatur sacramenta non causare physice in aliquo casu (nempe ubi ex una parte recedit fictio, et ex alia nulla datur physica sacramentorum existentia), inferri non valet sacramenta per se loquendo, et cum sine fictione recipiuntur, non concurrere physice instrumentaliter ad gratiam producendam. In quo sensu procedit nostra conclusio.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem negamus minorem. Et ad illus probationem respondetur sacramenta causare in ultimo instanti terminativo : et quamvis in eo instanti non sit motus, est tamen physice quid motus, nempe mutatum esse, quod est terminus motus, et per habitudinem, et cum dependentia ad partes præcedentes potest physice influere : sicut etiam tempus non existit actu secundum partes, quæ semper sunt vel præteritæ vel futuræ; existit tamen physice secundum instantia vel continuativa, vel terminativa. Sed quia tam argumentum, quam confirmatio concernunt graves difficultates ; congruit, ut seorsim, atque operosius illas tractemus. Et incipiendo ab ultima, sit

DUBIUM V.

Quando sacramenta nostra causant gratiam?

Rem hanc intellectu non admodum facilem fecit obscuriorem prolixus aliquorum labor in referendis quamplurimis sententiis, quæ aliud non parant, quam confusionum silvam, ubi erret animus in nulla consistens. Quare consultius censemus directe procedere statuendo sententiam, quam censemus veriorem, et principiis hactenus propositis (communibus plane inter Thomistas) magis cohærentem. Referre enim, et refellere plura falsa proclive est, sed non admodum proficuum : veritatem autem, una cum sit, attingere, atque tueri plus affert difficultatis, et commodi. Parumque referret scire, quæ falsa sunt, prætermisso studio conquirendi, et capessendi verum.

73. Sed priusquam dubium propositum decidamus, majoris claritatis gratia supponendum est ex communi Philosophorum doctrina apud N. Complut. abbrev. in lib. *Physicor.* disp. 24, in principio, quod licet quælibet res habeat suam intrinsecam durationem sicut et existentiam; nihilominus rerum inceptiones, et desitiones solemus regulare, dimetirique per ordinem ad tempus primi mobilis, eo quod istius duratio sit valde regularis, et nota. Et rursus in hac regulatione magis solemus attendere ad instantia, utpote magis determinata, quam partes. Duobus autem modis dicitur res incipere, aut desinere in instanti : primo *intrinsece*, quando inceptio, et desitio coexistunt instanti : Secundo *extrinsece*. quando non datur coexistentia inceptionis, aut desitionis ad instans. Ad quod declarandum quatuor termini, aut modi vulgo apud Philosophos circunferuntur. Nam quælibet res incipit vel per *primum sui esse*, vel per *ultimum sui non esse*. Dicitur autem res incipere per primum sui esse, quando de illa verificatur : *Nunc est res, et prius immediate non erat ;* et tunc res incipit in instanti intrinseco, quia ejus primum esse instanti coexistit. Sed dicitur incipere per ultimum sui non esse, quando de illa verificatur : *Nunc non est res, et immediate post erit :* et tunc res incipit in instanti extrinseco, quia primum ejus esse non coexistit illo instanti, sed tempori im-

Suppositio.

N. Complut.

immediate sequenti. Eodem modo explicatur rerum desitio : contingit enim vel per *primum rei non esse*, vel per *ultimum rei esse*. Dicitur itaque res desinere per primum sui non esse, quando verificatur : *Nunc non est res, et immediate prius erat :* et tunc res desinit in instanti intrinseco, quia non esse illius, sive desitio coexistit instanti. Dicitur autem res desinere per ultimum sui esse quando verificatur : *Nunc est res, et immediate post non erit :* et tunc res dicitur desinere in instanti extrinseco, quia non esse, sive desitio rei non coexistit instanti, sed tempori immediate sequenti. In summa, et magis breviter dici potest aliqua incipere, aut desinere *in instanti*, illa nimirum, quorum inceptio, aut desitio coexistit instanti : quædam vero incipere, aut desinere in tempore, ea scilicet, quorum inceptio, aut desitio non coexistit instanti, sed tempori.

[...]tus [...]sen- [...]diffi- [...]atis. Cum igitur inquirimus, quando sacramenta causent gratiam ? investigamus durationem vel temporis, vel instantis intrinsecam, aut extrinsecam, in qua sacramenta per se loquendo causant, et suum principaliorem effectum inferunt. Et dicimus *per se loquendo*, id est, connaturaliter, et quantum rerum natura exposcit sine recursu ad aliam providentiam extraordinariam : hæc enim consideratio congruit scientiæ, et præsumi debet, ubi non occurrit opposita revelatio. In quo sensu omnes asserunt Angelum, et animam rationalem creari per primum sui esse, sive in instanti intrinseco : quamvis non implicet, quod creentur per ultimum non esse, sive in instanti extrinseco, aut per correspondentiam saltem inadæquatam ad tempus, ut observant N. Complut. disp. cit. quæst. 4, concl. 2. Et eadem proportionabiliter ratio habenda est de gratia sanctificante, ac de Angelo, et anima : est enim forma perfecta, permanens, et spiritualis ad instar illorum : unde non mensuratur tempore nostro ad instar rerum fluxibilium, sed alia duratione eminentiori. Cæterum sicut Angelus, et anima habent correspondentiam ad tempus nostrum tanquam ad mensuram extrinsecam, unde dubitari potest, an duratio, in qua creantur, correspondeat tempori nostro secundum partem, aut secundum instans : sic etiam contingit in gratia sanctificante, et eadem difficultas excitari valet circa durationem, in qua fit. Et procedit difficultas supposita vera, et communi sententia, quod continuum, quale est tempus nostrum, componitur non ex solis indivisibilibus, sed ex partibus, quæ per indivisibilia copulantur, et terminantur ; si enim fiat contraria suppositio, quod tempus non constat nisi ex instantibus, vane inquireretur utrum sacramenta causent in tempore an in momento. Unde a limine dubii missas facimus aliquorum Juniorum sententias, qui conformiter ad falsam illam, et peregrinam sententiam de compositione temporis ex solis indivisibilibus, non minus peregrinas, et falsas comminiscuntur in re præsenti assertiones. Supervacaneum enim censemus in his subruendis laborare, quæ tam ruinoso, et fallaci committuntur fundamento, alias, et ab aliis convulso. Videantur N. Complut. abbrev. in lib. *Physicor.* disp. 23, quæst. 2. Et his suppositis

Com- ut.

Nota.

N. Complut.

§ I.

Explicatur veritas duabus assertionibus.

74. Dicendum est primo sacramenta nostra causare gratiam non in tempore, sed in instanti. Ita D. Thom. ut statim videbimus, cui subscribunt unanimiter discipuli, Capreolus in 4 dist. quæst. 1, art. 1 ad 2, et 3, Scoti controv. 3, Soto ibidem quæst. 3, art. 1, § *Veruntamen*, Martinus de Ledesma quæst. 16, artic. 7, dub. 2, Ferrara 4, *contra gentes* cap. 56, Cajetan. infra quæst. 75, art. 3, Nugnus in præs. artic. 1, difficult. 5, Arauxo, Silvius, Cabrera, Medina, Ruiz, Coquetius, et Serra, quos refert, et sequitur Prado dub. 3, num. 14, Joan. a S. Thom. disp. 24, dub. 5, § *Conclusio ergo*, Gonet disp. 5, artic. 2, § 5, num. 96, Labat. disp. 1, dub. 5, §, 4, in fine, Noster Franciscus tract. 1, cap. 2, dub. unico ad 6, N. Philippus disp. 5, dub. 4, et alii plures. Idem etiam docent Bellarminus, Vega, Henriquez, Suarez, Granados, Bonacina, Trullench, et alii, quos refert Prado loco cit. a nu. 12, Aversa quæst. 62, sect. 3, § *Communiter*, Dicastillo disp. 2, dub. 19, num. 530, et alii, quos prolixum esset referre.

Prima conclusio. Capreol. Soto. Ledesm. Ferrara Cajetan. Nugnus. Arauxo. Prado. Gonet. Labat. N. Fran. N. Phil. Bellarm. Suarez. Aversa. Dicastil.

Probatur primo auctoritate simul, et ratione D. Thom. infra quæst. 75, art. 7, quam possumus ita proponere : nam in ea duratione sacramenta causant effectum, nempe

Primum fundamentum

nempe gratiam, in qua verba consecrationis Eucharistiæ causant passivam conversionem panis in corpus Christi : sed verba consecrationis causant eam conversionem non in tempore, sed in instanti : ergo sacramenta causant suum effectum, nempe gratiam non in tempore, sed in instanti. Major constat : quia sacramenta ut sunt instrumenta Dei non sunt minoris efficaciæ ad perficiendum suum effectum, quam verba consecrationis ad suum : ergo sacramenta in ea duratione causant suum effectum, in qua consecratio efficit conversionem.

D.Thom. Minorem autem expresse docet D. Thom. in illo art. respondens quæsito, nempe: « Utrum ista conversio fiat in instanti. » Consequentia denique patet a paritate rationis : præsertim cum non occurrat ratio ob quam verba consecrationis habeant efficaciam ad causandum conversionem in instanti, et illam non habeant sacramenta ad causandum gratiam.

Confirmatio. Confirmatur : quia S. Doctor in resp. ad 3, inquit : « Dicendum, quod ista conversio « fit in ultimo instanti prolationis verbo« rum : tunc enim completur verborum « significatio, quæ est efficax in sacramen« torum formis.» Sed hæc ratio militat generaliter in sacramentis ; siquidem eorum significatio completur in ultimo instanti vel prolationis verborum formæ, vel applicationis materiæ, vel utriusque : ergo sicut consecratio causat conversionem in instanti, sic etiam sacramenta causant in instanti gratiam.

Alia ratio. 75. Secundo probatur ratione : nam sacramenta nostra in ea duratione causant gratiam, in qua gratia causatur, et fit : atqui gratia non fit in tempore, sed in instanti : ergo sacramenta causant gratiam non in tempore, sed in instanti. Consequentia patet. Et etiam major : quia non est intelligibile, quod sacramenta causent actu gratiam, et quod gratia actu non causetur, et fiat : ergo in ipsissima duratione sacramenta causant gratiam, in qua fit, et causatur gratia, quæ in sacramentis producitur. Minor etiam constat : tum quia gratia est forma permanens, et habens suum esse simul : sed quæ ejusmodi sunt, non producuntur in tempore, sed in instanti, ut patet in Angelo, in anima rationali, et in omnibus compositis substantia-

N. Complutenses. libus, ut docent N. Complut. *in Phys.* disp. 24, quæst. 3, num. 12, et quæst. 4, num. 17 : ergo gratia fit non in tempore, sed in instanti. Tum etiam quia gratia non producitur per sacramenta, usque dum horum significatio est completa : sed sacramentorum significatio completur in instanti terminativo motus sacramentorum : quandiu enim ista sunt in motu, non habent significationem completam, sed ad eam tendunt : ergo gratia producitur non in tempore, sed in instanti terminativo motus sacramentorum.

Nec momenti erit, si dicatur res permanentes, et spirituales, ut gratia est, posse etiam incipere in tempore, ita ut verum sit, verbi causa, dicere, *Nunc non est gratia, et immediate post erit*, ut de ipsis Angelis docent Complut. ubi proxime num. 18. Id, inquam nihil valet. Primo, quia licet hic modus inceptionis non implicet ; nihilominus non est connaturalis rebus permanentibus : sed nullum est motivum, ut dicamus gratiam, quæ est effectus sacramentorum, produci præternaturaliter ; quin adest motivum, ut sentiamus non intervenire novum aliquod miraculum in ejus productione, cum istud necessarium non sit. Secundo, quia licet possibile sit gratiam præcisive sumptam a sacramentis produci in tempore, sive per ultimum non esse ; nihilominus impossibile apparet, quod gratia, quæ est sacramenti effectus ita producatur. Et ratio est : quia si ita inciperet, quod verificaretur, *Nunc gratia*, quæ est effectus, verbi causa, baptismi *non est, et immediate post erit ;* ideo esset, quia ex parte sacramenti deesset in eo instanti completa, et determinata significatio : sacramenta enim ubi primum habent significationem completam, et determinatam, producunt suum effectum, ipsam scilicet gratiam. Sed eo ipso, quod in illo *Nunc*, sive instanti sacramenta non haberent significationem completam, et determinatam ; nec illam habere possent in tempore immediate sequenti : quippe quæ sequuntur immediate sequuntur indeterminate, et per partes minores, et minores ; ita ut nulla queat assignari, antequam non sit alia minor, et minor usque in infinitum : hoc enim modo comparantur successiva. Ergo repugnat gratiam ita per sacramenta produci, quod verum sit, *Nunc non est gratia, et immediate post erit.* Tenendum itaque est oppositum, nempe gratiam, quæ est effectus sacramenti, produci in instanti, ita quod verifi-

Præcluditur quædam evasio.

cetur, *Nunc est gratia, et immediate antea non erat.* Ad quod salvandum oportet consequenter dicere sacramenta causare gratiam non in tempore, sed in instanti.

ifficul-s inci-dens. 76. Sed hic statim occurrit difficultas, an instans, in quo sacramenta producunt gratiam, sit dicendum intrinsecum, vel extrinsecum? Et esse extrinsecum docent quamplures Thomistæ, quos refert, et sequitur Prado loco supra citato : quoniam sacramenta, sive attendamus ad materiam proximam, utputa ablutionem, unctionem; sive attendamus ad prolationem verborum formæ, sunt quidam motus : atqui motus non habet esse in instanti, cum constet partibus : ergo sacramenta causant gratiam in instanti extrinseco sacramentis, quando (Opinio-nes.) scilicet verificatur, *Nunc non est v. g. baptismus, et immediate prius erat.* E contra vero illud instans esse intrinsecum docent aliqui Thomistæ infra referendi, cum quibus sentiunt Suarez, Granados, Bonacina, Trullench, et alii. Et hoc ipsum tueri debent Arauxo, Gonet, Labat, et alii Thomistæ,qui sentiunt sacramenta causare per ultimum sui mutatum esse : istud enim habet intrinsecam coexistentiam ad instans, (Judi-cium.) ut statim declarabimus. Hoc autem dissidium censemus magna ex parte pertinere ad controversiam de vocibus,et ad diversas nominum acceptiones. Et ut rem dicamus, observandum est,quod in hac propositione, qua explicamus durationem, in qua sacramenta producunt gratiam, dicendo, *Nunc sacramenta producunt gratiam, quam immediate antea non producebant*, plures occurrunt res, ad quas referri, et cum quibus comparari valet illud nunc, sive instans,ut dicatur respectu illarum extrinsecum, aut intrinsecum ; occurrunt enim gratia, quæ producitur ; actio sive causalitas sacramentorum,qua gratia producitur ; et ipsa sacramenta, sive instrumenta divinæ virtutis, quæ gratiam producunt. Hoc supposito, (quod neminem censemus negaturum) ut explicemus propriam de re sententiam, et oppositos inter se dicendi modos, quantum fieri potest, conciliemus.

Alia conclu-sio. 77. Dicendum est secundo sacramenta nostra causare gratiam in instanti, quod est intrinsecum tum gratiæ, quæ fit, tum causalitati, qua fit, tum sacramentis per quæ fit,consideratis præcise secundum ultimum mutatum esse, illorum terminativum : sed prædictum instans est extrinsecum sacramentis consideratis adæquate, id est non solum secundum ultimum sui mutatum esse, sed etiam in esse motus, quem essentialiter important. Ita quantum ad rem sentire putamus omnes Thomistas supra relatos : nam qui dicunt sacramenta gratiam causare in instanti non intrinseco, sed extrinseco, loquuntur de instanti respectu sacramentorum sumptorum adæquate essentialiter. Qui autem affirmant sacramenta producere gratiam in instanti intrinseco, sermonem faciunt de instanti comparative ad omnia, quæ recensuimus præter sacramenta, et ad ipsa etiam sacramenta considerata præcise quantum ad ultimum eorum mutatum esse. Videantur specialiter Arauxo in præs. dub. 4, num. 58. Gonet loco citato num. 103. Contenson fol. 121, § *Respondeo sacramentum*,N. Franciscus ubi supra in resp. ad 6. Labat loco citato, § *Inferes secundo,* qui omnes assertionem nostram quantum ad id, in quo aliquibus Thomistis videtur opponi, tuentur. (Araux. Gonet. Conte. N.Fra. Laba.)

Probatur quoad singulas ejus partes : nam in primis gratia coexistit illi instanti : unde verificatur, *Gratia per sacramentum facta nunc est, et immediate antea non erat:* ergo illud instans est intrinsecum respectu gratiæ : quippe generale est ea dici incipere in instanti intrinseco quæ habent fieri, et esse in instanti. Deinde actio, sive causalitas sacramentorum, qua gratia fit, habet esse simul cum gratia : quia repugnat gratiam fieri, et non adesse simul ejus productionem : sicut igitur illud instans est intrinsecum respectu gratiæ, sic etiam respectu actionis sacramentorum, qua immediate gratia producitur. Præterea motus sive ex parte materiæ,sive ex parte formæ, in quibus sacramenta consistunt, habent suum ultimum indivisibile, aut mutatum esse : constat enim motus partibus, et indivisibilibus, sicut generaliter contingit in omnibus continuis, et successivis, in quibus admittuntur indivisibilia non solum continuativa, sed etiam terminativa, quæ sunt aliquid reale positivum, ut in linea punctum, in corpore superficies, etc. Ut cum communi Philosophorum sententia docent N. Complut. *abbrev. in Physic.* disp. 23, dub. 1 ; sed illud instans, in quo producitur gratia, mensurat ultimum, et terminativum *mutatum esse* illorum motuum, in quibus sacramenta consistunt : ergo tale mutatum esse coexistit illi instanti : atque ideo (Fund-mentu.) (N. Com-plut.)

ideo prædictum instans est intrinsecum respectu ejus, sicut et respectu gratiæ tunc productæ, et respectu actionis, quæ fit. Et hanc partem satis expressit D. Thom. loco citato num. 74, illis verbis : « Ista conversio fit in ultimo instanti prolationis verborum.» Et infra quæst. 78, art. 4 ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod prædicta verba, quibus fit consecratio, sacramentaliter operantur. Unde vis conversiva, quæ est in forma horum sacramentorum, consequitur significationem, quæ in prolatione ultimæ dictionis terminatur. Et ideo in ultimo instanti prolationes verborum prædicta verba consequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia. » Ubi manifestum est S. Doctorem præter omnes partes, et indivisibilia continuativa, quibus constant prolationes verborum, admittere ultimum instans, sive indivisibile, in quo consummatur motus prolationis, et perficitur sacramentorum significatio, cum habitudine tamen ad omnia præcedentia : quod minime verificaretur, si motus vel prolationis verborum, vel applicationis materiæ non terminarentur per ultimum indivisibile, sive mutatum esse illi instanti coexistens. Denique ultima resolutionis pars facile ostenditur, atque admittitur ab omnibus : quoniam motus adæquate essentialiter acceptus est quid continuum, et successivum constans partibus præterlabentibus : sed quæ hujusmodi sunt, nequeunt coexistere instanti, ut ex se liquet : ergo motus vel applicationis materiæ, vel prolationis verborum, quibus constant sacramenta, non coexistunt illi instanti, in quo incipit gratia, sed potius in eo habent intrinsece suum non esse : ergo tale instans est extrinsecum prædictis motibus ; atque ideo et sacramentis quantum ad illos motus consideratis.

Observatio notanda. Unde elucet, quam diverso modo inceptio, aut desitio prædictarum omnium rerum in ordine ad illud instans explicari debeant. Nam de gratia verificatur, *Nunc est gratia sacramentalis, et immediate prius non erat :* quod manifestat illud instans esse intrinsecum gratiæ. Similiter de causalitate sacramentorum verificatur, *Nunc sacramenta causant gratiam, quam immediate prius non causabant :* idque etiam declarat illud instans esse intrinsecum sacramentorum causalitati, sive gratiæ productioni. Pariter de ultimo *mutatum esse*, et complemento sacramentorum verificatur, *Nunc sacramenta habent mutatum esse terminativum, et ultimum sui complementum, quod immediate prius non habebant :* idque etiam manifestat tale instans esse intrinsecum ultimo *mutatum esse*, et complemento sacramentorum. Ex quo ulterius fit, quod tunc primo significatio sacramentalis (cui annectitur sacramentalis influxus) perfecta sit. Cæterum de ipsis sacramentis consideratis adæquate essentialiter secundum motus, quos important, minime verificatur, *Nunc sunt sacramenta, et immediate prius non erant :* sed potius verificatur : *Nunc non sunt sacramenta, et immediate prius fuerunt :* sicut de motu verificatur, *Nunc non est motus, et immediate prius fuit.* Quod satis declarat prædictum instans, in quo ponitur sacramentorum effectus, nempe gratia, non esse intrinsecum sacramentis prædicto modo consideratis, sed potius extrinsecum, utpote quod mensurat primum sacramentorum *non esse.* Ex quibus omnibus satis, ut putamus, liquet tum veritas nostræ assertionis, tum sensus illius propositionis, *Sacramenta causant gratiam in instanti*, ut discerni queat, respectu quorum instans illud dicatur intrinsecum, aut extrinsecum. Quæ quia aliqui non distinxerunt, vias extremas tenuisse videntur, ut supra insinuavimus.

78. Sed oppones : eodem proportionali modo producitur gratia per motum sacramentorum, quo forma substantialis per motum alterationis, v. g. forma ignis per calefactionem : sed in instanti, in quo educitur forma, et habet primum esse, non est motus alterationis aut secundum partes, aut secundum ultimum indivisibile terminativum ; quippe in eo instanti fit resolutio usque ad materiam primam, in qua nequit ullum accidens immediate recipi : unde formæ substantialis eductio, aut generatio non est actio, nec mutatio accidentalis, ut optime colligunt, et declarant N. Complut. abbrev. in lib. *de generat.* disput. 2, quæst. 2 : ergo in instanti, in quo producitur gratia, et habet suum primum esse, non est motus sacramentorum aut secundum partes, aut secundum aliquod indivisibile terminativum, quod ad prædictum motum pertineat ; id enim paritatis ratio convincere videtur. Objectio.

Respondetur admittendo majorem in sensu statim declarando, et concedendo Solutio

minorem, et negando consequentiam. Ratio disparitatis fundatur in eo, quod omnis motus per se loquendo terminatur per ultimum mutatum esse, tanquam per ultimum sui terminativum ejusdem ordinis, et ad motum, qui terminatur, intrinsece pertinens : generaliter enim omnia continua, sive permanentia, sive successiva, ita terminantur, ut sint finita non solum negative, quatenus ultra non progrediuntur, sed etiam positive, quia termino positivo clauduntur. Et hac de causa alterationis motus, quo inducitur forma substantialis, dee ret in illo instanti, in quo consummatur, habere suum ultimum mutatum, et indivisibile terminativum ejusdem ordinis, quo positive finiretur. Sed de facto quasi per accidens illud non habet, ob motivum scilicet in objectione insinuatum : nam in instanti, in quo alteratio habitura erat suum ultimum mutatum esse, labitur subjectum alterationis, nempe compositum substantiale præexistens ; fitque resolutio usque ad materiam primam, quæ est incapax suscipiendi accidentia. Quocirca in tali casu non succedit alterationi mutatum esse accidentale, et ejusdem ordinis, quod queat alterationem intrinsece terminare : sed loco ejus succedit aliud quasi mutatum esse diversi ordinis, nempe generatio, aut eductio, quæ est mutatio substantialis materiæ a non esse ad esse sub forma v. g. ignis : unde alteratio ordinata ad inducendam formam substantialem non sortitur ultimum mutatum esse intrinsecum, et ejusdem ordinis. Ex quo ulterius fit prædictam alterationem nec per se, nec per aliquid sui coexistere instanti, in quo forma substantialis producitur ; atque ideo tale instans esse simpliciter omnibus modis respectu illius alterationis extrinsecum. Hoc autem motivum minime occurrit in præsenti materia, sed magis oppositum : quoniam in instanti, in quo gratia introducitur, et habet primum esse, conservatur idem subjectum motus sacramentorum, nempe homo : quocirca talis motus potest habere, et subinde habet ultimum *mutatum esse* ejusdem ordinis, et sibi intrinsecum, quo positive finitur. Et propterea licet motus ille adæquate sumptus non coexistat illi instanti ; coexistit tamen ei per aliquid sui, videlicet per illud mutatum esse, aut indivisibile terminativum.

...geri- ...r ob- ...tio. 79. Unde objectio facta posset retorqueri sub eadem, atque urgentiori forma : nam communiter, et per se loquendo motus ordinatus ad inducendum aliquem terminum habet suum ultimum, et intrinsecum mutatum esse, sive indivisibile terminativum in illomet instanti, in quo introducitur terminus principaliter intentus, ut inductive valet ostendi. Alteratio enim ordinata ad producendum v. g. albedinem ut quatuor, habet suum ultimum terminativum, et mutatum esse intrinsecum in illo instanti, in quo primum verificatur : *Nunc est calor ut quatuor, et prius non erat :* et quamvis illi instanti non coexistat alteratio essentialiter sumpta secundum partes : coexistit tamen ipsi per suum ultimum indivisibile aut mutatum esse. Idem contingit in motu augmentationis ad quantitatem determinatam v. g. unius ulnæ : nam licet in illo instanti, in quo verificatur, *Nunc est ulna* non sit motus secundum essentiam et partes ; est tamen in illo instanti secundum aliquid sui, nempe secundum ultimum mutatum esse. Idem pariter accidit in motu locali ad determinatum ubi, utputa ad esse in centro, ut facile consideranti constabit. Quod vero in motu alterationis ad formam substantialem, non ita eveniat, est per accidens, ob defectum subjecti pereuntis in instanti generationis, ut proxime explicuimus. Cum igitur consonum rectæ rationi sit, ut de motu sacramentorum, per quæ producitur gratia, theologizemus cum consonantia ad alios motus, et quantum connaturalis rerum dispositio exigit ; et rursus in instanti, in quo gratia producitur, perseveret subjectum prædicti motus : minime negandum est, quod talis motus habeat suum ultimum mutatum esse, sive indivisibile terminativum in eo instanti, in quo gratia fit. Juxta quam doctrinam motus, licet essentialiter secundum partes non coexistat illi instanti, coexistit tamen ei secundum aliquid sui : et similiter quamvis tale instans sit extrinsecum motui secundum partes ; nihilominus est intrinsecum motui quantum ad ultimum ejus mutatum esse, sive indivisibile terminativum, ut in assertione statuimus.

§ II.

§ II.

Referuntur sententiæ contrariæ, et convelluntur earum motiva.

ima nten-ia. 80. Plures contra primam, et principalem assertionem nostram possunt referri opiniones. Prima gravium aliquorum Thomistarum, nempe Paludani, quem refert, et sequitur Capreolus in 4, dist. 1, quæst. 1, art 4 ad 1, Scoti contra quartam, Soti ibidem quæst. 3, articul. 1, Ferrara 4, contra gent. cap. 56, et aliorum, qui significant sacramenta causare toto tempore, quo durant. Prædicti vero Auctores nobis revera non adversantur, sed ad legitimum sensum facile revocari queunt. Cum enim asserant gratiam, quæ est effectus sacramenti, produci in ultimo instanti terminativo sacramentorum, minime intendunt ea loquendi formula significare, quod sacramenta toto tempore, quo durant, proxime, et cum effectu producant: implicatorium enim est sacramenta eo tempore sic producere, et gratiam eo tempore non produci. Significant itaque sacramenta toto eo tempore usque ad ultimum instans, in quo complentur, producere gratiam remote, et dispositive, quatenus parant viam ad gratiam, quæ in ultimo instanti fit. Quod proportionabiliter contingit, et dici potest in naturalibus: nam ignis dum agit in lignum per alterationem dicitur producere alium ignem, non quidem proxime, et cum effectu, sed remote, et dispositive, in quantum præparat ad formam ignis, quæ peracta alteratione in ultimo ejus instanti producitur. In hoc itaque sensu accipienda est illorum Thomistarum propositio, in eoque communi aliorum Thomistarum sententiæ non adversatur.

(Margin: udan. — reol. — oto. — rara.)

cunda inio. Secunda sententia negat sacramenta producere determinate gratiam in instanti ultimo, seu terminativo, in quo non sunt: sed dicit sacramenta habere aliquod esse sufficienter determinatum ad significandum ante illud instans, sive illud *esse* sit in parte, sive in continuativo temporis. Ita Granados, Mæratius, et quidam alii, cum quibus sentit ex Thomistis N. Philippus loco supra citat. in 2 part. conclus. et in resp. ad 1. Sed falsitas prædictæ sententiæ liquet ex supra dictis: quia sacramenta non causant, nisi habeant significationem sacramentalem perfectam, et completam: hanc autem non habent, quandiu sunt in motu, sive ante ultimum instans, in quo complentur, et cessant: ergo non causant in ulla parte, nec in ullo instanti temporis intermedii.

(Margin: anad. Philip)

Tertia sententia affirmat sacramenta producere gratiam in aliquo tempore indeterminato, in eo scilicet ultimo tempore, quod immediate præcedit ultimum instans terminans motum sacramentorum. Ita aliqui Theologi, quos suppresso nomine refert Arauxo, ubi supra numer. 50. Et huic opinioni suffragari videtur Bellarminus lib. 2, *de sacramen.* cap. 11, in resp. ad 3, confirm. Sed prædicta sententia, quolibet modo explicetur, falsitatis convincitur. Tum quia sacramenta producunt gratiam in ea duratione, in qua gratia producitur: hæc autem non producitur in tempore, sed in instanti, ita quod verificetur, *Nunc est gratia, et immediate prius non erat:* sic enim connaturaliter producuntur formæ spirituales, et permanentes, ut supra dicebamus numer. 75; ergo sacramenta non producunt gratiam in eo tempore determinato, aut indeterminato, quod immediate præcedit ultimum instans terminans totum sacramentorum. Tum etiam, quia si sacramenta producerent gratiam in tempore antecedenti illud instans; producerent utique gratiam antequam haberent esse completum, et perfectum, atque ideo completam, et perfectam significationem: quod est falsum; cum causalitas sacramentorum sit conjuncta eorum significationi: causant enim nostra sacramenta gratiam, quam significant.

(Margin: Tertius dicendi modus. — Bellarm.)

Quarta sententia convenit cum præcedenti in asserendo, quod sacramenta causant in tempore: sed differt ab illa in eo, quod docet sacramenta producere gratiam in tempore immediate sequenti post instans, in quo consummantur sacramenta, ita quod verificetur, *Nunc non est gratia, et immediate post erit.* Ita Lugo disput. 4, section. 6, Sed non videtur statuere, an illa pars immediate sequens sit determinata, seu minor et minor: lubrice namque loquitur, ut productis ejus sententiis ostendit Dicastillo disput. 2, dub. 19, § 1, a numer. 524, et in sequentibus valide refellit eam sententiam. In quo non multum operis impendemus: quia corruit ex hactenus dictis. Sacramenta namque causant gratiam in ea duratione, in qua ipsa gratia fit: hæc au-

(Margin: Quarta opinio. — Lugo.)

tem non fit in tempore, sed in instanti. Recolantur, quæ diximus numer. 75, ubi insinuavimus implicare, quod gratia prædicto modo producatur per sacramenta : quia si in aliquo nunc est verum dicere, *Nunc non est gratia, et immediate post erit,* pariter erit verum dicere, *Nunc sacramenta non habent significationem completam et immediate post illam habebunt.* Id vero est impossible : quia quod immediate sequitur ad instans, est pars indeterminata, sive minor, et minor motus, et temporis : unde repugnat sacramenti significationem in ea parte fieri completam, et determinatam usque ad aliud nunc, vel instans. Et hæ sunt sententiæ principaliores, quæ in hac materia circunferuntur, omissis aliis adhuc magis singularibus apud Arriagam disput 11, Bonæspei disput 2, dub.2, num. 24, Macedum *de clavibus Petri* tom. 1, lib. 4, cap. 10, et alios. Nec istas retulissemus nisi pro aliquali notitia, et majori complemento materiæ : consultius namque semper reputamus propriam sententiam stabilire, quam aliarum falsitates ostendere, præsertim ubi nihil, aut parum ponderis afferunt, quo persuadeantur.

Arriaga. Bonsæp. Maced.

Commune pro omnibus argumentum.

81. Igitur omnes relatæ opiniones, et aliæ in eo conveniunt, quod sacramenta non causant gratiam in ultimo instanti, quo consummantur, ut nos § præced. statuimus. Commune autem omnibus fundamentum est, quoniam sacramenta juxta nostram sententiam causant physice gratiam : sed nequeunt ita causare in instanti eorum terminativo : ergo sacramenta non causant gratiam in eo instanti. Cætera constant. Minor autem suadetur : quia ut causa physice efficiat, requiritur, quod physice existat ; alias res futura posset efficere physice de præsenti ; quod supra a nobis reprobatum est : sed sacramenta in ultimo instanti eorum terminativo non existunt physice ; siquidem cum consistant in quibusdam motibus, tunc habent primum *non esse*, et de illis sicut de aliis successivis verificatur, *Nunc non sunt sacramenta, et immediate prius erant :* ergo sacramenta nequeunt causare physice in ultimo instanti eorum terminativo.

Solutio.

Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est juxta doctrinam superius traditam num. 77 , quod licet sacramenta in ultimo instanti eorum terminativo non existant secundum essentiam, sive partes motuum, quibus constant, ut optime evincit probatio, existunt tamen inadæquate secundum aliquid sui, nempe secundum ultimum mutatum esse, quo positive, et intrinsece terminantur,ut ibidem declaravimus : quia quamvis partes motus non coexistant illi instanti temporis, nihilominus illi coexistit ultimum mutatum esse prædicti motus. Et hoc sufficit, ut sacramenta per aliquid sui tunc existant, et efficiant physice gratiam.

Re[plica.]

82. Sed replicabis : quoniam ex prædicta responsione sequitur ultimum mutatum esse sacramentorum esse præcise instrumentum attingens physice productionem gratiæ ; sed minime salvat, quod sacramenta physice concurrant : et hoc ultimum necessarium est, ut consequenter procedamus ad assertionem dub. præced. propositam. Sequela ostenditur : quia illud sacramenti in eo instanti influit physice in gratiam, quod recipit virtutem, atque ad influendum movetur : et illud ulterius recipit virtutem, et movetur, quod in eo instanti physice existit : sed quod in eo instanti physice existit, non sunt sacramenta, ut concedimus, sed ultimum eorum mutatum esse : ergo de primo ad ultimum fit, quod sacramenta non influant physice in illo instanti, sed quod solum ita influat ultimum eorum mutatum esse.

Re[...]

Respondetur negando sequelam : nam cum ultimum mutatum esse sacramenti sit aliquid sacramenti, utpote ultimum ejus terminativum; eo ipso, quod mutatum esse influat physice in gratiam, influit etiam physice totum sacramentum : non quidem totum et totaliter, aut ratione omnium, quæ habet, sed totum, et non totaliter, sive ratione alicujus ad se pertinentis. Sicut totus homo videt, licet non videat per omnes partes, sed per oculum. Ad probationem autem sequelæ respondemus eodem modo virtutem elevantem, et motionem ad influendum physice in gratiam non recipi in partibus, nec indivisibilibus continuativis motus, quo constat sacramentum,sed recipi in ultimo mutatum esse : sed id sufficit, ut totum sacramentum elevetur,et moveatur, non quidem secundum omnia, sed secundum aliquid sui : satis namque est, quod sacramentum post successionem motus relinquat aliquid ad se pertinens, quod elevetur, moveatur, et agat, ut totum sacramentum dicatur per illud elevari, moveri, et

et agere. Sicut enim corpus perfecte sphericum positum supra corpus perfecte planum vere illud attingit, et tamen non attingit illud nisi per punctum ; sic etiam licet sacramenta non attingant gratiam nisi per illud ultimum mutatum esse, aut indivisibile , nihilominus vere, et physice, et causaliter illam attingunt : quia satis est, quod aliquid intrinsece pertinens ad sacramenta, nempe illud indivisibile gratiam attingat prædicto modo. Potestque id magis declarari alio exemplo, quod ad rem proximius accedit : etenim planta v. g. ex qua decisum est semen est causa principalis physica alterius plantæ ex illo semine genitæ : et tamen sæpe contingit, quod quando posterior planta generatur, prior fuerit destructa, et nullam sui partem habeat : sed quia post se reliquit semen, quod in secundam plantam influit, merito tota planta prior dicitur illius causa : non quidem quia per se immediate, aut per omnes suas partes effectum attingat, sed quia illud attingit per aliquid a se decisum. Sic ergo in re præsenti, quamvis adveniente ultimo instanti terminativo motuum,quibus constant sacramenta,desinant esse motus, et motuum partes ; nihilominus remanet intrinsece in eo instanti aliquid ad prædictos motus spectans, nempe ultimum mutatum esse, ex eisdem relictum, et quasi decisum : unde possunt per illud, et secundum illud moveri, et agere, sicut planta agit per semen. Præsertim cum illud *mutatum esse* influat cum subordinatione in significando ad omnes partes antecedentes, quas complet : illis namque partibus non suppositis, nec in illo instanti significatio sacramentorum compleretur, nec occurreret mutatum esse sacramentorum, nec elevaretur ad influendum.

[…]ectio Vazquio. 83. Nec refert, quod opponit Vasquez disp. 123, num. 36, hanc doctrinam esse nimis philosophicam in re morali. Licet ea (inquit ille) quæ prædicti Theologi comminiscuntur, cum vera Philosophia constare possent, ea solum ratione essent improbanda, quod mysteria et remedia nostræ salutis ad eas subtilitates, et argutias reducant,de quibus Christum Redemptorem nostrum curam aliquam habuisse commentitium plane videtur. Ista Vasquius : et suaviora non profert Arriaga ubi supra dicens. neque enim ullo modo judico probabile Patres ad eam considerationes metaphysicas puncti ultimi verborum, aut actionis sacramentalis præcise recurrisse.

Id, inquam, minime refert ; quin admirationem meretur, quod opponatur a Theologis , et circa similia exercitatis . Verisimile autem apparet ipsos nihil aliud gravius habuisse, quod objicerent. Causare namque nimiam philosophiam in re Theologica, ne admittatur, ridiculum plane est; cum illi, aliique Theologi frequentissime ad subtilitates , et argutias Philosophiæ recurrant in ipsa graviori mysteriorum fidei declaratione. Quid enim sanctius, quid magis certum, quam processionem secundæ personæ divinæ esse generationem, secus autem processionem tertiæ personæ? Sed ad exponendum, quare una sit generatio, et non alia, quæ non excogitantur, adhibenturque subtilia ? Et in materia, quam versamus, certissimum, et constans apud Theologos hujus temporis est sacramenta nostra causare vere, et proprie gratiam. Sed pro hac veritate exponenda alii concedunt influxum rigorosum, et physicum, ut majori sinceritate retineant verba, doctrinamque Conciliorum, et Patrum id satis perspicue significantium, ut ostensum est dub. præced. Alii vero solum concedunt sacramentis causalitatem moralem : quam partem ut defendant Vazquez, et asseclæ, quas subtilitates non comminiscuntur, quas argutias non excogitant, quibus Conciliorum, et Patrum testimonia eludant, asserantque veram causam, quod merum signum juxta ipsa illorum principia est ? Quæ vero non moliuntur, ut nostra sacramenta ab antiquis in causando discernant, cum hoc argumentationis genere urgentur ? Est itaque ridiculum opponere nexum responsionis nostræ cum Philosophia. Sed est longe absurdius objicere, et dicere Christum, qui omnia philosophica scivit, nihil horum cogitasse, quasi ignoraverit Dominus modum, quo agentia per motum inducunt in termino formam, quando scilicet motus non existit, sed immediate præcessit. Nos autem subtilem, ut illi volunt, et argutam responsionem adhibemus obligati objecta ab ipsis difficultate vulgari. Dum enim urgent motum non habere esse in instanti, gratiam fieri, et habere esse in instanti : ergo sacramenta, cum consistant in quibusdam motibus, non coexistunt gratiæ productæ : atque ideo

Dispellitur.

nequeunt illam physice efficere : quippe causalitas physica exposcit coexistentiam causæ, et effectus. Dum, inquam, ita objectant, respondemus communi, et philosophica doctrina difficultatem esse communem in omnibus permanentibus, quæ producuntur per motum : cessat enim iste, ubi illa primum esse consequuntur ; et tamen vere attinguntur per eum, ut productis exemplis augmentationis, alterationis, et lationis ad certos terminos supra declaravimus. Quamvis enim in primo instanti, in quo adest forma certa, aut determinata, cesset motus ad illam ; cessat quidem quantum ad partes, et essentiam adæquatam ; retinet tamen adhuc ultimum mutatum esse, aut indivisibile terminativum, cujus ratione et præsentia coexistit physice effectui. Quid ergo in hac Philosophia reprehenditur, nisi quod dentes opponentium sua soliditate frangat ?

Aliquorum Thomistarum responsio.

84. Nec latet nos plures Thomistas aliter objectam difficultatem diluere absque recursu ad ultimum mutatum esse intrinsecum sacramentorum, quod elevetur, et agat : existimant enim satis esse, quod motus immediate præcesserit, licet in ultimo instanti nihil habeat intrinsecum sui. Sicut namque opus non est causam esse continuam subjecto, in quo producit effectum, sed sufficit esse contiguam : ita non requiritur, quod causa coexistat effectui, sed satis est, quod existentia causæ sit immediata, aut immediate præcedens respectu illius. Quare sicut alteratio præcedens eductionem, aut generationem formæ substantialis nec per partes, nec per aliquod mutatum esse sibi intrinsecum coexistit instanti, in quo educitur forma, et nihilominus hanc effective attingit, ut declarant N. Complutenses abbrev. in libr. *de generat.* disput. 2, quæst. 2, sic quamvis motus sacramentorum nec per partes, nec per aliquod mutatum esse intrinsecum coexistant illi *nunc*, aut instanti, in quo gratia habet primum esse ; possunt nihilominus effective physice in gratiam influere : quia sufficit quod immediate præcesserint, et ad eum effectum fuerint ordinati, et promoti.

N. Complut.

Præfertur alia.

Hanc, inquam, doctrinam probe cognoscimus, et recognoscimus esse probabilem, quam arduum non foret amplius nos extendere, atque fulcire. Sed tamen maluimus prosequi responsionem jam datam. Primo, quia de facto sacramenta habent ultimum mutatum esse, et terminativum intrinsecum in illomet instanti, in quo gratia producitur : quare ratione alicujus ad se intrinsece pertinentis coexistunt prædictæ gratiæ : hoc autem supposito facillime et verissime explicatur, quomodo sacramenta in illo instanti durent adhuc secundum aliquid sui et secundum illud queant elevari, applicari, atque in gratiam physice influere. Quare supervacaneum censuimus ad viam difficiliorem, vel ad angustias non necessarias recurrere. Secundo, quia sic agentes procedimus consequenter ad ea, quæ naturaliter contingunt in omnibus rebus permanentibus, quæ per motum producuntur : coexistunt enim ultimo *mutatum esse* terminativo motus, et per illum attinguntur a toto motu, et debent dependenter ab ipso produci. Tertio, quia quod oppositum contingat in motu alterationis respectu formæ substantialis genitæ, est per accidens, ob defectum scilicet subjecti, in quo recipiatur ultimum mutatum esse prædicti motus : corrumpitur enim in instanti generationis. Sed hoc motivum non occurrit in præsenti materia, ubi perseverat idem subjectum, in quo recipiatur ultimum mutatum esse sacramentorum. Cum igitur expediat discurrere conformiter ad magis connaturalia, et quæ sunt per se, non addendo difficultates superfluas ; consultius judicavimus prædictæ parti inhærere, et alteram in sua probabilitate relinquere, quam alii magis promoveant.

85. Arguitur secundo (et potest esse replica contra præcedentem doctrinam), quoniam si sacramentum præteritum secundum partes, et præsens secundum ultimum mutatum esse sui terminativum potest causare gratiam ; pariter sacramentum futurum secundum partes, et præsens secundum primum mutatum esse sui initiativum causabit gratiam : consequens est falsum : sequidem res futura nequit de præsenti physice causare, ut sæpe in superioribus diximus : ergo et antecedens. Sequela videtur manifesta a paritate rationis, ut facile consideranti constabit. Et idem inconveniens potest aliter proponi : nam si sacramenta causant physice gratiam in instanti, in quo ipsa sacramenta secundum suam essentiam, sive partes non existunt ; eadem ratione causabunt, licet præcesserint,

præcesserint per unam horam, aut diem : si enim non requiritur physica eorum coexistentia ad effectum, de materiali est, quod præcesserint immediate, aut per longum tempus. Falsitas autem consequentis liquet : nam quod non existit physice, nequit physice causare.

Ir- ur. Confirmatur : quia si sacramenta solum causarent gratiam in ultimo instanti, quo terminantur ; fieri posset sacramenta causare gratiam in instanti mortis hominis, in quo scilicet anima separatur a corpore : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : nam fieri potest, quod sacramentum ita ministretur, ut instans, in quo sacramentum terminatur, sit instans, in quo homo decedat ; ita quod verificetur : *Nunc non est sacramentum, et immediate prius erat :* et similiter : *Nunc non est homo suscipiens sacramentum, et immediate prius erat.* Falsitas vero consequentis ostenditur : quia ex illo ulterius fieret hominem, qui toto tempore vitæ fuit in peccato, aut etiam in infidelitate, consequi gratiam, et fidem in illo instanti, in quo jam non vivit, quod manifeste apparet absurdum.

sflt su- to. Respondetur ad argumentum negando sequelam. Ad cujus probationem assignamus satis notas rationes disparitatis. Nam in primis sacramenta non causant, nisi habeant completam significationem ex institutione divina : hanc autem habent in ultimo instanti illorum terminativo, et ideo causant in eo : sed talem significationem non habent in primo instanti illorum initiativo, ut ex se liquet : quocirca in prædicto instanti causare non possunt. Deinde ultimum mutatum esse est terminus motus præcedentis, quare influere valet cum subordinatione ad illum, ita ut vere motus maneat aliquomodo in suo termino, et influat per ipsum, ut supra explicuimus : id autem non habet locum in primo *mutatum esse* initiativo : quia cum non supponat motum, sed illum respiciat ut futurum, nequit influere cum subordinatione ad ipsum, sive ut aliquid derivatum a motu. Ob quas rationes impossibile reputamus, quod sacramenta influant sacramentaliter in primo instanti illorum initiativo. An autem implicet, quod illud primum mutatum esse assumatur alias ad influendum physice in aliquem effectum ; quæstio est longe diversa, et ad rem præsentem non faciens. Qui autem tenuerit id non implicare, haud facile convincetur falsitatis, seque proteget exemplo ultimi mutati esse, quod de facto elevatur, et physice influit, ut hactenus diximus. Id autem, quod in eodem argumento additur, facile diluitur negando sequelam, quam inserta probatio minime evincit : quoniam sacramenta in illo instanti, in quo secundum partes motus non sunt, habent aliquomodo, nempe inadæquate, existere per ultimum mutatum esse, sive terminativum intrinsecum, ad quod oportet, quod ipsa immediate prius præcesserint : aliter enim non possunt per illud ultimum mutatum esse intrinsece terminari. Sed sacramenta, quæ per horam, aut aliud spatium præcesserunt, non habent nunc de præsenti aliquod mutatum esse sui terminativum : unde quantum est ex vi præcedentiæ, nequeunt nunc physice influere. Et diximus : *Quantum ex vi etc.* : nam si talia sacramenta alias reliquerunt aliquam sui virtutem, aut effectum, poterunt fortasse per talia media physice postea causare, ut dub. seq. videbimus.

Ex quibus ad confirmationem respondetur negando sequelam. Et ad probationem admittimus casum esse possibilem. Sed in eo sacramentum non produceret gratiam. Tum quia sacramenta non causant, nisi per ultimum mutatum esse sibi intrinsecum, ut hactenus diximus : in eo autem eventu sacramentum non haberet ultimum mutatum esse intrinsecum ob carentiam, sive destructionem subjecti : quippe homo, in quo sacramentum recipiebatur, in eo instanti desineret esse. Tum etiam quia non adesset completa, et perfecta significatio sacramentalis, quæ in eo instanti habitura erat suam ultimam determinationem, illamque minime consequeretur ob destructionem subjecti. Tum denique quia subjectum recipiens gratiam sacramentalem est homo in statu vitæ mortalis : sed in eo instanti nec esset homo, nec existeret in carne mortali, ut supponitur, cum dicitur illud esse instans mortis, et separationis animæ a corpore : quare sacramentum in tali casu impediretur per accidens producere effectum suum. Et observandum est hanc, et similes difficultates habere etiam locum apud eos, qui sentiunt sacramenta nostra solum moraliter influere : nam licet id asserant, communiter tamen docent (et quidem debent), sacramenta, ut mora- Occurritur confirmationi. Nota.

liter influant, debere habere significationem determinatam, et completam : quod nunquam habent usque ad ultimum instans, in quo motus vel applicationis materiæ, vel prolationis formæ tandem absolvitur. Ex dictis autem in hoc dubio magis constat legitima intelligentia responsionis, quam adhibuimus confirmationi num. 72 propositæ.

DUBIUM VI.

Utrum sacramenta nostra cum fictione suscepta, ea recedente causent gratiam?

Explicatur titulus Prado. Plures modos fictionis contingentes in susceptione sacramentorum refert Prado infra quæst. 69, dub. 4, sed duo sunt præcipui, et ad rem præsentem facientes, quos insinuavit D. Thom. quæst. cit. art. 9, illis verbis : « Dicitur aliquis fictus per hoc, quod « voluntas ejus contradicit vel baptismo, « vel ejus effectui. » Nam significat S. Doctor fictionem, obicem, aut impedimentum posse contingere vel respectu ipsius sacramenti, vel respectu præcise effectus sacramentalis. Respectu sacramenti contingit, quando suscipiens non habet requisita essentialia ad sacramenti valorem, ut si quis susciperet baptismum non ex intentione profitendi religionem Christianam, sed potius ex intentione contraria irridendi. Respectu autem effectus sacramentalis accidit fictio, quando adsunt requisita ad valorem sacramenti ; desunt tamen necessaria ad illius effectum, nempe gratiam, quia conservatur v. g. effectus actualis ad peccatum grave, cum quo gratia conjungi non potest, atque subinde impeditur. Præsens ergo difficultas locum non habet in priori casu : nam cum nullum a principio fuerit sacramentum ; vane inquireretur de illius pro eo, vel alio tempore effectu. Habet autem locum in casu secundo ob oppositam rationem : quoniam sacramentum validum in se fuit, sed effectum non produxit propter indispositionem subjecti ad effectum suscipiendum : quare merito dubitatur, utrum excluso eo impedimento, fictione, aut obice, et adhibita dispositione, quæ tunc sufficeret, sacramentum causet suum effectum, nempe gratiam. Deinde nota ex dicendis disp. sequenti aliqua sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimere characterem, qui est aliquid reale, in homine intrinsece receptum, pertinensque ad genus qualitatis. Reliqua autem sacramenta characterem non imprimunt, nec similem effectum habent. His præmissis.

(Margin notes: D Thom. — Nota.)

§ I.

Proponitur prima conclusio quoad aliqua sacramenta.

86. Dicendum est primo omnia sacramenta imprimentia characterem, si cum fictione suscipiantur, ea recedente, causare gratiam. Sic docet Div. Thom. in locis statim referendis : nam licet in illis peculiariter agat de baptismo, nihilominus eo motivo utitur, quod militat etiam in aliis characterem imprimentibus. Ergo in 4, dist. 4, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. 5, inquit : « In Baptismo imprimitur character, « qui est immediata causa disponens ad « gratiam. Et ideo cum fictio non auferat « characterem, (*est enim qualitas indelebi-« lis, et peccato conjungibilis*), recedente « fictione, quæ effectum characteris impe-« dit, character, qui est præsens in anima, « incipit habere effectum suum. Et ita bap-« tismus recedente fictione effectum suum « consequitur. » Et in hac 3 part. quæst. 69, art. 10 ait: « Quando aliquis baptizatur « accipit characterem quasi formam, et « consequitur proprium effectum, qui est « gratia remittens omnia peccata. Impedi-« tur autem quandoque per fictionem. Unde « oportet, quod remota ea per pœnitentiam, « baptismus statim consequatur suum effec-« tum. » In quibus locis manifestum est S. Doctorem ea ratione probare baptismum recedente fictione efficere, aut consequi suum effectum, quia impressit characterem a principio : quæ ratio etiam occurrit in aliis sacramentis imprimentibus characterem. Unde nostram asssertionem ex Thomistis docent Paludanus in 4, dist. 4, quæst. 5, Sylvester verb. *Baptismus* 4, quæst. 17, Sylvius infra quæst. 69, art. 10, Cano *in relect. de pœnitentia*, part. 5, ad 1. Idem etiam tuentur Richardus in 4, dist. 4, art. 1, quæst. 2 ad 2, Major ibi quæst. 4, Gabriel dist. 17, quæst. 1, artic. 3, Granados *de Eucharistia* tract. 9, disp. 7, num. 14, Covarruvias in cap. *Alma mater*, part. 1, § 4, n. 13. Et idem a fortiori defendunt plures alii, quos num. 102 referemus.

Probatur

ıda- ıum. 87. Probatur primo auctoritate simul, et ratione, quas possumus ad hanc formam revocare : nam sacramentum Baptismi ficte susceptum causat suum effectum, nempe gratiam, recedente fictione : ergo idem dicendum est de aliis duobus sacramentis, nempe Confirmatione, et Ordine, imprimentibus characterem. Consequentia patet a paritate, quam infra magis expendemus. Antecedens autem est expressa assertio Div. Augustini lib. 1, *de baptismo* cap. 12, ubi ait : « In illo, qui fictus accesserat, fit, ut « non denuo baptizetur, sed ipsa pia correc- « tione, et vera confessione purgetur, quod « non posset sine baptismo : sed ut quod « ante datum est, tunc valere incipiat ad « salutem, cum illa fictio veraci confessione « recesserit. » Et lib. 3, cap. 13, inquit : « Tunc incipit valere idem baptismus ad « dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pa- « cem venerit : non ut jam dimissa non « retineantur, neque ut ille baptismus quasi « alienus (*agit de baptismo schismaticorum*) « aut alius improbetur, et alter tradatur : « sed ut idem ipse, qui propter discordiam « foris operabatur mortem, propter pacem « intus operetur salutem. » Et lib. 6, cap. 5, subdit : « Et ideo si ab illa perversitate, « et a separatione conversus venerit ad ca « tholicam pacem ; sub eodem baptismate, « quod acceperat, ejus peccata propter sa- « crilegium divisionis. Quia illud et in « homine justo, et in homine injusto sem- « per sanctum est : quod neque æquitate « alicujus augetur, neque alicujus iniquitate « minuitur. » Ergo ex sententia tanti Doctoris baptismus ficte receptus, ubi recedit fictio, causat suum effectum, nempe gratiam, salutem, et remissionem peccatorum.

quij pon- o. Nec ulla ratione audiri debet, nec sustineri potest Vazquez disput. 159, cap. 4, a nu. 47, ubi conatur mentem Div. Augustini eludere, quasi noluerit asserere, nec asseruerit baptismum præteritum causare gratiam ; sed solum intenderit, quod talis baptismus prosit ad salutem : hoc autem ultimum salvatur, quamvis in eo eventu gratiam non efficiat. Tum quia licet ficte susceptus, sufficiens tamen est ad adimplendum divinum præceptum de ipso suscipiendo : unde eo supposito non obligantur homines, nec possunt alium baptismum suscipere. Tum quia etsi ficte susceptus potentiam tamen passivam præstat ad suscipiendum alia sacramenta, quæ conferunt ad salutem. Tum denique quia licet gratiam postea non efficiat, potest nihilominus esse conditio ad gratiæ productionem. His itaque, et aliis motivis potuit D. Augustinus dicere priorem baptismum prodesse ad salutem ; quamvis recedente fictione non causet gratiam.

Hæc, inquam, interpretatio refellenda omnino est. Primo, quia pervertit sententiam S. Doctoris : ipse namque diserte asserit baptismum, recedente fictione pari modo prodesse, ac profuisset a principio, si non esset impeditum : manifestum autem est, quod a principio profuisset, non præcise ut conditio, aut secundum alias rationes, quas comminiscitur Vazquez ; sed profuisset plane per veram causalitatem producendi gratiam, conferendi salutem, et remittendi peccatum originale, cæteraque ante ipsum commissa : hoc igitur modo post ablatam fictionem prodest baptismus ex sententia Div. Augustini. Et hanc vim habent illa ejus verba ex cap. 12, lib. 1: « Ut ad remissionem peccatorum pro- « desse incipiat sacramentum, quod accep- « tum in schismate prodesse non poterat.» Ex cap. 13. lib. 3 : « Ut idem baptismus, « qui propter discordiam foris operabatur « mortem, propter pacem intus operetur « salutem. » Et ex cap. 5 lib. 6: « Baptisma « et in homine justo, et in homine injusto « semper sanctum est, quod neque æquitate « alicujus augetur, neque alicujus iniqui- « tate minuitur. » Quibus denotat baptismum semel susceptum habere, quantum est de se efficaciam, quæ nulla suscipientis malitia subruatur, ne ablata fictione, possit proprium effectum inducere. Secundo, quia plane arrogans, et non minus ridiculum esset dicere Vazquium melius intellexisse sententiam Div. Augustini præ cæteris omnibus Doctoribus, Scholasticis, et Theologis. At omnes isti intellexerunt Div. Augustinum asseruisse, quod baptismus ficte susceptus, recedente fictione, causat suum effectum, nempe gratiam, ut constat ex Angelico Doctore infra quæst. 69, artic. 10, et ex Magistro in 4, distinct. 4, Div. Bonavent. ibidem part. 1, artic. 2, quæst. 3, Alensi part. 4, quæst. 8, membro 7, artic. 2. Suario disput. 28, sect. 4, et aliis communiter apud Aversam quæst. 69, sect. 2 : « Quorum, inquit ille, præcipuum « fundamentum est auctoritas D. Augus- « tini. » Et Sotus in 4, dist. 6, quæst. 1,

Everti- tur. D. Tho. Magist. D. Bona. Alensis. Suarez. Aversa. Soto.

artic. 8, § *Conclusio*, affirmat « hanc esse « certam, et communem Theologorum sen« tentiam. » Joannes a S. Thom. disput. 24, artic. 1, dub. 6, in principio, ait : « De « baptismo fere certum est apud omnes, « quod recedente fictione causet suum effec« tum : est enim hæc expressa sententia D. « Augustini etc. » Quin Arauxo in præs. dub. 5, num. 6, asserit hanc doctrinam « esse adeo certam, ut oppositum sine te« meritatis nota non possit defendi, eo quod « est expressa sententia Augustini lib. 1, « de baptismo, cap. 12, et lib. 3, cap. 13. « Quæ refertur, et approbatur in Decreto, « de consecratione, dist. 4, cap. Tunc va« lere, cui omnes Theologi suffragantur. » Et Petrus de Soto lect. 4, de baptismo circa finem de hac sententia agens testatur : « Quam piam quidem, et dignam Dei mi« sericordia sententiam tota Ecclesia se« quitur. » Idque ita affirmat Venerabilis hic Pater, non quia Ecclesia hactenus illam in aliquo generali Concilio diffinierit : sed quia sit in Ecclesia communiter recepta inter Doctores. Unde oppositam Vazquii circa mentem D. Augustini cogitationem percellunt vel ejus socii. Videantur Coninckus quæst. 62, art. 1, dub. 5, et Lugo disp. 9 sect. 3.

Joann. a S.Thom. — Arauxo. — Petrus de Soto. — Coninck. Lugo.

Ratio D. Thomæ.

88. Deinde probatur idem antecedens ratione D. Thomæ in locis supra relatis : quoniam sacramentum Baptismi susceptum a principio valide, licet cum fictione, aut oppositione ad infusionem gratiæ, habet ex una parte esse opus Dei, aptumque de sua institutione ad producendum gratiam : habet etiam ex alia parte permanere in rerum natura saltem virtualiter in suo termino quoad executionem primario, nempe in charactere : ergo sacramentum Baptismi, sublato fictionis impedimento, causat suum effectum, nempe gratiam. Probatur consequentia : nam causa de se inducens aliquem effectum, sicut a principio non impedita illum inducit, ita etiam si impediatur a principio, ubi manet, et ab illo obstaculo expeditur, inducit prædictum effectum. Unde D. Thom. loco cit. ex quæst. 69, inquit : « Cum aliquid generatur, simul « cum forma recipit effectum formæ, nisi « sit aliquid impediens, quo remoto forma « rei generatæ perficit suum effectum : si« mul cum corpus grave generatur, mo« vetur deorsum. Et similiter quando ali« quis baptizatur, accipit characterem quasi « formam, et consequitur proprium effec« tum, qui est gratia remittens omnia pec« cata. Impeditur autem quandoque per « fictionem. Unde oportet, quod remota « ea per pœnitentiam, baptismus statim « consequatur suum effectum. In quibus observant communiter Expositores D. Thomæ post Cajetanum, quod S. Doctor non vocat characterem absolute formam, sed *quasi formam :* quia in rigore non est forma, nec recipitur immediate in substantia animæ, nec est radix vel gratiæ, vel aliorum donorum supernaturalium. Est tamen quasi forma ob analogiam ad naturalia : quia sicut in naturalibus posita forma, et non occurrente aliquo impedimento, ponuntur etiam alia formam consequentia, sive sint proprietates, sive motus ad propria loca : sic etiam in his supernaturalibus ex Dei providentia statutum est, quod posito charactere per sacramentum Baptismi, et non occurrente aliquo impedimento, ponantur etiam gratia sanctificans, remissio omnium peccatorum, et alia, quæ prædictam gratiam comitantur. Qua similitudine, sive analogia præsupposita, optime colligitur consequentia ad rem præsentem spectans, nempe quod sicut in naturalibus quando in productione formæ occurrit aliquod impedimentum, ne proprietates, aut motus formæ tunc sequantur ; ubi postea tollitur impedimentum, statim illa consequuntur virtute prioris generationis, quæ in forma tanquam in termino perseverabat, et ablato obstaculo ad illos effectus sese extendit, ut patet in motu gravium ad centrum : ita in his supernaturalibus, quando in productione characteris baptismalis occurrit obex, seu fictio impediens, ne gratia, et alia dona tunc fiant : ubi postea aufertur illud obstaculum, statim illa producuntur virtute baptismi, qui in charactere tanquam in termino primario executionis, et *quasi forma* virtualiter permanebat, et qui subinde, excusso impedimento, extendit ad eos effectus suam causalitatem.

Co... ma...

Confirmatur, et declaratur amplius: quia videmus plures effectus produci a causa, quæ non existit in se formaliter, si perseveret virtualiter in aliquo termino : sed licet sacramentum Baptismi quod a principio ob occurrentiam impedimenti non produxit gratiam, non maneat in se formaliter, nihilominus perseverat virtualiter in charactere

charactere tanquam in effectu, et termino quantum ad executionem primario : ergo sublato impedimenti obice, potest baptismus suum effectum producere, nempe gratiam regenerantem ; ita ut hæc vere fiat ex virtute sacramenti Baptismi, et conferatur ex opere operato. Consequentia patet a paritate. Et major, in qua poterat esse difficultas, constat exemplis : primo motus projectorum, quæ tandiu moventur a projiciente, quandiu durat ejus vis, aut impulsus, licet projiciens in se defecerit : quia scilicet manet virtualiter in impulsu projicientis impresso. Secundo generationis prolis, ad quam vere concurrit generans, licet tempore generationis sit mortuus, quia scilicet adhuc manet virtualiter in semine, quod reliquit. Tertio ipsorum (quod magis facit ad præsentem considerationem) sacramentorum : etenim in momento, in quo producitur gratia sacramentalis, non sunt formaliter sacramenta in se ipsis ; sed potius in eo instanti habent primum suum *non esse ;* et tamen quia in prædicto momento existunt virtualiter in aliquo sui, nempe in ultimo indivisibili terminativo, quod est *mutatum esse*, ideo possunt influere in gratiam tunc productam, sicut dub. præcedent. explicuimus. Ut igitur aliquis effectus vere procedat ab aliqua causa, et fiat virtute illius ; non requiritur, quod causa existat formaliter in se ipsa, sed sufficit, si vel existat virtualiter in aliquo sui termino, aut effectu. Quare cum sacramentum Baptismi maneat virtualiter in charactere, potest influere in eam gratiam, quam a principio produxisset, si non adesset impedimentum : eo namque excluso nulla est repugnantia, nullaque ratio, ob quam ad eum effectum se non extendat.

ex-
tio.

89. Juxta quam doctrinam excluditur duplex objectio. Alia Vazquii loco citat. numer. 42, nempe quod si res ita contingeret, et Deus charactere uteretur ad producendum gratiam; non baptismus præcedens, sed character ipse produceret instrumentaliter gratiam : id vero minime salvat propositam a nobis assertionem. Alia Arauxi in præs. dub. 5, numer. 64, scilicet quod licet character sit operativus in alieno subjecto, non tamen in subjecto, cui inest : ergo nulla ratione potest dici, quod character baptismi concurrat active ad gratiam : atque ideo nec quod concurrat sacramentum Baptismi ut manens virtualiter in charactere. Utraque, inquam, objectio dispellitur. Prima, quia ut proxime vidimus, quando semen, mortuo generante, concurrit ad generationem, non solum semen generat, si ita loqui possumus ; sed quod principaliter, et magis proprie generat, est generans, quod semen relinquit, atque in eo virtualiter manet, et agit. Et simili ratione licet transacto in se baptismo, character elevetur, applicetur, et producat gratiam ; tamen non solum agit character, sed etiam et multo magis sacramentum baptismi ad illum effectum de se ordinatum, quod licet non maneat formaliter in se, perseverat tamen virtualiter in charactere : hic namque in gratiam non influit, nisi ut effectus, et virtus baptismi, et quatenus eidem tanquam instrumento ordinato præcipue ad illum effectum subordinatur : sicut semen se habet respectu generantis. Secunda, quoniam falsum est characterem non posse habere aliquam operationem in proprio subjecto, ut patet in charactere Confirmationis, qui habet specialem influentiam in actus fidei, et ejus confessionem. Deinde quia non est idem subjectum characteris baptismalis, et gratiæ baptismalis : ille enim recipitur immediate in potentia, hæc vero recipitur in substantia animæ : unde optime fieri potest, quod character per subordinationem ad baptismum, et tanquam coinstrumentum Dei cum subordinatione ad illud producat gratiam. Et nimium quid esset constituere circa hoc ullam implicationem. Convel-litur.

90. Omittimus nunc expendere alia ad suadendum propositum antecedens motiva : tum quia istud est sufficiens ad præsentem considerationem : tum quia specialiter proponitur a Div. Thom. locis relatis : tum quia importat principium universalius, ut statim expendemus, proceditque cum majori conformitate ad doctrinam in præcedentibus traditam de causalitate physica nostrorum sacramentorum. Qui autem voluerit plures, aut diversas rationes, consulat Auctores num. 86 relatos, et N. Franciscum tract. 1, cap. 5, punct. 5. Nobis namque nulla apparet congruentior ad salvandum propositam assertionem, quæ præcipue innititur institutioni, seu voluntati Dei manifestatæ in auctoritate D. Augustini, et in communi post ipsum Scholasticorum, et Theologorum consensu. Nota. N. Franc.

Porro supposita veritate illius antece-

Extensio doctrinæ. dentis numer. 87 propositi, facile est promovere consequentiam, nempe idem dicendum esse de aliis sacramentis imprimentibus characterem : atque ideo sacramenta Ordinis, et Confirmationis causare gratiam, recedente fictione. Nam ideo sacramentum Baptismi, potest recedente fictione illam causare, et de facto causat ; quia a principio imprimit characterem, in quo virtualiter et tanquam in semine manet, ut possit, sublato impedimento, influere, atque ad proprium effectum se extendere : sed hoc motivum etiam militat in aliis sacramentis imprimentibus characterem ; ergo asserendum est, quod si talia sacramenta suscipiantur cum fictione, ubi hæc tollitur, causant gratiam sibi correspondentem. Minor constat : quia talia sacramenta a principio produxerunt characterem ; et nulla est ratio, quare baptismus maneat in suo charactere sicut in semine, ut influat, excluso obice ; et Ordo, atque Confirmatio non maneant similiter in suis characteribus tanquam in semine ad influendum, exclusa fictione ; ergo motivum militans in baptismo militat etiam in aliis sacramentis imprimentibus characterem. Accedit etiam congruentissimum fuisse, quod Deus disposuerit sacramentum Baptismi, recedente fictione, causare suum effectum, quia tale sacramentum nequit iterari : unde si recedente fictione non causaret gratiam sibi correspondentem ; et baptismus fraudaretur in perpetuum effectu suo, et baptizatus nullo modo posset consequi gratiam talis sacramenti : quæ apparent dura, et contra finem institutionis baptismi. Hoc autem inconveniens etiam occurrit in aliis sacramentis imprimentibus characterem : sunt enim, sicut baptismus, initerabilia : quare cum a principio, occurrente fictione, non producant suam specialem gratiam ; si ulterius, fictione recedente, illam non efficerent, fieret et ipsa defraudari simpliciter suo effectu, et hominem privari in æternum illorum fructu. Oportet igitur admittere universali ratione, quod omnia sacramenta imprimentia characterem, ubi fictio

Nota. recedit, gratiam efficiunt. Et observet lector discursum a nobis præmissum minime inniti majori, vel minori perfectioni istius, aut illius sacramenti, sed tantum radici jam assignatæ, nempe impressioni characteris, in quo virtualiter sacramenta perseverant : oportet enim opus Dei (si semel manet), consequi, amotis impedimentis, effectum : manent autem vere sacramenta, quandiu virtualiter manent, ut ex terminis liquet.

§ II.

Alia assertio statuitur quoad reliqua sacramenta.

91. Dicendum est secundo sacramenta non imprimentia characterem, si cum fictione suscipiantur, ea recedente, non causare gratiam. Ita aperte sentire videtur D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 3, artic. 2, quæstiunc. 3, ubi statuit baptismum recedente fictione, causare gratiam ut constat ex verbis relatis numer. 86. Sed contra prædictam resolutionem opponit : « Sicut aliquis ficte accedit ad baptismum, ita etiam ad Eucharistiam : sed recedente fictione, Eucharistiæ effectum non recipit, qui prius fictus accesserat : ergo nec etiam recedente fictione, aliquis baptismi effectum percipit.» Et respondet : « Ad tertium dicendum, quod in Eucharistia non imprimitur character, cujus virtute possit aliquis virtutem sacramenti percipere fictione recedente : et ideo non est simile.» Ubi duo sunt manifesta, nempe D. Thom. negare, quod Eucharistia causet recedente fictione, et similiter D Thom. ideo id negare, quia in Eucharistia non imprimitur character. Cum igitur idem omnino motivum occurrat in omnibus aliis sacramentis non imprimentibus characterem ; consequens est, quod juxta S. Doctoris sententiam sacramenta, quæ non imprimunt characterem, non causant gratiam. Quam sententiam amplectuntur omnes Auctores relati numer. 86, et a fortiori, quos dabimus num. 97. Et posset in primis nostra assertio probari ab auctoritate negativa, sufficientis tamen efficaciæ pro qualitate materiæ : etenim quod sacramenta, recedente fictione, causent gratiæ, dependet ex dispositione Dei, qui nobis innotescere solet per doctrinam Scripturæ, vel Conciliorum, vel Patrum, atque Doctorum : nihil autem ab eis locis derivare possumus, quod significet sacramenta non imprimentia characterem, recedente fictione, causare gratiam : ergo sine fundamento attribueretur illis talis causalitas. Unde obiter constat disparitas inter hæc sacramenta, et alia, de quibus egimus § præced. nam quod baptismus

tismus causet gratiam, recedente fictione, est evidens assertio S. Augustini, subscribentibus Scholasticis, et Theologis: inde autem producto argumento efficaciter colligitur idem dicendum esse de aliis sacramentis imprimentibus characterem, ob identitatem rationis, ut nu. præced. expendimus. Sed talis paritas non habet locum in sacramentis non imprimentibus characterem, ut ex se liquet.

Fundamentum. Ratio autem fundamentalis, qua convincimur, est: quoniam sacramentum, quod nullo modo existit, vel formaliter, vel virtualiter, id est, nec in se, nec in aliquo effectu, aut virtute, nequit causare gratiam: sed sacramenta non imprimentia characterem, et cum fictione suscepta, quando tollitur fictio, nullo modo existunt formaliter, aut virtualiter: ergo prædicta sacramenta, recedente fictione, non causant gratiam. Major constat: quia influxus sacramenti est influxus per modum instrumenti divinæ virtutis: sed impossibile est illud, quod nullo modo existit, moveri, et influere per modum instrumenti divinæ virtutis: ergo sacramentum, quod nullo modo formaliter, aut virtualiter existit, nequit causare gratiam. Minor etiam liquet: quoniam nulla sacramenta, quando aufertur fictio, manent formaliter in se ipsis, sed fuerunt de præterito: deinde sacramenta non imprimentia characterem, nihil reliquerunt, in quo virtualiter perseverent: ergo sacramenta non imprimentia characterem, quando tollitur fictio, nullo modo existunt formaliter, aut virtualiter; sed perinde se habent ad esse de præsenti, ac si nunquam fuissent.

Evasio. 92. Nec satisfacit, si dicatur majorem esse falsam: quia instrumenta divinæ virtutis, qualia sunt sacramenta, possunt influere in duratione, in qua non existunt, ob subordinationem ad prædictam virtutem, quæ in omni tempore est. Quemadmodum enim naturaliter loquendo agens debet esse præsens passo, et effectui secundum tempus, sic etiam debet esse eisdem præsens, aut indistans secundum locum. Et tamen videmus instrumenta divinæ virtutis posse agere in rem distantem; quia agunt ut subordinata prædictæ virtuti, quæ est indistans a passo. Pari ergo ratione prædicta instrumenta possunt agere effectum quamvis eidem non coexistant in duratione: sufficit enim virtutem principalem Dei esse illi coexistentem. Atque ideo ex eo, quod sacramenta sint physice præterita, et nullo modo existant, quando tollitur fictio, minime sequitur ea non posse tunc influere tanquam instrumenta divinæ virtutis.

Id, inquam, minime satisfacit, sed a nobis jam rejectum est supra num. 49, et communiter ab omnibus rejicitur. Tum quia res ita præterita, quæ nullo modo de præsenti existit formaliter, aut virtualiter, perinde se habet ac res, quæ nunc nullo modo est, licet sit aliquando futura: sed implicat rem, quæ nondum est, sed aliquando erit, agere de præsenti, sicut implicat, quod in aliqua re prius sit causare, quam esse; cum esse sit longe intimius, quam causare: ergo res ita præterita, quæ nullo modo de præsenti existit, nequit in præsenti causare: cum igitur sacramenta non imprimentia characterem, quando tollitur fictio, nullo modo existant, ut ostendimus, et hæc responsio supponit; sequitur, quod talia sacramenta non causent. Tum etiam, quia ut talia sacramenta causarent tanquam instrumenta subordinata divinæ virtuti, sicut responsio intendit, opus erat, quod sacramenta elevarentur, et moverentur a tali virtute: sic enim comparantur, quæ influunt ut instrumenta illius, et aliter nequit influxus ullus instrumentarius salvari: atqui prædicta sacramenta non agunt ut elevata, et mota a virtute divina: siquidem talem elevationem, et motionem non receperunt, quando primo extiterunt, cum tunc non influxerint ob impedimentum fictionis; et rursus nec elevationem, et motionem recipiunt, quando tollitur fictio; cum tunc sint actu nihil, et recipere non valeant: ergo prædicta sacramenta nequeunt, recedente fictione, influere tanquam instrumenta divinæ virtutis. Exemplum autem de distantia secundum locum nihil evincit circa distantiam secundum durationem: quia res distans secundum locum, existens tamen in se, est capax recipiendi elevationem, et motionem divinam, ut per subordinationem ad ipsam agat in rem similiter distantem. Sed quod nullo modo de præsenti existit, est actu nihil, atque ideo incapax recipiendi ullam elevationem, aut motionem realem, ut agat: unde repugnat, quod vel virtute propria, vel virtute principalis agentis vere causet. Quamvis ergo

coexistentia secundum locum, et coexistentia secundum tempus non sint ratio agendi, sed conditio; tamen interest discriminis, quod existentia, sive indistantia secundum locum est solum conditio naturalis, id est, requisita ad connaturaliter agendum: sed coexistentia secundum tempus est conditio essentialis ob rationem jam assignatam: nam quod actu non existit, est actu nihil, et nihil agere valet. Videatur Gonet disp. 3, num. 79, ubi affirmat doctrinam præmissæ solutionis probabilitate carere.

93. Nec iterum refert, si respondeatur cum Joann. a S. Th. disp. 24, dub, 6, § *Nec dici potest*, et § *Dicimur ergo*, minorem argumenti a nobis propositi esse falsam: quia licet sacramenta non imprimentia characterem nequeunt permanere virtualiter in charactere, utpote quem non imprimunt, ut argumentum recte probat; possunt tamen permanere in aliquo alio physico, nempe in voluntate, qua subjectum sacramenti voluit illud suscipere. Hæc enim voluntas licet physice transierit, reliquit tamen aliquam modificationem, aut determinationem: sicut intentio finis physice transacta reliquit in voluntate aliquam modificationem, ut se possit determinare ad electionem mediorum. Illa ergo determinatio ex intentione suscipiendi sacramentum relicta, cum physice perseveret, continet aliquomodo ipsum sacramentum. Unde sacramentum ut in tali determinatione virtualiter perseverans potest realiter causare gratiam, ubi obex fictionis excluditur. Potestque responsio confirmari exemplo passionis, et resurrectionis Christi: quæ licet physice formaliter transierint, quia tamen manent virtualiter in humanitate ut determinata per illas, influunt realiter de præsenti in nostram gratiam, ut diximus tract. præced. disp. 23, dub. 4, num. 41, et docent communiter Thomistæ.

Hæc, inquam, responsio non satisfacit. Quia minime salvari, aut explicari valet, quod sacramenta non imprimentia characterem, et ficte suscepta relinquant aliquid intrinsecum, in quo ipsa virtualiter perseverent, et ratione cujus dicantur postea realiter agere. Nam in primis non relinquunt characterem, ut supponitur. Deinde illa determinatio voluntatis ad suscipiendum sacramentum non solet imprimere aliquem modum, aut determinationem: neque ut id generaliter asseramus, habemus ullum solidum fundamentum. Gratis autem admisso, quod illa determinatio aliquid efficeret; tamen illud esset per modum dispositionis, et facile evanesceret: non enim oportet, ut hoc intrinsecum ex illa determinatione relictum maneat semper, aut longo tempore, ut liquet ipso exemplo in contrarium allato: nam licet intentio finis relinquat aliquam determinationem, in eaque virtualiter perseveret, ut voluntas se postea moveat ad electionem mediorum; nihilominus talis determinatio habet certum durationis spatium, quamvis illud signate demonstrare non possimus: non enim est verosimile intentionem, quæ circa peculiarem materiam præcessit per viginti annos, et repetita non fuit, durare nunc realiter, et influere realiter in aliquos actus de præsenti. Cum igitur sæpe contingat impedimentum fictionis removeri post plures annos a sacramenti susceptione; non apparet verosimile, quod voluntas, quæ per plures annos præcessit, reliquerit determinationem, aut modificationem realem durantem usque ad tempus præsens: sed talis determinationis duratio per tam longum tempus commentitia plane videtur.

At, quod caput est, demus Adversariis dari talem determinationem, et permanere usque ad tempus, in quo fictio removetur. Nihil tamen inde conficitur, quod vim propositi fundamenti vel ex parte diruat: quoniam talis determinatio nec est pars sacramenti, nec se tenet ex parte sacramenti, nec est effectus illius. Unde quod illa determinatio utcumque maneat, minime sufficit ad hoc, ut sacramentum ficte susceptum in ea virtualiter perseverare dicatur: sed perinde se habet illa determinatio, ac plura alia, quæ nec sunt sacramentum, nec ejus effectus, aut virtus. Quare licet Deus elevaret, et assumeret eam determinationem ad producendum instrumentaliter gratiam, (quod forte non repugnat), minime tamen id sufficeret, ut præteritum sacramentum vere diceretur in gratiam influere: quippe talis determinatio non est aliquid sacramenti, in quo ipsum virtualiter maneat. Oppositum autem contingit in charactere; quia cum aliquorum sacramentorum effectus realis sit, et omnis causa permaneat virtualiter in suo effectu; merito dicimus sacramenta imprimentia characterem, licet ficte suscepta, et formaliter transacta, perseverare

Major impugnatio.

perseverare virtualiter in charactere, idque sufficere, ut recedente fictione, vere, et realiter influant, ut § præced. explicuimus. Per quod etiam excluditur exemplum illud passionis, et resurrectionis : nam passio manet virtualiter in sacris stigmatibus tanquam in effectu, quem induxit, et resurrectio similiter manet etiam virtualiter in humanitate, quæ fuit ejus terminus : quare cum humanitas sit præsens, et influat instrumentaliter in gratiam nostram ; summo etiam jure dicitur, quod passio, et resurrectio ad prædictam gratiam instrumentaliter concurrunt, juxta dicta loco cit. Nihil autem horum occurrit in determinatione voluntatis, quam responsio repræsentat: quia talis determinatio non se tenet ex parte sacramenti, nec est effectus illius. Quare sive perseveret, aut non et sive postea influat, aut non : nihil horum conducit, ut sacramentum ficte susceptum perseveret virtualiter, atque realiter influat.

Tertia responsio. 94. Nec tandem refert, si cum Junioribus respondeatur præmissum a nobis discursum probare quidem, quod sacramenta ficte suscepta non permaneant deinceps physice formaliter, aut virtualiter: et per consequens, quod sublata fictione non causent gratiam ut instrumenta physica ; idque ipsi ultro concedunt : sed non probare, quod prædicta sacramenta non permaneant moraliter, et quod non possint causare gratiam tanquam instrumenta moralia ; quæ est illorum doctrina. Quare omnibus a nobis in hoc § præmissis utuntur, ut suam sententiam magis confirment : quoniam sacramenta, sublata fictione, eodem modo causant, ac influxissent a principio, si impedimentum fictionis non esset : sed sacramenta (saltem non imprimentia characterem) sublata fictione non causant gratiam physice, sed moraliter : ergo non physice, sed moraliter influunt a principio, et per se loquendo, quando fictionis impedimentum non adest.

Diruitur. Non, inquam, refert hæc evasio, et doctrina illi coadjuncta ; quamvis ea convincantur Cabrera, Arauxo, Serra, Coquetius, Suarez, Valentia, et alii ex assertoribus causalitatis physicæ sacramentorum, ut eidem succumbant, et concedant sacramenta, de quibus agimus, recedente fictione, non causare physice, sed moraliter : quamvis per se loquendo physice influant : quia quod præcesserit fictio, et quod illa postea sublata sacramenta causent, est casus per accidens. Quæ responsio est probabilis. Sed nihilominus tam ipsa, quam Juniorum evasio refellitur : quoniam cum agimus, an sacramenta, recedente fictione, causent gratiam ; loquimur de causalitate vera, et propria : vanum quippe foret disputare de causalitate metaphorica, et secundum quid ; sed sacramenta nequeunt causare moraliter causalitate, quæ sit vera, et propria ut dub. 2 ostendimus : quare a principio, et sine fictione suscepta non causant moraliter, sed solum physice : ergo dici non potest, quod sacramenta, recedente fictione, causant moraliter gratiam.

Co m Confirmatur primo : quia quando sacramenta nostra, recedente fictione, dicuntur causare, ille modus causalitatis eis attribuitur, qui est proprius sacramentorum legis gratiæ, et in quo distinguuntur a sacramentis legis antiquæ : atqui nulla causalitas moralis potest attribui sacramentis nostris, quæ sacramentis antiquis communis non fuerit : ergo dici non debet, quod sacramenta nostra, recedente fictione, causant moraliter : et consequenter fateri oportet, quod sacramenta non imprimentia characterem, quando recedit fictio, non causant gratiam, vel quod illam causant physice : et hoc ultimum tam a nobis, quam a Junioribus improbatur. Utraque consequentia patet. Et major videtur manifesta : quoniam sacramenta nostra, si semel causant recedente fictione, causant utique modo proprio, ut sacramenta novæ legis sunt : ergo causare debent illo modo, per quem distinguantur a sacramentis legis antiquæ, illaque excedant. Minor ostenditur ex dictis loco citato : quoniam sacramenta nostra nullum concursum moralem habent, nisi ad summum per modum signi repræsentantis, vel promissionem divinam de danda gratia, vel meritum Christi, ob cujus intuitu datur. Quippe manifestum est prædicta sacramenta in se ipsis non esse formaliter meritum, impetrationem, promissionem, aut quid simile : sed esse res materiales, et inanimes. Sed sacramenta antiqua etiam concurrebant ad productionem gratiæ in eorum applicatione productæ, tanquam signa repræsentantia Deo promissionem ipsius de gratia danda, et passionem, et meritum Christi, propter quæ gratia dabatur. Ergo nulla causalitas moralis potest nostris sacramentis vel a princi-

pio, vel recedente fictione, attribui, quæ sacramentis antiquis communis non fuerit. Quæ omnia fusius expendimus loco citato quem oportet lectorem repetere.

95. Quare responsionem illorum Auctorum, quorum proxime meminimus, licet probabilem, minus tamen consequentem censemus. Etenim longe verius est, quod sacramenta nostra eodem modo causant non occurrente, et recedente fictione, ut Juniores respondebant: sed non occurrente fictione causant physice, ut illi Auctores concedunt: ergo recedente fictione, influunt physice; aut e converso, si quando recedit fictio, causant non physice, sed moraliter; pariter quando non occurrit fictio, moraliter, et non physice debent influere. Cætera constant. Major autem probatur: nam quod sacramenta, recedente fictione causent, non habemus ex Scriptura, nec ex Patribus, nisi ex solo Divo Augustino, ut constat ex dictis § 1, nec ipse S. Doctor de alio sacramento id expresse docet, quam de baptismo. Porro ubi de baptismo agit palam significat ipsum eodem modo causare recedente, et non occurrente fictione: ergo nisi inconsequenter agamus, hanc normam, sive regulam tenere universaliter debemus in sacramentis. Verba S. Doctoris jam expendimus num. 87, et sufficiet refricare illas sententias: « Ut idem ipse baptismus, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. » Et rursus: « Illud baptisma et in homine justo, et in homine injusto semper sanctum est, quod neque æquitate alicujus augetur, neque alicujus iniquitate minuitur. »

Accedit sententiam asserentem sacramenta nostra esse instrumenta physica, et influere physice in gratiam non alio urgentiori fundamento probari, quam ex eo, quod Scriptura, Concilia, et Patres significant sacramenta nostra vere, et proprie causare gratiam: et nequeunt ita causare, nisi agant physice, ut expendimus supra dub. 4, § 2. Hoc autem fundamentum plane corruit, si admittitur, quod sacramenta, recedente fictione, causant non physice, sed moraliter. Quoniam vel nihil dicitur; vel conceditur sacramenta, recedente fictione, causare vere, et proprie. Si autem tunc verificatur sacramenta vere, et proprie causare, licet solum influant moraliter: quare non verificabitur etiam a principio, et non occurrente fictione quod vere, et proprie influant, licet solum influant moraliter? Corruit itaque illud fundamentum, ubi recedente fictione admittitur influxus ille moralis sacramentorum. Atque ideo non videmus consequentiam in eis Auctoribus, qui docent sacramenta non occurrente fictione causare physice; et eadem sacramenta recedente fictione causare solum moraliter. Minus autem illam videmus in Thomistis ita se gerentibus, et qui in hac parte labefactant doctrinam Præceptoris. Nam D. Thomas in præs. art. 4, generaliter statuit: D. Tho.
« Ponendo, quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quod in sacramentis sit quædam virtus spiritualis ad inducendum sacramentalem effectum. » Et ad 1: « Nihil prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter etc. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis. » Quæ omnia manifestum est procedere de causa instrumentali physica. Ergo concedendo, quod sacramenta causant recedente fictione, vel ponendum est sacramentum non esse causam instrumentalem gratiæ, quod est destruere propriam rationem sacramentorum novæ legis: vel necesse est ponere, quod sacramenta habent virtutem spiritualem ad inducendum sacramentalem effectum per modum instrumenti physici, ut colligitur ex D. Thom. Recolantur alia ex S. Doctore, quæ expendimus dub. 4, § 1. Resolutio dubii incidentis.

96. Si autem inquiras, an sacramenta non imprimentia characterem, recedente fictione, causent saltem moraliter gratiam in hoc sensu, quod gratia eis correspondens detur tunc licet non per ipsa sacramenta, aut eorum virtute, sed solum ad eorum præsentiam, sicut in usu antiquorum sacramentorum (præscindendo a fictione) contingebat? Respondemus rem incertissimam proponi, et quæ solum dependet ex Dei voluntate, quantum capimus, non revelata. Sed longe probabiliorem censemus responsionem negativam: tum quia positiva assertio nullum habet fundamentum, saltem ab auctoritate. Tum etiam quia si qua gratia daretur, esset sacramentalis, seu participans modum proprium sacramenti: ubi autem sacramenta supponuntur non influere; nulla est ratio, quare producatur gratia sacramentalis. Tum præterea, quia gratia, quæ de facto datur ex opere operato, datur virtute, et causalitate sacramentorum:

rum : sed si qua gratia daretur in tali hypothesi, daretur utique ex opere operato ; siquidem vel nihil dicitur, vel daretur supra dispositionem subjecti : ergo daretur virtute, et causalitate sacramentorum : ergo cum fiat contraria suppositis, nempe sacramenta non influere ; colligendum est oppositum, nempe nullam tunc gratiam dari recedente fictione. Tum denique, quia in eo modo communicandi gratiam nihil elucet modi proprii sacramentorum legis gratiæ : quare de facto admitti non debet. Qui autem judicaverit doctrinam in hoc § traditam esse vel austeram, vel strictam, advertat, et quod nullum periculum ex ea imminet ; et quod alii plures idem docent in ipsis sacramentis imprimentibus characterem. Et quod ad Eucharistiam attinet, communissima sententia est non causare gratiam recedente fictione, nullumque profectum aliquando exhibendum consequi ad communionem sacrilegam.

§ III.

Satisfit argumentis adversantium opinionum.

97. Prima sententia nostræ primæ assertioni contraria negat sacramenta imprimentia characterem, si suscepta fuerint cum fictione, causare, illa recedente, gratiam. Quod de baptismo negant Glossa in cap. *Tunc valere, de consecratione* dist. 4. Scotus in 4, dist. 4, quæst. 5, litt. F. Adrianus quæst. 5, *de confessione* dub. 4, § *Ad rationes adductas*. Et eidem sententiæ aperte favent Joan. de Medina cod. *de confessione* tract. 2, in quæst. *de confessione ficta iteranda*. Vazquez disp. 159, cap. 4. Kelisonus quæst. 69, artic. 10, dub. 2, et Bernal disp. 13, *de sacramentis* sect. 2, num 15. Alii autem concedentes hoc privilegium baptismo, illud in universum negant aliis sacramentis, et etiam imprimentibus characterem. Ita Sotus in 4, dist. 6, quæst 1, art. 8, § *Contra hanc conclusionem*. Vazquez disp. 161. cap. 2, Mæratius *de baptismo* disp. 12, sect. 1. Bernal disp. cit. sect. 1 et 2, et alii. Omnes autem, quamvis habeant inter se differentiam jam assignatam, conveniunt tamen in oppugnando assertionem nostram in ea generalitate, quam statuimus. In quo sensu

Glossa. Scotus. Adrian. Joan. de Medina. Vazq. Kelison. Bernal. Sotus. Mærat.

Primum argumentum. Arguitur primo ; nam ideo Thomistæ communiter negant hanc propositionem, si Adamus non peccaret, adhuc veniret Christus, quia Incarnationis mysterium dependet ex sola Dei voluntate, quæ nobis circa illam hypothesim non constat ex Scriptura, aut alia sufficienti auctoritate : sed quod sacramenta imprimentia characterem causent gratiam recedente fictione dependet etiam ex sola Dei voluntate, de quo nobis certo non constat : ergo asserendum non est sacramenta imprimentia characterem, recedente fictione, causare gratiam. Cætera constant. Et minor quoad secundam partem, in qua sola poterat esse difficultas, ostenditur : quia nullum proferemus Scripturæ, aut Conciliorum locum, in quo dicatur prædicta sacramenta causare gratiam recedente fictione. Locus autem ille celebris Augustini, qui communiter circunfertur, solum loquitur de baptismo : potestque alias probabiliter explicari, quin faveat baptismo in sensu a nobis intento, sicut illum explicat Vazquez, qui licet non audeat recedere a communi sententia, asserit tamen illam non inferri, aut confirmari efficaciter ex assertis D. Augustini.

Confirmatio. Confirmatur : nam si aliquod sacramentum causaret gratiam, recedente fictione : maxime Eucharistia : sed communis Theologorum sententia est Eucharistiam, recedente fictione, non causare gratiam : ergo nullum aliud sacramentum illam causat recedente fictione. Probatur sequela : nam cum causare gratiam, recedente fictione sit quoddam privilegium, et satis magna excellentia : præcipue attribui debet sacramento digniori : sed Eucharistia est omnium dignissimum : ergo si aliquod sacramentum ea causalitate gauderet, maxime Eucharistia. Dicere autem absurdissimum esse, quod ex innumeris communionibus sacrilegis usque ad finem vitæ sequatur tunc, remoto obice, insignis cumulus gratiæ, non multum roboris habet : quia sicut absurdum non est, quod ex fructu arboris bono, sed male percepto humanum genus consecutum sit summam sanctitatem, sive gratiam unionis hypostaticæ ; sic absurdum reputari non debet, quod ex fructu Eucharistiæ sanctissimo, sed male percepto, consequatur quis, excluso per pœnitentiam obice, insignem aliquem gradum sanctitatis. Non igitur ab hoc capite debet tale privilegium Eucharistiæ denegari. Eo autem motivo excluso, nulla est ratio, quare id concedatur aliis sacramentis minus dignis.

98. Ad argumentum respondetur ne-

lvitur argu- entum. gando minorem quoad secundam partem. Ad cujus probationem constat ex dictis § 1, quod sacramentum baptismi causare gratiam, recedente fictione, sit certa, et constans D. Augustini sententia, cui subscribunt Divus Thomas, D. Bonavent. Magister sententiarum, et communiter omnes Scholastici, et Theologi. Quod sufficientissimum est, ut in vi auctoritatis illam sententiam teneamus. Accedit etiam optima ratio innitens naturis rerum, supposita institutione divina, quam præsupponendum est providere juxta naturam rerum, dum oppositum non constat ex revelatis. Est autem ea ratio, quod sacramenta sunt opus Dei, atque ideo quandiu manent, et non impediuntur, exequuntur suos effectus. Sacramenta autem imprimentia characterem, licet fuerint ficte suscepta, manent tamen realiter virtualiter in charactere: et quando tollitur fictio, non impediuntur, ut ex terminis liquet. Ergo talia sacramenta, ubi excluditur obex, operantur suos effectus, sicut operarentur a principio, si tunc impedita non fuissent. Unde merito assertionem expressam D. Augustini circa sacramentum baptismi extendimus ad alia sacramenta imprimentia characterem : occurrit enim in illis non tam similitudo, quam identitas rationis.

luitur onfir- natio. Unde ad confirmationem negamus sequelam : nam cum sacramentum Eucharistiæ semel cum fictione susceptum non maneat realiter formaliter, aut virtualiter; nequit, licet recedat fictio, realiter influere : quippe quod non est, non agit, ut § præced. magis expendimus. Ad sequelæ autem probationem dicendum est vim causandi gratiam, recedente fictione, perfectionem aliquam esse, quæ proinde concedi deberet sacramento perfectiori, si quando fictio recedit, realiter existeret. Sed cum Eucharistia ficte suscepta eo tempore jam non existat, locum non habemus, ut ei deferamus illam perfectionem : quia non entis

ota. nullæ sunt qualitates. Observandum tamen est, quod licet causare gratiam recedente fictione sit aliqua perfectio in sacramentis imprimentibus characterem, appellari tamen non debet privilegium : quia non exposcit novam aliquam dispensationem, aut dispositionem, sed consequitur communem institutionem, et naturam sacramentorum legis gratiæ : his quippe commune est posse causare suum effectum, quandiu realiter manent, et non impediuntur : quod contingit in sacramentis imprimentibus characterem, ubi excluditur fictio. Et idem haberent Eucharistia, et alia sacramenta, si realiter permanerent ; sed tamen nullo modo post primam applicationem infructuosam realiter manent. Ad id, quod in hac confirmatione additur, opus non habemus responsione ; cum nos illo motivo non utamur, sed alio longe diverso, et jam assignato. Sed tamen illud motivum in moralibus parvipendi non debet : quia satis absurdum apparet, quod aliquis ex innumerabilibus communionibus sacrilegis, totidem scilicet gravissimis peccatis, reportet in fine vitæ (eliciendo vel minimam attritionem cum sacramento pœnitentiæ) insignem cumulum gratiæ, et perinde gloriæ, ut excedere queat plurimos, qui innocenter vixerunt. Plane id non satis congruere videtur justissimæ Dei providentiæ ; nec communi sapientum apprehensioni : quare moraliter reputatur incredibile. Exemplum autem, quod in contrarium expenditur, nullius roboris est : recte namque intelligitur Deum ex peccato Adami occasionem sumpsisse exaltandi naturam humanam per mysterium Incarnationis : sic enim ejus misericordiam decebat. Sed tamen ipsa actio peccati non fuit, quæ nobis profuit, aut in salutem nostram influxit. Hic autem sacrilegia ipsa, et communiones peccaminosæ concurrerent ad insignem sanctitatem, si secluso postea obice per minimam attritionem cum sacramento tales communiones causarent gratiam unicuique correspondentem. Id vero apparet, ut diximus, incredibile, et non confert ad venerationem tanti Sacramenti; sed potius removet timorem, datque occasionem sæpius communicandi sacrilege sub spe veniæ, et magnæ utilitatis futuræ. Unde nullo modo asserendum est.

99. Arguitur secundo : quia baptismus cum fictione susceptus non causat postea gratiam, quando tollitur fictio per actum contritionis : ergo idem a fortiori de aliis sacramentis imprimentibus characterem dicendum est. Probatur antecedens : quia contritio non est minoris efficaciæ in lege gratiæ, quam erat ante illam : sed contritio ante legem gratiæ erat efficaciæ sufficientis ad inducendum gratiam, et remittendum peccata, comprehendendo etiam originale: ergo eandem efficaciam habet in præsenti Secundum argumentum

statu:

statu : ergo cum tollitur fictio, quæ adfuit in susceptione baptismi, et infunditur gratia, et excluduntur peccata ; totum hoc fit per virtutem solius contritionis, atque ideo non concurrente baptismo præcedenti, et jam præterito.

Respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem concesso toto syllogismo, negamus secundam consequentiam, quæ ex priori non legitime infertur : quoniam licet contritio habeat nunc eandem efficaciam, et virtutem, quam prius habebat, inducendi gratiam, et remittendi peccata, nempe dispositive : nihilominus ex institutione Christi habet aliquam dependentiam a sacramentis, quam prius non habebant, ut scilicet non præstet suos effectus, nisi concurrentibus sacramentis. Idque constat in peccatis commissis post baptismum, quæ ut dimittantur, debent ex institutione Christi subjici clavibus Ecclesiæ in sacramento pœnitentiæ : unde licet contritio illis superveniens ipsa remittat, semper tamen remittit cum dependentia a tali sacramento vel tunc in re concurrente, vel saltem terminante affectum, et votum illud suscipiendi. Quod non est diminuere antiquam efficaciam contritionis, sed addere novam dependentiam : quam tamen semper pro implicito importavit ad hunc sensum ut afficeretur, inclinaretque ad exequendum omnia, quæ Deus instituisset. Sic ergo contritio superveniens post susceptum ficte baptismum habet efficaciam sanctificandi in suo genere, nempe dispositive, et remittendi peccata ante baptismum commissa : sed tamen hæc præstat cum dependentia a baptismo : quia Deus disposuit, quod hoc sacramentum susceptum vel in re, vel saltem in voto, concurrat ad remittendum peccata ante ipsum commissa. Unde sicut contritio præcedens susceptionem baptismi non remittit peccata nisi dependenter a baptismo : sic etiam contritio, quæ post susceptum ficte baptismum subsequitur. Sed interest discriminis, quod præcedens contritio respicit baptismum ut futurum, sub qua ratione terminat votum. Quare in hoc secundo casu concurrit baptismus non præcise in voto, sed in re : et quia peractus est, et quia existit realiter virtualiter in charactere ; et consequenter gratia, quæ ablato per contritionem obice, causatur dispositive per contritionem, causatur etiam effective instrumentaliter per baptismum.

100. Arguitur tertio (et potest esse replica contra præcedentem doctrinam,) quoniam baptismus ficte susceptus nunquam concurrit ad remissionem peccati originalis, et aliorum, quæ ejus susceptionem præcesserunt : ergo prædictus baptismus nequit causare gratiam, quæ post ipsum producitur. Consequentia est manifesta : quia remissio peccatorum non contingit sine gratia, quæ est causa formalis justificationis : nec gratia potest post peccatum infundi, quin peccatum excludat : atque ideo sacramentum baptismi illo genere causalitatis, quo concurrit ad unum, debet ad aliud concurrere : et consequenter si nequit influere in remissionem peccatorum, pariter nec influere potest ad infusionem gratiæ. Antecedens autem suadetur : nam baptismus ficte susceptus nequit deinde causare gratiam, nisi excludatur fictionis impedimentum : hoc autem tolli non potest, nisi per gratiam, quæ datur vel media attritione cum sacramento pœnitentiæ in re, vel media contritione cum voto pœnitentiæ : porro quælibet gratia etiam minima excludit omnia peccata, cum sit cuilibet gravi peccato incompossibilis : ergo de primo ad ultimum sequitur, quod antequam baptismum cum fictione susceptus exerceat suam causalitatem, supponat remissa, et exclusa omnia peccata : et consequenter nequit concurrere ad exclusionem vel peccati originalis, vel aliorum peccatorum personalium, quæ baptismi susceptionem præcesserunt. Tertium argumentum.

Respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod licet quælibet gratia sit cunctis peccatis incompossibilis ; et illa, quæ post fictam baptismi susceptionem producitur, sit effectus sacramenti pœnitentiæ vel in re, vel in voto : nihilominus non inde sequitur, quod baptismus non concurrat tum ad productionem ipsius gratiæ, tum ad remissionem peccati originalis, et aliorum, quæ ipsius susceptionem præcesserunt. Et ratio est : quoniam in eo casu concurrunt ex una parte peccatum originale, et alia peccata commissa ante baptismum : quæ non sunt materia destruenda per sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto, sed per baptismum : et concurrunt etiam peccata personalia commissa post baptismum : quæ non sunt materia destruenda per sacramentum baptismi in re, vel in voto, sed per pœni- Solutio.

entiam. Unde quædam peccata remittuntur in ea hypothesi dependenter a pœnitentia, quædam autem dependenter a baptismo : et similiter forma justificans, et remittens peccata, nempe eandem entitative gratia, est effectus utriusque sacramenti, cum differentia tamen superius insinuata, nempe baptismi suscepti in re, pœnitentiæ autem vel in re, vel in voto. Unde ulterius fit, quod peccata commissa ante baptismum remittantur totaliter et quantum ad culpam, et quantum ad reatum totius pœnæ temporalis : sed peccata commissa post baptismum, licet remittantur quoad culpam, et pœnam æternam, non tamen semper remittuntur quantum ad reatum totius pœnæ temporalis, ut optime significavit D. Thom. quæst. 69, art. 10 ad 3, his verbis : « Dicendum quod effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed præsentia, vel præterita. Et ideo recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per pœnitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata præcedentia baptismum. » Est itaque una, eademque forma, seu gratia, quæ omnia peccata, et antecedentia, et subsequentia baptismum remittit : sed quatenus remittit antecedentia, est effectus baptismi, et quatenus remittit subsequentia est effectus pœnitentiæ.

D. Tho.

Cum autem argumentum pulsat, et instat ablationem obicis debere præcedere omnem baptismi causalitatem, et ejus effectum ; respondemus nec ipsum obicem auferri posse, nisi simul, et indivisibiliter fiat peccati originalis remissio, quæ est effectus proprius baptismi : datur enim ex parte remissionis peccatorum eadem concomitantia, aut potius realis identitas, quæ datur ex parte formæ, seu gratiæ, per quam fit tota remissio. Unde negandum est, quod ibi interveniat ulla prioritas realis *in quo*, vel *a quo* ; sed solius intelligentiæ inadæquatæ ; prius enim intelligitur gratia sub expressione removendi obicem, deinde sub conceptu remittendi peccatum originale, et regenerandi, et tandem sub munere excludendi omnia peccata personalia commissa post baptismum. Et quamvis gratia quæ occurrit in prima illa expressione removendi obicem, excludat realiter materialiter omnia peccata, et ipsum originale ; nihilominus secundum prædictam expressionem illa formaliter non excludit, nec alia munera exercet, sed ab his expressionibus, et officiis abstrahit pure præcisive negative. Sicut quando materiæ communicatur anima, quæ dat gradum vegetativum, sensitivum, et rationalem ; per quemlibet istoruum graduum excludit realiter materialiter formam irrationalem : sed tamen secundum quod formaliter dat gradum vegetandi, et secundum hanc expressionem, non intelligitur excludere differentiam irrationalitatis, quæ de se cum gradu vegetativo cohæret ; sed ad hoc ex vi talis expressionis pure præcisive se habet : quare oportet spectare aliam expressionem differentiæ rationalis, quæ oppositam sibi differentiam excludat. Sic ergo in præsenti proportionabiliter contingit, quod eadem gratia præstat omnia munia supra relata : sed tamen expressio unius non est expressio alterius : et prius prioritate solius intelligentiæ inadæquate excludit obicem ad effectum baptismi, atque hoc modo aperit aditum tum ad effectum baptismi regenerando, quam ad effectum pœnitentiæ remittendo peccata post baptismum admissa : et omnia contingunt dependenter (licet diverso modo) ab influxu, et concursu utriusque sacramenti in eandem gratiam.

101. Duo autem hic observare oportet, ex quibus præoccupantur alia minoris momenti argumenta, quæ omittimus. Primum, quod in casu proposito, licet producatur una gratia (quæ est una simplex qualitas, id est, non composita ex gradibus realiter diversis, aut penes intensionem, aut penes extensionem, ut modo supponimus ex communi doctrina Thomistarum apud N. Complut. abbrev. in lib. *de generat.* disp. 4, quæst. 6), nihilominus non producitur illa sola gratia, quæ correspondet contritioni, aut pœnitentiæ ; sed etiam alter gradus, qui correspondet baptismo ultra dispositionem præsentem. Negarunt id Vazquez disput. 159, cap. 3, et quidam alii ne scilicet videatur, qui ficte suscepit baptismum, commodum inde reportare. Sed affirmant communiter cæteri, et quidem merito : nam recedente fictione, concurrunt duæ causæ sufficientes ad inducendum suum effectum, nempe baptismus, et pœnitentia : deinde causalitas unius non impedit causalitatem alterius : et denique subjectum est capax utriusque effectus : ergo producitur

roducitur major gratia, quam illa, quæ oli contritioni, aut pœnitentiæ respondet. Et oppositum insinuatum motivum nihil alet : quia attentis omnibus non commoum, sed detrimentum subiit, qui prædicta ia consequitur tale augmentum : quippe onge melius illi fuisset esse in gratia a empore susceptionis baptismi usque ad œnitentiam, quam toto illo tempore esse piritualiter mortuum, nullaque elicuisse pera meritoria.

Secundum est gratiam, quæ recedente ictione, confertur virtute baptismi, conferri ecundum mensuram dispositionis præsenis, ita quod quanto major fuerit dispositio, anto major gratia communicatur. Oppositum docuerunt Suarez disp. 28, sect. 4. erra in præsenti art. 1, dub. 4, concl. 4, t alii censentes in prædicto casu solum onferri certum gradum, minimum sciliet ex divina institutione taxatum. Quorum ræcipuum fundamentum est dispoitionem ræsentem solum valere per modum renoventis prohibens : quare non oportet, uod baptismus conferat majorem gratiam, uam de se, et præcisive a dispositione ubjecti conferret, ut contingit in parvulis : llud autem est minimum gratiæ ex taxaione divina. Sed nostra resolutio est longe robabilior, et communior, eamque tuenur Nugnus, Cabrera, Candidus, Lugo, et ranados, quos refert, et sequitur Prado uæst. 69, dub. 4, a num. 29. Et probatur pposito fundamento : quoniam actus ille, uo tollitur obicis impedimentum, est vera ispositio, per quam adultus se disponit ad articipandum effectum baptismi prius cte suscepti : (si enim baptismus præsens xigit in adulto dispositionem, non est atio, quare illam non exigat baptismus ræteritus, cum non sit majoris virtutis) : tqui sacramenta dant adultis inæqualem ratiam secundum propriam uniuscujusue dispositionem, ut docet Concilium Trilentinum sessione 6, cap. 7 ; ergo sacranentum baptismi, recedente fictione, conert gratiam juxta dispositionis mensuram, tque ideo majorem gratiam, ubi obex tolitur per dispositionem magis intensam. Ex quo motivo patet ad fundamentum conrarium : nam licet actus, quo tollitur obex, ion disponat ad valorem sacramenti bapismi, quod præsupponitur valide jam susceptum : disponit tamen ad gratiam, quæ est baptismi effectus : et ideo quo major est præsens dispsitio, eo major de præsenti confertur gratia.

102. Secunda sententia secundæ nostrarum assertionum opposita docet sacramenta non imprimentia characterem causare etiam gratiam, recedente fictione. Ita plures Auctores, quamvis dissideant inter se in assignando sacramenta non imprimentia characterem, quæ id præstant. Nam Durandus, Richardus, et Cano limitant ad solum sacramentum pœnitentiæ. Suarez autem, Villalobos, Lugo, Bonacina, Trullench, et alii, quos refert, et sequitur Prado, quæst. 69, dub. 6, § 3, illud concedunt omnibus sacramentis, excepta Eucharistia. Denique Cajetanus, Nugnus, Candidus, Serra, N. Philippus, Henriquez, Diana, et alii apud eundem Prado loco citato num. 9, affirmant generaliter, et absque ulla limitatione omnia sacramenta legis evangelicæ, recedente fictione, causare gratiam. Motiva autem, quibus utuntur, parum urgent, supposita doctrina, quam tradidimus § præced. et ideo satis erit illa breviter insinuare. Primum, quod omnia sacramenta ficte suscepta, se habent ut causæ impeditæ : constat autem omnem causam impeditam, causare, impedimento amoto, suum effectum. Secundum, quod talia sacramenta comparamus ad instar meritorum mortificatorum per peccatum : merita autem hujusmodi reviviscunt per sequentem pœnitentiam : ergo idem proportionabiliter contingit in sacramentis. Tertium, quod sacramenta sunt opus Dei, quod impediri finaliter non debet : ergo amoto obice inducunt proprium effectum. Quartum, quod eorum aliqua se habent ad modum sacramentorum non iterabilium, ut patet in matrimonio, quod repeti non potest vivente uxore ; et in extrema unctione, quam iterare non expedit durante eodem mortis periculo : ergo ne homo privetur fructu istorum sacramentorum ficte susceptorum, oportet dicere ipsa etiam causare gratiam, recedente fictione.

Alia sententia contraria. *Plures Auctores et dicendi modi.* *Motiva*

Sed hæc, ut diximus, facile diluuntur. Nam ad primum respondetur talia sacramenta non se habere ad modum causæ impeditæ, quæ existit, sed causæ impeditæ, et destructæ : quippe talia sacramenta non existunt ullo modo formaliter, aut virtualiter. Quare sicut causa non solum impedita, sed destructa nequit agere ; ita dicendum est de talibus sacramentis. Ad secundum

Convelluntur.

neganda est similitudo : nam influxus meritorum non est physicus, sed moralis proprie dictus : quare ut influant, sufficit eorum permanentia moralis. Sed influxus sacramentorum verus, et proprius non est moralis, sed physicus. Quocirca cum supposita fictione nullo modo remaneant physice, nullo modo possunt vere influere. Ad tertium dicendum est opus Dei semel destructum minime sortiri effectum, cum semel destructum nihil sit : et hoc modo se habent sacramenta non imprimentia characterem : siquidem non perseverant realiter vel in se, vel in aliquo effectu : et consequenter ita se habent, ac si nunquam fuissent. Ad quartum respondemus sacramenta imprimentia characterem non ideo causare, recedente fictione, quia initerabilia sint; sed quia imprimunt characterem, in quo realiter virtualiter perseverant ; inde enim habent, quod excluso obice, possint causare realiter gratiam. Unde quod aliqua sacramenta non imprimentia characterem se habeant aliquomodo ad instar sacramentorum non reiterabilium, nihil refert : tum quia nihil reale imprimunt, in quo realiter maneant : tum quia per accidens est, quod aliquando iterari non possint ; de se namque iterabilia sunt.

Nota

Stat itaque tota diversitas quantum ad materiam præsentem inter sacramenta imprimentia characterem, et sacramenta non imprimentia characterem in radice jam assignata, quod sacramenta imprimentia characterem, quamvis ficte suscipiantur, causant characterem, in quo realiter virtualiter physice manent : unde possunt, recedente fictione, realiter influere. Sed non imprimentia characterem, quando ficte suscipiuntur, nihil reale causant, in quo ullo modo realiter resideant : quare licet postea auferatur obex, nequeunt realiter causare ; sed perinde comparantur, ac si nunquam fuissent. Recursus autem ad existentiam moralem, et ad causalitatem moralem, quem possemus obtendere, sæpius a nobis præcisus est : quoniam sacramenta nequeunt influere moraliter vere, et proprie : et quoniam nullus influxus moralis fingi valet, qui sacramenta nostra distinguat a sacramentis antiquis in modo concurrendi ad gratiam in eorum applicatione productam. Recolantur dicta dub. 2.

Difficilis objectio ex D. Thom.

103. Sed hoc loco nec omittere, nec dissimulare debemus graviorem præcedentibus difficultatem, qua sæpius impediti fuimu[s], ne propositum jam a nobis iter arriper[e]mus. Desumitur autem ab auctoritate [D.] Thom. in 4, dist. 17, quæst. 3, art. [...] quæstiunc. 1, ubi hæc habet : « Dicendu[m] « quod confessio est actus virtutis, et pa[rs] « sacramenti. Secundum autem, quod [est] « actus virtutis, est actus meritorius pr[o]« prie : et sic confessio non valet sine ch[a]« ritate, quæ est principium merendi. S[ed] « secundum quod est pars sacramenti, [sic] « ordinat pœnitentem ad Sacerdotem, q[ui] « habet claves Ecclesiæ, qui per confessi[o]« nem conscientiam confitentis cognosc[it]. « Et secundum hoc confessio etiam pot[est] « esse in eo, qui non est contritus : qu[ia] « potest peccata sua Sacerdoti innotesce[re] « et clavibus Ecclesiæ se subjicere. [...] « quamvis tunc non percipiat absolutio[nis] « fructum, tamen recedente fictione perc[i]« pere incipiet, sicut etiam est in aliis s[a]« cramentis. Unde non tenetur itera[re] « confessionem, qui fictus accedit, sed t[e]« netur post modum fictionem suam co[n]« fiteri. » Hæc D. Thom. in quibus d[uo] præcipue expendi debent. Primum, qu[od] affirmat ficte confitentem. percipere, rec[e]dente fictione, absolutionis fructum : qu[od] minime verificari valet, nisi sacramentu[m] pœnitentiæ ficte susceptum causet post gratiam, recedente fictione : est autem pœ[nitentia] unum de sacramentis non impr[imen]tibus characterem : ergo ex sentent[ia] S. Doctoris falsum universaliter est so[la] sacramenta imprimentia characterem ca[u]sare suum effectum, sive gratiam, receden[te] fictione. Secundum, quod affirmat ide[m] contingere in omnibus sacramentis, [ut] liquet ex illis verbis : *Sicut etiam et in al[iis] sacramentis :* ergo juxta ejus mentem ass[e]rere oportet, quod omnia sacramenta no[s]tra, sive imprimant characterem, sive no[n] causant, recedente fictione, proprium effe[c]tum.

Hæc ingentem nobis inferebant difficu[l]tatem. Sed respondemus ab hoc ultimo i[n]cipientes, quod ly *sicut in aliis sacrament[is]* minime glossari potest, ut idem sic, ac [in] omnibus sacramentis : nam ageretur ev[i]denter contra mentem Auctoris in eode[m] scripto, qui expresse negat sacramentu[m] Eucharistiæ causare gratiam, receden[te] fictione, ut constat ex ejus verbis relat[is] num. 91. Quare ly *sicut in aliis sacrament[is]* idem ad summum valet, ac sicut in ali[is] sacrament[is]

ıcramentis ficte susceptis, quæ recedente ctione causant : in quo sensu manifestum st non fieri distributionem absolute pro mnibus sacramentis.

Difficilius est primum : quoniam S. octor affirmat confessionem factam sine ɔntritione esse validam, sed fictam, quoad 'uctum. Id vero est aperte falsum : nam ım dolor sit pars essentialis sacramenti ɔenitentiæ, ut docet Concilium Trident. ɛss. 14, cap. 6, si deest dolor, nullo modo ɛrficitur tale sacramentum; et si adest olor sufficiens ad sacramenti valorem, dest etiam sufficiens dolor, et dispositio d sacramenti fructum. Et sic docuit Div. hom. in aliis locis illius scripti super uartum, et ex quibus collectum est supplementum hujus 3 part. ubi quæst. 8, art. 2 d 1, inquit : « Dicendum, quod in sacramento pœnitentiæ non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio, et satisfactionis injunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius, qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio, et confessio. » Et uæst. 29, art. 8, in corp. ait : « Hoc sacramentum (*loquitur de extrema unctione*) non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti etiam rite peractis, sicut character in baptismo, et confirmatione, et transsubstantiatio in Eucharistia, et remissio, peccati in pœnitentia, existente contritione : quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti etc.» Quare vel dicendum est . Doctorem priorem illam sententiam evocasse tum expresse locis proxime relaˌs : tum virtualiter in summa, nam in hac parte nulli sacramento attribuit, quod auset gratiam, recedente fictione, nisi soli aptismo, et ea expressa ratione, quod imɔrimit characterem, ut constat ex verbis elatis num. 86. Quæ ratio militat in omˌibus sacramentis imprimentibus characɛrem : sed excludit tam pœnitentiam, quam lia sacramenta, quæ characterem non imɔrimunt, ut supra ponderavimus. Vel dicet, ui noluerit admittere eam retractationem,). Thomam in illis verbis: « Tamen recedente fictione, percipere incipiet, sicut etiam est et in aliis sacramentis, » non ignificasse fructum, qui sit gratiæ, sed lium fructum inseparabilem a sacramenti valore, nempe liberationem ab obligatione subjiciendi iterum peccata valide confessa Ecclesiæ clavibus : sicut in omnium sententia valide baptizatus (licet fine fructu gratiæ tunc, vel alio tempore dando) non obligatur iterum baptizari. Et id tantum re vera intendisse videtur D. Thom. dum addidit : « Unde non tenetur iterare « confessionem, qui fictus accedit etc.» hæc enim referuntur non ad gratiæ fructum, sed ad sacramenti valorem, et effectum tali valori inseparabiliter junctum. Si enim confessio semel est valida, licet quantum ad gratiam eo, vel alio tempore infructuosa, causat illum peculiarem effectum eximendi hominem ab obligatione confitendi iterum eadem peccata, ut suo loco declarabimus ex professo. Et hanc ultimam responsionem præferendam censemus.

DUBIUM VII.

An omnia sacramenta nostra causent primam gratiam ?

Hactenus ostendimus sacramenta novæ legis causare gratiam, et explicuimus modum, quo in ipsam influunt. Nunc exponere oportet, qualiter ad primam gratiam concurrant, in quo non satis conveniunt Theologi ob differentiam, quæ inter ipsa sacramenta reperitur. Sed ut ad speciale difficultatis punctum cum majori expeditione accedamus, oportet præmittere communiora.

§ 1.

Prælibantur nonnullæ suppositiones.

104. Theologi, cum rem præsentem explicant, variis utuntur divisionibus, et distinctionibus, quas expedit attingere, et brevissime declarare, ut major adsit claritas in dicendis, et titulus a nobis propositus legitime intelligatur. Prior distinctio est gratiæ sanctificantis in primam, et secundam. Illa dicitur, quæ infunditur subjecto non habenti ullum gratiæ gradum, atque existenti (secundum præsentem providentiam) in statu peccati mortalis : ista vero appellatur, quæ advenit subjecto jam habenti gratiam, illamque auget. Secunda distinctio est sacramentorum novæ legis

Gratia prima, et secunda.

Sacramenta mortuorum, et vivorum.

in sacramenta mortuorum, et in sacramenta vivorum. Illa vocantur, quæ Christus instituit pro spiritualiter mortuis morte peccati ; et sunt duo, scilicet baptismus, et pœnitentia : hæc autem appellantur, quæ Christus instituit pro viventibus spiritualiter vita gratiæ ; et sunt quinque, nempe, Confirmatio, Eucharistia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium. Tertia distinctio est modi causandi sacramentorum in causare *per se*, et causare *per accidens*. Primum contingit, quando sacramenta causant conformiter tam ad significationem, quam ad institutionem primariam : secundum vero accidit, quando causant quidem ; sed non conformiter ad illam significationem, et institutionem, sed alio modo, utputa secundario, aut ex consequenti. Et has distinctiones sufficiet modo præmittere, quæ magis innotescent ex dicendis.

Causare per se, et per accidens.

Qui dixerint sacramenta non causare primam gratiam. Ocham. Major. Gabriel. Joann. de Medina. Petrus de Soto. Motiv.

105. Fuerunt ergo Theologi, qui in universum negarunt sacramenta novæ legis causare, saltem in adultis, primam gratiam. Ita Ochamus, et Major cum Gabriele in 4, dist. 4, quæst. 2, et dist. 14, quæst. 2, et dist. 18, quæst. 1. Joannes de Medina sect. 2, *de pœnitent.* quæst. *de effectu contritionis* circa finem, Petrus de Soto lect. 9, *de sacram. in genere*, et lect. 7, *de confessione*, et alii : quibus in re (quidquid verbis tergiversantur), subscribunt Jansenistæ. Commune autem illorum fundamentum est, quod ut adulti consequantur gratiam sive extra, sive intra sacramentum, debent disponi per motum contritionis, aut dilectionis perfectæ : hic autem motus vel ex natura rei, vel saltem ex Dei institutione habet sibi inseparabiliter gratiam annexam : ergo omne sacramentum in adultis supponit gratiam : atque ideo nullum adultorum sacramentum primam gratiam eisdem communicat. Et ad hoc caput reducuntur cætera omnia, quæ pro prædicta sententia solent exponi.

Opposita supposit. commun.

Sed primo loco supponendum est contrarium, nempe aliqua novæ legis sacramenta, ea scilicet, quæ mortuorum appellantur, primam gratiam conferre. Sic docent communiter omnes Theologi hujus temporis, et in eo certitudinis gradu, ut Arauxo in præs. art. 6, dub. 1, num. 74, dicat oppositam sententiam esse falsam, et omnino improbabilem. Et quidem merito: quoniam Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 4, *satis aperte* significat attritionem cum sacramento pœnitentiæ sufficere ad justificatio-nem peccatoris : est autem attritio motu contritione imperfectior, et qui connexio-nem cum gratia sanctificante non habet ergo necessarium non est, quod sacramen-tum pœnitentiæ supponat primam gratia sanctificantem : cum igitur de fide sit ta sacramentum, sicut et alia novæ legis gra-tiam conferre ; necessario consequitur ta sacramentum conferre aliquando adult gratiam primam, sive quæ aliam in sub-jecto non præsupponit. Et idem argumen-tum fit de baptismo : nam ut quis illu rite, et fructuose suscipiat, opus non es quod præsupponatur dispositus per motu perfectæ contritionis, aut dilectionis ; se sufficit, quod disponatur attritione. P quod dissolvitur oppositum Nominaliu fundamentum, ut ex se liquet. In quo no amplius immoramur : quia prædicta prin-cipia, alias certissima, magis confirmab-mus in specialibus tractatibus de baptism et pœnitentia. Confirmatur tamen brevite et urgenter : quoniam sacramenta nov legis continent, et communicant gratian quam significant, ut statuerunt Conciliu Florent. et Concilium Trident. locis dub. relatis : sed baptismus significat prima gratiam, nempe qua homo purgatur a pe cato originali, et regeneratur spiritualite et similiter pœnitentia significat prima gratiam, illam scilicet, qua homo purgatu a peccatis personalibus post baptismu commissis, et spiritualiter resuscitatur ergo prædicta duo sacramenta conferu primam gratiam.

Arauxo.

Concil. Trident.

Nec Adversariis favet illud D. Gregor hom. 26, *super Evang.* « Non debemus no « per pastoralem authoritatem solvere « nisi quos Authorem nostrum per susci « tantem gratiam cognoscimus suscitare: per quæ significare videtur præmittenda esse gratiam eis, qui sacramentaliter abso vuntur. Sed ut diximus, non obstat : na sensus planus illorum verborum est no debere sacerdotes absolvere, nisi illo quos Deus movet per gratiam prævenien tem, et excitantem ad concipiendum dolo rem de peccatis, et nisi illum sensibilite manifestent. Quod autem non exegerit D Gregorius gratiam antecedenter sanctifi cantem est manifestum : quia sacerdote absolventes hanc gratiam non cognoscunt unde absurdum esset ejus cognitionem, u legitime absolvant, prærequirere.

E

ra- ita tuo- cau- per ri- m iam.

106. Ex præmissa autem suppositione liquido infertur sacramenta mortuorum causare primam gratiam non utcumque, sed per se. Quod communiter recipitnr a Thologis, et facile ostenditur : nam sacramenta illud causant per se, quod causant secundum significationem, et ratione institutionis in ordine ad finem primarium : sed Baptismus, et Pœnitentia significant primam gratiam, et ad illam conferendam fuerunt primario instituta, ut constat ex immediate dictis : ergo prædicta sacramenta causant per se primam gratiam.

ıdi- r.

nfir- ur.

Confirmatur: quia si baptismus, et pœnitentia non causarent per se primam gratiam; nec ipsa essent sacramenta mortuorum; nec subsisteret differentia inter mortuorum, et vivorum sacramenta : consequens est falsum, et contra communem tam Theologorum sententiam, quam fidelium apprehensionem, ut ex se liquet: ergo fateri oportet baptismum, et pœnitentiam communicare primam gratiam non utcumque, sed per se. Probatur sequela : quia differentia inter sacramenta vivorum, et mortuorum non consistit (quantum ad considerationem præsentem) in eo, quod alia producant gratiam, et alia non : quippe producere gratiam commune est omnibus nostris sacramentis, ut dub. 1, statuimus. Nec consistere valet in eo, quod quædam producant primam gratiam, et quædam secundam : nam ut infra ostendemus, etiam sacramenta vivorum producunt aliquando primam gratiam. Ergo nisi dicamus (et ita quidem res se habet,) baptismum, et pœnitentiam ex sua significatione, atque institutione ordinari primario ad producendum gratiam primam, sive justitiam quam in subjecto non præsupponant, (quod est producere primam gratiam per se), nec salvatur baptismum, et pœnitentiam esse sacramenta mortuorum ; nec salvatur differentia inter vivorum, et mortuorum sacramenta.

cra- nta tuo- cau- t ali- ndo cun- gra- iam. Tho

107. Supponendum est secundo prædicta duo mortuorum sacramenta, nempe baptismum, et pœnitentiam causare aliquando gratiam secundam. Sic docent communiter Theologi cum D. Thom. infra quæst. 69, art. 4 ad 2, et in 4, dist. 18, quæst. 1, artic. 3, quæst. 2. Et facile demonstratur : nam causare secundam gratiam non est aliud, quam causare gratiam, quæ supponat subjectum gratum, sive, et in idem recidit, quam causare gratiæ augmentum : sed baptismus, et pœnitentia aliquando causant gratiam, quæ supponit subjectum gratum, atque ideo causant augmentum gratiæ: ergo prædicta duo mortuorum sacramenta causant aliquando gratiam secundam. Minor probatur : nam ex una parte sæpe contingit eos, quæ suscipiunt baptismum, et pœnitentiam accedere contritos, atque ideo in statu gratiæ : quæ dispositio nulla ratione potest esse, aut dici obex ad gratiam suscipiendam : ex alia vero parte certum est baptismum, et pœnitentian, sicut et alia sacramenta legis evangelicæ, conferre gratiam non ponentibus obicem : ergo baptismus, et pœnitentia conferunt in his eventibus gratiam ; cumque supponant gratiam in subjecto, sequitur, quod non conferant tunc gratiam primam, sed secundam, sive gratiæ augmentum. Quæ communis resolutio magis confirmabitur ex immediate dicendis.

Si autem inquiras, quando prædicta sacramenta causent gratiæ augmentum ? Respondet Serra in præs. artic. 1, dub. 3, concl. 2, quod illam causant non per accidens, sed per se. Et movetur : nam quod sacramenta mortuorum causent gratiæ augmentum, sive gratiam secundam, non provenit ex aliqua indispositione subjecti ; sed potius ex ejus perfectione, quam præsupponitur habere per gratiam : ergo quod sacramenta mortuorum causent gratiam secundam, non est per accidens, sed per se. Unde infert ille Auctor, et quidem valde consequenter, omnia sacramenta nostra causare per se primam gratiam. Cui sententiæ favere non obscure videtur Div. Thom. infra quæst. 69, art. 9, ubi hæc habet : « Duplex est effectus baptismi, unus « per se, et alius per accidens. Per se qui- « dem effectus baptismi est id, ad quod « baptismus est institutus, scilicet ad rege- « nerandum hominem in spiritualem vi- « tam. Et hunc effectum æqualiter facit in « omnibus, qui æqualiter se habent ad « baptismum. Unde quia omnes pueri « æqualiter se habent ad baptismum (quia « non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ « baptizantur), omnes æqualem effectum « percipiunt in baptismo. Adulti vero, qui « per propriam fidem ad baptismum acce- « dunt, non æqualiter se habent ad baptis- « mum: quidam enim cum majori,quidam « cum minori devotione ad baptismum

An illam causent per se.

Opinio et motivum Serræ.

D. Thom.

« accedunt : et ideo quidam plus, quidam « minus de gratia novitatis accipiunt, sicut « etiam ab eodem igne accipit plus caloris, « qui plus ei appropinquat ; licet ignis, « quantum est de se, æqualiter ad omnes « suum calorem effundat. Effectus autem « baptismi per accidens est, ad quem bap- « tismus non est ordinatus; sed divina vir- « tus hoc in baptismo miraculose operatur. « Sicut super illud Rom. 6, ut ultra non « serviamus peccato, dicit Glossa. Non hoc « præstatur in baptismo, nisi forte mira- « culo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, « quæ est in membris, prorsus extingua- « tur. Et tales effectus non æqualiter sus- « cipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam « si cum æquali devotione accedant : sed « dispensantur hujusmodi effectus secun- « dum ordinem providentiæ divinæ.» Hæc omnia S. Doctor. In quibus expendi debet, quod omnes effectus baptismi revocantur vel ad effectum per se, vel ad effectum per accidens : et rursus, quod effectus per accidens dicitur, quem sola divina virtus in baptismo miraculose operatur. Unde arguitur : secunda gratia, sive gratiæ augmentum est effectus baptismi: sed non est necessarium, quod sola divina virtus tale augmentum miraculose operetur: quippe absque miraculo frequenter contingit non per solam divinam virtutem, sed concurrente baptismo, ut constat ex proxime dictis : ergo gratiæ augmentum non continetur inter effectus per accidens baptismi, sed inter effectus per se. Ex quo plane consequitur sacramentum Baptismi causare secundam gratiam, sive gratiæ augmentum non per accidens, sed per se.

Verior sententia. Soto. Prado. Gonet.

108. Nihilominus communis Theologorum sententia, cui subscribimus, docet oppositum, ut videri potest apud Soto in 4, dist. 14, q. 1; art. 3 ad 5. Suarium disp. 7, sect. 2, § *Tertio est certum*, Prado q. 69, dub. 6, § 2, Gonet disp. 3, art. 5, n. 179, et alios. Fundamentum est: quoniam sacramenta nostra illud causant per se, et directe, quod causant ex peculiari sua institutione : sed sacramenta mortuorum ex sua peculiari institutione non ordinantur ad causandum augmentum gratiæ: ergo quamvis illud aliquando causent, non tamen per se, sed per accidens. Minor facile ostenditur : quia prædicta sacramenta ordinantur ex sua peculiari institutione ad causandam spiritualem regenerationem, et spiritualem suscitationem a peccatis originalibus, et actualibus : hujusmodi autem effectus non contingunt per augmentum gratiæ, sed per primæ gratiæ infusionem: ergo sacramenta mortuorum non ordinantur ex sua peculiari institutione ad causandum gratiæ augmentum. Qui discursus desumitur ex D. Thom. in 4, dist. 23, q. 1, art. 2, quæstiunc. 1, ubi ait: « Quodlibet sacramentum est « institutum principalier ad unum effectum; « quamvis etiam alios ex consequenti indu- « cere possit : quia sacramentum efficit, « quod figurat : et ideo ex ipsa significatione « sacramenti debet accipi ejus principalis « effectus. » Deinde subjungit: « Sicut bap- « tismus est quædam spiritualis regeneratio, « et pœnitentia quædam spiritualis suscita- « tio : ita et Extrema unctio est quædam « spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut « autem corporalis medicatio præsupponit « corporalem vitam in medicato, ita spiri- « tualis spiritualem. » Ex quibus manifestum est baptismum, et pœnitentiam non ordinari ex sua speciali institutione ad augmentum spiritualis vitæ gratiæ, sed potius ad primo conferendum talem vitam cum differentia assignata, nempe vel per modum regenerationis vel per modum suscitationis.

Fulc... dupl... te... Con... Trid...

Confirmatur primo : quia sacramenta non causant per se, nisi quod directe significant, ut colligitur ex Concil. Trid. sess. 7, can. 6; sed sacramenta mortuorum non significant directe augmentum vitæ spiritualis ; sed magis primam ipsam vitam : ergo licet prædicta sacramenta causent aliquando augmentum gratiæ, non tamen per se, sed per accidens. Confirmatur secundo, et declararur amplius : nam si prædicta sacramenta causarent per se gratiam secundam, supponerent per se gratiam primam: quippe fieri nequit gratiæ augmentum, nisi gratia præsupposita : consequens est falsum: ergo et antecedens. Probatur minor: quia talia sacramenta causant per se primam gratiam : ergo supponunt per se carentiam prædictæ gratiæ: ergo non supponunt per se gratiam primam. Patet hæc ultima consequentia: quia impossibile est, quod supponant per se gratiam, et supponant per se carentiam illius.

Con... luu... moti... cont... ria...

109. Quæ autem pro parte contraria afferebantur, non urgent. Nam ad rationem respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam : causare anim aliquid per accidens

accidens non provenit unice, et adæquate ex aliqua indispositione subjecti ; sed ex eo etiam quod causalitas non exerceatur conformiter ad institutionem specialem, et finem primarium sacramenti. Et quia hæc non observantur, quando sacramenta mortuorum causant non primam gratiam, sed ejus augmentum ; propterea merito dicuntur illud causare non per se, sed per accidens. In quo sensu posset dici in tali casu supponere aliquam indispositionem ex parte subjecti, non quidem contrariam, aut repugnantem, sed negativam : quia non supponunt illud in eo statu, ad quem removendum sunt per se primo ordinata : quia non supponitur culpa, quam per se destruant, id est non supponitur mors spiritualis, quam excludant per vitam gratiæ ; cum tamen pro hoc fine fuerint specialiter instituta. Ad testimonium D. Tho. respondemus, quod cum S. Doctor nomine *effectus per accidens* baptismi solum comprehendat effectum miraculorum, qui non fit per baptismum, sed per solam Dei virtutem, baptismo concomitanter se habente, ut evidenter constat ex suis verbis, manifeste sequitur, quod sub priori membro *effectus per se* comprehenderit, quidquid fit non per solam virtutem divinam, sed etiam per virtutem baptismi. In quo sensu idem est baptismum causare aliquid per se, ac causare per propriam virtutem, et influere realiter in effectum. Et in eodem sensu verificari potest baptimum causare secundam gratiam, sive augmentum gratiæ per se. Cæterum iste sensus longe exulat a præsenti consideratione, et contrariæ parti non favet : quia supponimus baptismum causare et primam gratiam, et aliquando secundam gratiam, ut constat ex supradictis. Sed tamen non causat secundam gratiam per se, id est, secundum suam specialem significationem, atque institutionem in ordine ad finem primarium. In quo sensu loquimur in præsenti, et loquitur D. Thom. in testimonio, quod pro nostra, et communi sententia expendimus. Qui sensus est proprius, et apprime necessarius ad distinguendum inter sacramenta mortuorum, et sacramenta vivorum. Unde liquet nihil habere objectum testimonium, in quo sententiæ communi repugnet. Liquet etiam falsum esse, quod omnia sacramenta nostra causent per se gratiam secundam, sive gratiæ augmentum, sicut ex opposito dicendi modo colligebatur.

110. Expediti jam a mortuorum sacramentis supponimus tertio sacramenta vivorum causare gratiam secundam, sive augmentum gratiæ, et causare hunc effectum, per se. Utraque assertionis pars est communis inter Theologos. Et prior ostenditur : quia sacramenta vivorum supponunt in subjecto vitam gratiæ, seu gratiam primam: et alias non ponentibus obicem gratiam conferunt: ergo causant secundam gratiam, sive gratiæ augmentum : quippe illud gratiæ, quod priorem gratiam supponit, est necessario secunda gratia, seu incrementum prioris. Secunda etiam pars facile suadetur ex supra dictis: quoniam sacramenta illam gratiam dicuntur causare per se, quam causant juxta specialem significationem suam, atque institutionem in ordine ad finem primarium sibi specialiter correspondentem. Omnia autem sacramenta vivorum ita comparantur in causando gratiæ augmentum: quippe hoc ipso, quod vivorum sint, supponunt vitam spiritualem per primam gratiam, et ordinantur ad prædictæ vitæ augmentum, et perfectionem, quæ fiunt per secundam gratiam, seu gratiæ augmentum. Ergo omnia sacramenta vivorum causant secundam gratiam per se. Quod evidentius constabit consideranti in speciali singulas significationes, et peculiares fines prædictorum sacramentorum : recognoscet enim Eucharistiam significare refectionem spiritualem, et ordinari ad reparandum, et corroborandum vires animæ : Extremam unctionem significare spiritualem curationem, ordinarique ad sanandum spirituales languores, ne virtus in extremo, et summo periculo succumbat, et sic de aliis sacramentis vivorum : cunctæ autem istæ significationes, et ordinationes respiciunt perfectionem vitæ gratiæ, quam supponunt.

Sacramenta vivorum causant per se gratiam secundam.

Est autem difficultas (in eaque speciale punctum præsentis dubii consistit), an sicut sacramenta mortuorum, quæ per se causant primam gratiam, aliquando licet per accidens causant etiam gratiam secundam, ut constat ex supra dictis : sic etiam sacramenta vivorum, quæ causant per se secundam gratiam, causent etiam aliquando gratiam primam. Quod si contingeret, in eo tantum casu esset, ut omnes supponunt, in quo aliquis existens in peccato mortali, existimans tamen bona fide se esse

Status præsentis difficultatis.

in statu gratiæ accederet cum attritione supernaturali ad suscipiendum sacramenta vivorum, V. g. Eucharistiam. Et quamvis paritas desumpta ab illis sacramentis, quæ cum causent primam gratiam per se, solent causare gratiam secundam per accidens, videatur facilem viam expedire, ut e converso sacramenta, quæ causant secundam gratiam per se, possint aliquando causare primam gratiam per accidens : nihilominus recte consideranti apparet hoc ultimum esse longe majus, ac difficilius. Quia plus est dare primam vitam, quam eam conservare, et fovere. Unde facile intelligitur sacramenta mortuorum, quæ habent vim conferendi primam vitam gratiæ posse etiam cooperari ad ejus augmentum. Sed non ita facile valet apprehendi, quod sacramenta vivorum, quæ se habent ut medicinæ ordinatæ ad fovendum vitam gratiæ, quam alias supponunt, queant etiam mortuos spiritualiter suscitare communicando ipsis primam vitam, seu primam gratiam. Et in hoc vertitur difficultatis cardo, an scilicet ita de facto contingat.

§ II.

Vera, et valde communis sententia D. Thom. defenditur.

Conclusio. 111. Dicendum est sacramenta vivorum causare aliquando primam gratiam : atque ideo omnia novæ legis sacramenta causare primam gratiam. Hæc posterior assertionis pars, quæ directe respondet titulo dubii, constat evidenter ex prima, adjunctis, quæ diximus num. 4, quoniam sacramenta novæ legis adæquate dividuntur in sacramenta mortuorum, et sacramenta vivorum : sed sacramenta mortuorum causant primam gratiam, ut statuimus loco cit. et sacramenta vivorum illam etiam causant : sequitur ergo omnia novæ legis sacramenta gratiam primam causare. Priorem autem assertionis partem docet D. Thom. nam de Eucharistia agens in 4, dist. 9, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 2, ait : « Si aliquis per « hujusmodi signa, facta diligenti discus- « sione suæ conscientiæ, quamvis forte « non sufficienti, ad corpus Christi devote « accedat, aliquo peccato mortali in ipso « manente, quod ejus cognitionem præ- « terfugiat, non peccat, immo magis ex vi « sacramenti peccati remissionem conse- « quitur. Unde Aug. dicit in quodam ser- « mone, quod quando corpus Christi man- « ducatur, vivificat mortuos. » Et similia profert infra quæst. 79, artic. 3, ubi affirmat, quod Eucharistiæ sacramentum potest operari remissionem peccati « percep- « tum ab eo, qui est in peccato mortali, « cujus conscientiam, et affectum non ha- « bet. Forte enim primo non fuit sufficien- « ter contritus ; sed devote, et reverenter « accedens consequitur per hoc sacramen- « tum gratiam charitatis. » Et agens de sacramento Confirmationis quæst. 72, art. 7 ad 2, inquit : « Dicendum, quod sicut ex « ipso nomine apparet, hoc sacramentum « datur ad confirmandum, quod prius in- « venerit ; et ideo non debet dari his, qui « non habent gratiam. Et propter hoc si- « cut non datur non baptizatis ; ita non « debet dari adultis peccatoribus, nisi per « pœnitentiam reparatis. » Et paulo post subjungit : « Si aliquis adultus in peccato « existens, cujus conscientiam non habet, « vel si etiam non perfecte contritus acce- « dat, per gratiam collatam in hoc sacra- « mento consequetur remissionem pecca- « torum. » Et de Extrema unctione agens in 4, dist. 23, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1, observat prædictum sacramentum conferre robur contra debilitatem ex peccatis relictam, et mox subjungit : « Sed quia hoc « robur gratia facit, quæ secum non com- « patitur peccatum ; ideo ex consequenti, « si invenit peccatum aliquod vel mortale, « vel veniale quoad culpam, tollit ipsum, « dummodo non ponatur obex ex parte « recipientis, sicut etiam de Eucharistia, « et Confirmatione supra dictum est. Et « ideo etiam Jacobus de remissione peccati « conditionaliter loquitur dicens : Si in pec- « catis sit, dimittuntur ei quoad culpam. » Et in resp. ad 2, addit : « Quamvis culpa « quoad maculam sine contritione non di- « mittatur ; tamen hoc sacramentum per « gratiam, quam infundit, facit, quod ille « motus liberi arbitrii in peccatum sit con- « tritio, sicut etiam in Eucharistia, et Con- « firmatione potest accidere. » Constat autem motivum S. Doctoris, ut dicat prædicta tria sacramenta causare aliquando primam gratiam, et remissionem peccatorum, militare pariformiter in aliis duobus vivorum sacramentis, scilicet, Ordine, et Matrimonio : nam illud motivum consistit in eo, quod sacramenta, quantum est de se, dant gratiam,

gratiam, et quod aliquando contingat hominem existentem in peccato accedere ad tria illa sacramenta sine peccati conscientia, sed bona fide, atque devotione : quod accidere aliquando in Ordine, et Matrimonio nemo negabit.

Capreol. Paludan. Soto. Petrus de Soto. D. Anto. Victoria. Cajetan. Nugnus. Cabrera. Ruyz. Serra. Arauxo. Prado. Sylvius. Ledesm. Joann a S.Thom. Gonet Labat. Contens. N.Philip. N.Franc. Joann. a Cruce. D.Bona. Richard. Durand. Alexan. Vega. Sainct. Jansen. Adrian. Valenc. Suarez. Henriq. Coninck. Reginal. Granad. Trullen. Kellison. Diana. Aversa.

Unde generalem hanc D. Thomæ resolutionem tuentur unanimiter discipuli, Capreolus, et Paludanus in 4, dist. 4, Soto dist. 11, quæst. 2, art. 1, et 3, Petrus de Soto lect. 12, *de Eucharistia*, D. Antoninus 3 part. tit. 14, cap. 12, § 6, Victoria *de Eucharistia*, num. 77, Cajetanus infra quæst. 79, artic. 2, Nugnus in præsent. difficult. 2, ubi Cabrera disp. 2, § 3, Ruyz dub. 2, concl. 2, Serra dub. 3, concl. 3, Arauxo art. 6, dub. 1, et quæst. 79, art. 8, dub. 1, Prado dub. 6, § 4, Sylvius infra quæst. 79, artic. 3, Petrus de Ledesma *de Eucharistia* cap. 10, concl. 9, Joann. a S. Thoma art. 1, dub. 2, Gonet disp. 3, art. 5, § 5, Labat. disp. 1, dub. 5, § 5, in principio, Contenson dissert. 1, cap. 2, in secundo principio, N. Philippus disp. 4, dub. 4, N. Franciscus tract. 1, cap. 5, punct. 2, Joann. a Cruce *de sacram.* quæst. 2, dub. 2, concl. 3, et alii Thomistæ. Idem etiam docent D. Bonavent. in 4, dist. 9, art. 2, quæst. 3, ubi Richardus art. 2, quæst. 1, Durandus quæst. 4, Alexander 4 part. quæst. 46, memb. 3, art. 2, Vega lib. 9, in Trident. cap. 34, Sanctes repetitione 6, *de Eucharist.* cap. 10, Jansenius in concord. Evang. cap. 131, Adrianus quæst. 1, *de Eucharistia*, Valencia disp. 6, quæst. 5, puncto 1, Suarez disp. 7, sect. 2, et disp. 63, sect. 1, Henriquez lib. 1, cap. 12, num. 6, Coninckus art. 1, dub. 2, Beccanus cap. 22, quæst. 1, Jannerus quæst. 7, dub. 1, Granados tract. 3, disp. 6, num. 6, Reginaldus, Angles, Vivaldus, et Bartholomæus a S. Angelo, quos refert, et sequitur Bonacina disp. 4, quæst. 4, punct. 1, Toletus, Fagundez, Layman, Montesinos, et Ludovicus de S. Joan. quos refert, et sequitur Leander tract. 1, disp. 3, quæst. 5, Diana 5 part. tract. 13, resol. 31, Trullench lib. 1, cap. 4, dub. 3, Mascarenhas tract. 1, disp. 5, cap. 2, num. 234. Kellisonus infra quæst. 79, art. 3, et in supplem. quæst. 30, artic. 1, § *Notandum est hoc.* Aversa *de Eucharistia*, quæst. 7, sect. 1, et quæst. *de Extrema unctione* sect. 6, et alii plures, ut merito jam olim dixerit Soto : « Hæc est generalis « doctrina omnium Theologorum. » Et Joan. a Thom. affirmat « id esse fere cer« tum, et apud omnes receptum. » Et Dicastillo infra referendus, licet contrariæ sententiæ subscribat, fatetur hanc « plu« rium sane esse, et gravissimorum Theo« logorum. »

112. Quæ probatur primo auctoritate D. Tho. in testimoniis supra relatis, in quibus generaliter affirmat tria illa sacramenta vivorum, nempe Confirmationem, Eucharistiam, et Extremam unctionem remittere peccata, et communicare primam gratiam illis hominibus, qui licet existant in statu peccati, accedunt tamen cum bona fide, et aliqua contritione imperfecta, quæ de se est insufficiens ad inducendum justitiam. Quod et non aliud affirmamus. **Suadet. ex D.Th.**

Respondent Adversarii, et nominatim Lugo, et Dicastillo D. Thomam non intendere, nec docere, quod talia sacramenta in eo eventu conferant gratiam primam immediate, et ex opere operato ; quod ad veritatem nostræ assertionis necessarium erat ; sed solum intendere, quod homini sic accedenti cum bona fide, et dispositione imperfecta præsto sint, et communicentur auxilia gratiæ actualis, quibus eliciat actum perfectæ contritionis, aut dilectionis, per quem, sive ex opere operantis consequantur primam gratiam, et deinde ex consequenti suscipiant gratiam, quam illa sacramenta communicant. **Responsio.**

Sed hoc est merum subterfugium ad eludendum ea testimonia, et refellitur efficaciter. Primo, quia nullum habet fundamentum in S. Doctore : ipse namque cum affirmat primam gratiam in eis sacramentis communicari, minime recurrit ad collationem auxilii, nec istud recenset, nec ejus meminit : sed potius aperte significat ea sacramenta communicare immediate effectum vivificandi. Et in hoc sensu allegat dictum Augustini : « Quando corpus « Christi manducatur, vivificat mortuos. » Quod nequeunt Recentiores ita dicere, sed dicunt : « Quando corpus Christi manduca« tur, datur auxilium, ut homo peccator « eliciat contritionem, et ex opere operan« tis vivificetur : » id vero satis declarat, quod sicut verbis, ita etiam sensu distant a D. Thomæ sententia in testimoniis relatis. Secundo, quia si peccatum in prædictis sacramentis remitteretur eo modo, quo Juniores describunt ; remitteretur quidem concomitanter in sacramentis, sed non **Confutatur.**

remitteretur per sacramenta aut virtute sacramentorum ; quod ipsi plane concedunt : at e contra D. Tho. aperte docet in prædictis testimoniis sacramenta dare gratiam, sacramenta remittere peccata, ut liquet ex illis verbis : « Non peccat, sed ma- « gis ex virtute sacramenti remissionem « peccati consequitur, » et ex illis : « Forte « non fuit sufficienter contritus, sed devote, « et reverenter accedens consequetur per « hoc sacramentum gratiam charitatis, » et ex illis : « Si invenit aliquod peccatum « vel mortale, vel veniale, quoad culpam « tollit illud, dummodo non ponatur obex « ex parte recipientis. » In quibus manifestum est S. Doctorem minime recurrere ad anfractus, circuitiones, et circumloquutiones, quibus utuntur moderni, ut pro tanto dicantur prædicta sacramenta remittere peccata, quatenus devote, et cum bona conscientia accedentibus datur auxilium ; et eo auxilio eliciant contritionem ; et ea contritione consequuntur primam gratiam remittentem peccatum ; et his suppositis sacramenta operantur proprios effectus Nihil plane horum occurrit in D. Thom. qui paucis, hisque disertis verbis affirmat hominem consequi remissionem peccati « per sacramentum, et ex virtute sacra- « menti, et sacramentum tollere pecca- « tum » in non ponente obicem.

Major espon-sionis ersio.

Confirmatur manifestando amplius illorum Auctorum inconsequentiam tam ad propria dicta, quam ad mentem D. Thomæ : nam illi negant sacramenta vivorum remittere aliquando peccatum mortale, communicare primam gratiam ; quia hoc non reperiri dicunt in Scriptura, Conciliis, et Patribus. Sed neque in his reperitur, quod accedenti cum bona fide ad prædicta sacramenta detur auxilium, quo eliciat contritionem, et consequatur justitiam ex opere operantis. Ergo sine fundamento recurrunt ad hoc effugium, ut declinent vim testimoniorum D. Thomæ palam asserentis prædicta sacramenta conferre gratiam, qua remittitur peccatum. Et innotescet magis hæc inconsequentia attendendo, quod Lugo, Dicastillo, et quidam ex Adversariis fatentur Extremam unctionem causare aliquando primam gratiam, ut infra videbimus. Hinc enim arguitur : nam juxta sententiam Divi Thomæ Extrema unctio causat aliquando primam gratiam, remissionem culpæ eo modo, quo Eucharistia, et Confirmatio causant prædictos effectus : ergo vel Extrema unctio illos immediate, et ex opere operato non causat ; quod Adversarii affirmant : vel Eucharistia, et Confirmatio illos causat immediate etiam, et ex opere operato : quod illi negant D. Thomam asseruisse. Antecedens constat evidenter ex testimonio ex 4, dist. 23, ubi S. Doctor loquens de Extrema unc- D. Tho. tione inquit : « Si invenit peccatum aliquod « vel mortale, vel veniale, quoad culpam « tollit ipsum, dummodo non ponatur obex « ex parte recipientis, sicut de Eucharis- « tia, et Confirmatione supra dictum est. »

113. Secundo probatur ratione desumpta Ratio e D. Tho ex D. Thom. locis relatis : quoniam sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem: sed quando homo existens in peccato mortali accedit cum bona fide ad sacramenta vivorum, existimans se esse vel mundum a peccato, vel sufficienter de peccato contritum, non ponit obicem gratiæ : ergo sacramenta vivorum in tali casu conferunt gratiam : atque ideo cum gratiam non supponant tunc in subjecto, conferunt primam gratiam. Utraque consequentia patet. Et major est certa de fide ut constat ex diffinitione Concilii Triden- Conci Tride tin. sess. 7, can. 6, ubi dicitur : « Si quis « dixerit sacramenta novæ legis non conti- « nere gratiam, quam significant ; aut gra- « tiam ipsam non ponentibus obicem non « conferre, etc. anathema sit. » Minor autem probatur : nam ponere obicem gratiæ est ita se gerere, ut gratiam, quantum est ex vi modi accedendi ad sacramentum, quis impediat; id vero minime dici potest de eo, qui putat se esse sufficienter dispositum et qui minime susciperet sacramentum si se indispositum recognosceret : ergo qui accedit ad sacramentum bona fide, putans se vel mortaliter non peccasse, vel purgatum esse a peccato per confessionem, aut contritionem, non ponit obicem gratiæ. Idque maxime elucet in eo, v. g. qui accedit ad sacramentum pœnitentiæ cum attritione supernaturali, et confitetur integre peccata sua : sed malitia Sacerdotis non habentis intentionem absolvendi, sed absolutionem fingentis non consequitur re ipsa peccatorum remissionem : ipse vero prudentissime judicans se absolutum accedit devote ad suscipiendam Eucharistiam. Hic plane nec in affectu, nec in modo accedendi ullum ponit obicem gratiæ Eucharistiæ : nam perinde et

et in cognitione, et affectu se habet, ac illi, qui nullum obicem ponunt,et fructum Eucharistiæ percipiunt.

Confirmatio. Confirmatur : nam qui rite suscipit sacramenta, recipit eorum gratiam : sed qui modo præmisso accedit ad suscipienda sacramenta vivorum,rite suscipit talia sacramenta : ergo recipit eorum fructum, seu gratiam : ergo cum non recipiat secundam, seu gratiæ augmentum, sequitur, quod recipiat primam. Major constat ex Concilio Trident. sess. cit. can. 7, ubi dicitur : « Si « quis dixerit non dari gratiam per hujus« modi sacramenta, semper, et omnibus, « quantum est ex parte Dei, etiam si rite « eam suscipiant, sed aliquando, et aliqui« bus, anathema sit. » Minor suadetur ex proxime dictis : nam qui accedit modo præmisso, rite, quantum est de se, suscipit sacramenta ; siquidem præstat omnia, quæ lumen fidei, et prudentiæ dictat, ut quis religiose accedat.

Concil. Trident.

Responsio. 114. Respondent Adversarii tam argumento, quam confirmationi ipsum statum peccati mortalis esse obicem ad recipiendum sacramenta vivorum, et rationem, ne quis dicatur illa rite suscipere. Quare licet ille, qui modo a nobis descripto accedit ad suscipiendum talia sacramenta,non peccet, nec irreverenter agat ; nihilominus non recipit gratiam. Quoniam cum talia sacramenta ex institutione sua ordinentur ad causandum gratiæ augmentum ; exigunt tanquam dispositionem prædictæ gratiæ existentiam ; et talis gratiæ carentia est obex ad gratiæ augmentum, præstatque, ut homo non rite, licet inculpabiliter, sacramenta suscipiat. Et confirmatur responsio exemplo ejus, qui cum eadem credulitate a nobis descripta accederet, et tamen non esset baptizatus, aut non haberet attritionem supernaturalem,sed solum naturalem quam invincibiliter supernaturalem putaret : hic enim quamvis ex vi modi accedendi cogniti, et voluntarii non poneret obicem gratiæ, sed rite ex vi talis modi accederet; nihilominus nullam gratiam consequeretur : quia re ipsa careret statu, et dispositione ad gratiam illorum sacramentorum requisitis. Idem itaque contingeret in casu a nobis proposito.

Impugnatur. Sed prædicta responsio est insufficiens,et petit principium : quia in præsenti non dubitamus, quod effectus proprius sacramentorum vivorum supponat statum gratiæ; nec intendimus, quod accedens modo descripto ad suscipiendum talia sacramenta recipiat directe, et immediate proprium talium sacramentorum effectum, nempe gratiæ augmentum. Cæterum controversia est, utrum prædicta vivorum sacramenta in casu a nobis proposito causent non quidem augmentum saltem directe, sed primam gratiam : ad eum plane modum, quo e converso sacramenta mortuorum causant directe, et per se primam gratiam; et tamen licet aliquando illam supponant, et subinde eam non causent, nihilominus non fraudantur omni fructu, sed aliquid gratiæ causant. Sicut enim carentia gratiæ est per se dispositio, aut conditio ad effectum directum sacramentorum mortuorum, nempe ad primam gratiam : sic etiam existentia primæ gratiæ est per se dispositio, aut conditio ad effectum directum sacramentorum viventium, scilicet ad gratiam secundam, seu gratiæ augmentum. Ac perinde fit, quod sicut sacramenta mortuorum, licet aliquando non supponant eam propriam conditionem, nempe, carentiam primæ gratiæ, nihilominus gratiam causant : sic etiam sacramenta vivorum, etsi aliquando non supponant conditionem propriam, nimirum primæ gratiæ existentiam, poterunt tamen causare gratiam. Et rem ita contingere probamus ex generali doctrina Concilii Trident. asserentis in communi sacramenta nostra dare gratiam « non ponentibus obicem, et rite susci« pientibus : » nam qui modo a nobis descripto accedit, rite suscipit sacramenta, et non ponit obicem gratiæ : ergo oportet fateri, quod sacramenta illi gratiam conferunt. Et exempla, quæ in contrarium inducuntur,non sunt de re:nam subjectum non baptizatum non est capax suscipiendi alia sacramenta, nec illa suscipit : homo autem in casu de quo loquimur, potest valide sacramenta suscipere, et reipsa suscipit. Rursus ut adultus tam intra, quam extra sacramenta gratiam recipiat,indiget aliqua dispositione supernaturali, sive ejusdem ordinis cum gratia : et ideo licet invincibiliter putet se habere dispositionem supernaturalem, si reipsa non est, gratiam non recipit. In nostro autem casu habet homo, ut supponitur, dispositionem supernaturalem, licet imperfectam,quæ tamen ex ordinatione divina sufficit cum sacramento, ut patet in baptismo,et pœnitentia. His autem

omnibus concurrentibus, nulla est ratio, quare talis homo non dicatur rite sacramenta suscipere, aut quare dicatur obicem ponere gratiæ. Ac proinde in tali debet simpliciter procedere doctrina Concilii, quod sacramenta nostra semper, et infallibiliter conferunt gratiam, non ponentibus obicem, et suscipientibus rite.

Confirmatur : nam quod sacramenta mortuorum conferant aliquando secundam gratiam, non est juxta peculiarem eorum significationem, aut institutionem primariam, juxta quam ordinantur ad primam hominis sanctificationem, et liberationem a statu peccati, ut satis constat ex dictis § præced. Sed provenit ex eo, quod operentur in virtute Dei parati ad communicandum hoc, aut illo modo gratiam in sacramentis, ubi rite suscipiuntur, et obex non adhibetur : et ideo si per accidens non potest produci gratia ut prima, vel quatenus primo sanctificans ; producitur tamen ut absolute fieri potest, nempe quantum ad augmentum. Ergo pariter licet sacramenta vivorum conferre primam gratiam, non sit juxta specialem eorum significationem, et institutionem primam, secundum quam ordinantur ad gratiæ præexistentis augmentum : nihilominus quia influunt virtute divina de se sufficienti ad inducendum hoc, aut illo modo gratiam in sacramentis, ubi nequeunt producere effectum proprium ob suppositionem accidentalem, producunt tamen aliquem fructum, ut absolute possunt : atque ideo causant aliquam gratiam, quæ quia aliam non supponit, dicitur prima, et peccatum expellit. Præsertim cum ad hoc non requiratur major, aut minor virtus ex parte sacramentorum : sed sufficiat quod contineant gratiam, illamque rite suscipientibus, seu non ponentibus obicem, de se conferant, ut loquitur Tridentinum. Quippe omnia hæc in nostro casu concurrunt.

115. Tertio probatur alia ratione (et simul magis evertitur præcedens responsio, quæ est principale Adversariorum motivum), nam ideo sacramenta vivorum non possent aliquo casu causare primam gratiam, quia sacramenta vivorum sunt, atque ideo primam gratiam vel tanquam dispositionem, vel tanquam conditionem præsupponunt : sed hæc ratio est nulla : ergo negari non debet, quod sacramenta vivorum causent in aliquo eventu primam gratiam. Probatur minor : nam aliquod sacramentum vivorum causat aliquando primam gratiam : ergo prædicta ratio in majori repræsentata nullius momenti est. Consequentia patet : quia prædicta ratio innititur principiis omni sacramento vivorum communibus, nempe in eo, quod sacramenta vivorum sunt, et consequenter secundum suam institutionem supponant primam vitam gratiæ : quare prædicta ratio vel nihil probat, vel æqualiter procedit in omnibus, et singulis mortuorum sacramentis ; ergo si semel aliquod viventium sacramentum causat aliquando primam gratiam ; corruit plane prædictum fundamentum. Antecedens autem probatur exemplo Extremæ unctionis : nam istam esse sacramentum viventium nullus Theologorum negavit. Porro tale sacramentum causare aliquando primam gratiam docent ex Adversariis Lugo disp. 12, *de Eucharistia* num. 16, et Dicastillo tra. 7. disp. 1, dub. 6, n. 84, referens pro eadem sententia (quæ est communissima) Bellarminum, et Sa. Et probatur efficaciter : nam sacramentum Extremæ unctionis remittit aliquando peccatum mortale, cum scilicet infirmus bona fide illud suscipit cum attritione, existimans se non habere peccata gravia, quæ confiteri debeat, et tamen re ipsa habet. Ex verbis namque Jacobi : *Et si in peccatis sit, dimittentur*. Et ex verbis Concilii Tridentini sess. 14, can. 2 : « Si « quis dixerit sacram infirmorum Unctio- « nem non conferre gratiam, nec remittere « peccata etc. anathema sit, » liquido colligitur prædictum sacramentum habere vim remittendi peccata : peccati autem nomine non solum veniale, sed præcipue, et multo magis mortale, licet venialibus non exclusis, significatur : quare sine fundamento quis limitaret illas propositiones universales, et doctrinales Apostoli, et Concilii ad sola peccata venialia. Durius autem foret illas restringere ad solas pœnas, aut peccatorum effectus : quia Concilium sess. cit. cap. 2, evidenter distinguit inter hæc, et ipsa peccata, cum ait : « Res porro, et effec- « tus hujus sacramenti illis verbis explica- « tur Jacobi 5 : Et oratio fidei salvabit in- « firmum, et si in peccatis sit, dimittentur « ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus « Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint « adhuc expianda, ac peccati reliquias « abstergit. » Et hoc ipsum colligitur ex forma

forma prædicti sacramenti : « Per istam « Sanctam unctionem, et suam piissimam « misericordiam indulgeat tibi Deus, quid- « quid peccasti per visum. Amen : » et sic in aliis sensibus. Quæ forma est distributiva, et complectens propriissime omne peccatum sensibus commissum : per sensus autem peccamus non solum leviter, sed mortaliter. Fateri itaque oportet sacramentum Extremæ unctionis remittere in aliquo casu peccatum mortale : quod præstare nequit, quin in prædicto eventu conferat primam gratiam.

Explicatur amplius. Unde breviter repræsentatur propositum fundamentum : nam si sacramenta vivorum in nullo eventu causarent primam gratiam, id haberent ex communi sacramenti viventium conceptu : atque ideo nullum vivorum sacramentum causaret in ullo eventu gratiam primam : consequens est falsum, ut patet in Extrema unctione, quæ est sacramentum viventium, et tamen in aliquo casu remittit peccatum mortale, quod absque productione primæ gratiæ justificantis non fit : ergo falsum est sacramenta viventium non causare in aliquo casu primam gratiam. Et hinc magis apparet debilitas responsionis Adversariorum numer. præcedent. propositæ, nempe statum peccati esse obicem ad recipiendum effectum sacramentorum viventium, et non sufficere dispositionem per attritionem supernaturalem, et bonam suscipientis fidem. Apparet, inquam, evidentius : nam sacramentum extremæ unctionis, quando remittit peccatum mortale, nullam aliam nobiliorem supponit in infirmo dispositionem, quam illam attritionem, ac fidem ; et quod infirmus sit in statu peccati non sufficit, ut dicatur ponere obicem gratiæ hujus sacramenti viventium, aut non rite ipsum suscipere. Cur ergo id ipsum non continget in aliis viventium sacramentis ?

Effugium. 116. Respondent hoc convenire specialiter Extremæ unctioni, et non posse, aut debere extendi ad alia sacramenta viventium. Assignant autem duas disparitatis rationes : Primam, quod in ipsa forma Extremæ unctionis significatur virtus, quam habet delendi aliquando peccatum grave, ut nos proxime ponderavimus ; unde cum fundamento satis gravi asseritur prædictum sacramentum communicare aliquando primam gratiam justificantem : nihil autem simile occurrit in aliorum sacramentorum viventium formis, ut consideranti constabit ; unde non adest fundamentum attribuendi eisdem talem virtutem. *Secundam*, quod sacramentum Extremæ unctionis est quandoque summe necessarium ad salutem, ut contingit, cum moribundus nequit aliud jam sacramentum suscipere, et difficillimum ipsi est ob mortis angustias elicere actum contritionis perfectæ : unde præsumendum est de divina misericordia ita providisse, quod sacramentum Extremæ unctionis cum aliqua attritione supernaturali conferat gratiam. Hæc autem summa necessitas non occurrit in aliis viventium sacramentis ; cum aliter possit eorum carentia suppleri, ut facile constat : quare non oportet concedere, quod causent aliquando aliam gratiam, præter illam, quam per se conferunt, et est gratia secunda, seu gratiæ augmentum.

Confirmatur. Cæterum hæc responsio non satisfacit, sed in suo robore relinquit propositum fundamentum, quod proinde reintegratur sub hac forma : nam ex quacumque radice, necessitate, aut dispositione procedat, quod Extrema unctio conferat aliquando primam gratiam ; satis declarat non esse incompossibiles has rationes, nempe quod aliquod sacramentum sit sacramentum viventium, et quod nihilominus causet gratiam primam. Ergo quod sacramenta sint sacramenta viventium, non est motivum sufficiens, ne dicatur non posse aliquando primam gratiam producere. Atqui istud est motivum, propter quod Adversarii negant sacramenta vivorum efficere aliquando primam gratiam. Ergo absque sufficienti fundamento, cum ita negant, procedunt. Declaratur hoc amplius : quia certum est Extremam unctionem, in quocumque eventu, aut necessitate adhibeatur, non causare primam gratiam per se (de quo infra fusius dicemus), hoc est, secundum suam particularem significationem, et differentiam : quippe quod est sacramentum viventium, et peculiariter ordinatur ad reparandum vires gratiæ, quam in subjecto supponit. Ergo solum potest præstare effectum conferendi primam gratiam, et justificandi ex conceptu aliquo communi, nempe quia est sacramentum legis gratiæ, de cujus generali ratione est esse causativum gratiæ, abstrahendo ab eo, quod sit prima, vel secunda. Sed manifestum est hanc ipsam communem rationem sacramenti legis

gratiæ participari etiam in omnibus aliis viventium sacramentis. Ergo qua ratione sacramentum Extremæ unctionis causat aliquando primam gratiam, eadem etiam ratione cætera viventium sacramenta possunt illam aliquando causare.

Dispellitur primum motivum oppositum.

117. Unde motiva, quæ responsio repræsentat, ut salvet esse quasi privilegium solius Extremæ unctionis inter sacramenta viventium, quod aliquando causet primam gratiam, nullius fere momenti sunt, ut quæ facile queant aliis viventium sacramentis applicari. Primum, quia sicut de Extrema unctione dicit Jacobus : *Et si in peccatis sit, remittantur ei ;* sic in forma Eucharistiæ dicitur : *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Ecclesia petit in quadam collecta, quod Eucharistia sit *ablutio scelerum.* Et forte non plura apud Patres reperiuntur testimonia significantia Extremam unctionem tollere aliquando peccatum, quam apud eosdem sint attribuentia Eucharistiæ eundem effectum. Nam D. Augustinus supra relatus a D. Tho. affirmat *Eucharistiam vivificare mortuos.* D. Justinus Martyr in resp. ad 44 *Gentium* quæst. ait : « Christus esu sanctæ carnis suæ peccata impiorum expiat. » P. N. S. Cyrillus lib. 4 *in Joan.* cap. 47, inquit : « Non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. » S. Damascenus lib. 4, *de fide* cap. 14, ait : « Omne incommodum propulsat, eamque vim habet, ut spurcitiam omnem abstergat. » Et plura alia similia in Patribus occurrunt. Et quod plus est, Concilium Tridentinum hunc effectum in Eucharistia supponit, quando sess. 13. can. 5, statuit : « Si quis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire ; anathema sit. » Si ergo ob significatam remissionem peccatorum vel in Apostolo Jacobo, vel in forma Extremæ unctionis asseritur illam præstare aliquando remissionem peccatorum : cum similia circa sacramentum Eucharistiæ occurrant ; nequit nisi inconsequenter agendo negari, quod præstet aliquando talem effectum. Unde liquet : illud non esse privilegium Extremæ unctionis, sed aliquid aliis viventium sacramentis commune.

(Margin: Ecclesia. — D. Aug. D. Just. N. Cyril. D. Dam. — Concil. Trident.)

Refellitur secundum.

Et simili facilitate excluditur secundum : tum quia quod moribundus in eo aliquando statu sit, ut nequeat aliud sacramentum recipere, nec elicere contritionem, est per accidens, sicut etiam aliquando contingit esse in eo statu, ut deficientibus sensibus nequeat attritionem concipere : quare prædicta necessitas non inducit necessitatem asserendi sacramentum Extremæ unctionis conferre aliquando primam gratiam: sed quod habeat hunc effectum provenit ex principiis supra assignatis, nempe quod est sacramentum legis gratiæ, et subinde habet vim gratiam conferendi omnibus non ponentibus obicem ; sicut contingit, quando moribundus cum attritione, et bona fide suscipit Extremam unctionem. Id vero commune est omnibus sacramentis, ut ex se liquet. Tum etiam quia similis necessitas potest occurrere in aliis sacramentis, ut si quis apprehenderet non habiturum fortitudinem ad confitendum fidem coram tyranno jam jam incutiente mortem, nisi suscepto prius sacramento confirmationis, aut etiam Eucharistiæ ; et non facile posset in his angustiis positus elicere contritionem. Sed revera hæc omnia sunt per accidens, et magis attendi debet commune principium superius assignatum, quod evincit vim causandi gratiam (abstrahendo a prima, et secunda) commune quid esse omnibus nostris sacramentis, ut satis aperte significat Concil. Tridentinum locis supra relatis.

§ III.

Incidentis difficultatis decisio.

118. Ea vero, quæ hactenus diximus, evincere videntur, quod sacramenta viventium non solum causent aliquando primam gratiam, sed quod illam causent per se. Probavimus namque primum illud ex eo, quod Concilium Tridentinum docet sacramenta novæ legis de se conferre gratiam omnibus illa rite suscipientibus, sive non ponentibus obicem : at nomine gratiæ intelligitur prima gratia, sive illa, quæ justificat : quippe gratiæ augmentum non dicitur absolute gratia, sed cum addito gratia secunda : sequitur ergo, quod sacramenta viventium causent primam gratiam per se. Idque magis ex eo confirmatur, quod in naturalibus videmus omne agens potens per se intendere sive augere aliquem habitum, posse etiam per se illum producere, quin et de facto ipsum producere exercite,

(Margin: Moti ut sa men vivor dicar caus prim grati per)

exercite, si non reperiat productum : ergo pariter in his supernaturalibus sacramenta, quæ possunt per se augere gratiam, possunt etiam illam per se producere : cum igitur sacramenta viventium valeant per se augere gratiam ; sequitur, quod illam possint producere per se, et ita de facto illam producant. Quod et quantum ad rem ipsam, et quantum ad modum loquendi amplectuntur Nugnus in præs. art. 1, difficult. 2, Joannes a Cruce *in directorio conscientiæ* 2 part. *de sacram.* quæst. 2, dub. 2, concl. 3, et in eamdem sententiam multum inclinat Joann. a S. Thom. in præs. dub. 2.

[gnus. ...nn. a ...ruce. ...n. a ...Thom.]

[...erior ...nten-tia.]

Sed non oportet recedere a communi sententia, et loquendi modo, pro quibus stant omnes alii Auctores num. 111. relati. Et prabatur primo : quoniam ita se habent sacramenta vivorum ad causandum primam gratiam, sicut se habent sacramenta mortuorum ad causandum gratiam secundam, sive gratiæ augmentum : sed sacramenta mortuorum, licet aliquando causent augmentum gratiæ, illud non causant per se, sed per accidens, ut supra diximus num. 108 ; ergo licet sacramenta viventium causent aliquando primam gratiam, tamen non causant illam per se, sed per accidens. Consequentia legitime deducitur a paritate, quæ magis explicatur in hunc modum : quoniam ideo sacramenta mortuorum non causant per se augmentum gratiæ, quia causant per se gratiam primam : et ideo habent per se primam gratiam causare, quia id habent ex speciali sua significatione, atque institutione in ordine ad finem sibi proprium, ut loc. cit. magis explicuimus. Hic autem discursus eodem modo militat in præsenti materia : quia sacramenta vivorum causant per se gratiam secundam : id autem ex eo habent, quia juxta specialem suam significationem, et peculiarem finem ordinantur ad perficiendum, et augescendum gratiam, quam præsupponunt, ut facile consideranti constabit.

[...bora-...ur.]

Confirmatur : quia nisi id dicamus, confunditur, et tollitur de medio differentia inter sacramenta mortuorum et sacramenta vivorum : quod est contra communem Theologorum sententiam innitentem doctrinæ Conciliorum, quæ prædictam distinctionem haud obscure significant. Sequela ostenditur : nam illa differentia non in alio fundatur, quam in eo, quod aliqua sacramenta ordinantur per se ad mortuos spiritualiter suscitandos, subindeque ad communicandum primam gratiam expulsivam peccati ; et hæc dicuntur sacramenta mortuorum : alia vero ordinantur per se ad perficiendum, atque augendum vitam spiritualem gratiæ jam præsuppositæ, prondeque ad causandam gratiam secundam, quæ ita dicitur, quia advenit subjecto jam grato, sive existenti in statu justitiæ. Hæc autem distinctio confunditur, et penitus subruitur asserendo sacramenta viventium causare primam gratiam per se : inde enim fit, quod omnia novæ legis sacramenta primam gratiam per se causent, et vitam spiritualiter inducant.

119. Nec satisfacit, si dicatur hoc motivum convincere quidem, quod non omnia sacramenta novæ legis secundum proprias, et specificas differentias considerata habent causare per se primam gratiam ; non tamen evincere, quod considerata secundum gradum communem, et genericum sacramenti legis evangelicæ non causent primam gratiam per se. Nam etsi secundum suas particulares significationes, atque institutiones quædam habeant causare gratiam primam, et quædam gratiam secundam ; nihilominus considerata secundum gradum omnibus communem cuncta conferunt per se primam gratiam : quia sacramentum legis evangelicæ ut sic habet, quod gratiam prædicto modo producat. Id, inquam, nec satisfacit, nec probabiliter dicitur. Tum quia implicat, quod differentia distinguens unam speciem ab alia sit ratio communis ex parte generis, atque in utraque specie participetur : sicut implicat, quod rationale distinguens speciem hominis ab specie equi sit ratio communis ex parte animalis, et participetur tam in homine, quam in equo ; idemque potest inductive ostendi : sed producere per se primam gratiam est differentia distinguens sacramenta mortuorum a sacramentis vivorum : ergo repugnat, quod producere primam gratiam sit ratio communis, se tenens ex parte generis, atque in utraque specie illorum sacramentorum participetur. Tum etiam quia differentia constitutiva speciei nequit repugnare generi ; siquidem ex illa, et genere fit unum per se, nempe species : hoc autem contingeret, si ratio communis generica nostrorum sacramentorum importaret producere per se primam

[Responsio.]

[Confutatur.]

gratiam : ergo minime dici potest, quod omnia sacramenta nostra conveniant tanquam in ratione generica in hoc, quod est producere per se primam gratiam. Probatur minor : quia sacramenta vivorum quatenus talia, et secundum propriam differentiam, qua in esse talium constituuntur, important non producere per se primam gratiam, sed gratiæ præexistentis augmentum, et perfectionem : manifestum autem est, quod non producere per se primam gratiam opponitur huic, quod est producere per se gratiam primam, ut ex terminis liquet.

Major responsionis eversio. Confirmatur manifestando amplius, atque evertendo metaphysicam præmissæ responsionis subtilitatem, in præsenti materia satis impertinentem : quia Christus Dominus, ex cujus institutione habent sacramenta nostra, quidquid habent, non instituit aliquod sacramentum in genere, vel, quod in idem redit, aliquem conceptum logice communem sacramenti;sed instituit sacramenta in particulari, et in ordine ad peculiares fines, prout in ipsa praxi contingit. Instituit itaque baptismum ad remittendum peccatum originale, et regenerandum nos in filios Dei : unde baptismus per se habet non supponere gratiam, sed primam gratiam conferre. Instituit etiam pœnitentiam ad remittendum peccata commissa post baptismum, et ad reparandam amicitiam per peccata rescissam : quare pœnitentia habet per se non supponere amicitiam, seu gratiam, sed illam per se causare. Instituit præterea confirmationem ad roborandum gratiam in ordine ad confessionem fidei : quocirca confirmatio supponit per se gratiam, et inducit per se illam gratiæ perfectionem. Similiter instituit Eucharistiam ad nutriendum et perficiendum nos in vita spirituali, quam per gratiam habemus : et ideo Eucharistia supponit per se gratiam, et ordinatur per se ad superaddendum illud augmentum. Idemque contingit in aliis tribus sacramentis, scilicet Extrema unctione, Ordine, et Matrimonio. Constitutis autem hujusmodi specialibus institutionibus,supervacaneum, et fictitium est dicere, quod sacramenta habent ex gradu generico producere per se primam gratiam ; siquidem ut patet ex præmissis, Christus non instituit sacramenta in genere, sed in specie, dando scilicet sacramentis mortuorum, quod efficerent per se primam gratiam : et dando sacramentis vivorum, quod producerent per se non primam gratiam, sed gratiæ præexistentis augmentum. Et quamvis suppositis omnibus his speciebus a Christo Domino in particulari institutis, possit intellectus noster abstrahere conceptum genericum sive logice communem, in quo omnes illæ species conveniant, nempe rationem sacramenti novæ legis ; nihilominus hic conceptus non est conceptus causandi per se primam gratiam, quippe in eo non conveniunt omnia nostra sacramenta, ut declaravimus ; sed est conceptus causandi gratiam præscindendo a prima, et secunda, sive abstrahendo a modis causandi per se primam gratiam, et causandi per se non gratiam primam, sed gratiæ augmentum. Unde nulla ratione verificari valet, quod sacramenta viventium adhuc ex conceptu generico causent per se primam gratiam : quippe cum ipse conceptus genericus ab isto causandi modo præscindat. Omittimus ut non necessarias alias impugnationes, quæ videri possunt in Arauxo art. 6, dub. 1, num. 74, Prado dub. 6, § 3, Suarez disp. 7, sect. 2, dub. 2, Gonet disp. 3, art. 4, a num. 156 et aliis, qui prædictum dicendi modum attigerunt. Ar[...] s[...] G[...]

120. Motivum autem pro illo propositum non urget : sed diluitur juxta doctrinam immediate traditam : quia gratiæ vocabulo significatur non solum gratia quoad primum esse, sed etiam augmentum gratiæ : sicut quilibet gradus caloris est vere calor. Unde quia omnia sacramenta nostra causant per se vel primam gratiam, vel gratiæ augmentum ; merito Concilium Tridentinum asseruit in communi omnia sacramenta novæ legis causare gratiam. Sed ubi ad species sacramentorum in particulari descendimus; illa communis propositio accipienda est cum distributione accommoda, ita scilicet quod sacramenta mortuorum causant per se primam gratiam, non autem gratiæ augmentum ; e contra vero sacramenta vivorum causant per se augmentum gratiæ, non autem gratiam primam. Et ratio constat ex supra dictis. Quod si aliquando Theologi gratiæ vocabulo solent significare primam gratiam, ut condistinguitur contra augmentum ; id faciunt, ut cum majori claritate, et distinctione explicent aliquas res, sic exigente materia, quam versant, ut cum agunt de merito. Di[...] mo[...] co[...] r[...]

merito. Sed in præsenti ea usurpatio non requiritur; sed magis quod et gratia prima, et gratia secunda dicatur gratia, ut reipsa est.

on- tio. Ad confirmationem respondetur antecedens verificari in agentibus principalibus, quæ si possunt habitum, aut aliquem alium effectum perficere, vel augere, possunt etiam illum primo efficere : sed non est universaliter verum in agentibus instrumentalibus : nam ut experientia liquet, solent dari instrumenta, quæ perficiunt ultimo artefactum, et tamen non deserviunt ad primam ejus formationem. Et idem videmus in virtutibus instrumentariis naturalibus : potentia namque nutritiva, et augmentativa ordinantur ad perficiendum individuum genitum, quod tamen non possunt primo producere, nec ad hunc finem ordinantur. Unde ex præmissa confirmatione solum infertur, quod Deus, qui est causa principalis causans per se augmentum gratiæ, possit etiam per se concurrere ad primam gratiæ productionem. Sed minime probatur, quod instrumentum, seu sacramentum ordinatum ad producendum augmentum gratiæ, illudque proinde per se producens, ordinetur ad producendum primam gratiam; atque ideo quod illam per se efficiat. Quam responsionem facile percipiet, qui attendat distingui debere in instrumentis et virtutem, qua agunt, et motionem, sive ordinationem, qua applicantur, et moventur. Si enim sacramenta, quæ sunt instrumenta Dei, considerentur ex parte virtutis divinæ qua agunt, potentia quidem sunt ad producendum tam gratiæ augmentum, quam primam gratiam, et hos effectus quandoque attingunt. Sed si considerentur ex parte ordinationis, et motionis, quædam diriguntur per se ad producendum primam gratiam; et hæc sacramenta non producunt per se gratiæ augmentum : quædam vero ordinantur per se ad producendum augmentum gratiæ; et non producunt per se gratiam primam. Et hoc ultimo modo se habent sacramenta viventium. Quare licet ratione virtutis divinæ, cui in agendo subduntur, possint producere primam gratiam, illamque aliquando producant, ut statuimus § præced. nihilominus ex vi ordinationis, et motionis, qua in agendo procedunt, non producunt per se talem gratiam; sed attingunt illam per accidens, et loco augmenti, ad quod attingendum ex vi suæ institutionis diriguntur.

121. Juxta quam doctrinam dilutum manet aliud argumentum, quo Auctores supra relati utuntur, et est hujusmodi : sacramenta omnia legis evangelicæ continent per se virtutem passionis Christi; sed hæc per se producit non solum gratiæ augmentum, sed primam gratiam : ergo idem dicendum est de omnibus nostris sacramentis. Sed ut diximus, dilutum relinquitur : quia licet sacramenta nostra contineant per se virtutem passionis Christi; nihilominus eam non continent cum ea universalitate, sive indifferentia, qua prædicta virtus est in passiones tanquam in instrumento ad omnem effectum communi : sed important eam virtutem ut applicatam instrumentis ordinatis ad determinatos effectus. Et plane eodem argumento convinceretur omnia sacramenta nostra producere per se augmentum gratiæ, quippe quæ continent virtutem passionis Christi, quæ potest per se producere tale augmentum. Oppositum autem contingit in sacramentis mortuorum, ut constat ex supra dictis num. 108. Et ratio est, quam jam assignavimus, nempe virtutem passionis determinari in singulis sacramentis ad effectus particulares, juxta propriam uniuscujusque sacramenti significationem, et institutionem. Nec inde colligi debet, quod supposita ordinatione hujusmodi nec sacramenta mortuorum poterunt producere augmentum gratiæ, nec sacramenta vivorum gratiam primam. Id, inquam, colligendum non est : quia ex præmissa doctrina solum sequitur, quod talia sacramenta non producant eos effectus per se, et quantum est de sua significatione, et ordinatione ad speciales fines. Sed cum contineant simul virtutem passionis Christi ad eos effectus sufficientem; ubi proprios effectus ob suppositionem aliquam accidentalem inducere non possunt, producant saltem per accidens alios effectus : et ita sacramenta mortuorum, ubi non possunt producere primam gratiam, quia illa supponitur in subjecto, producunt augmentum illius : et similiter sacramenta vivorum, ubi non valent efficere gratiæ augmentum, quia nulla in subjecto gratia præsupponitur, efficiunt primam gratiam. Et rem ira contingere jam supra ostendimus.

Dispellitur alia objectio.

Possunt autem præmissa amplius con-

Doctrina D. Thom.

firmari testimonio D. Thomæ, quo minus bene utuntur Auctores supra relati ad suæ causæ patrocinium ; cum revera nostræ, et communi suffragetur. Docet D. Thomas infra quæst. 79, art. 3, agens de Eucharistia, quod « virtus hujus sacramenti « potest considerari dupliciter : uno modo « secundum se. Et sic hoc sacramentum « habet virtutem ad remittendum quæ- « cumque peccata ex passione Christi, quæ « est fons, et causa remissionis peccato- « rum. » Unde subinferunt illi : sed remissio peccatorum fit per infusionem primæ gratiæ : ergo sacramentum Eucharistiæ , quod est unum de sacramentis vivorum habet ex se, et per se virtutem causandi primam gratiam, illamque ex sententia D. Thomæ causat prædicto modo ; atque ideo idem oportet asserere de cæteris vivorum sacramentis. Cæterum non recte colligunt sed parallogizant sumendo particulam *secundum se*, quia utitur D. Thom. pro particula *per se :* quæ tamen distant toto
Nota. cœlo. Nam particula *secundum se*, idem valet, ac in abstracto, et præscindendo a modis determinationis, et ordinationis, cum quibus virtus passionis Christi reperitur in Eucharistia, et in alis sacramentis. Est itaque sensus S. Doctoris, quod si virtus tam Eucharistiæ, quam cæterorum sacramentorum consideretur secundum se, absolute, et præcise a modis determinantibus ; sic habet vim remittendi omnia peccata, sive ista remittantur semper per se, sive remittantur aliquando per accidens. Sed si consideretur ea virtus magis contracta, et comparative (quod immediate proponit. D. Thom.) ad subjecta sacramentorum ; dividenda est in duas quasi species: nam ad quædam sacramenta descendit, ut remittat per se peccata ; unde in talibus sacramentis (quæ sunt mortuorum) producit per se primam gratiam, augmentum autem gratiæ non nisi per accidens : ad quædam autem sacramenta descendit, non ut remittat peccata, sed ut gratiam præexistentem augeat, et foveat ; quare in talibus sacramentis (quæ sunt viventium), producit per se gratiæ augmentum, primam vero gratiam non nisi per accidens. Hæc plane est D. Thomæ sententia, et nostra, ut liquet ex articuli contextu, præsertim autem ex resp. ad 3, quod ita se habebat : Hoc sacramentum agit in virtute passionis Christi, sicut et baptismus : sed per baptismum dimittuntur peccata mortalia : ergo et per hoc sacramentum. Ad quod respondet : « Dicendum, quod baptismus est spiri- « tualis generatio, quæ est mutatio de non « esse spirituali in esse spirituale, et datur « per modum ablutionis etc. Sed per hoc « sacramentum homo sumit in se Christum « per modum spiritualis nutrimenti, quod « non competit mortuo in peccatis. Et ideo « non est similis ratio.» Nullo itaque modo ex D. Thomæ sententia dici potest Eucharistiam, et cætera viventium sacramenta dimittere per se peccata, aut conferre per se gratiam primam.

§ IV.

Refertur opinio nostræ assertioni contraria.

122. Oppositam nobis sententiam tuentur Gerson alphab. 90, litt. G, et super Magnificat tract. 9, part. 3, Major in 4, distinct. 9, quæst. 1, Gabriel ibidem quæst. 2, art. 1, notab. 1, et *in can. Missæ* lect. 8, Villalobos tract. 4, difficult. 7, num. 4, Vazquez disp. 105, cap. 4, Lugo *de Eucharist.* disp. 12, section. 1, Dicastillo *de Eucharistia* disp. 8, dub. 7, num. 102, Gaspar Hurtado disput. 3, difficult. 4, Bernal, disp. 11, sect. 2, Mæratius *de confirmatione* disp. 6, concl. 2, Bonæspei disp. 2, dub. 4, resolut. 1, et quidam alii. Solent etiam aliqui pro hac opinione referre D. Bonaventuram, Scotum, et alios antiquos, sed immerito, quia vel difficultatem non attingunt, vel communem docent sententiam Ex Auctoribus autem proxime relatis nonnulli suam doctrinam limitant excipientes a communi, quam statuunt, regula, aliquod sacramentum, utputa vel Extremam unctionem, vel Eucharistiam, quos tanquam minus consequentes valide refellit Bernal loco cit. a num. 45. Sed id litigium parum nostra refert, eoque omisso

Arguitur primo : quia cum effectus sacra-cramentorum ex opere operato pendeant ex voluntate Dei, quæ nobis non aliter revelatur, quam in doctrina Scripturæ, Conciliorum, et Patrum ; non oportet sacramentis attribuere ullum effectum, nisi de illo constet ex prædicta doctrina : sed quod sacramenta vivorum causent aliquando, licet per accidens, primam gratiam ex opere operato, est quidam effectus satis singularis, et nobilis; et ut illum asseramus, nullum

nullum habemus fundamentum in doctrina Scripturæ, Conciliorum, et Patrum : ergo minus recte asserimus sacramenta vivorum causare aliquando per accidens primam gratiam.

[...]tur. Respondetur argumentum in primis regerendum esse in opponentes sub eadem fere forma : nam quod sacramenta mortuorum causent aliquando per accidens non vitam gratiæ, sed hujus vitæ augmentum, est effectus satis singularis, et nobilis, qui proinde asseri non debet nisi fundamento desumpto ab auctoritate Conciliorum, et Patrum : sed nihil in his occurrit, unde convincatur dari talem effectum ; vel si occurrit, militat etiam proportionabiliter in nostro casu : ergo prædicti Auctores minus recte docent sacramenta mortuorum causare aliquando non primam gratiam, sed gratiæ augmentum : atque ideo et inconsequenter procedunt, et quærere debent responsionem omnibus communem. Respondemus secundo negando minorem : oppositum enim constat ex dictis § 2, ubi assertionem nostram deduximus ex doctrina (plane ab Scriptura desumpta) Concilii Tridentini generaliter statuentis omnia nostra sacramenta conferre gratiam omnibus illa rite suscipientibus, et non ponentibus obicem : sic autem se habent, quotquot attriti, et cum bona fide, sive absque notitia peccati gravis accedunt ad sacramenta vivorum : quare summo fundamento affirmamus istos recipere gratiam : et cum contingat esse in statu peccati, quod ignorant ; consequuntur, licet per accidens gratiam primam, et remissionem peccatorum. Accedit plures Patres id asserere de Eucharistia , plures etiam Theologos comprehendendo aliquos nobis in hac causa contrarios, idem dicere de Extrema unctione : militat autem eadem ratio in cæteris omnibus viventium sacramentis, ut supra ponderavimus. Accedit præterea nos, qui modo scribimus, atque asserimus sacramenta vivorum causare aliquando per accidens gratiam primam, procedere cum satis gravi fundamento desumpto ab auctoritate quasi communi Theologorum : reperimus namque id assertum apud D. Thomam, et alios plurimos relatos num. 111, qui paucos proxime recensitos, id negantes, magno excessu superant et multitudinis exercitu, et doctrinæ auctoritate.

123. Arguitur secundo: quia sacramenta vivorum non causant in adultis suum effectum, qui est gratia, nisi præsupposita dispositione ad talem effectum; hæc autem dispositio non est sola attritio, sed contritio, aut status gratiæ: ergo prædicta sacramenta non causant gratiam in eo subjecto, qui præsupponitur esse in statu peccati. Nec sufficiet respondere, quod licet homo sit attritus, et non contritus, nec in statu gratiæ ; nihilominus accedit cum bona fide putans se esse contritum ; et ita non ponit obicem effectui talium sacramentorum. Nam contra hoc est, quod attritus putans se esse contritum non est magis dispositus ad suscipiendum sacramenta vivorum, quam qui attritus cognoscit se esse præcise attritum: quippe ignorantia non potest hominem constituere magis dispositum : sed qui attritus cognoscit se esse præcise attritum non est dispositus ad suscipiendum vivorum sacramenta, quin potius ea suscipiendo graviter peccaret: ergo idem dicendum est de eo, qui cum sit præcise attritus, judicat cum ignorantia invincibili se esse contritum. Secundum argumentum.

Respondetur dispositionem requisitam per se loquendo ad sacramenta vivorum esse contritionem, sive statum gratiæ : cæterum dispositionem per accidens sufficientem, ut prædicta sacramenta conferant etiam per accidens suum effectum, esse attritionem, quam quis invincibiliter judicat contritionem ; sive et in idem redit, ubi quis ex ignorantia invincibili, atque bona fide judicat se esse in statu gratiæ. Et in hoc sensu procedit responsio inter arguendum data, quæ optima est. Et ad ejus impugnationem distinguenda est major, et concedenda si intelligatur de dispositione positiva; negari vero debet, si intelligatur de dispositione negativa: et deinde concessa minori, negamus absolute consequentiam. Etenim licet ignorantia invincibilis non præstet, quod attritio existimata faciat hominem magis in se positive dispositum; præstat nihilominus, quod sit magis dispositus negative, id est, minus indispositus. Quare ille, qui cum attritione sola, et cognita, accederet ad sacramenta vivorum, accederet cum dispositione contraria, et poneret positive obicem sacramento. Quod minime contingit in eo, qui cum bona fide, et conscientia existimans se esse in statu gratiæ, aut perfecte contritum accedit; non accessurus, si cognosceret se non esse dis- Diluitur

positum: hic enim ex vi modi, quo accedit, rite accedit, et nullum ponit obicem gratiæ: unde omnes concedunt sic accedentem minime peccare.

Tertium argumentum. 124. Arguitur tertio : quia sacramenta vivorum per se, et ex sua institutione non causant primam gratiam, ut satis constat ex dictis § præcedenti : ergo nec per accidens possunt prædictam gratiam causare. Probatur consequentia : nam quando aliquid convenit alicui per se, ejus oppositum nequit illi convenire per accidens : sicut quia albo convenit per se disgregare visum, nequit albo convenire per accidens congregare.

Dispellitur. Respondetur retorquendo argumentum in adversarios : nam sacramenta mortuorum per se, et ex institutione sua causant non gratiæ augmentum, sed primam gratiam : et tamen ipsi non negant, quod sacramenta mortuorum causent aliquando per accidens gratiæ augmentum : ergo ex eo, quod sacramenta vivorum per se, et sua institutione non causent primam gratiam, minus recte colligunt, quod non possint aliquando per accidens illam causare. Concesso itaque antecedenti negamus consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est, quod dupliciter potest aliquid convenire alicui per se : uno modo ex prædicatis intrinsecis naturalibus : alio modo ex primaria ordinatione instituentis. Et quando aliquid convenit alicui per se primo modo, nequit oppositum convenire illi per accidens : et sic in naturalibus contingit, quia natura determinat ad unum. Sed quando convenit per se secundo modo, sive ex ordinatione instituentis, et disponentis, fieri valet, quod oppositum contingat per accidens : et sic frequenter accidit in artificialibus ; quia ipsa libera institutio dat locum, ut sequatur per accidens aliquis effectus præter illum, qui intenditur primario. Unde sæpe videmus medicinam ordinatam ad unum effectum, et quæ illum per se inducit, causare alium longe diversum. Et hoc priori modo habent sacramenta viventium causare per se augmentum gratiæ : unde fieri potest, quod per accidens causent primam gratiam, quando scilicet hæc in subjecto non præsupponitur, nec subjectum adhibet obicem sacramentorum causalitati.

Quartum argumentum. 125. Arguitur quarto : quia Eucharistia nec per accidens potest causare primam gratiam sive hominis justificationem : ergo falsum est sacramenta viventium causare saltem per accidens primam gratiam. Consequentia patet tum ex paritate unius sacramenti ad alia. Tum ex eo, quod si prædicta excellentia deberet attribui alicui viventium sacramento, præsertim attribueretur omnium excellentissimo, nempe Eucharistiæ. Antecedens autem probatur primo : quia cibus quantumcumque applicetur mortuo, nequit illi vitam communicare : sed Eucharistia est sacramentum institutum per modum cibi spiritualis : ergo quando applicatur homini spiritualiter mortuo, nempe existenti in statu peccati, nequit illi communicare spiritualem vitam consistentem in prima gratia, sive hominis justificatione. Secundo, quia Eucharistia in supernaturali ordine se habet sicut potentia nutritiva in ordine naturali ; sed hujusmodi potentia in naturali ordine non potest causare primam vitam, quin potius eam essentialiter præsupponit, et deinde fovet, et auget : ergo Eucharistia in supernaturali ordine nequit causare primam gratiam, sed adæquatus ejus effectus est nutrire, et conservare vitam gratiæ, quam supponit.

Respondetur negando antecedens, oppositum enim constat ex supradictis, præsertim num. 117. Ad primam autem ejus probationem, omittendo præmissas, negamus consequentiam ob satis notam disparitatem : nam in primis principium vitæ corporalis non est in cibo, sed in eo, qui illo utitur, atque in se convertit : sed principium vitæ spiritualis est in Eucharistia, quæ se non convertit in hominem, sed hominem convertit in Christum. Præterea corporaliter mortuus nullam habet actionem, qua disponatur ad vitam, vel ad cibum, qui præstet vitam : sed mortuus spiritualiter potest cum auxiliis gratiæ elicere plures operationes supernaturales cum statu peccati compossibiles, quibus saltem imperfecte disponatur ad gratiæ vitam, et ad cibum, qui illam communicet. Et sic contingit in materia, quam versamus : nam ex una parte Eucharistia continet vitam, et habet virtutem illam conferendi : et ex alia parte, qui bona fide existimat se esse in statu justitiæ, elicitque actus fidei, spei, et attritionis, aliquomodo licet imperfecte disponitur ad vitam gratiæ, nullumque illi obicem ex modo accedendi ponit : quare

quare Eucharistia sic sumpta dat illi etsi per accidens talem vitam, et resuscitat spiritualiter mortuum. Et hinc etiam patet ad secundam probationem : nam illa similitudo non tenet in omnibus, sed solum quantum ad hoc, quod sicut potentia nutritiva naturalis supponit essentialiter vitam, ita Eucharistia per se loquendo, et juxta particularem institutionem supponit gratiam. Sed interest discriminis, quod potentia nutritiva tenet se ex parte viventis : ideo si vivens non supponatur, nequit dari talis potentia, nec exercere ullam operationem. Potentia vero nutritiva in spiritualibus, seu virtus convertendi non se tenet ex parte hominis, sed ex parte cibi, sive Eucharistiæ : quare non est essentiale, quod talis potentia supponat hominem vivum ; sed potest saltem per accidens suam virtutem circa mortuum exercere, atque illum, ubi non ponit obicem, suscitare.

DUBIUM VIII.

Utrum omnia sacramenta nostra causent æqualem gratiam ?

Ex hactenus dictis constat,et quod sacramenta nostra sint gratiæ causæ, et quem modum causandi habeant. Modo videre restat, utrum habeant æqualitatem ex parte effectus, producendo scilicet gratiam æqualem. Porro gratiæ nomine non significamus gratiam sacramentalem secundum id, quod supra gratiam sanctificantem, et communem addit : de illa enim dicemus dub. seq. et hic supponitur, quod sicut sacramenta sunt diversa, sic etiam diversas gratias sacramentales efficiunt. Gratiæ itaque nomine in præsenti sola gratia habitualis, sanctificans, et communis venit intelligenda. In hujusmodi autem gratia duplex inæqualitas posset apprehendi ; una penes essentiam, ut contingeret, si darentur gratiæ sanctificantes specifice distinctæ ; alia vero penes intentionem, ut accidit, quando una gratia est minor, verbi causa ut quatuor, et alia major, v. g. ut octo. Sed prior comparatio locum non habet : quia implicat dari plures gratias sanctificantes specifice diversas ; atque ideo dari aliam gratiam sanctificantem essentialiter nobiliorem illa, quam de facto habemus, ut ex professo ostendimus Tract. 14, dub. 8. Et saltem de præsenti non datur talis essentialis inter gratias sanctificantes inæqualitas, ut docent omnes. Quare difficultas præsens revocatur ad solam æqualitatem secundum intensionem, ut sensus sit, an omnia sacramenta causent gratiam in eodem gradu intensionis. Deinde observandum est prædictam comparationem fieri posse vel inter sacramenta specie diversa, ut inter baptismum, et confirmationem, et sic de aliis ; vel inter sacramenta numero diversa, ut inter duo baptismata. Similiter prædicta comparatio potest fieri vel per respectum ad subjecta æqualiter se habentia, ut si duo baptismata conferantur duobus parvulis ; vel per respectum ad subjecta inæqualiter disposita, ut contingit, quando duo adulti confirmantur, unus cum attritione ut duo, et alius cum attritione ut quatuor, vel cum unus cum attritione et alius cum contritione. Juxta præmissas itaque distinctiones curabimus majoris claritatis gratia propositæ difficultati (quæ non admodum gravis est), respondere per partes.

Nota 1. Nota. 2.

§ I.

Deciditur dubium aliquibus assertionibus.

126. Dicendum est primo sacramenta solo numero distincta subjectis æqualiter se habentibus eandem, sive æqualem gratiam conferre : atque ideo duo v. g. baptismata collata duobus parvulis causare in eisdem gratiam æqualem, et sic de aliis sacramentis sub eadem comparatione. Secunda hujus assertionis pars constat evidenter ex prima. Et utramque aperte docet D. Thom. infra quæst. 69, artic. 3, his verbis : « Per se quidem effectus baptismi est id, ad quod baptismus est institutus,scilicet ad regenerandum hominem in vitam spiritualem. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum, quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur : omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo. » Idem etiam docent communiter Theologi. Sotus in 4, dist. 6, quæst. 1, artic. 6, Nugnus in præs. art. 1, difficult.4, conclus. 2, Cabrera disput. 6, num. 8, Serra dub. 4,

Prima conclusio. D. Tho. Sotus. Nugnus. Cabrer. Serra.

Joan. a S. Thom. Prado. N. Fran. D. Bona. Richard. Suarez. Lugo.

conclus. 2, Joan. a S. Thoma disp. 24, artic. 4, Prado quæst. 65, dub. 3, N. Franciscus tractat. 1, cap. 5, punct. 6, D. Bonavent. in 4, dist. 4, artic. quæst. ultim. Richardus ibi artic. 3, quæst. 3, Suarez disp. 7, sect. 5, Lugo disp. 9, sect. 2, et alii quos superfluum est recensere.

Ratio fundamentalis

Probatur ratione : quia sacramenta, supposita libera Dei institutione, se habent in influendo ut causæ naturales : sed quæ causæ naturales solo numero diversæ, applicatæ subjectis æqualiter se habentibus causant in illis effectum æqualem, ut patet in duobus ignibus solo numero distinctis, et applicatis ad duo ligna æqualiter se habentia : ergo sacramenta solo numero distincta, applicata, subjectis æqualiter se habentibus, conferunt illis æqualem gratiam.

Fulcitur.

Confirmatur : nam stante æquali virtute ex parte causæ, et æquali habitudine ex parte passi, non est, unde veniat inæqualitas ex parte effectus : nec adest fundamentum, ut talem inæqualitatem asseramus ; sed cum duo v. g. baptismata conferuntur duobus parvulis, datur æqualitas, seu æqualis virtus ex parte causæ, nempe baptismatum, et æqualis habitudo ex parte passi, scilicet parvulorum : ergo non datur inæqualitas ex parte effectus : atque ideo prædicta sacramenta causant æqualem gratiam. Idemque de aliis sacramentis in similibus casibus dicendum est.

Præcluditur evasio.

Nec hic proderit recursus ad voluntatem Dei faventis uni parvulo præ alio, atque producentis majorem gratiam in uno. Nec item valebit attentio ad inæqualia merita parentum, vel ad diversam sanctitatem ministrorum. Hæc, inquam, effugia nihil valent, sed efficaciter confutantur. Primum quidem : quia nullo modo constat de illa Dei voluntate : unde absque fundamento fingeretur illa in parvulis sanctitatis inæqualitas. Aliunde vero, licet permitteretur, quod Deus unum parvulum præ alio sanctificaret : nihilominus id efficeret per se ipsum atque independenter a sacramentis : hæc enim, quantum est ex se, sive juxta modum suæ institutionis, minime procedunt cum ea inæqualitate, sed ad æqualiter se habentia subjecta æqualiter etiam se habent. Quare sicut hæreticum foret dicere, quod in præmisso casu unus baptismus conferret uni parvulo gratiam, et alter baptismus non conferret gratiam alteri parvulo : sic etiam omnino falsum, et plusquam temerarium censemus dicere, quod unus baptismus majorem gratiam uni parvulo conferat, et alter baptismus conferat minorem alteri. Reprobatur enim ea inæqualitas magis aut minus explicite in Concil. Trident. sess. 7, can. 7, his verbis : « Si quis dixerit non dari gratiam per hu- « jusmodi sacramenta semper, et omnibus, « quantum est ex parte Dei, etiam si rite « ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus ; « anathema sit. » Per quod etiam refellitur secundum : quia sicut quod parentes baptizati, et ministri baptismi sint in statu peccati, non impedit effectum baptismi, nempe gratiam regenerativam ; ita etiam minor illorum sanctitas non confert, ut gratia baptismi sit minor : ergo pariter major parentum, et ministrorum bonitas non conducit, ut baptismus conferat parvulo gratiam majorem. Quamvis enim vel parentum, vel ministrorum (sicut et quorumcumque aliorum hominum) orationes possint aliquid gratiæ alteri impetrare, aut mereri de congruo, ut significat D. Thom. infra quæst. 64, art. 1 ad 2, et quæst. 82, art. 6, nunquam tamen impetrant, aut merentur gratiam vel gratiæ incrementum, nisi ut conferenda dependenter ab actu, merito, et dispositione suscipientium. Id vero nullum habet locum in parvulis, ut ex se liquet. Quare sicut parentes et ministri nequeunt suo merito, aut impetratione aliquem illis gradum gratiæ extra sacramentum adjicere ; ita nec ipsis addere possunt medio sacramento baptismi. Gratia enim, quæ ex vi sacramenti datur, non pendet ex merito, aut dispositione vel parentum, vel ministrorum, sed solius Christi, qui quantum est de se, et de institutione sacramenti, æqualiter suscipientibus gratiam communicat. Unde dicebat Apost. 1, ad Corinth : 1, *Nunquid Paulus crucifixus est, pro vobis ? aut in nomine Pauli baptizati estis ?* Et Div. Chrysost. hom. *de reditu suo ex Asia*, dixit : *Multi me absente baptizati sunt. Et quid tunc ? Nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei. Absente me baptizati sunt, sed præsente Christo sunt baptizati.* Et D. Cyprianus lib. 4, epist. 7, aiebat : *Si dies omnibus æqualis nascitur, et si sol super omnes pari, et æquali luce diffunditur : quanto magis Christus sol, et dies verus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur ?* Nempe de se, de suis sacramentis, et ubi subjecta lucem susceptura non

Conc. Trid. — D. T — I ad Corinth. — D. Ch — D. Cy ani

non dant inæquali communicationi occasionem. Nihil ergo ad rem præsentem faciunt inæqualia merita parentum aut ministrorum.

Secunda conclusio. 127. Dicendum est secundo sacramenta solo numero diversa subjectis inæqualiter dispositis conferre inæqualem gratiam : atque ideo si duo baptismata conferantur duobus adultis, quorum unus sit dispositus ut duo, et alter ut quatuor : majorem gratiam ex vi baptismi recipiet iste, quam ille. Hæc secunda assertionis pars patet ex prima. Atque unum et alterum docet D. Thom. loco supra cit. ubi post verba jam relata subjungit : « Adulti vero, qui per « propriam fidem ad baptismum accedunt, « non æqualiter se habent : quidam enim « cum majori,quidam cum minori devo- « tione ad baptismum accedunt : et quidam « plus, quidam minus de gratia novitatis « accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne ac- « cipit plus caloris, qui plus ei appropin- « quat : licet ignis, quantum est de se « æqualiter ad omnes suum calorem effun- « dat. » Et sic etiam docent Theologi num. præc. relati,et alii plures in eo gradu certitudinis, ut aliqui dicant oppositam sententiam esse periculosam in fide, alii esse ad minus temerariam.

Fundamentum. Probatur eodem fere fundamento, quo præcedens, et proposito jam a Div. Thom. quia sacramenta, supposita institutione libera Dei, se habent ut causæ naturales in influendo : sed causæ naturales influunt juxta dispositionem passi, aut subjecti : et ideo quanto istud est magis dispositum, tanto magis causant : ergo sacramenta æqualia, et solo numero distincta, ubi applicantur subjectis inæqualiter dispositis, causant gratiam inæqualem, nempe majorem in magis disposito, et minorem in minus disposito.

Confirmatio. Confirmatur : quia Spiritus Sanctus partitur singulis hominibus gratiam in sacramentis secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem : sed id non verificaretur, si stante inæquali dispositione, aut cooperatione ex parte suscipientium, sacramenta non conferrent gratiam inæqualem : ergo licet sacramenta æqualia sint, nihilominus ubi supponitur inæqualis dispositio ex parte suscipientium, communicant inæqualem gratiam.Minor, et consequentia patent. Major autem probatur ex Concilio Tridentino sess. 6, cap. 7, ubi ait : « Justitiam in nobis recipientes, unus- « quisque suam, secundum mensuram, « quam Spiritus Sanctus partitur singulis, « prout vult, et secundum propriam cujus- « que dispositionem, et cooperationem. » Concil. Trident. Quod autem aliquis ausus fuit significare Concilium hoc loco non agere de justificatione adultorum facta intra sacramentum, sed extra, nec docuisse inæqualitatem gratiæ ex vi ejusdem sacramenti productæ ; rejiciendum omnino est tanquam continens doctrinam parum securam : quoniam si seriem totius illius sessionis sextæ attendamus, facile reperiemus, quod Concilium egit de justificatione impii tam intra, quam extra sacramentum, ut constat a cap. 4, cujus titulus est : *Insinuatur descriptio justificationis impii* etc. atque in eo dicitur justificationem esse translationem ab eo statu in quo homo nascitur filius Adæ, in statu gratiæ, et filiorum Dei. « Quæ qui- « dem translatio post Evangelium pro- « mulgatum sine lavacro regenerationis, « aut ejus voto fieri non potest, sicut scrip- « tum est : Nisi quis renatus fuerit ex « aqua, et Spiritu Sancto, non potest in- « troire in regnum Dei. » Et deinde in eo ipso cap. 7, unde verba supra relata desumpsimus, agit Concilium de justificationis causis, recensetque inter alias baptismum his verbis : « Instrumentalis item « sacramentum Baptismi, quod est sacra- « mentum fidei etc. » et paulo post subjungit a nobis relata. Unde nulla ratione negari valet, quod Concilium egerit de impii justificatione etiam intra sacramentum baptismi, sive dependenter ab ejus applicatione. Et cum expresse asserat Spiritum Sanctum in tali justificatione impertiri justitiam « secundum propriam ejusque « dispositionem, et cooperationem ; » liquido convincitur Concilium docuisse gratiam virtute baptismi datam communicari adultis juxta eorum dispositionem, et cooperationem ; atque ideo majorem gratiam illi conferri, qui suscipit cum majori dispositione baptismum.

Ex qua doctrina facile colligitur non solum recipere majorem gratiam, qui suscipit idem specie sacramentum cum majori specie dispositione intensiva ; sed etiam et a fortiori, qui illud suscipit cum majori specie dispositione, licet quoad gradus, vel modos magis remissa. Unde si duo susciperent duo sacramenta solo numero dis- Observatio notanda.

tincta, unus cum attritione ut quatuor, et alter cum contritione ut duo ; profecto hic ultimus majorem virtute sacramenti reciperet gratiam, quam alter. Et ratio est : quia contritio licet remissa est melior simpliciter, quam attritio licet intensa : quia illa in quocumque gradu remisso convertit ad Deum immediate, et perfecte, quod ista non habet in quocumque intensionis gradu. Comparantur etiam tanquam species rerum, quarum inferior etiam in individuo nequit pertingere physice ad perfectionem alterius : isti vero actus concurrunt ad justificationem ut dispositiones non morales, sed physicæ, juxta doctrinam, quam tradidimus tract. 15, disp. 3, dub. 5. Quare consequenter dicendum est minimam contritionem consequi majorem gratiam tam intra, quam extra sacramentum, quam consequatur attritio, licet intensissima sit.

Tertia onclusio. 128. Dicendum est tertio sacramenta specie diversa conferre inæqualem gratiam subjectis æqualiter dispositis. Hanc assertionem magis supponunt, quam probant Theologi. Videri tamen possunt Granados tract. 6, disp. 3, num. 5, et Prado dub. cit. num. 24. Probatur ratione : nam sacramenta novæ legis sunt vere, et proprie causæ gratiæ : sed causa quanto nobilior est, eo inducit effectum perfectiorem : ergo sacramentum specie nobilius confert majorem gratiam, quam aliud minus perfectum, si supponatur æqualitas dispositionis ex parte suscipientium. Confirmatur, et declaratur : quoniam sacramenta novæ legis efficiunt gratiam, quam significant : ergo quo fuerint nobiliora in ratione signi, seu sacramenti, eo sunt perfectiora, atque efficaciora in causando : ergo supposita æqualitate ex parte suscipientium, conferunt inæquales effectus sibi correspondentes : atque ideo perfectius confert majorem gratiam, quam sacramentum minus perfectum. Quæ autem sint perfectiora docet Div. Thomas infra quæst. 65, art. 3 et explicabimus disput. 9, dub. 2.

(Granad. Prado. — Fundamentum. — Object. : marginal notes)

Nec refert, si opponas sacramentum Eucharistiæ esse simpliciter perfectius sacramento baptismi. Ut docet D. Thom. loco citato : et tamen cæteris paribus, non confert majorem gratiam : quippe absurdum omnino apparet sacramentum Eucharistiæ, quod frequentissime potest recipi, et creberrime in spatio vitæ suscipitur, causare unica susceptione majorem gratiam, quam sacramentum baptismi, qui semel tantum recipi valet : ergo non est universaliter verum, quod sacramentum perfectius causat majorem gratiam : et consequenter corruit assertio, nempe sacramenta specie diversa in suscipientibus æqualiter dispositis causare gratiam inæqualem. Id, inquam, non refert, sed diluitur negando minorem. Et ad insertam eidem probationem dicendum est in hoc ipso maxime commendari excellentiam Eucharistiæ, quod cum frequenter recipi queat, tamen semel susceptum vim habet conferendi majorem gratiam, quam baptismus, et alia sacramenta, quæ iterari non possunt. Hoc autem non est absurdum, sed summe consonum Eucharistiæ dignitati : nam ut inquit D. Thom. loco cit. « in sacramento « Eucharistiæ continetur ipse Christus « substantialiter ; in aliis autem sacra- « mentis continetur virtus instrumen- « talis participata a Christo. Semper au- « tem quod est per essentiam, potius est « eo, quod est per participationem. » Unde cum in aliis sacramentis communicetur aliqua gratiæ pars ; in Eucharistiæ tamen susceptione mens impletur gratia, ut canit Ecclesia in officio a Div. Thom. composito : quod significat magis copiosam, atque effusam ab eo admirabili sacramento venam. Sed id sicut nos provocat, ut avidius, frequentiusque ad ipsum accedamus ; sic etiam ut accedamus cum majori dispositione, atque ardentiori erga Christum institutorem charitate. De quo iterum dicemus disp. 9, dub. 2, § 2.

(Solutio. — D. Thom. : marginal notes)

129. Si autem sacramentum perfectius, stante eadem dispositione ex parte suscipientium, confert majorem gratiam, quam sacramentum imperfectius ; a fortiori infertur sacramentum perfectius, ubi suscipitur cum majori dispositione, conferre majorem gratiam, quam conferat imperfectius sacramentum, cum recipitur cum dispositione minori. Idque evidentius est, ut probari debeat. Sed quid dicemus, quando ex una parte occurrit sacramentum nobilius cum imperfectiori dispositione, et ab alia parte sacramentum ignobilius cum dispositione magis perfecta ? Accipietne majorem gratiam, qui accedit ad sacramentum perfectius cum imperfectiori dispositione ; an vero ille, qui cum dispositione meliori accedit ad sacramentum minus perfectum ? Quæstionem attigit Nugnus loco

(Incidens quæstio. : marginal note)

loco cit. hæsitque et merito in ejus resolutione : quia non comprehendimus gratiæ gradus, qui dantur ex opere operato, seu virtute sacramenti, et quam commensurationem habent cum gradibus gratiæ, qui dantur ex opere operantis, et virtute operationis secundum se. Quare nec nos possumus rem hanc adamussim definire. Verisimile tamen censemus, et satis probabile posse extrema illius comparationis ita adaptari, ut excessus perfectioris sacramenti ab una parte compensetur excessu nobilioris dispositionis ex alia : et ita fieri, quod sacramenta illa, attentis omnibus, conferant æqualem gratiam. Qua eadem probabilitate judicamus contingens esse, quod sacramentum specie ignobilius associatum nobilissimæ dispositioni conferat majorem gratiam, quam aliud sacramentum specie excellentius, conjunctum tamen dispositioni imperfectæ, atque remissæ. Et crediderimus ita contingere, quando unus accedit ad sacramentum Eucharistiæ cum attritione ut duo, et alius accedit ad sacramentum pœnitentiæ cum contritione ut decem : majorem namque gratiam tam ex opere operantis, quam ex operato consequetur iste, quam ille.

(Resolut.)

§ II.

Sententiæ oppositæ recensentur.

(Prima sent. Paludan. Scotus. Gabriel.)

130. Contra primam assertionem docuit Paludanus in 4, dist. 4, quæst. 1, parvulos in sacramento baptismi recipere inæqualem gratiam. Scotus etiam in eadem dist. quæst. 8, et Gabriel quæst. 2, concl. 7, licet id absolute non affirment, dicunt tamen rem esse dubiam. Fundamentum Paludani est, quod parvuli sunt prædestinati ad gloriam inæqualem : ergo recipiunt inæqualem gratiam in baptismo. Consequentia videtur manifesta : quia illi parvuli habebunt gloriam cum commensuratione ad gratiam viæ : sed sæpe contingit parvulos mori post baptismum susceptum, antequam recipiant alia sacramenta, et priusquam valeant elicere opera meritoria, ex quibus gratiæ inæqualitas desumatur : ergo si parvuli prædestinati sunt ad inæqualem gloriam, sequitur accepisse inæqualem gratiam in baptismo. Antecedens autem probatur : quia homines prædestinantur ad occupandas sedes, quas Angeli mali amiserunt : sed omnes Angeli sunt inæquales in gloria, sicut et in natura : oportet enim quod gratia, et gloria eorundem naturæ commensuretur : ergo omnes homines prædestinati sunt ad inæqualem gloriam : ergo et parvuli. Fundamentum Scoti est, quod Dei voluntas, et virtus non est alligata sacramentis : ergo licet Deus statuerit dare per sacramentum baptismi unum præcise gradum gratiæ, poterit nihilominus pro suo arbitrio dare uni parvulo gratiam majorem, juxta illud Matth : *An non licet mihi, quod volo facere?* Conducet autem quandoque ad id vel sanctitas parentum, vel bonitas ministri impetrantium, quod Deus misericorditer hunc puerum magis sanctificet. Et hoc ultimum non rejicit Caietanus infra quæst. 64, art 1, qui bene advertit majus gratiæ incrementum in tali casu non esse effectum sacramenti ex opere operato, sed se habere concomitanter ad effectum sacramenti.

(Argumentum.) (Aliud argumentum.) (Cajetanus)

(Dissolvitur primum.)

Hæc tamen parum urgent, et magna ex parte voluntarie dicuntur. Ad fundamentum Paludani respondetur non omnes parvulos esse prædestinatos ad gloriam inæqualem, sed illos ad summum, qui perveniunt ad ætatem adultorum, et habent merita inæqualia : cæteri autem, qui ante usum rationis moriuntur, eo ipso manifestantur prædestinati ad æqualem gloriam ; cum media ad eam consequendam prorsus æqualia extiterint. Ad antecedentis autem probationem neganda est major absolute, vel ad summum distinguenda, et explicanda in hoc sensu, quod electi fuerint ordinati ad occupandas sedes in communi, quas mali Angeli perdiderunt, quatenus eorum loco subrogati sunt : minime tamen ad hunc sensum, quod tot homines, et non plures, nec pauciores fuerint ad gloriam prædestinati, quot fuerint Angeli apostatæ; et multominus quod fuerint præordinati ad eosdem omnino gradus gloriæ, quos habituri essent Angeli : quia nihil horum certo dicitur, nec habet solidum fundamentum, quo probetur. Quin aliqui probabiliter putant majorem esse multitudinem Angelorum damnatorum, quam hominum damnatorum : et si res ita se habet, impossibile est observari inter eos intentam illam graduum vel gratiæ, vel gloriæ correspondentiam.

(Diluitur secundum.)

Ad fundamentum Scoti dicendum est nihil contra nostram assertionem convin..

cere, licet illi concedamus totum, quod proponit : quia illud incrementnm gratiæ non conferretur uni parvulo præ alio ex vi sacramenti aut per sacramentum ; sed ratione alterius providentiæ extraordinariæ, ut recte observavit Caietanus. Sicut autem non occurrit urgens aliquod fundamentum, quo demonstremus rem non ita contingere : ita nec Adversarii habent probabile aliquod motivum, quo positive suadeant suam positionem : latet enim nos, an Deus disposuerit circa hæc, quod disposuisse non implicat. « Quis enim cognovit sensum Do« mini, aut quis consiliarius ejus fuit. » At longe probabilius est omnem gratiam parvulis in baptismo datam conferri ex vi sacramenti ; atque ideo nulla ratione vel augeri, vel diminui ex respectu ad parentes, vel ministros, ut ostendimus. Et ipsa carentia positivi fundamenti ad asserendum oppositum fundat probabilitatem nostræ doctrinæ, sicut generaliter contingit in his, quæ ex sola, et libera Dei voluntate dependent. Videatur D. Thom. infra quæst. 69, art. 8, ubi proponit effectum per se baptismi tam in parvulis, quam in adultis, et deinde subjungit : « Effectus autem bap« tismi per accidens est, ad quem baptis« mus non est ordinatus : sed divina vir« tus hoc in baptismo miraculose operatur : « Sicut super illud Rom. 6, ut ultra non « serviamus peccato dicit Glosa : Non hoc « præstatur in baptismo, nisi forte mira« culo ineffabili creatoris, ut lex peccati, « quæ est in membris, prorsus extinguatur. « Et tales effectus non æqualiter suscipiun« tur ab omnibus baptizatis, etiam si cum « æquali devotione accedant. Sed dispen« santur hujusmodi effectus secundum or« dinem providentiæ divinæ. » Quando autem, et ubi hæc miraculose operetur similes effectus, nobis non constat, nec affirmari valet, aut debet, nisi quis revelationem exhibeat probatissimam : quod raro, aut nunquam continget, ut recte Glossa allegata significavit.

D. Tho.

131. Nec refert, si opponas congruum esse, et subinde præsumi debere, quod gratuita proportionentur naturalibus : et hac de causa Angeli naturaliter nobiliores receperunt majorem gratiam, et Angeli naturæ inferioris receperunt gratiam minorem Sed certum est parvulos antecedenter ad rationis usum esse inæqualis perfectionis naturalis : quidam enim jam ex tunc habent meliorem complexionem, et majorem capacitatem ; quidam vero deteriorem, et minorem. Ergo congruit, quod quando parvuli baptizantur, aliqui recipiant majorem gratiam, et aliqui minorem, cum commensuratione nimirum ad naturalia, sicut proportionabiliter in Angelis contigit. Non, inquam, id refert : nam ut præclare docet D. Th. loco cit. in resp. ad 3 : « Capacitas « naturalium in hominibus non est ex di« versitate mentis, quæ per baptismum re« novatur ; cum omnes homines ejusdem « speciei existentes in forma conveniant ; « sed est ex diversa dispositione corporum. « Secus autem est in Angelis, qui differunt « specie. Et ideo Angelis dantur dona gra« tuita secundum diversam capacitatem « naturalium : non autem hominibus. » Itaque licet naturalia vel in Angelis, vel in hominibus non sint ulla dispositio ad gratiam : decuit tamen quod ista daretur Angelis, et non detur hominibus cum proportione ad inæqualitatem naturalium sicut ad occasionem, quam Deus ultro accepit, dispensandi gratiam : nam inæqualitas Angelorum est specifica, atque ex parte formarum, in quibus immediate recipitur gratia : sed inæqualitas hominum est solum numerica, desumptaque radicaliter ex materia prima, quæ non est gratiæ subjectum. Et quamvis concedatur (ut concedendum putamus), unam animam rationalem esse substantialiter in se ipsa perfectiorem alia ; nihilominus tota hæc animarum distinctio, aut inæqualitas est pure numerica, et mere materialis, desumiturque per habitudinem ad corpora melius organizata, aptaque melius ministrare animæ in operationibus sensuum. Quare nec fundat inæqualitatem ad instar Angelorum, nec offert specialem convenientiam, ut ex vi illius, seu cum attentione ad ipsam gratiam distribuatur inæqualiter parvulis.

Objectio. Solutio ex D. Tho.

132. Contra secundam conclusionem sentiunt Alensis 4 part. quæst. 21, memb. 3, et Major in 4, dist. 4, quæst. 3, asserentes omnem gratiam baptismalem esse æqualem alteri gratiæ baptismali, quantum ad id, quod ei convenit ex parte baptismi, sive ex opere operato : et consequenter sentiunt duo baptismata, licet applicentur subjectis inæqualiter dispositis, conferre gratiam æqualem. Fundamentum eorum est : nam actus, qui concurrere solent in adultorum baptismo, non comparantur ad ipsum, vel ad

Argumentum. ad gratiam, tanquam dispositio, sed dumtaxat tanquam removens prohibens : manifestum autem est, quod inæqualitas effectuum non attenditur ex inæqualitate removentium prohibens: quippe quamvis hæc removentia sint diversissimæ conditionis, nihilominus si causa est eadem, eundem inducit effectum, ut constat in naturalibus : ergo quamvis suscipientes baptismum inæqualiter se habeant, tamen baptismus eandem gratiam ex se producet : et consequenter si forte uni detur major gratia, hæc non conferetur virtute baptismi, aut ex opere operato ; sed communicabitur ex opere operantis, aut ex vi alterius providentiæ. Cætera constant. Et major, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : quoniam gratia, quæ est effectus sacramenti, et datur ex opere operato, non confertur ex virtute dispositionis, nec ista influit in illam, sed confertur ex sola virtute passionis, et meritorum Christi ; alias talis gratia non esset ex opere operato, sed ex opere operantis : ergo si qui actus adultorum concurrunt in susceptione baptismi, tales actus non concurrunt ut vera dispositio ad baptismum, et ejus gratiam, sed tantum comparantur per modum removentis prohibens.

Responsio. Respondetur negando majorem, sicut omnino negari debet post doctrinam Concilii Tridentini, ut supra ponderavimus num. 127. Ad probationem autem in contrarium respondemus, quod licet actus concurrentes in baptismo adultorum non se habeant ut principia directe influentia in gratiam, quæ datur ex opere operato tanquam proprius sacramenti effectus, quem fatemur dari ex sola virtute passionis, et meritorum Christi influentium per sacramenta : nihilominus prædicti actus non sunt purum removens prohibens, sed dispositio : quia aptant, præparant, et determinant subjectum ad susceptionem talis effectus, et quanto perfectiores sunt, tanto magis subjectum habilitant, ut ab agente, quod est infinitæ virtutis, et de se communicativum gratiæ, majorem, et majorem gratiam recipiat. Quod facile declaratur exemplo naturalium : nam manifestum est, quod de luce solis plus recipiunt quædam corpora, quam alia, idque ratione dispositionis, quam habent : non quidem quia ea dispositio det virtutem, aut efficaciam soli ad influendum : sed quia magis coaptat subjectum, ut recipiat majorem solis influentiam, qua hujus virtus magis se communicet. Ita igitur contingit in præsenti, quin opus sit alia addere. Recolantur, quæ diximus tract. 15, disp. 3, dub. 1, et dub. 4, ubi statuimus justificationem adulti etiam intra sacramentum non contingere absque dispositione, et hanc præparare physice ad gratiam per sacramentum productam. Notandum tamen est (ut tacitæ objectioni occurramus), quod licet ubi adest dispositio ut quatuor, detur gratia ut quatuor ex opere operantis, quæ videtur exhaurire vim dispositivam præparationis, et locum præcludere, ne disponat ad gratiam majorem dandam ex opere operato : nihilominus res aliter contingit : quia dispositio aliter comparatur ad gratiam dandam ex opere operantis, et ad gratiam eandam ex opere operato. Nam in priori comparatione non solum se habet ut dispositio, sed etiam ut meritum, aut impetratio gratiæ inferendæ. Sed in secunda comparatione solum habet rationem dispositionis. non utcumque, sed ut subordinatæ agenti infinitæ virtutis, non attendenti ad meritum, aut impetrationem ex parte subjecti ; sed volenti absolute communicare gratiam, quantum subjectum se disponat. Non est autem inconveniens, quod eadem entitative dispositio ut quatuor deserviat ad gratiam ut octo : quia ad quatuor gradus coaptat per id quod habet non præcise secundum se, sed quatenus subordinatur agenti superiori parato de se dare gratiam juxta coaptationem subjecti. Est itaque illa dispositio quantum ad entitatem præcise ut quatuor ; sed quantum ad virtutem est ut octo : quia deservit ad præparandum subjectum per subordinationem ad duo quasi agentia, nempe ad Deum ut influentem in gratiam merito operis, atque independenter a sacramento, atque ad eundum Deum ut influentem per sacramentum independenter ab operis merito, et supra hujus exigentiam quin et supra dispositionem sibi relictam. Nota.

Secundum argumentum. 133. Arguitur secundo : quia sacramenta dant aliquando gratiam dependenter ab attritione, ut contingit in sacramentis mortuorum per se, et in sacramentis vivorum per accidens, juxta ea, quæ diximus dub. præced. sed attritio non concurrit ad gratiam per modum dispositionis : ergo solum concurrit ut removens prohibens, aut

per modum conditionis : et consequenter sive subjecta disponantur per majorem attritionem, sive per minorem, sacramentum idem in specie eisdem applicatum semper causabit eandem gratiam. Cætera constant. Et minor etiam liquet : nam attritio ex natura sua non habet proportionem cum gratia sanctificante, nec illi connectitur : ergo nequit disponere ad gratiam : præsertim in nostra sententia ; quia loco supra citato statuimus actus præparantes ad gratiam esse dispositiones physicas ad ejus introductionem.

Confirmatio.

Confirmatur : quia gratia habitualis præexistens magis disponit, et coaptat subjectum ad recipiendum gratiam ex opere operato virtute Dei influentis per sacramenta quam attritio actualis : sed gratia habitualis non disponit ad prædictum effectum : ergo idem et a fortiori dicendum est de attritione. Probatur minor : quia si gratia habitualis disponeret ad gratiam ex opere operato ; quo subjectum haberet majorem gratiam habitualem, eo reciperet majorem gratiam ex opere operato : atque ideo fieret ulterius, quod si duo reciperent idem sacramentum v. g. Eucharistiam cum æquali dispositione actuali, qui foret justior, reciperet majorem gratiam ex opere operato : quin etiam fieret justum habentem gratiam, ut octo, et accedentem cum contritione ut duo recipere gratiam magis copiosam, quam recipiat justus habens gratiam ut duo, licet accedat cum contritione ut octo. Hæc autem sunt falsa, et contra ea, quæ diximus § præced.

Satisfit argumento.

Ad argumentum respondetur negando minorem. Et ad probationem dicendum est solum evincere, quod attritio non est dispositio perfecta, et ultima ad gratiam, nec connexa cum illa ex natura rei ; secus autem quod non sit dispositio vera, et physica, licet remota. Sicut enim in ordine naturali dantur aliquæ dispositiones perfectæ, quæ connectuntur cum forma ; et dantur etiam aliæ dispositiones imperfectæ, et remotæ, quæ aliquomodo coaptant, et præparant subjectum tam ad dispositionem ultimam, quam ad formæ introductionem : sic etiam in supernaturali ordine dantur aliquæ dispositiones ultimæ, et perfectæ, atque connexæ cum gratia ; et dantur præterea aliæ dispositiones imperfectæ, et remotæ, quæ tamen aliqualiter animam disponunt, trahuntque suo modo ad participandum gratiam, ut sunt actus fidei, motus spei, aliquis amor justitiæ, timor damnationis, et alii, quibus homo impius incipit disponi ad justitiam : inter quos merito computatur attritio. Quæ doctrina aperte colligitur ex Concil. Tridentino sess. 6, cap. 6, quod est de modo præparationis ad justificationem. Unde ex eo quod gratia aliquando detur in sacramentis dependenter ab attritione ; non sequitur gratiam tunc dari independenter a dispositione, sed magis infertur oppositum. Evincit tamen præmissus discursus, quod ubi non concurrit nobilior alia dispositio, nisi attritio, sicut contingit per se in sacramentis mortuorum, et per accidens in sacramentis vivorum ; non confertur ex vi hujus gratia ex opere operantis, sed solum ex opere operato. Evincit etiam, quod ipsa gratia tunc data ex opere operato conferatur in gradu longe inferiori, quam conferretur, si adesset contritio. Cum enim talis gratia detur dependenter ab aliqua dispositione, et contritio multo magis, nobiliorique modo disponat, quam attritio ; sit consequens quod in præsentia solius attritionis detur gratia minor. Qui autem gradus debeatur intra sacramentum attritioni, et qui correspondeant contritioni, latet nos, et facile diffiniri non valet, ut supra insinuavimus num. 129.

Co[...] Tri[...]

Ad confirmationem negamus majorem, et suppositum illius : quia licet gratia præexistens expediat subjectum ab obice peccati ; nihilominus non trahit per modum præparationis, et determinationis subjectum ad participandum novum gradum gratiæ : quod tamen necessarium erat, ut haberet veram dispositionis rationem respectu illius. Unde sicut quando datur augmentum gratiæ extra sacramentum, non attenditur ad quantitatem gratiæ habitualis, sed ad intensionem dispositionis actualis, quæ coincidit cum merito : et ideo, si cætera sint paria, non consequitur justior majus augmentum ex vi majoris gratiæ, aut charitatis habitualis, ut ostendimus tract. 16, disp. 4, dub. 4, sic etiam quando tale incrementum in sacramento communicatur, non debet pro illius regulatione attendi ad gratiam habitualem præexistentem, sed ad operationes, quibus homo se applicat ad sacramenta. Oppositum autem contingit in attritione : hæc enim licet imperfecte, trahit tamen per modum applicationis, et determinationis subjectum ad participandum gratiam

Occu[...] tur c[...] firma[...] ni

gratiam : unde fit, quod subjectum cum attritione sit magis dispositum, quam subjectum sine attritione : et similiter, quod crescente attritione crescat etiam dispositio. Quare cum certum sit Deum in sacramentis distribuere gratiam juxta propriam uniuscujusque dispositionem, et cooperationem ; fateri omnino oportet majorem, aut minorem attritionem conducere, ut major, aut minor gratia virtute sacramentorum communicetur. Quinimo si attritio procedat a subjecto existente in gratia, atque informetur charitate participando modum habitudinis ad Deum sicut ad ultimum finem super omnia dilectum ; vel si attritio a subjecto non grato primum procedens continuetur usque ad infusionem gratiæ, per sacramentum, atque informetur per illam: debitum sibi faciet aliquod argumentum gratiæ ex opere operantis : quia prout sic habet rationem operis vivi, et meritorii præmii essentialis.

DUBIUM IX.

Utrum gratia sacramentalis addat aliquid reale intrinsecum super gratiam communem ?

Hanc difficultatem proposuit D. Thomas art. 2 præsentis quæstionis. Sed dicendorum ordo nos obligavit et illam hactenus non versare, et ad calcem hujus disputationis remittere : quia vero in illa unum supponitur, et aliud revocatur in dubium, idcirco ante resolutionem istius

§ I.

Prælibantur communiora.

Gratia sacramentalis, et gratia communis.

134. Nomine *gratiæ sacramentalis* facile intelligitur significari gratiam, quæ est effectus sacramenti. Quam vero nos in dubii titulo vocamus *gratiam communem*, D. Thomas in art. cit. appellavit *gratiam virtutum, et donorum.* Supponendum namque est ex communi doctrina, quam tradidimus tract. 14, disp. 4, quæ est de quidditate, et perfectione gratiæ habitualis, dari quandam formam supernaturalem, et permanentem in substantia animæ receptam, qua homines sanctificantur, et fiunt per participationem consortes divinæ naturæ : quam formam vocamus gratiam habitualem. Consequuntur autem ad prædictam formam alii habitus recepti immediate in potentiis animæ : nam cum operari sequatur ad esse, et eidem debeat proportionari ; congruum fuit, quod sicut ad animæ substantiam, quæ ordinatur immediate non ad operari, sed ad esse, consequuntur potentiæ immediate operativæ, sic etiam ad gratiam, sive formam sanctificantem, quæ non ordinatur immediate ad operari, sed ad esse, et prop terea recipitur non in potentiis, sed in animæ substantia, consequerentur habitus immediate operativi, atque in animæ potentiis immediate recepti. Ex his autem habitibus quidam deserviunt in ordine supernaturali ad simpliciter, et connaturaliter operandum ; et hi appellantur virtutes : alii autem deserviunt in prædicto ordine, ut potentiæ sint facile mobiles a Spiritu Sancto in ordine ad operationes excellentes, et supra communem prudentiæ etiam infusæ regulationem ; et isti habitus dicuntur dona. Porro tam ipsa gratia sanctificans, quam prædicti habitus reperiuntur in quocumque subjecto grato, sive tale fiat per sacramentum, sive sine sacramento ; et sive in statu præsenti, sive in antiquo : quare gratia ita accepta merito appellatur *gratia communis*, aut gratia communiter dicta. Unde liquet nomina, quibus D. Thomas, et nos utimur, in eadem rem incidere. Maluimus autem uti vocabulo gratiæ communis : tum quia pressius est : tum quia se ipso indicat distinctionem ejusmodi gratiæ a gratia sacramentali, quæ non est ita communis, nec datur nisi suscipientibus sacramenta.

Gratia sacramentalis addit supra communem.

135. Hinc fit (et supponimus secundo cum communi sententia) gratiam sacramentalem aliquid addere supra gratiam communem, et per id, quod addit, distingui aliqualiter ab illa. Quod facile ostenditur : primo, quia si nihil adderet, nec ab illa ullo modo distingueretur ; in quocumque subjecto esset gratia communis, foret etiam gratia sacramentalis : quod est plane falsum : nam antiqui habuerunt gratiam communem ejusdem speciei cum nostra; et tamen non habuerunt nostram gratiam sacramentalem : et modo baptizatus habet gratiam sacramentalem specialem, qua caret non baptizatus : oportet igitur asserere oppositum antecedentis. Secundo, quia gratia communis, et omnes virtutes, et dona habent necessariam naturalem connexio-

nem : et propterea ubi infunditur gratia, omnia illa simul infunduntur, ut docet D. Thom. 1, 2, quæst. 65, art. 1; id autem non contingit in gratiis sacramentalibus, siquidem non simul communicantur, sed singulæ specialiter per singula, et specialia sacramenta : signum igitur est gratiam sacramentalem aliquid addere supra gratiam communem : per quod ab illa aliquomodo distinguatur. Tertio : et urgentius, quia gratiæ sacramentales habent speciales quosdam effectus, qui non sunt communi gratiæ communes, et quos Deus operatur in ordine ad fines singulis sacramentis proprios : ergo signum est gratiam sacramentalem addere aliquid supra gratiam communem, atque ab illa aliquomodo distingui : sicut enim virtus causæ relucet in effectu, sic oportet, quod distinctio effectuum manifestet causarum diversitatem. Id vero evidentius innotescet percurrendo breviter per omnes gratias sacramentales : quod etiam non parvi emolumenti erit claritati dicendorum.

Gratia igitur baptismalis remittit omnem culpam originalem, et actualem, et omnem pœnam pro ipsa debitam : unde baptizatis nulla imponitur satisfactio. Dat etiam prædicta gratia illuminationem, fœcunditatem ab sterilitate peccati, diminutionem concupiscentiæ, ut non ita dominetur, sicut in aliis non baptizatis, quamvis existant in gratia. Qui speciales effectus facile colliguntur ex doctrina Concilii Florentini in decreto Eugenii IV, et ex Div. Thom. infra quæst. 65, art. 4, et 5. Gratia confirmationis confert speciale robur, ut confirmatus confiteatur fortiter fidem Christi, et crucem ejus coram tyranno, ut docet Concilium Florent. loco cit. Et Deus magis adjuvat, cæteris paribus, confirmatum, quam non confirmatum in ordine ad prædictum effectum. Gratia pœnitentiæ purgat animam a peccatis, et confert speciales vires, ut homo occasiones peccandi fugiat, et superet, et diutius perseveret in justitia. Gratia Eucharistiæ præstat specialiter illum specialem effectum, quem proportionabiliter corporalem præstat cibus corporalis; atque ideo sustentat spiritualem vitam augendo, reparando, et delectando, ut docet Concilium Florentin. causat etiam in suscipientibus devote actualem quandam refectionem spiritualis dulcedinis, ut tradit D. Thom. infra quæst. 79, art. 8. Gratia extremæ unctionis « delicta, si qua sint adhuc « expianda, ac peccati reliquias abstergit, « et ægroti animam alleviat, et confirmat « magnam in eo divinæ misericordiæ fidu« ciam excitando, qua infirmus sublevatus, « et morbi incommoda, ac labores levius « fert, et tentationibus dæmonis calcaneo « insidiantis facilius resistit, et sanitatem « corporis interdum, ubi saluti animæ ex« pedierit, consequitur, » ut loquitur Concilium Tridentin. sess. 14, cap. 2. Qui omnes sunt satis speciales effectus. Gratia ordinis præstat subjecto esse ministrum idoneum, habereque specialia auxilia parata ad ministrandum debite, nempe cum intentione, attentione, et devotione. Gratia matrimonii purgat in conjugibus inordinatam concupiscentiam, præstat eis vires ad ferendum labores conjugii, et causat specialem amorem servandi inter se fidelitatem, justitiam, et castitatem, et ut mutuis officiis facilius se foveant : quæ minime communia sunt aliis fidelibus non conjugatis, quamvis in gratia sint.

Gratia extremæ unctionis. — *Gratia ordinis.* — *Gratia matrimonii.*

136. Hæc satis manifestant gratiam sacramentalem habere speciales effectus, distinctos ab his, quos præstat gratia communis : et hinc fit, ut supra arguebamus, unam ab alia aliqua ratione distingui. Eo vel maxime, quod gratiæ sacramentales distinguuntur inter se, ut probatur tum ex diversis earum effectibus proxime relatis : tum ex mutua illarum separatione. Si autem nulla ratione distinguerentur a gratia communi, nec inter se distinguerentur : nam quæ sunt adem uni tertio, sunt etiam eadem inter se. Oportet itaque prædictas gratias inter se distingui, et quod una aliquid addat super alteram. Et in hoc conveniunt omnes, nullo excepto, quem viderimus.

Confirmatur suppositio.

Sed in assignando differentiam, et distinctionis modum non ita convenit inter Theologos : nam quidam significarunt solum distingui extrinsece, denominatione sumpta a causa efficiente: quia illamet gratia, quæ producta a solo Deo dicitur gratia communis, aut gratia justificans, ubi producitur a Deo per sacramenta, appellatur gratia sacramentalis. Sed prædictus dicendi modus, est diminutus, et falsitatis convincitur : nam effectus formales gratiarum sacramentalium, quos recensuimus, distinguuntur non sola denominatione extrinseca desumpta a causa efficiente, sed etiam secundum proprias rationes comparatas inter se.

Gratia communis et sacramentalis non distinguuntur solum extrinsece, aut denominative.

se, ut facile consideranti constabit : sed effectus formales coincidunt re ipsa cum causis ; siquidem effectus formalis non est aliud quam forma communicata subjecto : ergo gratiæ sacramentales distinguuntur inter se,non tantum denominative a causis producentibus, sed etiam secundum proprias rationes : quod minime salvari valet, nisi a gratia communi, et sanctificante distinguantur eodem modo. Confirmatur primo : quia si gratia sacramentalis nihil adderet gratiæ gratum facienti præter respectum ad sacramentum ; supervacaneum fuisset instituere tot, et tam diversa sacramenta:quippe unummet sæpius applicatum posset præstare dictum effectum, nempe gratiam communem cum ordine ad sacramentum. Confirmatur secundo : quia ex præmissa sententia sequitur sacramenta non habere effectus speciales,sed convenire omnia in producendo gratiam communem, et nihil amplius ; siquidem gratia sacramentalis non aliud est, quam gratia communis cum ordine ad sacramentum.Ex quo ulterius fiet non esse magis proprium effectum extremæ unctionis tollere reliquias peccatorum, et præstare alia munia supra relata ex Concilio Trident. quam Confirmationis, aut Eucharistiæ : nec exclusio peccati originalis,et prima regeneratio spiritualis erit effectus minus proprius matrimonii, quam baptismi. Hæc autem omnia sunt absurda,et contra communem sensum fidelium.Ergo fateri oportet gratiam sacramentalem non esse præcise gratiam communem productam a sacramentis, sive gratiam sanctificantem cum solo ordine ad sacramenta, sicut ad causam.

Gratia sacramentalis non addit præcise supra communem solum ordinem ad effectum.

137. Nec absimilis præcedenti aliorum sententia est, qui dicunt gratias sacramentales solum addere supra gratiam communem diversos modos participationis, sive distinctas habitudines ad effectus : quatenus eadem gratia a communi effectu sanctificandi, dicatur gratia communis, et sanctificans ; eadem vero, quatenus vel removet peccatum originale, vel sanat animam a reliquiis peccati, vel curat diversos animæ languores, et defectus, dicatur gratia sacramentalis. Et ita docuerunt D. Bonaventura in 4, dist. 1, artic. 1, quæst. 6,Richardus ibi artic. 4, quæst. 4 et Alensis 4 par. quæst. 5, memb. 4, artic. 2. Et moventur : quia sacramenta instituta sunt in remedium peccati, et ad sanandum animam,et augendum sanitatem : ergo sufficit, quod gratia, quæ est effectus sacramentorum, distinguatur quantum ad denominationes, et habitudines in ordine ad prædictos effectus.

D. Bona. Durandus. Alensis.

Sed hic etiam dicendi modus est insufficiens. Primo, quia si gratia sacramentalis non aliud est, quam gratia sanctificans in ordine ad prædictos effectus; frustra instituta fuissent diversa sacramenta in ordine ad diversas gratias sacramentales : quippe gratia sanctificans producta hoc, aut illo sacramento potest eosdem effectus communicare. Secundo,quia gratia sanctificans extra sacramentum, et independenter a sacramento producta causat omnes illos effectus excludendi peccatum originale, removendi peccati reliquias,et sanandi languores animæ : et si nihil per sacramentum illi additur, non præstabit majores, aut nobiliores effectus : atque ideo si gratia sacramentalis nihil ei addit, sed cum ipsa coincidit; superflua fuit institutio sacramentorum, eorum præsertim,quæ gratiam sanctificantem supponunt. Quid enim amplius habemus ex gratia per sacramentum producta, quam ex gratia, quæ extra sacramentum produceretur? Tertio, quia motivum prædictorum Auctorum nihil concludit : quia ex eo, quod sacramenta instituta specialiter fuerint ad tales effectus, colligitur ipsa aliquid speciale præstare in ordine ad ipsos (alias superflua foret eorum institutio) atque aliquid efficere supra id, quod gratia communis præstat independenter a sacramentis. Hoc autem speciale est sacramentalis gratia. Unde oportet hanc aliquid addere supra gratiam communem, quod cum ista non convertatur.

Aliquorum opinio distinguentium entitative gratiam communem, et sacramentalem.

138. Id ut assignarent alii Theologi, declinaverunt ad aliud extremum : nam Paludanus in 4, dist. 2, quæst. 3, docuit gratiam sacramentalem esse peculiarem habitum,realiter a gratia communi distinctum, quem vocat regenerativum in baptismo, corroborativum in confirmatione, nutritivum in Eucharistia, et sic de aliis. Et similiter Capreolus in 1, dist. 1, quæst. 1, art. 3 ad 4 Durandi, dicit gratiam sacramentalem esse qualitatem permanentem a gratia communi distinctam : et per hujusmodi qualitatem intelligit characterem in sacramentis illud imprimentibus ; in aliis vero non imprimentibus, characterem intelligit ornatum quendam, sive præparationem habitualem ad gratiam sanctificantem.

Paludan. Capreol.

Rejicitur. Sed prædictum dicendi modum refellunt communiter alii Theologi, et merito : quoniam hic habitus, sive qualitas permanens vel recipitur immediate in substantia animæ, vel recipitur immediate in potentiis. Si primum : est reipsa gratia sanctificans : quia in substantia animæ nihil recipi potest, quod non ordinetur per se primo ad esse : quippe si non ordinaretur per se primo ad esse, sed ad operari, non immediate recipitur in substantia, sed in potentiis. Porro cum anima sit perfecta in suo esse naturali ; qualitas dans illi esse debet dare ei esse divinum, sive constituere ipsam in esse divino per participationem. Quod cum sit munus primarium gratiæ sanctificantis, sive communis ; sequitur qualitatem illam in substantia animæ receptam esse reipsa prædictam gratiam. Si autem eligatur secundum ; frustra omnino additur talis habitus, seu qualitas permanens : quia ad perficiendum potentias in ordine ad operandum sufficiunt virtutes, et dona : quippe nulla operatio assignabitur, quæ in prædicta principia sufficienter non revocetur. Et hinc excluditur, quod Capreolus dicebat de ornatu, aut dispositione habituali ad gratiam : excluditur, inquam, eodem argumento : nam si recipitur immediate in substantia animæ, coincidet cum gratia communi ; si autem recipitur immediate in potentiis, erit aliqua virtus aut donum. Recursus autem ad characterem minus prodest : quia certum est non omnia sacramenta efficere characterem ; cum tamen omnia efficiant gratiam sacramentalem : quod satis manifestat hujusmodi gratiam minime in charactere consistere. Nulla itaque ratione, salvari, aut explicari valet, quod gratia sacramentalis sit virtus quædam, sive qualitas permanens a gratia sanctificante distincta. Et confirmatur hoc amplius : nam gratia sacramentalis constituit subjectum gratum, et magis gratum : hic autem est effectus formalis propriissimus gratiæ sanctificantis, sive communis : ergo gratia sacramentalis non est forma, qualitas, aut virtus distincta a gratia communi. Probatur consequentia : nam implicat formas diversas communicare eundem effectum formalem.

Reflexio ad præmissa. 139. Ista haud obscure probant, quod licet gratia sacramentalis, et gratia communis aliquomodo distinguantur, ut supra ostendimus num. 135, nihilominus non differunt tanquam forma, et forma, sive distinctione adæquata excludentis, et exclusi, ut constat ex proxime dictis. Et sic sentiunt communiter Theologi hujus temporis, refutantes sententias extremas antiquorum hactenus relatas, et impugnatas. Conveniunt etiam in eo, quod gratia sacramentalis addit aliquid super gratiam communem, idque facile assignatur in auxiliis specialibus, quæ unicuique gratiæ in sacramento productæ correspondet in ordine ad peculiares fines, et effectus sacramentorum juxta ea, quæ diximus num. 135. Itaque licet gratia sacramentalis sit ex parte formæ, et in recto eadem qualitas cum gratia communi ; differt tamen ab illa, quia importat specialiora auxilia ad determinatas operationes, quæ non concernit communis gratia ex proprio, et præciso communis gratiæ conceptu. Idque aperte docet D. Thom. art. 2, præsentis quæstionis, his verbis : « Sicut ab essentia animæ fluunt « ejus potentiæ, ita a gratia fluunt quædam « perfectiones ad potentias animæ, quæ « dicuntur virtutes, et dona, quibus po- « tentiæ perficiuntur in ordine ad suos « actus. Ordinantur autem sacramenta ad « quosdam speciales effectus necessarios in « vita Christiana : sicut baptismus ordi- « natur ad quandam spiritualem regenera- « tionem, qua homo moritur vitiis, et fit « membrum Christi : qui quidem effectus « est aliquid speciale præter actus poten- « tiarum animæ. Et eadem ratio est in « aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes, et « dona addunt super gratiam communiter « dictam, quandam perfectionem determi- « nate ordinatam ad proprios actus po- « tentiarum : ita gratia sacramentalis addit « super gratiam communiter dictam, et « super virtutes, et dona quoddam divinum « auxilium ad consequendum sacramenti « finem. Et per hunc modum gratia « sacramentalis addit super gratiam vir- « tutum, et donorum. » Hæc omnia D. Tho. Quæ sunt perspicua, et communiter recepta, manifestantque gratiam sacramentalem aliquid addere supra gratiam communem. D.Th

Pnn tum d ficul tis. Sed cum auxilium Dei ad illas peculiares operationes sit aliquid extrinsecum gratiæ, atque eidem inconnexum; siquidem multoties reperitur gratia tam communis, quam sacramentalis absque tali auxilio : adhuc discutiendum superest, an gratia sacramentalis præter illud auxilium extrinsecum,

cum, quod connotat, et exigit, importet aliquid intrinsecum, per quod distinguatur a gratia communi. Et hoc, suppositis, quæ hactenus prælibavimus, inquirit titulus dubii.

§ II.

Sententia affirmans præfertur.

Conclusio. 140. Dicendum est gratiam sacramentalem, sive per sacramentum productam, supra gratiam gratum facientem, sive communiter dictam, addere aliquid intrinsecum; non quidem per modum habitus, aut qualitatis completæ, sed per modum modificationis, et determinationis afficientis gratiam communem, illamque trahentis ad particulares effectus, et exigentiam singularium auxiliorum in ordine ad effectus sacramentis correspondentes. Hæc secunda assertionis pars declarat sensum prioris, et excludit falsas intelligentias, quæ circa illum possent occurrere. Utramque autem docent graves Thomistæ. Nugnus in præs. art. 2, diffic. unica. Cabrera ibi disp. 1, § 4 et 5 et 6 Serra art. 2. dub. 3, ad argumenta tertiæ sententiæ, Joan. a S. Thom. disp. 24, art. 2, dub. unico, Ruiz, art. 2, dub. unico concl. 3, Coquetius lib. 2, *de origine gratiæ*, disp. 6, c. 5, Prado q. 62, dub. 5, §, N. Franciscus tract. 1, c. 5, dub. unico, Thomas Hurtado tom. 2, *Moral.* tract. ult. res. 10, § 9, Contenson dissert. 1, c. 2, speculat. 1, in princ. et alii, quibus favet Arauxo art. 6, dub. 2, § *Quare* in prima argumenti solutione.

(Nugnus. Cabrera. Serra. Joann. a S. Tho. Ruyz. Coqueti. Prado. N. Franc Hurtad. Contenson.)

Probatur ex D. Tho. Probatur primo ex D. Tho. loco cit. in solut. ad 2; nam cum sibi opposuisset gratiam sacramentalem ordinari ad tollendum defectus animæ ex peccato : qui sufficienter tolluntur per gratiam, virtutes, et dona : unde consequens videtur gratiam sacramentalem nihil addere super hæc; respondit in hunc modum : « Dicendum, quod per « virtutes, et dona excluduntur sufficienter « vitia, et peccata quantum ad præsens, et « futurum, in quantum scilicet impeditur « homo per virtutes, et dona a peccato. Sed « quantum ad præterita peccata, quæ transeunt actu, et permanent reatu, adhibe- « tur homini specialiter remedium per « sacramenta. » Hoc autem remedium excludendi v. g. in baptismo totum reatum non fit immediate, et formaliter per auxilium : nec fit immediate, et formaliter per solam gratiam communem; siquidem si non esset gratia baptismi, licet foret gratia majoris intensionis, nom excluderet necessario totum reatum: fit ergo per prædictam gratiam ratione alicujus modificationis, aut determinationis intrinsecæ, qua constituitur in esse gratiæ sacramentalis, et appropriatur baptismo. Et si dicatur remissionem, sive exclusionem reatus non esse effectum formalem gratiæ baptismalis, sed solius voluntatis extrinsecæ Dei statuentis remittere suscipientibus rite baptismum omnem culpam, et pœnam : id, inquam, si dicatur, nullo modo satisfacit. Quoniam justificatio facta per sacramentum Baptismi complectitur omnes illos effectus excludendi culpam, et pœnam ; sed causa formalis adæquata totius illius justificationis est gratia per sacramentum producta : ergo effectus remissionis totius pœnæ non debet revocari in solam extrinsecam Dei voluntatem, sed immediatius referri debet in gratiam, seu formam, quæ formaliter justificat prædicto modo. Præsertim cum gratia baptismalis dicatur veterem hominem destruere, et novum hominem facere creatum secundum Deum, expoliando omnem vetustatem : in quo ipso clauditur perfecta remissio peccati quantum ad culpam, et pœnam.

141. Confirmatur primo ex eodem D. Thom. loco cit. in resp. ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod ratio sacramentalis « gratiæ se habet ad gratiam communiter « dictam, sicut ratio speciei ad genus. Unde « sicut non æquivoce dicitur animal com- « muniter dictum, et pro homine sump- « tum : ita non æquivoce dicitur gratia « communiter sumpta, et gratia sacramen- « talis. » Sed manifestum, est, quod species addit aliquid intrinsecum super genus, et homo addit aliquid intrinsecum super animal. Ergo ex sententia D. Thomæ gratia sacramentalis addit aliquid intrinsecum super gratiam communem. Nec prodest dicere cum Cajetano, et Soto, quod D. Thomas per gratiam communiter dictam intellexerit gratiam in communi, prout abstrahit a gratia habituali, et actuali ; et ita mirum non esse, quod gratia sacramentalis comparetur ad gratiam communem, sicut species ad genus. Id, inquam, non prodest : quia evidenter constat D. Thomam per gratiam communem non intel-

(Confirmatur ex D. Thom. — Præcluditur evasio.)

lexisse gratiam in communi, aut in abstracto; sed determinate gratiam habitualem, et sanctificantem, ut liquet ex ordine totius articuli, et ex titulo : « Utrum gratia « sacramentalis aliquid addat super gra- « tiam virtutum, et donorum : » manifestum namque est gratiam hujusmodi esse gratiam habitualem, quæ communiter in omnibus justis reperitur.

eci- ur ia ga. Nec iterum prodest dicere cum Gonet D. Thomam solum intendere, quod sicut species addit ad genus, ita gratia sacramentalis addat ad gratiam communem : sed non intendisse æqualitatem in modo additionis, ita scilicet, quod si species addit gradum, aut perfectionem intrinsecam, debeat gratia sacramentalis similiter addere : quare ad mentem S. Doctoris sufficit, quod addat jus ad specialia auxilia. Id, inquam, nec prodest, nec refert : quia plane fatemur inter illa comparationis extrema non observari perfectam similitudinem, nec D. Thomam illam intendisse : quippe constat gratiam habitualem non esse genus, et gratiam sacramentalem non esse speciem divisivam illius. Sed tamen Div. Thom. et intendit, et docuit gratiam sacramentalem addere aliquid intrinsecum supra gratiam communem, nempe speciem quandam modalem : quod sufficit ad veritatem nostræ assertionis : non enim intendimus, quod gratia sacramentalis addat differentiam essentialem in linea sanctificandi, sed quod addat specialem modum. Sicut bonitas desumpta ex objecto, et bonitas desumpta ex circunstantiis comparantur per modum generis, et speciei; non quia ita proprie se habeant, sed quia una alteri primariæ addit : « Et quia sicut genus determinatur per « speciem, ita etiam bonum in genere « (*nempe ex objecto*) determinatur per boni- « tatem, quæ est ex fine, et ex aliis circun- « stantiis, » ut loquitur D. Thom. in 2 dist. 36, quæst. 1, art. 1 ad 3. Et similiter comparantur gratia communis, et justitia, sive gratia originalis : quia hæc aliquomodo contrahit, et determinat, non quidem addendo differentiam essentialem, sed addendo modum intrinsecum, quo gratia habitualis habebat speciale dominium in subjectum, et præstabat alios peculiares effectus, quos non communicat gratia communis sumpta secundum se, et præcisa ab illo peculiari modo informationis. In quo sensu Div. Thom. in 2, dist. 32, quæst. 1, art. 2 ad 2, dixit « justitiam originalem non « habuisse communicare corpori prædic- « tam perfectionem, oppositamque imper- « fectionem excludere, in quantum justi- « tia est (*nempe ex ipsa essentia, et specie* « *gratiæ secundum se, et præcisive a modo*) sed « ratione cujusdam accidentis sibi annexi, » hoc est ratione modi, quem tunc gratia habuit : qui dicitur accidens annexum, non quia aliud accidens entitative, vel quia diversus habitus fuerit; sed quia erat extra essentiam gratiæ ab eaque distinguebatur sicut modus a re, ut fusius, productis etiam aliis D. Thomæ testimoniis, explicuimus tract. 13, disp. 16, dub. 1, num. 7 et dub. 3 a numer. 56. Cum autem Gonet subjungit, quod ad salvandam sententiam D. Thomæ in prædicto loco non requiritur aliquis modus realiter additus, sed quod sufficit novum, et speciale jus ad auxilia juxta finem sacramentorum; vel nihil dicit, vel dubium ad voces revocat; quia cum Div. Thom. dicat, et ipse concedat gratiam sacramentalem addere aliquid intrinsecum super gratiam communem, per quod hæc determinatur ad communicandum peculiares effectus, atque exigendum specialia auxilia; non videmus, quomodo possit negari, quod illa gratia intrinsece determinetur ad illa munia; non est autem modus aliudquid, quam adjacens rei determinatio: ergo licet gratia sacramentalis supra communem non addat vel differentiam essentialem, vel novum aliquem habitum, aut entitatem; addit tamen aliquem intrinsecum modum. Et contendere, quod hoc superadditum debeat appellari non modus realis, sed jus reale; videtur ad solam controversiam de vocibus pertinere. Sed de hoc iterum, et magis ex professo sermo redibit.

(Margin notes: Tho. — Idem. — Nota.)

112. Confirmatur secundo ex eodem S. Doctore : nam in 4, dist. 7, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 2 ad 2, affirmat « quod gratia « sacramentalis perficit removendo primo, « et principaliter defectum ex peccato con- « sequentem : sed gratia virtutum, et do- « norum perficit inclinando in bonum vir- « tutis, et doni. » In quibus manifestum est D. Thomam constituere aliquam distinctionem inter utramque gratiam, et prædictam distinctionem esse penes aliquod intrinsecum, et physicum vel removendi defectum ex peccato, vel inclinandi in bonum : hæc autem intelligi nequeunt, nisi gratia

(Margin note: Majo confir matio D. Tho)

gratia sacramentalis addat super communem aliquid intrinsecum saltem modale. Quod evidentius adhuc expressit quæst. 27, *de verit.* art. 5 ad 12, his verbis : « Sicut « diversæ virtutes, et diversa dona Spiri- « tus Sancti ad diversos actus ordinantur ; « ita diversi sacramentorum effectus sunt « ut diversæ medicinæ peccati, et parti- « cipationes dominicæ passionis, quæ a « gratia gratum faciente dependent, sicut « virtutes, et dona. Sed virtutes, et dona « nomen speciale habent propter hoc, quod « actus, ad quos ordinantur, sunt mani- « festi : unde secundum nomen a gratia « distinguuntur. Defectus autem peccati, « contra quos sacramenta instituuntur, « latentes sunt : unde sacramentorum no- « men proprium non habent, sed nomine « gratiæ nominantur : dicuntur enim gra- « tiæ sacramentales. Et penes has sacra- « menta distinguuntur sicut penes pro- « prios effectus. Pertinent autem isti effec- « tus ad gratiam gratum facientem, quæ « istis effectibus conjungitur : et sic cum « propriis effectibus habent effectum com- « munem, qui est gratia gratum faciens, « quæ etiam per sacramentum et non ha- « benti datur, et habenti augetur. » In quibus verbis satis aperte significat Div. Thomas effectus sacramentorum, nempe gratias sacramentales duo importare : unum omnibus commune, et quasi materiale, nempe gratiam habitualem, sive communem, quæ in omnibus sacramentis datur, vel augetur : aliud vero unicuique sacramento proprium, se habens ex additione ad primum, et constituens pro formali gratiam sacramentalem, quatenus communem gratiam trahit ad particularem effectum : et hoc reipsa est intrinseca determinatio, et modificatio gratiæ communis per specialem modum eidem superadditum.

Responsio Cajetani.

Respondet Cajetanus concedendo D. Thom. in aliis scriptis ita docuisse, sed eam sententiam revocasse in hac quæst. art. 2; nam cum difficultatem versaret non aliud dixit gratiam sacramentalem addere gratiæ communi, quam *divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem.* Manifestum autem est auxilium divinum non esse intrinsecum gratiæ sanctificanti in sacramento productæ, nec simul cum illa conferri ; sed dari alio tempore diverso, quando videlicet gratia sanctificans concurrit ad operationes peculiares sacramento correspondentes, utputa ad confitendum fidem coram tyranno, vel ad ministrandum in altari, et ad alia hujusmodi.

Evertitur.

Sed prædicta responsio non satisfacit, et evertitur supponendo, quod ingenue fatetur Cajetanus, scilicet S. Doctorem in aliis scriptis docuisse nostram sententiam. Nam illi plane oportet stare discipulos, nisi nobis constet de ejus retractatione : sed de hac minime constat : ergo tenendum est, quod gratia sacramentalis supra communem addat aliquid intrinsecum, et ab ea diversum, si non entitative, ut supra ostendimus, saltem modaliter, et ad instar ejusdem determinationis. Minor probatur primo, et positive : quia ita abest, ut Div. Thom. retractaverit prædictam sententiam, ut illam satis expresse doceat in hac ipsa 3 p. tum in locis supra ponderatis, præsertim ubi ait « sacramenta adhiberi in « remedium quantum ad præterita peccata, « quæ transeunt actu, et permanent reatu: » quia sicut hic defectus ex peccato relictus est intrinsecus, et permanens ; sic oportet curari per remedium permanens, et intrinsecum : auxilia autem Dei, quæ dantur in operando, non sunt hujusmodi : ergo cum gratia sacramentalis curet prædictum defectum, non debet constitui in illis auxiliis transeuntibus, sed in aliquo intrinseco, et permanenti. Tum etiam, et evidentius quia infra quæst. 72, art. 7 ad 3, tradit eandem sententiam, quam docuerat in 4 sent. et in quæst. supra citat. *de Veritate :* quod manifestum signum est non retractationis ; nisi Cajetanus dicat ipsam retractationem prioris sententiæ factam quæst. 62, art. 2, fuisse ulterius revocatam in quæst. 72, art. 7, quod et incredibile est, et indignum gravitate tanti Doctoris. Verba ejus sunt : « Di- D. Tho « cendum, quod sicut supra dictum est « (*nempe in hac quæst.* 62, *art.*2, *ut habetur in « margine*) gratia sacramentalis addit supra « gratiam gratum facientem communiter « sumptam, aliquid effectivum (*perpen- « dantur hæc a lectore*) specialis effectus, ad « quod ordinatur sacramentum. Si ergo « consideretur gratia in hoc sacramento « (*nempe confirmationis, de quo agit*) collata « quantum ad id, quod est commune : sic « per hoc sacramentum non confertur ali- « qua alia gratia, quam per baptismum ; « sed quæ prius inerat, augetur. Si autem « consideretur quantum ad illud speciale, « quod superadditur, sic non est ejusdem

« speciei cum ipsa. » Ex quibus constat, quod gratia sacramentalis communicata per confirmationem, addit supra gratiam communem aliquid specie distinctum ab ipsa communi gratia, quod est effectivum specialis effectus. Unde necesse est, quod qua parte differt specie ab illa gratia communi, distinguatur realiter ab illa; et qua parte est aliquid effectivum specialis effectus, non sit mera motio, sive auxilium transiens, sed sit aliquid permanens, et animæ impressum. Addit ergo gratia sacramentalis ex sententia D. Thomæ in ultimo scripto, non solum auxilium transiens, sed aliquid permanens a gratia communi distinctum. Ergo S. Doctor non revocavit sententiam, quam Cajetanus fatetur aliquando tenuisse.

Evertitur secundo eadem responsio confutando motivum intentatæ retractationis : quæ aliunde non probatur, nisi ex eo quod Div. Thom. in præs. art. 2, dicit quod « gratia sacramentalis addit super gratiam « communiter dictam, et super virtutes, et « dona quoddam divinum auxilium ad con« sequendum sacramenti finem. » Ex quo colligunt Adversarii S. Doctorem sensisse, quod gratia sacramentalis non addit gratiæ communi aliquid intrinsecum, et permanens, sed solam motionem, vel auxilium transiens, ut gratia communis operetur in ordine ad finem sacramenti. Cæterum illationem hanc non esse nec urgentem, nec legitimam in via D. Thomæ ostenditur : quia nec insolens, nec novum est apud S. Doctorem attribuere nomen auxilii gratiæ permanenti, ut constat 1, 2, quæst. 109, art. 7, ubi inquirit : « Utrum homo possit re« surgere a peccato sine auxilio gratiæ? » Quo loco auxilii nomine intelligit non solum auxilium transiens, sive motionem, sed etiam gratiam habitualem : ut patet ex resolutione in corpore articuli, ubi concludit : « Et ideo requiritur auxilium gratiæ « ad hoc, quod homo a peccato resurgat, et « quantum ad habituale donum, et quan« tum ad interiorem Dei motionem. » Ubi manifestum est, quod nomen auxilii tam habituali dono, quam motioni transeunti attribuitur. Ergo ex eo, quod S. Doctor in præsenti dixerit gratiam sacramentalem addere supra gratiam communem divinum auxilium, minime infertur, quod hujus nomine tantum comprehenderit actualem, et transeumtem motionem ad operandum, excludendo omnem aliam perfectionem, aut determinationem permanentem, et intrinsecam gratiæ communi superadditam : sed magis infertur oppositum. Nullum itaque est fundamentum, ut dicatur Div. Thomam eo loco revocasse sententiam, quam in aliis locis docuerat. Addere quis proba- Nota.
biliter posset cum Arauxo loco supra citato, quod licet concederetur gratiam sacramentalem solum addere gratiæ communi auxilia actualia ; adhuc salvaretur talem gratiam sacramentalem importare aliquid intrinsecum, et permanenter durans, atque a gratia sacramentali distinctum : nam ipsa auxilia actualia de se fluida, et transeuntia durant ex speciali institutione, et ordinatione divina, quandiu durat gratia communis per sacramenta communicata : unde habent deficere a propria ratione habitus, qui de se, et ex natura sua est qualitas permanens. Et hoc *auxilium divinum* permanenter durans, licet de se non permanens, addit gratia sacramentalis ex sententia D. Thomæ loco cit. quod magis assertionem nostram confirmat. Et posset quis hanc responsionem promovere tum exemplo elevationis instrumentariæ, quæ est de se transiens, et tamen solet communicari permanenter, ut patet in qualitate elevante ignem inferni ad torquendum spiritus. Tum a contrario sensu : nam habitus, qui de se est qualitas permanens, potest communicari per modum transeuntis, ut contigit Paulo in raptu, et docent plures Theologi, quos refert, et sequitur Godoi in tract. *de visione* Godoi.
disp. 18 : ergo auxilium, quod est de se qualitas transiens potest communicari per modum permanentis, et durare simul cum gratia communi.

143. Secundo probatur conclusio ratione Ratio ex D. Thom.
desumpta ex D. Thom. locis hactenus relatis : quia sacramenta et efficiunt realiter unum effectum omnibus communem, nempe gratiam habitualem vel quoad primum esse, vel quoad augmentum ; et efficiunt etiam realiter effectus speciales unicuique sacramento proprios, nempe gratias sacramentales : ergo gratiæ sacramentales distinguuntur realiter tam inter se, quam a gratia communi : ergo necessarium est, quod gratiæ sacramentales importent aliquid reale, intrinsecum, atque a gratia communi diversum. Cumque hujusmodi superadditum non sit distinctus vel gratiæ, vel virtutis habitus, aut alia qualitas completa, ut ostendimus § præced. sequitur esse aliquam

aliquam determinationem, aut modificationem gratiæ communis. Antecedens est certum, et satis constat ex dictis in hac disputatione, et urgentius ex doctrina Concilii Tridentini, quod determinat omnia nostra sacramenta efficere gratiam sanctificantem, et insuper singulis sacramentis assignat suos proprios, et reales effectus. Prima autem conseq. probatur : nam cum gratiæ sacramentales sint effectus proprii sacramentorum, ita ut singulæ singulis sacramentis correspondeant ; impossibile est proprios effectus sacramentorum realiter distingui, nisi gratiæ sacramentales distinguantur realiter inter se : non possent autem ita distingui, si eidem gratiæ communi identificarentur : nam quæ sunt idem uni tertio, sunt idem inter se : ergo gratiæ sacramentales distinguuntur realiter tam inter se, quam a gratia communi. Ex quo patet ultima consequentia : nam qua parte illud, quod gratiæ sacramentalis est effectus sacramenti, producitur a sacramento, debet esse aliquid reale : et qua parte producitur in anima, debet esse illi intrinsecum : et denique qua parte distinguitur realiter a gratia communi, debet illi realiter addere : ergo gratiæ sacramentales important aliquid reale, intrinsecum, et a gratia communi diversum.

ræocupanr duæ esponiones. Qui discursus præcludit duo Adversariorum effugia, primum ad auxilia actualia, secundum ad jus consequendi talia auxilia. Quod enim quidam dicunt gratiam sacramentalem non esse aliud, quam gratiam sanctificantem, sive communem connotando diversa auxilia in ordine ad consequendum fines sacramentorum ; evertitur ex dictis : quoniam sacramenta non efficiunt realiter auxilia, quæ post eorum susceptionem, eisque transactis communicantur : ergo si gratia sacramentalis non addit supra communem, nisi auxilia ; sequitur, quod sacramenta non producant effectus realiter diversos, sed unam tantum gratiam communem : ergo a contrario sensu, si sacramenta causant effectus realiter diversos, nempe gratias sacramentales , necessarium est prædictas gratias non addere præcise auxilia sed aliquid ab auxiliis distinctum. Eo vel maxime, quod sacramenta causent realiter suos proprios effectus, nempe gratias sacramentales, priusquam auxilia actualia communicentur, aut ponantur in rerum natura. Quod satis manifestat proprios sacramentorum effectus, atque eorum distinctionem salvari debere antecedenter ad auxilia, atque independenter ab illis. Quod vero alii dicunt sacramentalem esse ipsam gratiam communem non secundum se, sed quatenus importat jus ad peculiaria auxilia propria sacramenti, per quod fit ; licet hoc jus non sit aliquid diversum a tali gratia ; convellitur etiam præmisso discursu : quoniam gratiæ sacramentales debent distingui realiter inter se, ut supra ostendimus : quod minime salvatur, si non sint aliud quam gratia communis, ut importat diversa jura, vel jus ad diversa auxilia : sicut enim ea jura sunt realiter idem, sic etiam idem erunt gratiæ sacramentales : ex quo ulterius fiet sacramenta, quæ sunt causæ reales, et differunt specie non habere effectus realiter specifice distinctos, sed omnia concurrere in unum præcise realiter effectum.

Urgentior utriusque responsionis confutatio. Adde Auctores, qui prædictis effugiis utuntur, relabi in sententias Antiquorum a se impugnatas, nempe gratias sacramentales solum distingui a communi per denominationem desumptam vel a diversis causis quatenus gratia producta a solo Deo dicitur communis, et producta per sacramentum, vocatur sacramentalis ; vel in ordine ad diversos effectus, ut dicatur communis, prout sanctificat, et dicatur baptismalis, prout regenerat, et sic de aliis. Quas sententias esse falsas docent communiter Adversarii, et constat ex dictis num. 36. Quod vero ipsi in easdem incidant, quin et illas mutatis vocabulis amplectantur, facile convincitur : quia dicunt gratiam sacramentalem baptismi nihil aliud esse, quam gratiam communem, quæ ut producta per baptismum ordinatur ad speciales actus, et pro eisdem petit specialia auxilia : gratiam sacramentalem confirmationis non esse aliud quam gratiam communem, quæ ut producta per confirmationem ordinat ad confessionem fidei, et petit ad id auxilia : et sic de omnibus aliis gratiis sacramentalibus. Id autem non aliud est, quam gratias sacramentales esse gratiam communem cum diversis denominationibus sumptis vel a causis, vel ab effectibus. Et si res ita se habet : vana, et superflua apparet institutio tot sacramentorum cum tot significationibus, et cæremoniis : posset enim idem instrumentum sæpius applicatum eosdem effectus præstare.

lia o ex Tho. 144. Tertio probatur eadem conclusio alia ratione desumpta ex D. Thom. 1, 2, quæst. 110, art. 5, quæ potest ita proponi : nam habenti gratiam sacramentalem, utpula confirmationis, debentur, et connaturaliter dantur diversa, et majora auxilia ad confitendum fidem coram tyranno, et ad non erubescendum crucem Christi, quam debeantur, et dentur alteri habenti solam gratiam communem : ergo gratia sacramentalis confirmationis importat aliquid speciale reale, et realiter superadditum gratiæ communi. Antecedens conceditur ab Adversariis, et facile ostenditur ab inconvenienti : quia si habenti gratiam sacramentalem confirmationis non essent debita diversa, et majora auxilia ad confitendum fidem, quam alteri non habenti talem gratiam ; superfluum foret suscipere sacramentum confirmationis in ordine ad talem finem : quippe eo sumpto, vel non sumpto, salvaretur idem effectus, eademque utilitas, et animi corroboratio : consequens est omnino falsum, et non cohærens principiis fidei in materia sacramentorum : ergo negari non potest, quod habenti gratiam sacramentalem confirmationis debeantur diversa, et majora auxilia, quam alteri non habenti prædictam gratiam. Et quod de hac gratia istius sacramenti, et de auxiliis ei debitis dicimus, pariter cum proportione intelligendum est in cæteris sacramentis, et eorum effectibus, ut eadem ratio convincit. Consequentia autem ostenditur : quia ut diversa, et majora auxilia debeantur uni subjecto, quam alteri, et ut eidem fiant connaturalia ; oportet, quod ex parte unius detur aliqua forma, dispositio, aut modus, propter quæ debeantur prædicta auxilia : si enim in omnibus prædicatis intrinsecis æqualiter se habeant, non est ratio, quare auxilia debeantur uni, et non debeantur alteri, sive (et in idem redit) quare non sint debita, vel in debita respectu utriusque. Ergo si habenti gratiam sacramentalem confirmationis debentur diversa, et majora auxilia, quam alteri non habenti talem gratiam ; necessarium est, quod ex parte habentis eam gratiam detur aliqua forma, dispositio, aut modus, quibus caret alter illam gratiam non habens. Id vero minime salvari potest, nisi concedatur gratiam sacramentalem addere aliquid reale, et intrinsecum super gratiam communem : quippe tam in ipsa gratia communi, quam in ejus gradibus, et in omnibus aliis prædicatis intrinsecis possunt esse æquales illi homines, qui sunt hujus comparationis extrema, ut facile consideranti constabit.

Confirmatur, et declaratur amplius : Confutatur. nam licet absolute non repugnet dari eadem auxilia homini habenti gratiam communem, et homini non habenti talem gratiam ; nihilominus ut homini dentur plura auxilia, fiantque ipsi quasi connaturaliter debita, oportet hominem habere gratiam communem, per quam sit aliter dispositus, quam alter homo prædictam gratiam non habens : ergo pariter quamvis non implicet conferri eadem auxilia homini habenti gratiam sacramentalem confirmationis, et homini non habenti talem gratiam, in ordine ad effectum confitendi, et tuendi fidem coram tyranno ; tamen ut plura auxilia dentur, et fiant homini quasi connaturalia, necessarium est, quod unus per gratiam sacramentalem præsupponatur aliter dispositus, quam alter qui prædicta gratia caret. Cum autem prædicti queant esse æquales in gradibus gratiæ communis ; quin et fieri possit, quod non confirmatus habeat majorem gratiam communem, quam confirmatus : consequens omnino apparet inæqualitatem constituendam esse ex parte gratiæ sacramentalis, atque ideo istam superaddere gratiæ communi, et distingui realiter ab illa. Desumitur autem hic discursus ex D. Thom. D. Th loco cit. ubi ait : « Non est conveniens, « quod Deus minus provideat his, quos di- « ligit ad supernaturale bonum habendum, « quam creaturis, quas diligit ad bonum « naturale habendum. Creaturis autem « naturalibus sic providet, ut non solum « moveat eas ad actus naturales ; sed etiam « largiatur eis formas, et virtutes quasdam, « quæ sunt principia actuum, et secundum « se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus. « Et sic motus, quibus a Deo moventur, « fiunt creaturis connaturales et faciles, se- « cundum illud Sapientiæ 8 : Et disponit « omnia suaviter. Multo igitur magis illis, « quos movet ad consequendum bonum « supernaturale æternum, infundit aliquas « formas, seu qualitates supernaturales, « secundum quas suaviter, et prompte ab « ipso moveantur ad bonum æternum con- « sequendum. Et sic donum gratiæ quali- « tas quædam est.» Hæc S. Doctor. Quæ mutatis

mutatis præcise terminis, applicantur rei præsenti : etenim Deus hominem confirmatum movet connaturaliter, et specialiter ad supernaturale bonum confessionis fidei ; quo modo non movet alios non confirmatos habentes gratiam communem : ergo oportet, quod ex parte subjecti sic moti detur aliqua forma, dispositio, aut modus, ratione cujus ea motio fiat ipsi connaturalis, et propria : hæc autem dispositio non fit per gratiam communem, quippe quæ in aliis non ita motis invenitur : ergo per aliquid ultra gratiam communem, illique realiter superadditum. Cum igitur ea dispositio contingat per gratiam sacramentalem, sequitur hanc distingui realiter a gratia communi, eique realiter superaddi.

Præciduntur effugia. Nec isto loco opus erit præcidere recursum vel ad diversa sacramenta, quibus producitur gratia communis, vel ad diversa jura, quæ fundet communis hæc gratia ut diversis sacramentis producta. Quoniam discursus D. Th. probat, quod ut auxilia fiant alicui subjecto connaturaliter debita, debent in eo supponere physicam formam, aut dispositionem, quibus respondeant, et coaptentur. Sacramenta autem per se ipsa nihil formaliter constituunt in homine, sed comparantur præcise ut causæ extrinsecæ efficientes. Deinde jura illa, sive tituli non sunt aliquid physicum, sed quid morale : quare nequeunt subjectum constituere physice magis, aut minus dispositum : et ita Adversarii concedunt hominem confirmatum, et hominem non confirmatum habentes gratiam communem ut quatuor non distingui in aliquo physico per habitudinem ad auxilia. Ergo nec sacramenta, nec illa jura sufficiunt ad salvandam diversam ex parte subjecti dispositionem, ut uni auxilia sint connaturaliter debita, secus alteri. Et si quis imaginetur hoc argumentum eludi recurrendo ad characterem confirmationis, quidquid sit de gratia sacramentali ; eludetur plane ipse : nam idem argumentum formabimus, applicabimusque sacramentis non imprimentibus characterem, in quibus locus non relinquitur illi effugio.

Alia ratio. 145. Ultimum nostræ assertionis motivum est, quod gratias sacramentales addere super gratiam communem reales aliquas determinationes, sive modificationes in ordine ad peculiares effectus ratione alicujus modi realiter superadditi, nec est repugnans, nec rebus innaturale : aliunde vero, si id admittitur, plura superantur, atque explicantur, quæ sunt in ista materia difficilia : ergo fateri oportet, quod gratiæ sacramentales addunt gratiæ communi modos reales, et ab illa realiter modaliter diversos. Consequentia videtur evidens apud intellectum recte dispositum : quia in antecedenti excluduntur motiva, ob quæ illi modi non deberent concedi, et recensentur motiva, propter quæ expedit ipsos admittere. Antecedens autem quoad secundam partem facile constat : quia positis illis modis, quos gratiæ sacramentales addant gratiæ communi, facile intelligitur, quomodo sacramenta producant realiter effectus specifice diversos ; quomodo gratiæ sacramentales distinguantur realiter tam inter se, quam a gratia communi ; et quomodo ex parte subjecti detur diversa realiter dispositio, ut quædam specialia auxilia ipsi communicentur tanquam connaturaliter debita : quæ omnia vix, aut nullo modo salvari, atque explicari valent in sententia contraria, ut constat ex hactenus dictis. Prima vero antecedentis pars ostenditur : quia non est assignabilis contradictio, ob quam repugnent prædicti modi, ut evidentius constabit diluendo argumenta contraria. Occurrunt autem exempla, quæ rem declarent, et manifestent innaturalem, aut miraculosam non esse intra ordinem supernaturalem, et supposita sacramentorum institutione. Nam in primis gratia originalis addebat aliquid reale gratiæ communi, non habitum, non aliam entitative qualitatem, sed quendam specialem modum informationis, et dominii, unde proveniebant diversi effectus, qui modo in nostra communi gratia non reperiuntur, ut explicuimus loco cit. num 141. Cur igitur similiter non continget, quod gratia sacramentalis addat gratiæ communi, non alium habitum, sed quendam modum, quo ista intrinsece determinetur ad peculiares effectus ? Deinde attritio hominis justi aliquid addit supra attritionem communem supernaturalem, non actum, non qualitatem entitativam, sed modum informationis, quo a charitate participat respectum ad Deum supernaturalem finem, quem ex sola, et propria specie non habet. Quare ergo simile quid non admittemus in gratia sacramentali, nempe addere supra com- Exempla.

munem, non habitum, non entitatem, sed modum quendam a sacramentis participatum, quo gratia communis specialiter determinetur ad peculiares sacramentorum fines, quam determinationem ex se non habet? Denique, ut alia exempla omittamus, qualitates supernaturales, v. g. charitas, et fides augentur per aliquid sibi superadditum, intrinsecum, et permanens : quod non importat novam entitatem, gradum, vel habitum partialem, sed præcise novum modum majoris actualitatis, et radicationis in subjecto, ut docent communi-
D.Thom. ter Thomistæ cum D. Thom. 2, 2, quæst. 24, artic. 4, et 5. Qua itaque ratione aut repugnans, aut innaturale erit, quod gratiæ communi addatur specialis modus a sacramentis derivatus, quo determinetur ad eorum fines, et obeat munus gratiæ sacramentalis? Id, igitur, quod in aliis rebus additione modi intrinsece contingit, ut præmissa exempla declarant, dicimus accidere in præsenti materia : atque ideo gratiam sacramentalem non addere solam denominationem desumptam a causis, vel effectibus, nec addere novum, et distinctum habitum gratiæ, nec addere auxilia præcise, aut jus illa consequendi : sed addere modum realem, et intrinsecum, per quem gratia communis determinatur, et trahitur ad particulares effectus sacramentis correspondentes.

Incidentis dubii decisio. Si autem inquiras, an prædictus modus afficiat immediate gratiam sanctificantem, et simul cum illa recipiatur in substantia animæ : an vero solum determinet immediate virtutes fluentes a gratia, et in potentiis animæ residentes? Respondetur utrumque posse probabiliter sustineri absque ullo ad assertionem præjudicio. Et primum confirmari potest exemplo supra posito gratiæ, aut justitiæ originalis : nam modus, quem gratiæ communi addebat, afficiebat immediate ipsam communem gratiam, et recipiebatur in substantia animæ, quippe qui ordinabatur, ut talis gratia haberet specialem informationem, et dominium super ipsam. Sed quia modus, quem addit gratia sacramentalis, magis ordinatur ad operandum effectus proprios sacramentorum, ad quos immediate concurrunt virtutes : et aliunde oportet non multiplicare realitates, et modos absque gravi necessitate : probabilius apparet, quod prædictus modus immediate solum afficiat virtutes, et mediate gratiam communem, in qua ipsæ radicantur : hinc enim habet prædicta gratia sufficientem determinationem ad effectus proprios sacramentorum, et ut denominetur sacramentalis.

§ III.

Convelluntur fundamenta contrariæ opinionis.

146. Gratiam sacramentalem non addere supra communem aliquid reale intrinsecum et ab ea diversum docent ex Thomistis Cajetanus in præs. art. 2, Sotus in 4, dist. 2, quæst. 3, art. 2, Martinus de Ledesma 1, p. 4, quæst. 3, artic. 2, Gonet disp. 3, art. 6, concl. 3, Labat. disp. 1, dub. 5, § 5, corollar. 3, N. Philippus disp. 4, dub. 7, in 4, p. assertionis, et alii. Idem etiam tuentur communiter recentiores, Suarez disp. 7, sect. 3, Vasquez disp. 131, cap. 7, Valencia disp. 3, quæst. 3, punct. 2, Aversa quæst. 62, sect. 2, Lugo disp. 4, sect. 3, Bernal disp. 8, sect. 2, Dicastillo 2, dub. 3, n. 83, et alii plures, quos refert, et sequitur Leander tract. 1, disp. 3, quæst. 7. Quam opinionem ejus patroni communiter probant ex D. Tho. in præs. art. 2, ubi inquirens, an gratia sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum, et donorum, respondit affirmative : sed tamen nihil addi significavit nisi auxilium. « Gratia, *inquit*, sacramentalis addit super « gratiam communiter dictam, et super « virtutes, et dona, quoddam divinum « auxilium ad consequendum sacramenti « finem. » Ergo aliquid addere ultra prædictum auxilium est contra mentem S. Doctoris. Sed quam parum urgeat prædictum testimonium, constat ex supra dictis n. 142, ubi ostendimus testimoniis longe evidentioribus D. Tho. docuisse, et nunquam revocasse assertionem nostram. Unde opus non habemus alia nunc adjicere. Alia autem hujus opinionis fundamenta consistunt majori ex parte in evasionibus, quibus diluere curat motiva nostræ, excludendo necessitatem modi intrinseci, et gratiæ communi superadditi. Sed prædicta effugia jam confutavimus supra a nu. 143. Quare pauca supersunt argumenta, quibus occurramus.

Arguitur primo : quia si gratia sacramentalis super gratiam communem aliquid reale,

reale, et intrinsecum adderet, illud esset peculiaris habitus gratiæ : consequens est falsum, et contra ea, quæ supra diximus n. 138 : ergo et antecedens. Probatur sequela : nam illud reale, intrinsecum superadditum esset aliquid permanens sicut ipsa gratia sacramentalis : ergo esset quædam gratia habitualis, ac subinde peculiaris habitus gratiæ.

Solvitur. Respondetur negando sequelam : quia sicut actus correspondentes gratiæ sacramentali non sunt actus specifice, aut entitative diversi ab actibus, qui gratiæ communi, et virtutibus ac donis correspondent; sed idem specie actus cum quodam modo, et determinatione ad peculiarem sacramentorum finem : ita non oportet, ut id, quod gratia sacramentalis addit supra gratiam communem, sit distinctus habitus; sed sufficit, quod sit modus intrinsecus, et determinatio habitus præexistentis, nempe gratiæ communis. Ad sequelæ autem probationem, concesso antecedenti, negamus utramque consequentiam : quia non omne, quod de genere qualitatis est permanens, debet esse habitus, vel qualitas completa; cum ratio permanentiæ possit etiam modis, et entitatibus incompletis convenire, ut patet in modo intentionis charitatis, qui est permanens, sicut illa, et in modo, quo gratia sanctificans constituebatur in munere justitiæ originalis, qui permaneret cum ipsa justitia. Quare ex eo, quod gratia sacramentalis addat gratiæ communi aliquid intrinsecum permanens, non sequitur tale additum esse habitum, virtutem, aut qualitatem completam.

Secundum argumentum. 147. Arguitur secundo : quia ubi non datur novus effectus formalis, non requiritur nova forma : sed gratia sacramentalis non dat effectum formalem distinctum ab eo, quem communicat gratia sanctificans : ergo gratia sacramentalis non addit aliquid reale, et intrinsecum, quod a gratia sanctificante, et communiter dicta distinguatur. Major, et consequentia patent. Minor autem probatur : quia si gratia sacramentalis adderet aliquem effectum formalem; hic consisteret, vel in permanentia, vel in intentione, vel in extensione gratiæ communis ad aliquos actus ordinarios, aut extraordinarios ordinis gratiæ. Sed gratia sacramentalis ad nihil horum communicat ullum effectum formalem, qui ab effectu formali gratiæ communis distinguatur : hæc enim per se ipsam est habitus sufficientissime permanens : deinde suam intensionem habet independenter a gratia sacramentali, quin solet esse intensior, quam illa : præterea per virtutes, et dona potest elicere omnes actus ordinarios ordinis supernaturalis : et tandem ubi oportet elicere aliquos extraordinarios, et supra communes regulas, pro his habet parata, et sibi connexa dona Spiritus Sancti. Nullum igitur effectum formalem potest communicare gratia sacramentalis, quem non communicet gratia communis.

Confirmatio. Confirmatur : quia licet permitteretur, quod gratia sacramentalis se extenderet ad aliquos effectus, ad quos non se extendit gratia communis; adhuc non inferretur, quod distingueretur ab illa : ergo nullum est fundamentum, ut dicamus gratiam sacramentalem addere communi aliquid intrinsecum, per quod ab ipsa realiter distinguatur. Probatur antecedens : quia justitia originalis erat idem realiter cum gratia communi : et tamen justitia originalis se extendebat ad aliquos effectus, ad quos gratia communis non se extendit : ergo licet sacramentalis se extenderet ad quosdam effectus, ad quos non se extenderet gratia communis, non inde colligitur prædictas gratias realiter distingui.

Solvitur argumentum. Ad argumentum respondetur, quod sicut gratia sacramentalis non addit novum habitum supra gratiam communem, sed præcise novum modum; et ita est idem entitative habitus, et modaliter diversus : ita gratia sacramentalis non præstat effectum entitative diversum ab illo, quem communicat gratia habitualis, sed præstat effectum formalem entitative eundem, sed modaliter distinctum. Et in hoc sensu negamus minorem. Ad cujus probationem satis constat ex supra dictis effectum formalem modi, quem gratia sacramentalis addit, esse modificare gratiam communem, determinando illam ad speciales actus, effectus, et fines proprios sacramentorum. Quæ modificatio, et determinatio elucet in eo, quod licet gratia communis queat elicere absolute per virtutes, aut dona omnes actus supernaturalus hujus status : nihilominus hos ipsos actus aliter elicit, et respicit gratia communis secundum se sumpta, et aliter gratia communis determinata per sacramentalem modum, quo pacto est et dicitur gratia sacramentalis. Nam gratia

communis respicit confessionem fidei v. g. secundum se, aut amorem inter conjuges secundum se, et sic de aliis actibus : sed prædicta gratia ut determinatur per modum sacramentalem, respicit eosdem actus non tantum secundum se, sed ut eliciendos quasi ex officio, et cum connaturalitate ad gratiam in sacramento receptam. Et licet Deus possit dare suum concursum ad prædictos actus secundum se independenter a sacramentis, quippe qui suam omnipotentiam sacramentis non alligavit : nihilominus ubi talis concursus datur non habentibus gratiam sacramentalem, non ita connaturaliter, et proportionate datur. Unde mirabilius est, quod qui sacramentum confirmationis non suscepit, confiteatur, et tueatur fidem coram tyranno, quam quod id præstet confirmatus : huic enim ex ipso sacramento debentur plura, et uberiora auxilia. Et ut hæc connaturaliter communicentur subjecto, debent in eo supponere speciale debitum ratione gratiæ sacramentalis, sive modi gratiæ communi superadditi, ut num. 144 magis explicuimus. Et hinc diluuntur minori inserta : non enim constituimus effectum formalem gratiæ sacramentalis in permanentia, aut intensione gratiæ communis, nec in hujus extensione ad novos actus; sed in determinatione gratiæ communis, ut respiciat fines sacramentorum, et eliciat actus eisdem correspondentes, non secundum se, sed cum tali modo sacramentorum proprio.

[Re]spon[d]etur [co]nfir[ma]tioni. Ad confirmationem patet ex immediate dictis : quia non dicimus gratiam sacramentalem addere extensionem ad novos actus entitative, sed ad eosdem actus cum speciali modo, ex qua extensione recte colligitur, quod licet gratia sacramentalis non differat a communi entitative, tanquam habitus, et habitus ; distinguuntur tamen modaliter, sicut habitus modificatus differt ab habitu secundum se, aut sine modo. Et in hoc sensu negamus antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod licet justitia originalis non esset habitus entitative diversus a nostra et communi gratia, addidit tamen super prædictum habitum specialem aliquem modum, quo gratia communis determinata est ad peculiares effectus, ut diximus, n. 141. Unde prædictum exemplum nostram sententiam magis confirmat.

148. Arguitur tertio : nam illud, quod gratia sacramentalis dicitur addere super gratiam communem, nequit ab ista distingui aut solo numero, aut specie : ergo nequit ab ea realiter distingui. Consequentia patet : quia omnis realis distinctio vel est materialis, et præcise numerica, vel est formalis, et specifica : ergo quod uno ex prædictis modis non differt ab alio, nequit ab eo realiter distingui. Antec. autem quoad primam partem est certum : nam ex opposito fieret duo accidentia solo numero diversa inhærere eidem subjecto, quod repugnat. Et quoad secundam ostenditur : quia si illud additum distingueretur specifice a gratia communi, ibi darentur duæ species gratiæ, nempe communis, et sacramentalis : quod a nobis § 1, improbatum fuit. Tertium argumentum

Solutio. Respondetur illud superadditum distingui a gratia communi specie modali, id est, non entitative, qualis distinctio datur inter species entitative diversas, et entia completa ; sed qualis invenitur inter entitatem, et modum, quo afficitur. Sicut modus intentionis differt a qualitate : et similiter lux solis ut solis differt a luce communi; non quia importet distinctam lucis speciem, sed eandem speciem lucis cum quodam modo. Unde minime sequitur, quod gratia communis, et gratia sacramentalis sint duo habitus, aut species gratiæ, quod loco citato rejecimus : sed quod gratia sacramentalis sit ipsa gratia communis cum quodam modo, respectu gratiæ communis accidentali : sicut lux solis est ipsa communis species lucis cum quodam modo. Ex quo ulterius fit, quod licet sacramenta producant per se effectus specifice diversos, non producant tamen habitus specifice distinctos : quia ad primum sufficit, quod respiciant per se gratias sacramentales secundum diversos modos, quos addunt gratiæ communi, qui licet sint accidentales respectu gratiæ communis, sunt tamen per se respectu sacramentorum. Ad posterius autem requirebatur, quod gratiæ sacramentales essent diversi habitus, et diversæ gratiæ entitative : id vero non ita accidit, et quia repugnat, et quia non requiritur ad verificandum, quæ in præsenti materia salvari debent. Alia argumenta videri possunt in Joanne a S. Thom. loco supra cit. quæ omittimus, quia eorum solutio facile apparet ex dictis.

ARTICULUS V.

ARTICULUS V.

Utrum sacramenta novæ legis habeant virtutem ex passione Christi?

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod sacramenta novæ legis non habeant virtutem ex passione Christi. Virtus enim sacramentorum est ad gratiam causandam in anima, per quam spiritualiter vivit. Sed sicut August. dicit super Joann. Verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas; secundum autem quod est caro factum, vivificat corpora. Cum igitur passio Christi pertineat ad verbum, secundum quod est caro factum: videtur quod non possit causare virtutem sacramentorum.

Præterea: Virtus sacramentorum videtur ex fide dependere: quia sicut dicit August. super Joann. Verbum Dei perficit sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur. Sed fides nostra non solum respicit passionem Christi, sed etiam alia mysteria humanitatis ipsius, et principalius etiam divinitatis ejus. Ergo videtur, quod sacramenta non habeant specialiter virtutem a passione Christi.

Præterea: Sacramenta ordinantur ad hominum justificationem, secundum illud 1 ad Corinth. 6: Abluti estis, et justificati estis. Sed justificatio attribuitur resurrectioni: secundum illud Roman. 4: Resurrexit propter justificationem nostram. Ergo videtur, quod sacramenta magis habeant virtutem a resurrectione Christi, quam ab ejus passione.

Sed contra est, quod super illud Roman. 5 in similitudinem prævaricationis Adæ, etc., dicit gloss. Ex latere Christi dormientis in cruce, fluxerunt sacramenta, per quæ salvata est Ecclesia. Sic ergo sacramenta videntur habere virtutem ex passione Christi.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus: aliud autem conjunctum, ut manus. Per instrumentum autem conjunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum conjunctum: sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet, quod virtus salutifera, a divinitate Christi, per ejus humanitatem, in ipsa sacramenta derivetur. Gratia autem sacramentalis ad duo præcipue ordinari videtur, videlicet ad tollendos effectus præteritorum peccatorum, in quantum transeunt actu, et remanent reatu; et iterum ad perficiendam animam, in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem vitæ Christianæ. Manifestum est autem ex his, quæ supra dicta sunt, quod Christus liberavit nos a peccatis nostris, præcipue per suam passionem: non solum efficienter, et meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiavit ritum Christianæ religionis, offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, ut dicitur Ephes. 5. Unde manifestum est, quod sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodam modo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum. In cujus signum de latere Christi pendentis in cruce, fluxerunt aqua, et sanguis, quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum prout erat in principio apud Deum, vivificat animas sicut agens principale: caro tamen ejus, et mysteria in ea perpetrata, operantur instrumentaliter ad animæ vitam. Ad vitam autem corporis non solum instrumentaliter, sed etiam per quandam exemplaritatem, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod per fidem, Christus habitat in nobis (ut dicitur Ephes. 3). Et ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiva peccatorum, speciali quodam modo pertinet ad passionem ipsius Christi: et ideo per fidem passionis ejus specialiter homines liberantur a peccatis, secundum illud Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et ideo virtus sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipue est ex fide passionis Christi.

Ad tertium dicendum, quod justificatio attribuitur resurrectioni ratione termini ad quem, qui est novitas vitæ per gratiam. Attribuitur tamen passioni ratione termini a quo, scilicet quantum ad dimissionem culpæ.

Conclusio: *Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi.*

Quæda difficul tates r missiv

Tam principia, quam conclusionem D. Thomæ in hoc art. alibi ex professo explicuimus. Nam humanitatem Christi fuisse instrumentum physicum ad salutem nostram divinitati conjunctum diximus tract. præced. disp. 23, dub. 4; sacramenta autem Ecclesiæ esse instrumenta physica divinitatis ad eundem effectum diximus disp. præced. dub. 4. Ubi autem duo instrumenta prædicto modo concurrunt, oportet, quod instrumentum separatum moveatur per instrumentum conjunctum, sicut baculus movetur per manum: et similiter oportet, quod instrumentum separatum recipiat virtutem a principali agente mediante instrumento conjuncto, et dependenter ab illo, sicut calamus, quo hæc scribimus, recipit motionem artificiosam ab anima mediante manu. Unde consequens est sacramenta nostra accipere virtutem ab humanitate Christi sicut ab instrumento conjuncto, et mediante illa moveri ad effectus salutis, quos in nobis efficiunt. Porro Christus ut homo operatus specialissime fuit salutem nostram per passionem suam, ut Div. Thom. magis ex professo ostendit supra quæst. 48, et 49, et nos explicuimus tract. citat. disp. 28, dub. 3, num. 28, et 41, et 45. Sequitur itaque de primo ad ultimum, quod sacramenta Ecclesiæ habent specialiter suam virtutem ex passione Christi. Quare sicut gratia nobis data communicatur dependenter a Christo, et ab omnibus ejus meritis, satisfactionibus, et causalitatibus, quæ non restringuntur ad solam passionem, sed plures alias operationes complectuntur; et nihilominus dicitur esse specialiter effectus passionis Christi ob motiva locis relatis assignata: sic etiam sacramenta Ecclesiæ, quamvis habeant virtutem a Christo, et ejus operibus; tamen magis specialiter dicuntur illam habere ex passione Christi. Observat autem Suarez disp. 9, sect. 2 ad 5, doctrinam hanc D. Thomæ non sic accipi debere, quasi sacramenta recipiant realiter aliquam virtutem a Christi humanitate, et passione; sed quod Christus suæ passionis merito obtinuerit, quod Deus instituerit sacramenta, et quod

Ratio conclusionis.

Observatio Suarii.

illa constituerit instrumenta physica ad effectus nostræ salutis. Cæterum illa advertentia procedit ex falsa ejusdem Suarii doctrina, qui contendit instrumenta ejusmodi non elevari per virtutem realem sibi superadditam, sed concurrere per potentiam obedientialem immediate operativam supernaturalium effectuum : quod contradicit D. Thomæ, et rejectum a nobis est locis supra relatis. Quare consequenter ad principia D. Thomæ tenendum est humanitatem Christi, et sacramenta Ecclesiæ ita comparari, quod sacramenta tanquam instrumenta separata recipiunt virtutem ab humanitate Christi sicut ab instrumento conjuncto, et realiter ab illa moventur ad effectus nostræ salutis. Quod satis expresserat S. Doctor in illis verbis hujus art. « Principalis causa efficiens gratiæ est ipse « Deus, ad quem comparatur humanitas « Christi sicut instrumentum conjunctum; « sacramentum autem sicut instrumentum « separatum. Et ideo oportet, quod virtus « salutifera a divinitate Christi per ejus « humanitatem ad ipsa sacramenta derivetur. » Quomodo autem passio Christi, quæ physice formaliter est transacta, queat nunc concurrere physice ad elevationes, motiones, et causalitates nostrorum sacramentorum, constat ex dictis disp. præced. num. 69.

ARTICULUS VI.

Utrum sacramenta veteris legis gratiam causaverint ?

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod etiam sacramenta veteris legis gratiam causarent. Quia (sicut dictum est) sacramenta novæ legis habent efficaciam ex fide passionis Christi. Sed fides passionis Christi fuit in veteri lege, sicut et in nova : habemus enim eumdem spiritum fidei, ut habetur 2 ad Corinth. 4. Sicut ergo sacramenta novæ legis conferunt gratiam, ita etiam sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

Præterea : Sanctificatio non fit nisi per gratiam. Sed per sacramenta veteris legis, homines sanctificabantur : dicitur enim Levitici octavo : Cumque sanctificasset Moyses, Aaron, et filios ejus in vestitu suo, etc. Ergo videtur, quod sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

Præterea : Sicut Beda dicit in homilia circumcisionis. Idem salutiferæ curationis auxilium, circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatæ tempore gratiæ consuevit. Sed baptismus nunc confert gratiam. Ergo circumcisio gratiam conferebat. Et pari ratione alia sacramenta legalia : quia sicut baptismus est janua sacramentorum novæ legis, ita et circumcisio erat janua sacramentorum veteris legis. Propter quod et Apostolus dicit Galat. 5 : Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.

Sed contra est, quod Galat. 4 dicitur : Convertimini iterum ad infirma, et egena elementa, gloss. id est, ad legem, quæ dicitur infirma, quia perfecte non justificat. Ergo sacramenta veteris legis, gratiam non conferebant.

Respondeo dicendum, quod non potest dici, quod sacramenta veteris legis conferrent gratiam justificantem per se ipsa, id est, propria virtute ; quia sic non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud Galat. 2 : Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est. Sed nec potest dici, quod ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam justificandi. Sicut enim ex prædictis patet, virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sacramenta, differenter tamen. Nam continuatio, quæ est per fidem, fit per actum animæ : continuatio autem, quæ est per sacramenta, fit per usum exteriorem rerum. Nihil autem prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, movere secundum quod præcedit in actu animæ : sicut finis qui est posterior tempore, movet agentem secundum quod est apprehensus, et desideratus ab ipso. Sed illud quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorem rerum. Unde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est, quod a passione Christi, quæ est causa humanæ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad sacramenta novæ legis, non autem ad sacramenta veteris legis : et tamen per fidem passionis Christi justificabantur antiqui Patres, sicut et nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi, et effectus ejus. Sic ergo patet, quod sacramenta veteris legis, non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem, sed solum significabant fidem per quam justificabantur.

Ad primum ergo dicendum, quod antiqui Patres habebant fidem de passione Christi futura, quæ secundum quod erat in apprehensione animæ, poterat justificare. Sed nos habemus fidem de passione Christi præcedenti, quæ potest justificare etiam secundum realem usum sacramentalium rerum, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod illa sanctificatio erat figuralis : per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui divino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum passionem Christi.

Ad tertium dicendum, quod de circumcisione multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod per circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. Sed hoc non potest esse, quia homo non justificatur a peccato, nisi per gratiam : secundum illud Rom. 3 : Justificati gratis per gratiam ipsius. Et ideo alii dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotivos culpæ, sed non quantum ad effectus positivos gratiæ. Sed hoc etiam videtur esse falsum : quia per circumcisionem dabatur pueris facultas perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Et præterea, secundum ordinem causæ formalis, priores sunt naturaliter effectus positivi, quam privativi, licet secundum ordinem causæ materialis sit e converso : forma enim non excludit privationem nisi informando subjectum. Et ideo alii dicunt, quod circumcisio conferebat gratiam, etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna : non tamen quantum ad hoc, quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccatum. Quod et aliquando mihi visum est : sed diligentius consideranti apparet hoc etiam non esse verum : quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et mereri vitam æternam. Et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio sicut et alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei justificantis. Unde Apost. dicit. Rom. 4 quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, et ideo in circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futuræ, ut infra patebit.

Prima conclusio *in corp. Sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem, sed solum significabant fidem, per quam homines justificabantur.*

Secunda conclusio *in resp. ad tertium : In circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futuræ.*

Quamvis

æ D. o.propositiones. Quamvis Div. Thom. in cæteris hujus quæstionis articulis egerit determinate de sacramentis novæ legis : tamen hunc ultimum articulum dicavit sacramentis legis antiquæ, ut sic magis apparet nostrorum sacramentorum perfectio. Quæ autem in eo resolvit. jam alibi a nobis tradita sunt, quæ subinde insinuare sufficiet. Reducuntur vero ad duas principales propositiones, nempe « sacramenta veteris legis non causabant gratiam, » et « in sacramentis veteris legis, ac præsertim in circumcisione conferebatur gratia. » Quæ propositiones licet videantur habere aliquam oppositionem apparentem, nullam tamen habent : quia longe diversum est. quod sacramentum causet gratiam, et quod gratia causetur in sacramento. Ad primum enim requiritur, quod sacramentum habeat aliquem verum, et realem influxum in gratiam : ad secundum vero sufficit, quod gratia producatur in usu, et applicatione sacramenti, licet non per sacramentum fiat, sed a Deo solo. Igitur quod in sacramento circumcisionis (et proportionabiliter in aliis, licet non cum eadem certitudine) producebatur gratia, constat ex dictis disp. 3, dub. 4. Quod autem circumcisio. et alia sacramenta non produxerint gratiam, constat ex dictis disp. 1, num. 22, et num. 71. Ad quæ loca remittimus lectorem, ne actum agamus. Porro motivum, quo Div. Thom. hoc loco utitur, ut neget sacramenta antiqua habuisse virtutem ad influendum in gratiam, manifeste procedit in virtute, et causalitate physica ; et nisi illi determinate applicetur, nihil probat, ut facile consideranti constabit. Est namque hujusmodi : sacramenta causant gratiam per virtutem participatam ex passione Christi : sed passio Christi non erat tempore sacramentorum veteris legis : ergo sacramenta legis veteris non habuerunt virtutem causandi gratiam, et subinde illam non causaverunt. Patet consequentia : quia si sacramenta causant gratiam, causant utique ut instrumenta subordinata Christo, ejusque passioni atque ideo nequeunt causare, nisi Christo, ejusque passione influentibus per sacramenta tanquam instrumenta ; sed ad hoc requiritur existentia agentis principalis, et instrumenti universalis, ac præcipui, cui alia instrumenta subordinantur : ergo tempore, quo non existebant Christus, et ejus passio, non potuerunt sacramenta causare gratiam. Quare in eodem sensu, quo D. Thom. in art. immediate præced. statuit sacramenta nostra habere virtutem causandi gratiam, statuit in præsenti, quod antiqua illa virtute carebant, ut summa brevitate, et claritate significavit his verbis : « Illud quod « nondum est in rerum natura, non mo- « vet secundum usum exteriorum rerum. « Unde causa efficiens non potest esse pos- « terior in esse ordine durationis, sicut « causa finalis. Sic ergo manifestum est, « quod a passione Christi, quæ est causa « humanæ justificationis convenienter de- « rivatur virtus justificativa ad sacramenta « novæ legis, non autem ad sacramenta « veteris legis. »

n quo ensu ocedat Tho. atio.

Prævenitur objectio. Et si dicatur inde fieri, quod Div. Thomas non probaverit sufficienter suam resolutionem : quamvis enim sacramenta antiqua non potuerint habere illam influentiam physicam per subordinationem ad passionem Christi nondum existentem ; potuerunt habere influxum moralem, quem plures nostris sacramentis attribuunt. Respondendum erit discursum D. Thom. esse efficacissimum : excluso namque influxu physico a sacramentis antiquis, exclusit simpliciter omnem verum, et realem influxum : quia sacramenta generaliter loquendo nullam habent veram, et realem causalitatem, quæ physica non sit : omnis enim alius concursus, qui in eis fingi potest, relinquit illa in mera ratione signi, ad quod non pertinet efficere, sed repræsentare, ut ex professo ostendimus disp. præced. dub. 2. Qui autem sentiunt sacramenta posse influere instrumentaliter moraliter in gratiam, et destruunt D. Thom. processum in hoc art. et manifestant motivum ejus fuisse insufficiens, et sine ratione negant, quod sacramenta antiqua habuerint virtutem causandi, et quod causaverint gratiam : repræsentabatur namque in illis meritum Christi futurum, sicut præsens in nostris significatur : et non aliud importat causalitas moralis ab eis asserta, quam repræsentationem hanc. Unde non dubitamus conditionaliter asserere, quod si sacramenta nostra causant vere gratiam, quia causant moraliter ; pariter sacramenta antiqua vere causaverint gratiam. Sed cum consequens sit omnino falsum ; ideo absolute falsam censemus antecedentis doctrinam. Videantur etiam.

quæ diximus tract. præced. disp. 7, dub. 4, ubi ostendimus gratiam antiquis Patribus datam non fuisse effectum meritorium, et passionis Christi in genere causæ efficientis, sed solum in genere causæ finalis : idque ibidem num. 101, specialiter deduximus ex doctrina præsentis art.

QUÆSTIO LXIII

De effectu sacramentorum, qui est character, in sex articulos divisa.

Deinde considerandum est de alio effectu sacramentorum, qui est character. Et circa hoc quæruntur sex. Primo etc.

ARTICULUS I.

Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima?

Ad primum sic proceditur Videtur, quod sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. Character enim significare videtur quoddam signum distinctivum. Sed distinctio membrorum Christi ab aliis, fit per æternam prædestinationem, quæ non ponit aliquid in prædestinato, sed solum in Deo prædestinante : ut in prima parte habitum est. Dicitur enim 2 Timoth. 2 : Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : novit Dominus qui sunt ejus. Ergo sacramenta non imprimunt characterem in anima.

Præterea : Character signum est distinctivum Signum autem, ut August. dicit in 2 de doctrina Christiana, est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima, quod aliquam speciem sensibus ingerat. Ergo videtur, quod in anima non imprimatur aliquis character per sacramenta.

Præterea : Sic t per sacramenta novæ legis distinguitur fidelis ab infideli : ita etiam per sacramenta veteris legis. Sed sacramenta veteris legis non imprimebant aliquem. characterem in anima : unde et dicuntur justitiæ carnis, secundum Apost. ad Hebr. 9. Ergo videtur quod neque sacramenta novæ legis imprimunt characterem.

Sed contra est, quod Apost. dicit 2 ad Corinth. 1 : Qui unxit nos, Deus est : et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Sed nihil aliud importat character, quam quandam signationem. Ergo videtur, quod Deus per sacramenta nobis suum characterem imprimat.

Respondeo dicendum, quod sicut ex prædictis patet, sacramenta novæ legis, ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, et ad perficiendum animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei. secundum ritum christianæ vitæ Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari : sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri : eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur. Unde August. dicit in secundo contra Parmenianum : Si militiæ characterem in corpore suo, non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, et impetrata jam venia militare cœperit : numquid homine liberato, atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? an forte minus hærent sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota ?

Ad primum ergo dicendum, quod fideles Christi ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur signaculo prædestinationis divinæ. Sed ad actus convenientes præsenti Ecclesiæ deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, qui character nuncupatur.

Ad secundum dicendum, quod character animæ impressus, habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur : per hoc enim scitur aliquis esse baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili Nihilominus tamen character, vel signaculum dici potest per quandam similitudinem omne quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile : sicut Christus dicitur figura, vel character paternæ substantiæ, secundum Apost Hebr. 1.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem, ad aliquem spiritualem effectum operantem. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character : sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat Rom. 4

Conclusio est affirmativa.

Postquam Div. Thom. in præcedenti quæst. egit de communi, et præcipuo omnium sacramentorum effectu, nempe de gratia sanctificante, quæ in cunctis sacramentis nostris vel primo fit, vel augetur ; tractat in præsenti quæst. de alio effectu minus principali, et minus communi, qui non ab omnibus, sed ab aliquibus novæ legis sacramentis producitur, et appellatur character. Quo vocabulo significant Græci notam, aut signum, quo res aliqua signari solet, ut agnoscatur, vel ut distinguatur ab aliis, vel ut destinetur ad speciale munus, ut in ovibus, moneta, et militibus liquet. In qua acceptatione habetur hoc nomen Apocal. 13, ubi de Antichristo dicitur : *Et faciet omnes habere characterem in dextera manu sua. aut in frontibus suis.* Quare character proprie loquendo in rebus tantum sensibilibus invenitur : sed Theologorum usu translatus est ad res etiam spirituales. Et in hoc sensu inquirit D. Thomas, an sacramentum imprimat characterem in anima, hac ultima particula aperte denotans sermonem

Ordo doctrin D. Th

Quid charac ter ?

Apocal 13.

sermonem esse de signo spirituali, quod solum potest animam afficere. Et ly *sacramentum* supponit indefinite non determinando unum præcise, vel plura. Respondet autem affirmative, restringendo tamen conclusionem ad sola sacramenta novæ legis: antiqua namque positive excludit in resp. ad 3. Sed fundamentum, quo S. Doctor suam assertionem probat, disp. seq. expendemus.

resolutio D. Tho.

ARTICULUS II.

Utrum character sit spiritualis potestas?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod character non sit spiritualis potestas. Character enim idem videtur esse quod figura: unde Hebr. 1, ubi dicitur: Figura substantiæ ejus, in Græco habetur loco figuræ character. Sed figura est in quarta specie qualitatis, et ita differt a potestate quæ est in secunda specie qualitatis. Character ergo non est spiritualis potestas.

Præterea: Dionys. dicit 2 cap. Eccles. hier. quod divina beatitudo accedentem ad beatitudinem in sui participationem recepit, et proprio suo lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit suam participationem. Et sic videtur quod character sit quoddam lumen. Sed lumen ad tertiam speciem qualitatis videtur pertinere: non ergo character est potestas, quæ videtur ad secundam speciem qualitatis pertinere.

Præterea: A quibusdam character sic definitur: character est signum sanctum communionis fidei, et sanctæ ordinationis, datum a Hierarcha. Signum autem est in genere relationis, non autem in genere potestatis. Non ergo charitas est spiritualis potestas.

Præterea: Potestas habet rationem causæ, et principii: ut patet 5 Metaph. Sed signum, quod ponitur in definitione characteris, magis pertinet ad rationem effectus. Character ergo non est spiritualis potestas.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 2, Ethicor. Tria sunt in anima, potentia, habitus, et passio. Sed character non est passio, quia passio cito transit: character autem indelebilis est, ut infra dicetur. Similiter etiam non est habitus: quia nullus habitus est qui se possit ad bene, et male habere: character autem ad utrumque se habet: utuntur enim eo quidam bene, alii vero male. Quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis, nullus utitur male, et habitu malitiæ, nullus bene. Ergo relinquitur quod character sit potentia.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, sacramenta novæ legis characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ religionis. Unde Dionys. in 2, cap. Eccles. Hierar. cum dixisset, quod Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum, subjungit: Perficiens eum divinum, et communicatorem divinorum. Divinus autem cultus consistit, vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis, requiritur potentia activa: ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt divini cultus. Sciendum tamen est, quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis: sicut supra dictum est de virtute, quæ est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem, competit ministris Dei. Minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philosophus dicit in 1, Polit. Et ideo sicut virtus, quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens, et incompletum: ita etiam character non proprie est in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod figura est quædam terminatio quantitatis. Unde proprie loquendo non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphorice. Non autem ponitur aliquid in genere, vel specie, nisi per id quod de eo proprie prædicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

Ad secundum dicendum, quod in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile: et ideo non est in tertia specie qualitatis, ut quidam dixerunt.

Ad tertium dicendum, quod relatio quæ importatur in nomine signi, oportet quod super aliquid fundetur. Relatio autem hujus signi, quod est character non potest fundari immediate super essentiam animæ: quia sic conveniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, et hoc est essentia characteris. Unde non oportebit quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt.

Ad quartum dicendum, quod character habet rationem signi per comparationem ad sacramentum sensibile, a quo imprimitur, sed secundum se consideratus, habet rationem principii, per modum jam dictum.

Prima conclusio: *Character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt divini cultus.*

Secunda conclusio: *Character non est proprie in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.*

Quia D. Thomas in art. immediate præcedenti dixerat characterem esse signum, et signum pro formali importat relationem ad signatum, ut constat ex dictis disp. 1, dub. 1, per totum, et præsertim § 3, consequens apparebat, ut sacramentalis character constitueretur in genere relationis. Quam imaginationem ut excluderet D. Th. proposuit præsentem difficultatem, et resolvit characterem nostrum collocari in genere qualitatis, et reduci ad secundam ejus speciem, quæ est potentia, ut magis constabit ex dicendis dub. 2. Hic autem non oportet alia addere, sed lectorem monere, quod deinceps non semper transcribemus omnes articulos D. Thomæ, sed eos tantum, quos necessarios judicaverimus pro servando ordinem, et introducendo disputationes; aut eos etiam, qui specialiter egeant commentario ob continentiam doctrinæ, quæ haud facile possit disputationibus inseri. Alios autem omittemus, quia recognoscimus esse plures, nimisque proinde aucturos fore volumen istud absque magno alias commodo lectoris, qui illos passim habet in aliis D. Thomæ interpretibus. Nota.

—

DISPUTATIO V.

De alio minus principali sacramentorum effectu, qui est character.

Expedit a gravioribus difficultatibus circa magis principalem sacramentorum effectum, nempe gratiam sanctificantem in omnibus sacramentis communem, recto ordine progredi cum Div. Thom. ad considerationem alterius effectus non ita præcipui, qui character appellatur, et imprimitur per aliqua sacramenta. Sed quia oportet quæstionem *an sit* aliis præmittere, ne circa incerta occupemur; ideo excitare oportet

DUBIUM I.

An, et quæ sacramenta imprimant characterem?

[...]tiqua cra- [...]enta [...]i im- [...]imc- [...]unt [...]arac- rem. Consulto præsentem difficultatem (et idem continget in sequentibus) ad nostra sacramenta restringimus : quia communis Theologorum cum D. Thom. in art. 1 hujus quæstionis in resp. ad 3, sententia est nulla sacramenta antiqua habuisse virtutem characterem imprimendi : quamvis [...]otus. Scotus in 4, disp. 6, quæst. 9, § *Ad rationes principales,* eam vim circumcisioni attribuerit, inde colligens eos, qui ante promulgationem Evangelii, receperant sacramentum circumcisionis, non recipere, cum baptizabantur, characterem ex baptismo : quia sufficientem ad cultum Dei habebant consignationem, licet minus perfectam. Sed stare omnino oportet sententiæ communi : quoniam nec in Scriptura, nec in Patribus habemus ullum vel fundamenti vestigium, ut perfectionem imprimendi characterem deferamus circumcisioni : in his autem, quæ ex sola Dei voluntate dependent, non sufficit sola rei non repugnantia, sed requiritur positivum fundamentum ab auctoritate desumptum; quod tamen pro illa Scoti assertione minime occurrit. Quin plures ex Patribus Græcis affirmant circumcisionem non ad aliud institutam fuisse, nisi ut per se ipsam esset character, non quidem spiritualis, et animæ inditus, sed corporeus, et carni impressus : quo scilicet populus Dei sensibiliter distingueretur ab aliis populis, ut constat ex supra dictis disput. 3, dub. 4, num. 50. Et in eodem sensu D. Hieronymus circa illud *ad Galat.* 3, *Qui ex fide sunt, sunt filii Abrahæ,* dixit : *Gregem Israeliticum Deus quodam circumcisionis cauterio denotavit,* eo loquendi modo haud obscure significans circumcisionem non impressisse aliud subtilius, aut spirituale signaculum. Et in eodem sensu D. Chrisostom. hom. 2, in epist. *ad Ephesios* inquit : *Obsignati sunt Israelitæ, sed circumcisione, quemadmodum pecudes.* Quare ea, et aliis antiquorum sacramentis omissis, difficultas ad nostra devolvitur. D.Hier. D. Chris[...]

§ I.

Proponitur veritas Catholica.

1. Dicendum est aliqua Ecclesiæ sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimere characterem. Hæc conclusio est de fide, ut statim ostendemus. Unde illi subscribunt unanimiter omnes Doctores Catholici, tam Scholastici cum Magistro in 4, dist. 8, quam Theologi cum D. Thom. in præs. quæst. art. 1. Licet enim aliqui Scholastici dubitaverint de gradu certitudinis hujus assertionis ; et licet tam inter Scholasticos, quam Theologos sint non leves controversiæ in explicando propriam conditionem characteris, ut dub. seq. videbimus : nihilominus nemo eorum ausus est negare assertionem nostram, prout jacet. Unde supervacaneum est illos in particulari referre. Videantur tamen specialiter N. Venerabilis Thomas Waldensis tom. 2, *de sacramentis,* cap. 110, Soto in 4, dist. 1, quæst. 4, art. 1, Bellarminus lib. 2, *de sacramentis,* cap. 18, et Suarez disp. 9, sect. 1. Conclusio. Magist. D. Th[...] N. Wald[...] Soto. Bellarm[...] Suarez

Quamvis autem possemus ad probandum hanc veritatem expendere aliqua Scripturæ testimonia, ex quibus satis probabiliter suaderi potest; nihilominus hac via non procedimus : quia recognoscimus ea testimonia rem evidenter non evincere contra protervos, sed obnoxia esse aliis expositionibus non prorsus illegitimis, nec in doctrina Patrum rejectis. Et hoc idem censuerunt Nugnus, Arauxo, Vazquez, Suarez, Ruyz, Granados, Meratius, et Lugo, quos refert, et sequitur Prado quæst. 63, dub. 1, a num. 6, contra aliquos tentantes id demonstare testimoniis Scripturæ. Fundamentum itaque solidum stat in diffinitione Ecclesiæ : Prado

Fundamentum. Ecclesiæ : nam sic jam olim statuit in quodam Concilio, quod modo non extat, sed ejus meminit D. August. lib. 6, *de baptismo contra Donatistas* cap. 1, ubi ait : « Hæreticos, etsi peccata non dimittant, habere « tamen, et dare et accipere baptismi sa« cramentum satis eluxit Pastoribus Ec« clesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ : per « quos postea plenarii Concilii auctoritate « originalis consuetudo firmata est, etiam « ovem, quæ foris errabat, et dominicum « characterem a fallacibus deprædatoribus « suis, foris (*nempe extra Ecclesiam Catho*« *licam*) acceperat, venientem ad Christia« næ veritatis salutem, ab errore corrigi, « a captivitate liberari. » Ubi aperte testatur D. Augustinus Pastores sive Episcopos in plenario Concilio docuisse baptismum etiam extra Ecclesiam, et ab hæreticis datum imprimere dominicum characterem. Nemo autem dubitavit de testimonio, quod exhibet fidelissimus ille, et sapientissimus Doctor. Postea eamdem veritatem docuit Innocentius III, in cap. *Majores de baptismo*. Docuit etiam Concilium Florentinum in Decreto Eugenii his verbis : « Inter hæc « sacramenta (*nempe novæ legis*) tria sunt, « Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ « characterem, id est, spirituale quoddam « signum imprimunt indelebile in anima : « unde in eadem persona non reiterantur. « Reliqua vero characterem non impri« munt, et reiterationem admittunt. » Et tandem Concilium Tridentinum sess. 7, *de sacramentis in genere*, can. 9, diffinivit his verbis : « Si quis dixerit, in tribus sacra« mentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, « et Ordine non imprimi characterem in « anima, hoc est, signum quoddam spiri« tuale, et indelebile, unde ea iterari non « possunt, anathema sit. » Confirmatur : nam dogma fidei est Ecclesiam Romanam veram, et infallibilem doctrinam de sacramentis profiteri, ut dicitur in cap. *Ad abolendum, de hæreticis*. Unde Concilium Trident. sess. 7, can. 3, *de baptismo*, statuit : « Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ « omnium Ecclesiarum mater est, et ma« gistra, non esse veram de baptismi sa« cramento (*eadem ratio occurrit in aliis*), « doctrinam ; anathema sit » Notorium autem est, quod universa Ecclesia Romana conspiravit in hac veritate, nempe Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimere characterem. Sic ergo certissima fide tenendum est.

(Margin notes, left column: D. August. — Innocent. III. Concil. Florent. — Concil. Trident. — Confirmatio.)

Major fundamenti explicatio. 2. Potest autem vis præmissi fundamenti amplius expendi, præcludendo simul hæreticorum ora, qui a nobis postulant evidentia Scripturæ testimonia, et corrigendo aliquorum Catholicorum studium, qui conantur illa exhibere putantes non aliter fieri satis : in quo plane decipiuntur. Etenim licet Ecclesia ut novas res diffiniat, non utatur novis revelationibus, sed antiquis ; et quamvis diffinitiones fidei, sicut et fides ipsa non innitantur nisi verbo Dei aliquid testificantis : nihilominus de hoc verbo, et testificatione dupliciter nobis constat, uno modo per Scripturam, alio modo per Apostolicam traditionem ad nos usque derivatam : nec minoris auctoritatis est verbum Dei traditum, quam scriptum. Hac de causa plurima sunt de fide, quæ non recensentur in Scriptura. Quippe non reperimus in ea cultum sacrarum imaginum, baptismum parvulorum, septenarium sacramentorum numerum, verba propria uniuscujusque sacramenti, mentionem chrismatis pro confirmatione, et similia : et tamen illa certa fide credimus propter Apostolicam traditionem, quæ verbum Dei nobis applicat, sicut applicare Scriptura posset. Quæ doctrina est communis inter Catholicos. Quin et hæretici ipsi ad illam, licet reluctentur, trahendi sunt : nam si ab eis inquiramus, quare admittant aliquos Scripturæ libros, et credant esse canonicos, secus autem alios ; nullatenus possunt respondere se ita credere, quia Scriptura reflexe dicat tales libros esse Scripturam sacram, et non alios : neque enim exhibere queunt simile Scripturæ testimonium : quare vel obmutescent, vel fateri cogentur se admittere tales libros ut sacros, quia sic semper docuit Ecclesia ; et Ecclesia sic docuit, quia sic accepit ab Apostolis, et a Patribus antiquissimis. Igitur ut aliquid infallibili fide credamus, necessarium non est inniti verbo Dei determinate ut scripto ; sed verbo Dei vel scripto vel ore tenus tradito. Unde Concil. Trid. sess. 4. dixit : « Orthodoxorum « Patrum exempla secuta (*nempe Synodus* « *ipsa*) omnes libros tam veteris, quam « novi testimenti, cum utriusque unus « Deus sit author, nec non traditiones « ipsas tum ad fidem, tum ad mores perti« nentes, vel tanquam oretenus a Christo, Concil. Trident.

« vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua « successione in Ecclesia Catholica conser- « vatas, pari pietatis affectu, ac reverentia « suscipit, et veneratur. » Videatur etiam

). Tho.

Angelicus Doctor quæst. sequenti art. 2, ubi sibi opponit : Ea quæ sunt divinitus instituta, traduntur in sacra Scriptura : sed aliqua adhibentur in sacramentis, de quibus non fit in Scriptura mentio, ut patet de chrismate : ergo talia non sunt ex institutione divina. Et respondet egregie : « Ad « primum dicendum, quod illa, quæ agun- « tur in sacramentis per homines instituta, « non sunt de necessitate sacramenti : sed « pertinent ad quandam solemnitatem, « quæ adhibetur sacramentis, ad excitan- « dum devotionem, et reverentiam in his, « qui sacramenta suscipiunt. Ea vero, « quæ sunt de necessitate sacramenti, « ab ipso Christo instituta sunt, qui est « Deus, et homo. Et licet non sint omnia « tradita in Scripturis, habet tamen ea Ec- « clesia ex familiari Apostolorum tradi- « tione : sicut Apostolus dicit prima ad « Corinth 11 : Cætera cum venero, dispo- « nam. » Et tamen Scriptura non refert, quid disposuerit Apostolus. Unde liquet hanc consequentiam esse perversam, et hæreticali spiritu ortam : « Hoc non conti- « netur expresse in Scriptura : ergo non « debet credi fide Catholica, nec potuit per « Ecclesiam diffiniri : » satis namque est, quod habeatur in Apostolicis traditionibus.

pplica-
io doc-
trinæ.

Ad rem igitur : quamvis Scriptura expresse non dicat tria sacramenta, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimere characterem ; tamen id constat ex Apostolica traditione : ergo sic certa fide tenendum est. Probatur antecedens : nam Apostolicæ traditiones non aliter ad nos derivantur, quam per continuatam Patrum Ecclesiæ doctrinam : Patres autem Ecclesiæ id constanter et continuata successione docuerunt : id igitur constat ex Apostolica traditione. Minor ostenditur : nam antiquissimus Dionysius *Eccles. Hierarchiæ* cap. 2, non semel meminit characteris baptismalis, cum inquit : « Eum, qui ita deduci- « tur, beata divinitas in communionem « sui recipit, eique lumen suum quasi si- « gnum tradit. » Et rursus : « Perficiens « ipsum divinum (*nempe hominem divinum* « *per gratiam*) et communicatorem divino- « rum per characterem. » Unde D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 4, quæstiunc

). Dion.

). Tho.

3, ait : « Sed contra est auctoritas Dionysii, « ex qua characteris traditio derivatur : « quia ipse induxit verba illa, unde diffini- « tio characteris accipitur. » Et art. 1, ejusdem quæst. dixerat : « Si quis diligenter « consideret verba Dionysii lib. de Eccles. « Hierarch. cap. 2, a quo prima traditio « characteris nobis advenit etc. » Et quamvis Scotus nec in hoc pepercerit D. Thomæ, contendens in 4, dist. 6, quæst 9, § *Secundum principale*, quod alius fuerit sensus Dionysii ; tamen Scotum confutavit Capreolus in 4, dist. 3, quæst. 1, art. 3 ad 1, Scoti contra 4. Unde nos oportet his implicari ; sed progredimur ad alios. D. Basilius *in exhort. ad baptismum*, agens de non baptizatis, inquit : « Nisi characterem in te « agnoscat Angelus, quonam modo pro te « pugnabit, aut ab inimicis vindicabit ? « Quomodo dices, Dei sum, signa non os- « tendens ? » Cyrillus Hierosolymit. præfatione in Catecheses baptismum appellat « vestimentum candidum, signaculum « sanctum, et indelebile : » Et catech. 16, loquens de Spiritu Sancto inquit : « Hic ad « hodiernum usque diem obsignat animas « in baptismo. » D. Epiphanius hæres. 8 et hæres. 20, affirmat « baptismum circum- « cidere nos a peccatis, et consignare nos « in nomen Domini. » D. Damascen. lib. 4, *de fide* cap. 10, ait : « Per baptismum re- « generatio, signaculum, præsidium, et « illuminatio nobis efficitur. » D. Gregorius Nissen. lib. *de bapt.* non longe a principio inquit : « Sacerdos post consecratio- « nem, quod ad externam speciem attinet, « idem est qui antea ; invisibili tamen qua- « dam vi, ac gratia invisibilem animam « transformatam gerit in melius. » S. P. N. Cyrillus Alexandrinus in Concilio Ephesino tom. 1 *Conciliorum* fol. 886, loquens de baptismo disertissime asserit : « Per « eum divinus nobis character imprimi- « tur. » D. Augustinus : tum loco relato num. præcedent. tum tract. 6, in Joan. ubi ait : « Si baptizatus charitatem non habet, « characterem quidem impositum habet. » Et epist. 23, *de consecratione baptismi*, inquit : « Reum facit hæreticum extra domini- « cum gregem habentem dominicum cha- « racterem. » Et lib. 2, *contra Parmenianum* cap. 13, parum a medio, inquit : « Si « militiæ characterem habens in corpore « suo, non militans pavidus exhorruerit, et « ad clementiam imperatoris confugerit, ac

Scot
Capr

D. B

Cyril
Hie

D. E
phan

D. D

D. G
Niss

N. Cy

D. A
gus

« ac prece fusa, et impetrata jam venia, « militare cœperit, numquid homine liberato, atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur ? « An forte minus hærent sacramenta « Christiana, quam corporalis hæc nota ? » Idem significant alii Patres apud Auctores supra relatos. Et quamvis Patres id frequentius exprimant de baptismo, nihilominus non prætermittunt alia duo sacramenta : nam de Confirmatione idem significaverunt D. Cyprianus in serm. *de ablutione pedum*. D. Hieronymus ad illa verba Apostoli 2, *ad Corinth* 1 : *Qui unxit nos Deus et signavit nos*. D. Augustinus lib. 2, *contra litteras Petiliani* cap. 104, Cyrillus Hieros. *catech.* 3. et alii. Et de sacramento Ordinis D. Gregor. Nissen. verbis proxime relatis. D. August. lib. *de bono conjugali*, et opere cit. *contra Petilianum* cap. 13, et alii.

3. Ex dictis constat primo assertionem nostram esse communem Ecclesiæ traditionem ab Apostolis per Patres ad nos usque derivatam, et merito in Conciliis diffinitam, ut constat ex discursu præmisso. Infertur secundo, quod licet hæc veritas in Scriptura expresse, et explicite non inveniatur ut supra observavimus : nihilominus per ipsam hanc Apostolicam traditionem innotescit, quod hæc veritas ex aliquibus Scripturæ testimoniis probabilissime deducitur, atque in eis intelligitur contenta, ut 2, ad Corinth. 1 : *Qui unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Et ad Ephes. 1, et 4, fideles dicuntur *signati Spiritu Sancto*. Nam hoc signum, hæc consignatio est character ipse, de quo loquitur. Et prædicta loca pertinent tam ad baptismum, quam ad confirmationem. Pro sacramento autem Ordinis recte expenditur illud Apost. 2, ad Timoth. 1 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum:* nam hæc non solum referuntur ad gratiam, sed et urgentius ad potestatem Ordinis, quæ magis faciebat ex loco ad intentionem Apostoli. Et illud *quæ est in te*, denotat firmitatem essendi, quæ est propria characteris, signi scilicet indelebilis, ut suo loco ostendemus.

Infertur tertio, Kemnitium apertissime mentitum esse, dum in 2 parte examinis asseruit Innocentium Tertium fuisse primum inventorem, et auctorem characteris. Oppositum enim constat evidenter ex Patribus proxime relatis, qui longe antiquiores Innocentio fuerunt. Constat etiam evidentius adhuc ex eo, quod Magister sententiarum quinquaginta fere annis Innocentium præcessit : et tamen tempore Magistri doctrina characteris erat in Schola communiter recepta, ut ipse testatur in 4, dist. 28, littera *k*. Unde Innocentius in eo cap. *Majores* loquitur de charactere tanquam de re certissima, atque inter Doctores indubitata. Quod et imprudentissimum esset, ac nullam mereretur fidem, nisi res ita se haberet.

Infertur quarto Gabrielem Vazquez vehementer deceptum esse, quando disp. 134, c 1, n. 20, ut excusaret unum, aut alterum Scholasticum antiquum, qui dubitaverunt, an hæc materia pertineret ad fidem, asseruit : « Fateor tamen testimonia, quæ ad- « duci solebant ab Scholasticis tempore « Scoti et Gabrielis nullius esse momenti. « ut ipsi aperte ostenderunt : verum ea. « quæ nos supra adduximus, magni æsti- « manda sunt, præsertim quæ ex Concilio « Florentino, et Tridentino sunt allata. » Deceptus, inquam, vehementer est : quia celebriora testimonia Patrum (præscindendo a decretis Concilii Florentini, et Tridentini), quibus modo Theologi, et Vazquez nobiscum utitur, jam occurrerant Scholasticis, præsertim Angelico Doctori, qui D. Dionysii, et Augustini loca allegat in præs. art. 1, et in lib. *sententiarum* ut supra vidimus. Et Venerabilis N. Waldensis (ex quo in his sacramentorum, et fidei antiquæ dogmatibus hauriunt Recentiores), plura luculenter expenderat. Qua igitur prudentia, et veritate asseritur testimonia, quæ illo tempore adducebantur, nullius esse momenti ? Et si quæ Vazquez postea (sunt vero per pauca) reperit ; eodem modo parvi fierent a Gabriele, et Scoto, qui his non contenti, testimonia scripturæ, vel diffinitionem Concilii desiderabant. Quod autem ipse allegaverit Concilium Florentinum, et Tridentinum non multæ industriæ fuit labor, nec magnam meretur adoream : sunt namque ista in propatulo apud nos, et si visa fuissent a paucis illis Scholasticis, illorum profecto removissent dubitationem. Qui satis manifestaverunt modestiam animi, Scotus dicendo vel « propter solam auctoritatem Ecclesiæ tu- « tum non esse communem assertionem

Margin notes: D. Hier. D. Cypria. — D. August. — Duo præmissæ doctrinæ consectaria. — 2 ad Cor. 1 — ad Eph. 1 et 4. — 2 ad Timoth. 1. — Tertium contra emendationem Kemnitii. — Magist. — Innocen. 3 — Quartum contra Vazquium.

« negare : » et Gabriel recognoscendo « præsumptuosum fore negare characte- « rem, eo quod Schola Theologorum com- « muniter ita doceat. »

Ratio assertionis 4. Ratio autem a priori hujus veritatis alia assignari (sicut in similibus contingit), non potest, nisi sola voluntas Christi sacramenta instituentis, de qua certo nobis constat per medium supra assignatum. Queunt tamen aliquæ rationes congruentiæ prædictæ institutionis afferri per analogiam ad naturalia : inter quas optima est, D Thom. quam D. Thom. proposuit artir. 1, hujus quæst. Etenim cum aliquis deputatur ad aliquid determinatum, solet ad id consignari aliquo signo, aut impressione : unde qui olim adscribebantur militiæ, solebant stigmatibus corporalibus insigniri, ut refert Vegetius lib. 1. *de re militari*, cap. 8. Sed per tria illa sacramenta consignatur homo ad aliquid determinatum circa cultum Dei, et professionem vitæ Christianæ : per baptismum enim consignatur ad hujusmodi professionem in communi ; per confirmationem ad confessionem, ac defensionem fidei ; et per ordinem ad administrationem sacrorum : ergo congruum fuit, quod in his tribus sacramentis imprimeretur character, nota scilicet spiritualis consignans ad tales fines.

Qui discursus potest aliter explicari ex doctissimo Waldensi : nam character est signum distinguens unum ab alio. Videmus autem in exercitu bene ordinato dari distinctionem totius exercitus ab aliis communitatibus, seu multitudinibus ; et distinctionem intra ipsum exercitum tum equitum a peditibus, tum ducum a militibus ordinariis. Sic ergo decuit in spiritualibus, quod totus exercitus Christianorum distingueretur ab omnibus aliis professionibus per characterem baptismalem : et quod destinati ad spirituale certamen defendendi fidem distinguerentur a reliquo populo per characterem confirmationis : et denique quod duces hujus populi, nempe destinati ad dirigendum alios, et ministrandum eis sacramenta distinguerentur a cæteris per characterem ordinis. Decuit itaque, quod dicta tria sacramenta imprimerent characterem.

Objectio. 5. Nec refert, si dicatur hunc discursum, et exempla illi inserta probare contrarium : quia ut homines adscribantur militiæ, non requiritur alicujus signi impressio, sed sufficit extrinseca deputatio, aut consignatio, quæ ad summum importat aliquem respectum rationis. Quin in ordine spirituali videmus aliquem fieri canonicum, aut Prælatum absque ullius signi impressione. Cur ergo id ipsum non contingat in his, quæ modo versamus ? Non, inquam, id refert : quia solum probat, nobis non negantibus, Deum potuisse res ita disponere. Sed quod aliter disposuerit, constat ex supra dictis. Et præmissa dispositione supposita, procedit optime discursus Div. Thomæ manifestans ejus providentiæ congruentiam. Nam apud antiquos, et nunc etiam apud aliquas nationes militum consignatio fiebat, et fit aliquibus notis corporalibus. In aliis autem fit per alicujus rei additionem, aut traditionem v. g. per collocationem sub vexillo regio. Et idem proportionabiliter contingit in ordine spirituali, ubi officium canonici designatur traditione libri, et auctoritas Abbatis traditione baculi. Deus autem cum omnia perfectius gerat, non sistit in his externis, sed usque ad interna penetrando, ibi in mente imprimit characterem : quidquid illud sit, de quo dub. seq Homines enim nequeunt semper efficere, et præstare realiter, quæ suis actibus intendunt, aut significant : quare sistunt in externis deputationibus, et denominationibus. Sed Deus communicat realiter, quod vult. Unde videmus, quod cum instrumenta, quibus homines significare solent traditionem alicujus auctoritatis, ut liber respectu canonici, et baculus respectu Abbatis, solum sint instrumenta moralia, et moraliter deputent absque ulla reali subjectorum mutatione : nihilominus instrumenta, quibus Deus ad similia utitur, sunt causæ physicæ, et imprimunt physicum effectum, ut de sacramentis nostris in ordine ad gratiam diximus disp. præced. dub. 4. Videmus etiam electionem, et dilectionem inter homines nullam formam realem ponere in amico : electio autem, et dilectio Dei ponit in nobis formam gratiæ, et charitatis. Et ratio differentiæ est, quod « voluntas nostra (inquit « D. Thom. 1, quæst. 20, art. 2,) non est « causa bonitatis rerum, sed ab ea move- « tur, sicut ab objecto. Sed amor Dei est « infundens, et creans bonitatem in rebus.» Ex quo principio probat 1, 2, quæst. 110, art. 1, quod licet gratia regis erga Petrum nihil reale ponat in illo, gratia tamen Dei aliquid

aliquid reale ponit in nobis, ut late expendimus tract. 14, disp. 4, dub. 1, § 3. Quare sicut non valet, instrumenta, quibus homines consignant alios ad munera, non concurrunt physice, sed solum moraliter, et per modum signi : ergo sacramenta Ecclesiæ, quibus Deus utitur ad sanctificandum homines, non concurrunt physice, et tanquam veræ causæ, sed solum moraliter, et ut pura signa. Et sicut non valet, dilectio specialis hominum nihil reale ponit in objectis amatis : ergo dilectio specialis Dei nihil reale ponit in amicis. Ita etiam in præsenti materia non valet : consignatio hominum ad militiam, aut alia munera non imprimit hominibus verum characterem : ergo sacramenta, quibus Deus utitur, ut consignet homines ad specialia, et spiritualia munia supra relata, non imprimunt menti verum characterem. Sed tam in exemplis proxime inductis, quam in materia præsenti neganda est consequentia ob rationem disparitatis jam assignatam, et satis notam, nempe efficaciorem longe esse Dei voluntatem. Et quod sic voluerit, constat ex revelatione ad nos derivata per Apostolicam traditionem, ut supra ostendimus.

Ostenditur aliqua sacramenta non imprimere characterem.

6. Cum autem nostra, et communis assertio vim habeat propositionis exceptivæ ; ex eadem plane consequitur alia quatuor Ecclesiæ sacramenta, nempe Eucharistiam. pœnitentiam, Extremam unctionem, et matrimonium non imprimere characterem. Quod expresse determinat Concilium Florentinum verbis relatis nu. 1, et optime tradit, ac probat D. Thom. infra art. 6. Unde opus non est pro hac veritate distinctum aliud dubium aperire, sed ea probatur breviter. Tum quia sicut ex Apostolica traditione nobis constat baptismum, confirmationem, et ordinem imprimere characterem : sic per oppositum nihil reperimus in traditione Ecclesiastica, aut doctrina Patrum, quod vel leviter insinuet alia quatuor sacramenta characterem imprimere : nullo ergo fundamento potest id affirmari. Tum etiam, quia licet aliquid possit ejus conditionis esse, ut nequeat repeti, quamvis characterem non imprimat, ut patet in consecratione calicis, et in prima tonsura, Deo aut Ecclesia ita disponente ; tamen fieri non potest, quod aliquid imprimat characterem, signum scilicet indelebile, et nihilominus repeti valeat : alias primum signum foret, et non foret indelebile, quod implicat contradictionem : et propterea quia baptismus, confirmatio, et ordo characterem imprimunt, ideo iterari non possunt, ut expresse traditur in Concilio Florentino, et Tridentino num. 1, relatis : atqui quatuor sacramenta, scilicet pœnitentia, Eucharistia, extrema unctio, et matrimonium sunt repetibilia, ut ex Ecclesiæ usu liquet : ergo prædicta quatuor sacramenta non imprimunt characterem.

Declaratur amplius.

Confirmatur discursu D. Thomæ in præs. art. 1, et 6, quoniam illa sacramenta imprimunt characterem, per quæ homines specialiter dicantur divino cultui : sed hoc solum convenit tribus sacramentis, de quibus supra egimus ; non autem quatuor sacramentis, de quibus nunc loquimur : ergo illa, non autem hæc imprimunt characterem. Probatur minor : quia licet omnibus sacramentis generaliter conveniat esse cæremonias, et hac ratione pertinere ad cultum Dei ; nihilominus tria illa priora tribuunt homini potestatem spiritualem ad cultum divinum vel per modum patientis, ut contingit in baptismo dante facultatem suscipiendi alia sacramenta ; vel per modum agentis, ut contingit in confirmatione, et ordine : confirmatio enim dat robur ad pugnandum pro Christo, et propugnandum ejus fidem coram tyranno : ordo autem dat potestatem offerendi sacrificium, et absolvendi a peccatis. Id autem non reperitur in aliis sacramentis : pœnitentia enim restituit peccatorem in pristinum statum, quo modo ordinario, et communi Deum colat. Extrema unctio solum datur migrantibus ex hac vita, atque ideo non ut specialiter dicantur divino cultui, sed ut purgentur a reliquiis peccatorum. Matrimonium autem satis constat non tribuere potestatem pertinentem specialiter ad specialem Dei cultum. Denique Eucharistia cum sit consummatio totius cultus Dei, et finis cunctorum sacramentorum, non dat potestatem, sive consecrationem ad cultum hujusmodi, quin potius omnis potestas ad ipsam ordinatur. Constat igitur, quod homines specialiter dedicare divino cultui solum convenit tribus sacramentis, nempe baptismo, confirmationi, et ordini : non autem aliis tribus, nimirum pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ unctioni, et matrimonio : et consequenter tria illa sacramenta imprimunt characterem, non autem

alia quatuor. Quæ omnia breviter complexus est D. Tho. art. 6, in resp. ad 1, his verbis : « Dicendum, quod per omnia sacramenta « fit homo particeps Sacerdotii Christi, ut- « pote percipiens aliquem effectum ejus. « Non tamen per omnia sacramenta ali- « quis deputatur ad agendum aliquid, vel « recipiendum, quod pertineat ad cultum « Sacerdotii Christi. Quod quidem exigitur « ad hoc, quod sacramentum characterem « imprimat.»

D. Tho.

§ II.

Refertur hæresis contraria.

Vicleph. Kemni- ...us Til- ...manus.

7. Quod nullum nostrorum sacramentorum imprimat characterem docuit Wiclephus lib. 4 Trialogi cap. 15. Cui subscribunt alii hæretici moderniores, Calvinus *in antidoto Tridentini* sess. 7, can. 9, Kemnitius ubi supra, Tilmanus Heshusius *de erroribus Pontificum*, tit. 15, et alii. Quam hæresim probant primo : quia de hujusmodi charactere nulla occurrit mentio in Scriptura, et Patribus ; et inter ipsos Scholasticos nulla est concordia circa ejus conditionem : ergo ut merum figmentum reprobari debet. Sed ad hoc satis constat ex dictis § præced. ubi oppositum antecedentis ostendimus, nempe existentiam characteris fundari in Apostolica traditione satis expressa apud Patres, insinuari in Scriptura, et asseri ab omnibus Scholasticis. Hi namque licet dissideant in explicando conditionem characteris (quod sæpe in aliis pertinentibus ad fidem contingit), unanimiter tamen in eo conspirant, quod datur character, et quod imprimitur per sacramenta supra relata.

Argumentum, et solutio.

Replica.

Sed insistunt : quia si in aliquo Patrum reperiretur assertus character, quem intendimus, maxime in Div. Augustino : sed S. Doctor minime asseruit characterem animæ impressum : ergo sine fundamento hujusmodi character introducitur. Probatur minor : tum quia D. Augustinus lib. 2, *contra Parmenianum* cap. 13, inquit : « Character exterius agnoscitur, et « agnitus approbatur : » sed character animæ impressus non cognoscitur exterius: ergo Div. Augustin. minime asseruit characterem animæ impressum. Tum etiam quia S. Doctor ibidem affirmat, quos « si « quis baptizaretur in nomine Donati, re- « ciperet characterem Donati : » atqui certum est, quod non reciperet ullum characterem animæ impressum, sed solum sacramentum externum : ergo idem sentiebat de charactere nostro. Confirmatur : quia character debet esse signum distinctivum : sed ex sententia Div. August. lib. 2, *de doctrina Christiana* signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire : atque ideo debet esse aliquid sensibile : ergo cum nihil animæ impressum sit sensibile ; sequitur, quod ex sententia Div. Augustini nullus sit character animæ impressus.

D. August.

Confi... mati...

Respondere possemus negando majorem : quia alii Patres præter D. Augustinum asseruerunt characterem, ut constat ex allegatis numer. 2. Et ipse S. Doctor testatum reliquit jam olim Pastores in plenario Concilio consignationem per characterem docuisse. Sed omissa majori, negamus minorem. Ad cujus primam probationem respondet Gonet disp. 4, art. 1, num. 17, D. Augustinum solum voluisse, quod character *cognoscitur exterius* in sua causa, nempe in sacramento, quo imprimitur. Sed decipitur ille Auctor putans ea verba applicari characteri sacramentali, et longe exulat a mente Augustini. Nam S. Doctor in illis verbis loquebatur de charactere corporeo, humano, et sensibili, ut constat a principio sententiæ, *Si militiæ characterem in corpore tuo etc.* Sed inde producto exempli argumento transivit immediate ad characterem sacramentalem dicens : *An forte minus hærent sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota ?* Sed minime asseruit hujusmodi characterem exterius agnosci. Unde nihil probat illud testimonium. Ad secundam probationem respondemus illa verba non esse absoluta, sed conditionalia, et ostensiva falsitatis sententiæ oppositæ, quasi argueret D. August. in hunc modum : Si quis baptizaretur in nomine Donati, reciperet ejus characterem : sed nemo recipit characterem Donati : ergo nemo debet in ejus nomine baptizari. Ex quo minime sequitur sensisse, quod baptismus Christi non imprimat characterem : sed magis colligitur oppositum. Nec illatio necessaria erat, ubi illud S. Doctor dissertis verbis affirmat. Confirmationem optime diluit Div. Thom. art. 1 ad 2, his verbis : « Dicendum, quod character animæ impressus

Dilui... repl...

Gon...

Solu... con... natio... ex I... Tho...

« sus habet rationem signi, in quantum « per sensibile sacramentum imprimitur : « per hoc enim scitur aliquis esse baptis- « mali charactere insignitus, quod est ablu- « tus aqua sensibili. Nihilominus tamen « character, vel signaculum dici potest « per quandam similitudinem, omne, « quod configurat alicui, vel distinguit ab « alio, etiam si non sit sensibile : sicut « Christus dicitur figura, vel character « paternæ substantiæ, secundum Apost. ad « Hebr. 1. »

Secundum argumentum. 8. Arguitur secundo : nam ad hoc oporteret admittere characterem impressum animæ per aliqua sacramenta, ut scilicet esset signum distinguens fideles, ab infidelibus, et ministros a non ministris : sed ad hoc non requiritur : ergo in nullis nostris sacramentis datur character animæ impressus. Probatur minor : quia prima tonsura distinguit Clericum a non Clerico : et tamen non imprimit characterem. Consecratio etiam calicis distinguit vas sacrum a non sacro quin ei aliquid reale imprimat : ergo ut fideles distinguantur ab infidelibus, et ministri a non ministris, necessarius non est character animæ impressus.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur amplius : quia nullus potest uti charactere animæ impresso ut signo distinctivo : ergo fictitium est, quod character imprimatur animæ tanquam signum. Probatur antecedens: nam supponamus Petrum esse rite baptizatum, habeat, vel non habeat characterem : profecto Deus, et beati ut cognoscant Petrum esse baptizatum, non attendunt ad characterem sicut ad signum; sed independenter ab hoc primum illud intuentur. Damnati vero non cognoscunt characterem, cum supernaturale quid sit, nisi habeant specialem revelationem. Deniques homines viatores illum nec in se ipso, nec in effectu aliquo deprehendunt; quippe qui insensibilis est, et nullum habet effectum sensibilem. Ergo nemo utitur charactere animæ impresso tanquam signo distinctivo.

Satisfit argumento. Respondetur argumento : fundamentum, ut confiteamur dari characterem impressum animæ per aliqua sacramenta, esse auctoritatem revelationis divinæ, de qua certo nobis constat per media § præced. assignata. Alia vero motiva, quæ expendi possunt, sunt tantum rationes declarantes congruentiam divinæ dispositionis jam præsuppositæ : quæ proinde non evincunt metaphysicam necessitatem characteris, sed solam convenientiam : posset enim Deus absolute aliter disponere; sed tamen conveniens fuit ita disposuisse. In hoc ergo sensu, omittendo majorem, negamus minorem. Ad cujus probationem respondetur illa exempla ad summum evincere, quod absolute potuerit salvari distinctio fidelium ab infidelibus, et ministrorum a non ministris independenter a charactere : sed minime probare talem distinctionem non fieri congruentissime per characterem impressum. Adest præterea notabilis disparitas inter illa exempla, et rem, quam versamus : tum quod fideles baptizati distinguuntur ab infidelibus per potentiam passivam proximam, quam habent ad suscipiendum alia Ecclesiæ sacramenta, et ministri ordinati distinguuntur a non ministris per potentiam activam proxime ministrandi in sacrificio : atque ideo debent habere aliquid intrinsecum sibi impressum, per quod distinguantur ab aliis : sed prima tonsura, et dedicatio calicis non important hujusmodi potentiam, sed solam extrinsecam deputationem : quare distinctio tonsurati, et calicis consecrati non fit per aliquid intrinsecum, sed solum per eam assignationem extrinsecam. Tum quod distinctio baptizatorum a non baptizatis, et ordinatorum a non ordinatis fit principaliter a Deo auctore sacramentorum, qui potest aliquid reale in prædictis subjectis imprimere : sed tonsura, et consecratio calicis fiunt principaliter ab homine, qui efficaciam non habet imprimendi aliquid in anima.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem respondemus eodem modo, potuisse scilicet Deum absolute aliter disponere, sed tamen convenienter ita disposuisse. Et quod quis utatur, vel non utatur actu charactere tanquam signo, quo ducatur in cognitionem signati, est per accidens : per se autem est, quod character sit signum distinctivum in ordine ad speciales fines. Unde D. Thom. in præs. art. 3 ad 3, optime observavit, quod « charactere « distinguitur aliquis ab alio per compara- « tionem ad aliquem finem, in quem ordi- « natur, qui characterem accipit : sicut « dictum est de charactere militari, quo in « ordine ad pu[g]nam distinguitur miles re- « gis a milite hostis. Et similiter character « fidelium est, quo distinguuntur fideles « Christi a servis diaboli vel in ordine ad D.Thom.

« vitam æternam, vel in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ : quorum primum fit per characterem, et gratiam : secundum autem fit per characterem sacramentalem. » Unde oportet admittere signum distinctivum, quo distinguantur non solum justi a peccatoribus in ordine ad vitam æternam; sed etiam baptizati, confirmati, atque ordinati (sive sint justi sive peccatores) ab aliis non baptizatis, non confirmatis, et non ordinatis. Et in hoc sensu negamus antecedens confirmationis. Cujus probationi occurrit optime D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, artic. 2, ad 3, his verbis : « Istud distinctionis signum est et propter ipsum hominem, qui suscipit, qui eo accipit distinctum posse ab aliis: et propter alios homines, qui eum admittunt ad speciales actiones, ex consignificatione sacramentali exteriori interiorem pertendentes: et quoad Deum, qui ejus actionibus spiritualibus efficaciam præbet. » Unde licet Deus, et homines possent independenter a charactere cognoscere Petrum esse baptizatum, aut ordinatum ; tamen non cognoscerent illum habere independenter a charactere illam potestatem, quam de facto habet per characterem.

Tertium argumentum. 9. Arguitur tertio : nam sacramenta antiqua non imprimebant characterem: nec enim ullum occurrit fundamentum, ut id asseramus: ergo idem de nostris sacramentis dicendum est. Probatur consequentia quia rationes congruentiæ, quæ assignari queunt, ut nostra dicantur characterem imprimere, nempe ad distinguendum fideles ab infidelibus, et ad consignandum ministros Dei, applicari pariter possunt antiquis sacramentis, ut facile consideranti constabit : ergo si in antiquis non probant, nec suadere debent in nostris. Confirmatur: quia unctio regum inter Christianos non confert characterem : ergo nec unctio Sacerdotum. Consequentia probatur a paritate : quia sicut Sacerdotes per ordinationem, sic etiam Christiani reges per unctionem, consignantur ad speciales actus vitæ Christianæ. Antecedens autem certissimum est : quia licet Reges Gothi Hispaniarum, et præsertim Recaredus Rex Catholicus, sacra unctione usi fuerint, idque deinceps transierit ad Francos : apud quos Pipinus (centum scilicet et sexaginta annis post Recaredum) fuit primus Rex inunctus ab Archiepiscopo Moguntivo : tamen nullus Auctorum hæc referentium dixit, aut per somnium imaginatus est, quod talis regum unctio impresserit characterem.

Diluitur argumentum. Ad argumentum (omisso Scoto, qui dixit Circumcisionem impressisse characterem in anima, communiter ab omnibus refellitur), concedimus antecedens, et negamus consequentiam. Quia sicut non valet : Sacramenta antiqua non causabant gratiam : ergo idem de nostris dicendum est aut e contra : oppositum enim satis constat ex dictis disp. præced. per totam, et præcipue dub. 1. Sic etiam non valet : In sacramentis antiquis non imprimebatur character : ergo idem dici debet de nostris, aut e converso. Ratio autem disparitatis stat quasi unice in divina voluntate : nam quod Deus instituerit aliqua sacramentorum nostrorum imprimere characterem, constat nobis ex traditione Ecclesiæ, ut § præced. expendimus : sed ut dicatur sacramenta antiqua impressisse characterem, nec traditio, nec aliud quid simile occurrit : quare temere asseritur. Secundario autem desumitur ea disparitas ex inæqualitate statuum : nam sicut vetus fuit imperfectus comparatione præsentis; sic decuit, quod sacramenta nostra essent longe perfectiora ; atque ideo haberent virtutem ad aliquos effectus, utputa characterem, ad quos non extendebantur antiqua. Et quidem eorum aliquod, nempe circumcisio, characterem impressit, at non spiritualem, sed sensibilem, nec in anima, sed in corpore, ut acute significavit D. Chrystost. hom. 2, in cap. 1, *ad Ephesios* his verbis : *Obsignati sunt et Israëlitæ, sed circumcisione quemadmodum pecudes : Obsignati sumus et nos, sed spiritu, utpote filii.* Et similem sententiam expressit D. Tho. in præs. art. 1 ad 3, dicens . « In illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character : sed sufficiebat illis corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum vocat ad Rom. 4. »

Ad confirmationem respondetur Vesianum, Doctorem Parisiensem, asseruisse unctionem quorumdam Regum conferre gratiam, et imprimere characterem indelebilem. Pudet tamen vesanam hanc referre phantasiam, partum scilicet spiritus adulatorii. Ex qua, si Diis placet, habebimus (sed apud Gallos) octavum sacramentum, nempe signum externum rei sacræ homines sanctificantis : id vero est notoria hæresis. Quare indignum censemus circa

hæc

hæc immorari, quæ fusius fregit, diruitque ad pulverem Alexander Patritius Armacanus lib. 1, a cap. 4. Concesso itaque antecedenti, negamus consequentiam. Et disparitas egregie traditur a D. Thom. in 4, dist. 24, quæst, 1, art. 1, quæstiunc. 3 ad 3, his verbis : « Dicendum, quod non omnis benedictio, quæ adhibetur homini, vel consecratio, est sacramentum. Quia et monarchi, et Abbates benedicuntur : et tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta. Et similiter nec regalis unctio. Quia per hujusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictionem Ordinis. Et ideo non est simile. » Dixerat autem exponendo textum distinctionis immediate præcedentis : « Unctio Regum non est sacramentum : et ideo secundum diversas consuetudines potest diversimode fieri. » Quod est argumentum urgentissimum ad contemnendum delirium Vesiani, qui assignare non valet vel certam materiam, vel determinatum ritum, et multo minus ullam vel apparentem institutionem divinam illius municipalis unctionis, cui defert et gratiam conferre, et characterem imprimere Videatur Chifletius in Lilio Francico veritate illustrato, *in prologo*, et cap. 19, circa finem, ubi similes nugas Seysellii, Cassani, Danielis Priezaci, et aliorum refert, atque fabulas esse demonstrat.

D.Thom.

Quartum argumentum.

10. Arguitur quarto : nam si aliqua nostrorum sacramentorum præter gratiam (quæ est effectus omnibus communis), efficerent characterem, deberet assignari aliquis ordo inter duos hujusmodi effectus, ita ut primo produceretur gratia, quam character, aut e converso : sed neutrum dici potest : ergo nulla sacramenta habent producere præter gratiam characterem. Probatur minor: nam si dicatur talia sacramenta per prius producere gratiam, in contra est, quod gratia sacramentalis necessario supponit characterem : unde videmus prædicta sacramenta nunquam producere gratiam, quin efficiant characterem ; e contra autem characterem imprimere, licet gratiam non producant : quod satis indicat characterem esse effectum intimiorem in prædictis sacramentis. Si autem juxta hæc dicatur talia sacramenta efficere per prius characterem ; in contra est, quod gratia longe excedit characteris perfectionem : atque ideo debet prius cadere sub intentione, et causalitate sacramentorum, et subinde prius produci.

Solutio.

Respondetur, quod quando aliqua nostrorum sacramentorum efficiunt simul gratiam, et characterem, hæc duo non comparantur tanquam essentia, et passio, nec se habent ad instar medii, et finis ; sed comparantur ut duo effectus pure concomitanter se habentes, ut a posteriori probat mutua illorum separabilitas, atque independentia : salvatur enim naturaliter character sine gratia, et similiter salvatur naturaliter gratia sine charactere. Oportet tamen prædicta duo, cum ab eodem agente, et eadem actione producuntur, non se habere pure disparate, sed observare aliquem ordinem, ita ut unum prius quam aliud ordine naturæ producatur. Unde concessa majori in præmisso sensu, negamus minorem. Ad cujus probationem respondet Soto in 4, dist. 1, quæst. 4, art. 4, sacramenta per prius ordinari ad producendum gratiam, quam characterem : quia ordinantur in remedium peccati, quod præstant causando gratiam. Postea vero dist. 24, quæst. 1, art. 2, ab illa generali regula excipit sacramentum ordinis : quia finis hujus sacramenti non est sanctificare hominem quatenus est persona privata, sed dare illi potestatem publicam ad usum cultus divini. Suarez autem disp. 11, sect. 1, respondet oppositum, nempe prædicta sacramenta prius ordine naturæ dare characterem, quam gratiam : quia gratia in sacramentis data est sacramentalis, atque ideo characterem supponit : præsertim cum gratia nunquam detur sine charactere, et character aliquando imprimatur sine gratia.

Soto.

Suarez.

Propria sententia.

Uterque dicendi modus est satis probabilis, et diluit sufficienter argumentum. Sentimus autem non esse undequaque verum, sed temperandum in hunc modum, quod baptismus per prius producit gratiam; confirmatio vero, et ordo per prius efficiunt characterem. Ratio autem, ut ita sentiamus, desumitur ex D. Thom. art. 1 hujus quæst. ubi ait : « Sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, et ad perficiendum animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundum ritum Christianæ vitæ. » Quod accipiendum est cum accommoda distributione, ut unus finis in uno sacramento magis eluceat, et alius in alio Loquendo igitur

D.Thom.

de baptismo prius producitur gratia, quam character : quia ibi principaliter intenditur emundatio a peccato originali, et regeneratio spiritualis, et utraque fit formaliter per gratiam : ex consequenti autem aperitur janua ad alia sacramenta, quod fit per characterem. Cæterum in aliis duobus sacramentis aliter contingit, sicut de ordine expresse concedit Soto : quia ibi supponitur vita gratiæ, et intenditur potestas spiritualis ad sacra, quæ communicatur per characterem. Et idem proportionabiliter contingit in confirmatione : non enim per se ordinatur ad dandum vitam gratiæ, quam supponit collatam per baptismum : sed ordinatur ad specialem modum confitendi, et tuendi fidem Christi, quam potestatem præstat hujus sacramenti character. Et quod gratia sit charactere perfectior, ut in argumento objiciebatur, nihil refert : quia non omnis motus terminatur immediatius ad id, quod est perfectius : ubi enim hoc præsupponitur, potest actio, aut motus tendere principaliter ad aliquid minus principale in esse rei, quod tamen per illum motum intenditur. Sic enim licet in augmentatione viventium producatur aliquid substantiæ, et major quantitas, et illa sit simpliciter magis perfecta, quam hæc ; nihilominus motus augmentationis tendit directe non ad substantiam, sed ad quantitatem majorem : quia supposita generatione viventis non intenditur in eo motu esse viventis, quod supponitur, sed augmentum ejus ad debitam quantitatem, ut recte explicant N. Complut. abbr. in lib. *Physic.* disp. 22, quæst. 1, et in lib. *de generat.* disp. 5, quæst. 2. Per quod satis constat ad utramque minoris impugnationem.

11. Arguitur quinto : nam de isto charactere, qui per aliqua sacramenti imprimi dicitur, nequit explicari, an sit ens absolutum, vel relativum, an sit virtus, vel potentia, et in quo genere, et specie collocetur : ulterius vero declarari non valet, an recipiatur immediate in substantia animæ, quam consignat, vel in potentiis, cum quibus concurrit ad actus sibi correspondentes : denique exponi non potest, unde habeat esse inamissibile, et initerabile, quod ipsi attribuimus. Unde videmus Scholasticos, et Theologos circa hæc minime convenire. Signum igitur est hujusmodi characterem esse fictitium. Ad hoc argumentum, et difficultates in eo repræsentatas respondebimus in dubiis sequentibus. Modo satis sit dicere, quod sæpe contingit aliquam esse veritatem certissimam, et constantem, quam subinde omnes amplectantur : et tamen modum ejus esse latentem, in quo proinde exponendo plures et contrariæ solent opiniones occurrere. Sic omnes Catholici confitemur realem præsentiam Christi in Eucharistia, sed in explicando modum ejus præsentiæ varie procedimus. Sic etiam unanimiter confitemur processionem Verbi esse generationem, secus autem processionem Spiritus Sancti : sed in explicando radicem, quare una processio sit generatio, et non alia, innumeræ circumferuntur opiniones. Et tamen in his, et similibus prædicta varietas nullum affert præjudicium veritati de fide ab omnibus assertæ, et diversimode expositæ. Idem itaque contingit in hac materia. Quare hæretici characterem oppugnantes nullum ab hac parte fundamentum struere contra illum queunt ex nostrorum Theologorum circa ipsius explicationem dissidiis.

DUBIUM II.

Quid sit character sacramentalis ?

Post quæstionem *an est* succedit quæstio *quid sit* characteris : et non minor occurrit in hujus resolutione Theologorum varietas, quam fuerit circa illud primum catholicorum concordia. Immo tam spissa est sententiarum seges, tanta opinionum farrago, ut vel sola illarum recensio fastidium possit afferre. Quod ut vitemus, quantum fieri potest, curabimus principaliores tantum expendere ut eligamus veriorem. Idque ut facilius assequamur, priore loco falsas excludemus, referendo immediate earum patronos, atque motiva : sic enim per illarum confutationem aditum aperiemus ad congruam dubii resolutionem juxta mentem D. Thomæ.

§ 1.

Refellitur sententia Durandi.

12. Dicendum est primo characterem nostrorum sacramentorum non esse respectum rationis, nec denominationem extrinsecam desumptam ab ipsis sacramentis, sed verum aliquod ens reale. Ita docent communiter Prima conclusio.

communiter omnes Theologi, et eorum aliquos dabimus num. 31. Probatur unico, sed sufficienti, atque efficacissimo fundamento : quia de fide est aliqua nostrorum sacramentorum imprimere in anima characterem tanquam signum spirituale, et indelebile : ergo talis character non est denominatio extrinseca, nec ens rationis. Antecedens constat ex dictis dub. præced. et modo satis est in memoriam revocare, quod Innocentius III, in cap. *Majores* de baptismo dicit : « Characterem sacramen« talis imprimit operatio, cum obicem vo« luntatis contrariæ non invenit obsisten« tem. » Concilium Florentinum relatum num. 1, docet quod « tria sacramenta sunt, « quæ characterem, idest, spirituale quod« dam signum imprimunt indelebile in « anima. » Et Tridentinum ibidem relatum diffinit « in tribus sacramentis im« primi characterem in anima, hoc est, « signum quoddam spirituale, et indele« bile. » Consequentia vero probatur evidenter : quia nec denominatio extrinseca, nec ens rationis imprimitur animæ : quippe denominatio extrinseca nihil ponit in re denominata, et ens rationis solum habet esse objective in intellectu illud cognoscente. Aliunde vero non habent esse spirituale, et indelebile, sicut in præmissis testimoniis significatur, ut ex se liquet.

Fundamentum

Innocentius 3.

Concil. Florent

Concil. Tridentinum.

Si dicatur prædicta testimonia non esse accipienda in sensu rigoroso, et cum omnimoda proprietate: Contra est primo : quia verba diffinitionum fidei, sicut et verba Scripturæ intelligi debent in sensu rigoroso, et proprio, nisi materiæ, cui applicantur, impossibilitas obliget ad contrariam expositionem : alias nihil firmum habebimus ab Scriptura, et Conciliis : sed id in præsenti minime contingit ; cum nec Durandus, nec alius quis possit ostendere repugnantiam characteris realis communiter asserti : ergo præmissa testimonia accipienda sunt in sensu rigoroso, et proprio. Secundo, quia Concilia illud contra Hæreticos diffinierunt, quod ab Hæreticis negabatur : hi vero non negarunt, nec negare potuerunt characterem, qui præcise sit vel denominatio extrinseca, vel respectus quidam rationis, unde homo habet v. g. per baptismum esse deputatum ad certum religionis statum : ergo Concilia diffinierunt quædam sacramenta imprimere verum, et realem characterem, qui sit in anima aliquid reale. Tertio, quia quando Concilia diffinierunt tria specialia nostræ legis sacramenta, nempe baptismum, confirmationem, et ordinem imprimere characterem, aliquid speciale his sacramentis attribuerunt, quod in aliis sacramentis, sacramentalibus, et cæremoniis non reperitur : quod autem ex eorum applicatione consurgat aliquis respectus rationis, vel denominatio extrinseca in rebus, quibus applicantur, commune est omnibus aliis sacramentis tam novis, quam antiquis, quin etiam sacramentalibus benedictionibus, et cæremoniis : quæcumque enim consecrantur, benedicuntur, aut similia suscipiunt, eo ipso habent tam denominationes extrinsecas hujusmodi, quam respectum rationis ad fines, in quos ordinantur : ergo quando Concilia docent tria prædicta sacramenta imprimere characterem, hujus nomine non significant denominationem extrinsecam desumptam a sacramentis, nec respectum rationis per deputationem ad aliquem finem : ergo significant determinate aliquid reale animæ de in novo inhærens.

Præcluduntur effugia.

13. Confirmatur : quia salva fide dici non potest gratiam justificationis consistere vel in sola denominatione extrinseca, vel in aliquo respectu rationis ; sed necessario fatendum est importare aliquid reale animæ communicatum, ut constat ex dictis tract. 15, disp. 2, dub. 2; ergo pariter salva fide dici non valet characterem esse solam denominationem extrinsecam, vel respectum rationis ; sed obligamur concedere esse aliquid reale de novo animæ impressum per sacramenta. Probatur consequentia : nam antecedens verificatur propter determinationes Conciliorum significantium justificationem fieri per aliquid inhærens, ut ostendimus loco cit. et præsertim ex Tridentino sess. 6, can. 11, ubi anathematizat eos, qui dixerint justificationem fieri « exclusa gratia, et charitate, quæ in cor« dibus eorum, qui justificantur, per Spiri« tum Sanctum diffundatur, atque illis « inhæreat. » Sed non minus perspicua sunt testimonia Conciliorum asserentium characterem esse aliquid animæ impressum, manens, et indelebile, ut liquet ex verbis supra relatis. Ergo qua ratione debemus concedere gratiam justificationis non consistere in denominatione extrinseca, nec in ullo rationis respectu, sed in aliquo reali animæ inhærente ; eadem etiam ratione

Alia pugn

Con Trid

fateri obligamur characterem sacramentalem non esse denominationem extrinsecam, nec respectum rationis, sed esse aliquid reale animæ impressum. Et sicut non licet priora Conciliorum testimonia exponere in sensu improprio : sic etiam non licet exponere alia, quæ ad characterem spectant.

Ad hæc : terminus immediatus actionis realis, et principium aliquorum effectuum realium non est denominatio extrinseca nec sola relatio rationis, sed aliquid reale : atqui sacramentalis character est terminus actionis realis, et principium aliquoruum effectuum realium : ergo prædictus character non est sola denominatio extrinseca, vel relatio rationis, sed est aliquid reale. Major est certa : nam quod attinet ad denominationem extrinsecam, hæc nihil est in re denominata : atque ideo nec potest terminare actionem realem, nec influere in realem effectum. Et similiter ens rationis, cum non fiat directe, et per se, sed per resultantiam, nequit esse terminus immediatus actionis realis : quod vero nequeat realiter influere, est per se notum. Minor autem ostenditur : sæpe namque contingit sacramenta imprimentia characterem, quando primo applicantur, non producere gratiam, sed solum characterem, ob indispositionem scilicet subjecti ad gratiam suscipiendam : in quo eventu terminus immediatus actionis sacramentalis est solus character. Quod vero character sit principium effectuum realium, licet possit ostendi in omnibus characteribus, elucet specialiter in charactere ordinis : nam Sacerdos v. g. ex vi characteris habet virtutem, et influxum ad effectus reales remittendi peccata, et conficiendi corpus Christi.

14. Oppositam nostræ assertioni sententiam docuit Durandus in 4, dist. 4, quæst. 1, num. 11. Et illam suadebat : quia mysteria fidei non debent obscurari, sed magis elucidari, ut facilius capiantur, et credantur : sed quod character sit aliquid reale in anima existens, habet magnas difficultates : dicere autem, quod sit aliquid morale consistens in denominatione, aut respectu rationis, nullam difficultatem habet, et sufficienter salvat, quæ de illo dicuntur : ergo non illud primum, sed hoc ultimum oportet asserere. Declaratur hoc amplius : nam ita se habet character ministrorum Dei in ordine ad deputandos, et consignandos homines ad peculiares actiones ordinis spiritualis, et divini ; sicut se habet character ministrorum Regis in ordine ad deputandum illos ad præfecturas, et dignitates : sed character ministrorum Regis nihil reale ponit in illis, sed solum importat denominationem extrinsecam desumptam a designatione regia, vel aliquem respectum rationis : ergo idem dici potest de charactere ministrorum Dei.

Confirmatio. Et confirmari potest : quia signum ad placitum importat pro formali relationem rationis, ut constat ex dictis disp. 1, dub. 1, § 3: sed character sacramentalis est signum ad placitum : ergo character sacramentalis importat pro formali relationem rationis. Probatur minor : quia sacramentum constituitur formaliter in genere signi ad placitum : sed character sacramentalis participat rationem sacramenti : siquidem est res, et sacramentum simul in illis sacramentis, per quæ imprimitur : ergo character est signum ad placitum.

Dissolvuntur. Sed hæc sunt levissima contra assertionem tam certam. Ad argumentum respondetur concedendo esse quidem Theologi elucidari mysteria afferendo facilitatem possibilem, et decentem (qualis non est illa quæ opponitur doctrinæ Conciliorum) : et hujusmodi esse facilitatem Durandi, ut constat ex dictis. Quare concessa majori, negamus minorem quoad ultimam ejus partem : nam qui dicit characterem sacramentalem non esse aliquid reale in anima, minime salvat testimonia Conciliorum, quæ supra expendimus ; cum tamen illa primo salvari debeant. Explicatio autem, vel augmentum difficultatis non urget : negamus namque eam similitudinem : aut majori, et minori concessis negamus consequentiam. Nam sicut non valet, Regis gratia nihil intrinsecum ponit in amico Regis : ergo Dei gratia nihil intrinsecum ponit in amicis Dei : sic etiam non valet, Regis character nihil intrinsecum ponit in ministris Regis : ergo Dei character nihil intrinsecum ponit in ministris Dei. Et ratio disparitatis est, quod voluntas Regis non habet efficaciam ad immutandum objecta, quæ attingit : sed Deus habet hujusmodi efficaciam. Quare nec Durandus, nec alius negabit Deum posse imprimere animæ illud intrinsecum, quod characterem vocamus. At quod non solum possit, sed reipsa efficiat, constat ex doctrina Conciliorum, ut supra ponderavimus.

mus. Confirmatio nihil valet : quia eadem argumentationis forma probaretur corpus Christi in Eucharistia esse signum ad placitum, et importare pro formali ens rationis : quia in tali sacramento est res, et sacramentum simul. Neganda est itaque major. Et ad probationem, concessa majori, negamus minorem, quam non evincit inserta probatio : quia illud, quod est res, et sacramentum simul, non participat proprie rationem sacramenti tantum, ut ex terminis liquet. Quare ex eo, quod sacramentum tantum constituatur pro formali in genere signi ; minime sequitur illud, quod est res, et sacramentum simul, constituendum pro formali fore in prædicto genere : sed magis infertur oppositum, ut patet in corpore Christi, et in aliis, quæ sunt res, et sacramentum simul respectu sacramentorum.

Durandi assertio non immunis a censura.

15. Inquires, an assertio Durandi mereatur censuram ? Respondetur affirmative cum communi sententia Theologorum. Ex quibus Capreolus dicit nostram, et communem doctrinam esse *determinatam ab Ecclesia.* Cajetanus dicit positionem Durandi esse *contrariam Innocentio III, et Concilio Florentino.* Henriquez, *esse contrariam Concilio Tridentino.* Joan. a S. Thom. *esse contra Pontificem, et Concilia.* Bernal, *nullatenus esse probabilem.* Coninkus, et Lugo, *esse contra mentem Conciliorum.* Nugnus, *esse valde temerariam, et proximam errori.* Arauxo, Suarez, et Granados, *non posse ab errore in fide vindicari.* Cabrera, *esse errorem in fide.* Bellarminus, *vix distingui ab hæresi.* Pasqualigus, *esse contra fidem.* N. Philippus *esse hæreticam, vel saltem errroneam.* Prado *esse erroneam, vel errori proximam.* Ex quibus omnibus censuris hæc ultima, insinuata etiam a Nugno, Cabrera, Philippo, Arauxo, et aliis præferenda videtur : nam sententiam Durandi esse improbabilem, ex eo facile ostenditur, quod non habet ullum probabile motivum ab intrinseco, vel ab extrinseco. Esse vero temerariam constat, quia in re gravi opponitur communi sententiæ omnium Theologorum affirmantium sacramentalem characterem esse aliquid reale. Esse præterea non solum improbabilem, et temerariam, sed mereri graviorem censuram, probatur ex eo, quod habet satis evidentem oppositionem cum diffinitionibus Conciliorum, quas supra expendimus. Quod autem non sit hæresis, ostenditur : quia non negat formaliter aliquam propositionem de fide, nec habet immediatam oppositionem cum illa : ut enim eam oppositionem evincamus, egemus discursu manifestante quod ex negatione characteris realis sequitur negatio characteris animæ impressi per sacramenta, quem expresse Concilia diffiniunt. Restat igitur a sufficienti partium enumeratione positionem Durandi esse erroneam : sic enim appellatur doctrina, quæ mediate, sed per evidentem consequentiam habet oppositionem cum decretis fidei : et hujusmodo esse prædictam positionem constat ex supra dictis, et ex communi Theologorum id recognoscentium consensu.

Nota.

Singularis Vazquii sententia, ejusque motiva.

Solus Gabriel Vasquez ex omnibus, quos viderimus, aut sciamus, disp. 134, cap. 2, contendit sententiam Durandi esse probabilem, et nulla censura dignam. Quod probare tentat : quia si prædicta sententia mereretur censuram, maxime propter oppositionem, quam habere videtur cum decretis Conciliorum : sed hanc re vera non habet ; ergo non meretur censuram. Probatur minor : quoniam Concilia non aliud dicunt quam characterem animæ imprimi : sed licet character esset ens rationis, id verificaretur : ergo dicere characterem esse ens rationis, aut denominationem extrinsecam non habet oppositionem cum Conciliorum decretis. Minorem hujus secundi syllogismi probat ille Auctor dupliciter : primo, quia peccatum mortale imprimit animæ maculam, quæ appellatur *character bestiæ*, Apoc. 19, et tamen macula non est aliquid reale, sed relatio rationis. Secundo, quia sicut dicitur, quod in sacramento Ordinis imprimitur character ; sic etiam quod communicatur potestas : sed hujusmodi potestas est aliquid morale consistens in denominatione, seu deputatione extrinseca Dei ordinantis ministrum ad peculiares actiones : ergo idem dici potest de charactere

Rejiciuntur.

Sed Vazquii censura est valde singularis ; et auctoritas minor, ut queat Durandum tueri immunem ; fundamentum vero nullius momenti. Ad quod respondere possemus negando majorem : nam quidquid sit de Conciliorum decretis, Durandus in re satis gravi opponitur omnibus Theologis, et ipsi etiam Vazquio cum aliis sentienti characterem esse aliquid reale : idque satis erat, ut ea sententia censeretur temeraria,

atque improbabilis. Sed quia diximus mereri graviorem censuram, concedimus majorem, et negamus minorem. Ad cujus probationem respondemus Concilia asserere, quod character sacramentalis *imprimitur animæ ut signum spirituale, et indelebile* : quæ nec per imaginationem applicari queunt enti rationis, aut denominationi extrinsecæ ; cum tamen verba Conciliorum debeant verificari cum omni proprietate, quam materia admittat. Neganda est itaque minor, quam probationes minime evincunt. Non prima quia macula peccati, sive peccatum habituale non est ens rationis, sed realis privatio gratiæ vere existens in peccatore, ut D. Thom. frequenter tradit, et ex professo ostendimus Tractat. 13, disput. 16, dub. 5, § 1, et tractat. 15, disput. 1, dub. 1, § 1. Unde prædictum exemplum in objicientem regerendum est : nam si macula eo modo, quo habet esse, videlicet per modum privationis, non est ens rationis, sed privatio gratiam ab anima realiter formaliter excludens : character, qui apud omnes non carentiam, sed aliquid positivum importat, et quem Concilia diffiniunt animæ imprimi, nulla ratione potest juxta mentem Conciliorum esse ens rationis, sed debet esse aliquid reale, et animam realiter afficiens. Id vero, quod attingitur de charactere bestiæ ex loco citato Apocal. si referatur (ut plures exponunt), ad Antichristum, magis probat oppositum : quia talis character erit aliqua nota sensibilis carni impressa, ut in mancipiis fieri videmus. Et si tyrannus id imprimit corpori ; quanto magis Deus imprimet animæ consignationem realem? Sed longe melius D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1 ad 3, inquit : (D. Tho.) « Per hoc, quod homo configuratur bestiæ, « non accipit aliquam spiritualem potes- « tatem : sicut per aliquam spiritualem « potestatem homo assimilatur Christo. Et « ideo non est simile. Tamen ex littera « Apostoli colligitur, quod charactere bes- « tiæ configuratur quis ad sæculares ope- « rationes : unde dicit, ut non possit emere, « vel vendere. Et similiter charactere « Christi quis configuratur ad actiones » Christi. » Et hinc ad secundam probationem negamus minorem : potestas enim, quæ confertur in sacramento Ordinis, non consistit in mera, et extrinseca deputatione, sed est aliqua virtus realis animæ inhærens : sicut disput. præcedent. dub. 3, et 4, proportionabiliter dicebamus de virtute, qua operantur sacramenta novæ legis. Et opposita imaginatio non majorem intrinsecam potestatem tribuit nostris sacerdotibus, quam antiquis : et his proinde dicet cum eadem proprietate fuisse impressum characterem, quod supra jam rejecimus num. 9.

Supposito autem, quod character sit aliquid reale ; consequens est vel esse ens reale absolutum, vel esse ens reale relativum prædicamentaliter, id est, veram relationem realem. Unde determinandum succedit, quid horum sit.

§ II.

Excluditur opinio Scoti.

16. Dicendum est secundo characterem (Secunda conclusio.) non esse formaliter relationem realem prædicamentalem ; sed aliquid absolutum, quod potest dici relativum transcendentaliter, aut secundum dici, et quod potest subesse relationi formali. Ita D. Thom. in (D. Tho.) præs. art. 2 ad 3, ubi ait : « Relatio, quæ « importatur in nomine signi, oportet, « quod super aliquid fundetur. Relatio au- « tem hujus signi, quod est character, non « potest fundari immediate super essen- « tiam animæ : quia sic conveniret omni « animæ naturaliter. Et ideo oportet ali- « quid poni in anima, super quod funde- « tur talis relatio : et hoc est essentia cha- « racteris. Unde non oportebit, quod sit in « genere relationis, sicut quidam posue- « runt. » Similia tradit in 4, dist. 4, q. 1, art. 1. Unde sic docent omnes Theologi, ut constabit num. 26, et num. 31.

Probatur primo ratione insinuata a D. (Ratio I Thomæ.) Thom. in verbis relatis : quia si character esset relatio prædicamentalis, conveniret naturaliter animæ : consequens est hæreticum ; siquidem fides docet characterem esse effectum Dei operantis ipsum per instrumenta excedentia totam facultatem naturæ, videlicet per sacramenta : ergo character non est relatio prædicamentalis. Sequela ostenditur : quia illud convenit naturaliter animæ, quod convenit ipsi immediate, atque independenter ab alia ratione fundandi : sed si character esset relatio prædicamentalis, sic conveniret animæ ; siquidem character nullam aliam in anima rationem fundandi supponit : neque enim

ista

ista assignari valet : ergo si character esset relatio prædicamentalis, conveniret animæ naturaliter.

Respondetur a Scotistarum. 17. Respondent Scotistæ negando sequelam. Et ad probationem dicunt, quod licet character insit immediate animæ, nihilominus non convenit ei naturaliter. Tum quia eget ratione fundandi, quam constituunt in actuali susceptione sacramenti imprimentis characterem. Tum quia eget influxu causæ efficientis, Dei scilicet supernaturalis auctoris, characterem producentis.

Evertitur. Sed non satisfaciunt. Et quod dicunt de ratione fundandi characterem, refellitur : quia nequit relatio realiter permanere, nisi permaneat ejus fundamentum proximum, sive ratio fundandi : sed transacta actu formaliter susceptione sacramenti, manet actu formaliter character, qui est aliquid indelebile : ergo signum est, quod character non est formaliter relatio, sed aliquid absolutum. Et si dicant susceptionem sacramenti, licet transeat actu formaliter, permanere virtualiter : oportet, quod assignent aliquid, in quo illa susceptio actualis permaneat tanquam in termino, vel effectu, sicut generatio manet virtualiter in genito : alias talis susceptio non relinqueret nisi denominationem extrinsecam ab actu præterito, quæ apta non est fundare relationem realem. Porro nequeunt assignare pro termino, aut effectu ipsam animam : quippe manifestum est eam per actionem sacramentalem non fieri. Neque assignare possunt pro tali termino gratiam sanctificantem : hæc enim multoties non fit per susceptionem sacramentorum imprimentium characterem, ut contingit, quando quis existens in statu peccati mortalis cogniti suscipit ordinis, aut confirmationis sacramentum. Restat igitur, quod solum possit assignari character, in quo prior susceptio sacramenti virtualiter permaneat. Atqui character ipse est relatio, ut asserit Scotus. Ergo relatio, quam character importat, non aliam habet rationem fundandi, vel aliud fundamentum proximum, quam se ipsam ; et de ipsa procedit difficultas. Unde sequitur animam habere hujusmodi relationem, seu characterem, non quidem ratione alicujus rationis fundandi adventitiæ, et sibi accidentaliter convenientis; sed immediate per se ipsam, atque ideo naturaliter.

Quod autem dicitur de necessitate influxus causæ efficientis, non magis satisfacit, sed præbet novum motivum impugnationis : quoniam relatio non terminat motum sive actionem per se, et immediate, sed fit per resultantiam, ut communiter docent Logici, et Philosophi cum Arist. 5, *Physic.* cap. 3 : sed character terminat actionem per se, et immediate : ergo character non est relatio. Minor probatur ex testimoniis relatis nu. 12, præsertim ex illis verbis Innocentii : *Characterem imprimit sacramentalis operatio* : ex eis namque constat characterem terminare aliquam operationem, sive actionem. Quod vero fiat non per solam resultantiam, vel ad productionem alterius, sed per se, atque immediate, liquet in casu sæpe contingenti, quod sacramenta imprimentia characterem non producunt gratiam ob indispositionem subjecti ; tunc enim producitur solitarie character, atque ideo solus, immediate, et per se. Nec hoc loco implicari debemus distinctione Scotica inter relationes intrinsecus advenientes (sic vocant, quæ consequuntur necessario fundamentum, posito termino), et relationes extrinsecus advenientes (sic vocant, quæ positis fundamento, et termino non infallibiliter consequuntur), quasi ad has ultimas possit terminari per se motus, et quasi non comprehendantur sub illa generali Aristotelis doctrina. In hoc, inquam, effugio confutando non oportet immorari : quia illud communiter rejiciunt Philosophi. Nam cum relatio ex communi conceptu relationis prædicamentalis non sit aliud, quam habitudo inter fundamentum, et terminum : repugnat dari fundamentum in esse talis, quod habet per rationem fundandi, et quod relatio, sive habitudo ad terminum non resultet. Unde vana est distinctio, quæ oppositum intendit, nempe dari relationes prædicamentales, quæ hujus generis non sint; sed præter fundamentum, et terminum exigant novam actionem, et illam per se terminent. Provenit autem Adversariorum æquivocatio, quod contemplantur fundamentum materialiter, et non ut associatum rationi fuudandi proximæ : nam sub hac posteriori consideratione necessario fundat relationem absque indigentia alterius actionis, quæ ad relationem terminetur : sub priori autem consideratione requiritur quidem nova actio, at non quæ terminetur ad relationem, sed quæ

Continuatur impugnatio — Aristotel — Nota.

producat terminum, vel rationem fundandi proximam : his namque, et alia actione seclusa, statim resultat relatio, ut inductive potest ostendi.

Aliud pro assertio-ne motivum.

18. Secundo probatur conclusio alia ratione satis efficaci : quoniam relatio prædicamentalis nequit esse principium agendi; siquidem distinguitur contra naturam, potentiam, et virtutem, ad quas pertinet (licet diversimode), concurrere ad operationem : sed character est principium agendi, ut patet in charactere ordinis, qui concurrit ad nobilissimam actionem convertendi panem in corpus Christi : ergo character non est relatio prædicamentalis.

Nota 1.

19. Diximus in assertione characterem, licet sit aliquid absolutum, *posse dici relativum transcendentaliter, et secundum dici.* Talia namque dicuntur, quæ concipiuntur habere, et habent aliquem ordinem ad aliquid extra se: character autem sacramentalis concipitur habere, habetque respectum ad aliquid extra se, nempe ad actiones, et munera, ad quæ destinatur subjectum consignatum per characterem ; et etiam ad specialia auxilia, quæ in ordine ad hujusmodi munia debentur homini ratione characteris : ergo character, licet sit aliquid absolutum, merito potest dici relativus transcendentaliter, et secundum dici. In quo facile omnes conveniunt.

Nota 2.

Diximus etiam characterem esse aliquid absolutum, quod *potest subesse relationi formali, sive prædicamentali.* Et ita re ipsa contingit : nam character fundat quatuor relationes : unam ad Christum, cui configurat, et assimilat subjectum, cum sit participatio Sacerdotii, et potestatis Christi : aliam similitudinis ad alios homines habentes similem characterem : aliam dissimilitudinis ad alios homines illum non habentes : et aliam denique ad cultum Christianæ Religionis, in quam ordinat, quæ tamen solum habet esse in actu, quando ejus terminus est in actu, nempe cultus eidem respondens.

Sententia Scoti.

20. Contrariam nostræ assertioni opinionem tuetur Scotus in 4, dist. 6, quæst. 10. Cui subscribunt Scotistæ, et Joannes Major in 4, dist. 6, quæst. 1. Et fuit sententia apud alios antiquiores Scoto, ut constat ex Div. Thom. in testimonio relato num. 16.

Argumentum.

Unicum quasi fundamentum hujus opinionis est, quod signum sub ratione signi, sive sit naturale, sive ad placitum, constituitur formaliter per relationem, et collocatur in relationis prædicamento, ut satis constat ex dictis a nobis disp. 1, dub. 1. § 3, et liquet in sacramentis, quæ quia signa sunt, important pro formali relationem ad res, quas significant. Atqui character est signum, et ita appellatur tum in Conciliis relatis num. 12, tum a Div. Thom. art. 2, et 3, hujus quæstionis. Ergo character constituitur formaliter per esse relationem, atque in relationis genere collocatur.

Solu[tio].

Ad hoc argumentum, omittendo alias solutiones, quas refert Prado in præs. dub. 2, a num. 30, respondetur cum ipso, et cum Suarez disp. 11, sect. 2, majorem solum verificari de signo formaliter sumpto, non autem de signo materialiter accepto pro re, quæ denominatur signum. Character autem non est signum formaliter, sed materialiter, sive res, quæ denominatur signum, quia subest alicui relationi ex propositis num. præc. Unde non sequitur characterem pro formali characteris esse relationem, vel sub genere relationis constitui. Distinguendo itaque præmissas in præmisso sensu neganda est absolute consequentia. Quæ responsio confirmatur, et declaratur exemplis : nam circumcisio dicebatur signum, et tamen non consistebat formaliter in relatione, sed in cicatrice impressa pro distinctione, ad quam consequebatur relatio. Et idem apparet in stigmatibus, quæ servis imprimi solent : quæ signa dicuntur, cum tamen non sint relatio, sed relationem fundent. Pariter sigilla, et aliæ figuræ dicuntur signa : et nihilominus non constituuntur in genere relationis formaliter, sed solum fundamentaliter. Quamvis ergo signum formaliter sumptum sit relatio : signum tamen materialiter acceptum pro re, quæ signum denominatur, et significationi subest, non est formaliter relatio, sed aliquid absolutum relationi substans. In hoc autem sensu Concilia, et Div. Thom. characterem appellant signum : non quia relatio significationis sit; sed quia fundat eam relationem. Voluerunt enim hoc speciale nomen illi applicare : quia licet ejus essentia, et primarius conceptus in aliquo alio consistat : nihilominus talis conceptus magis latet, et non ita breviter explicaretur : munus autem signi erat intellectu facilius, et in quo omnes Theologi sine controversia conveniunt.

Nec

Nec inde sequitur, quod eorum locutio fuerit minus propria, vel sit tanquam impropria rejicienda: quia juxta communem loquendi modum (qui valet proprietatem in sermonibus introducere), signum absolute appellatur non solum signum formale, sed etiam fundamentale, ut liquet exemplis circumcisionis, stigmatum, sigillorum, et figurarum supra productis. Et tota responsio est ipsa doctrina D. Thomæ in testimonio supra relato, quod « relatio hujus signi, « quod est character non potest fundari « immediate super essentiam animæ: et « ideo oportet aliquid poni in anima, su- « per quod fundetur talis relatio: et hoc « est essentia characteris. Unde non opor- « tet. quod sit in genere relationis.»

Ex præmissa utriusque assertionis doctrina habemus characterem esse ens reale, et absolutum, sive non pertinens ad genus relationis. Unde ulterius procedendo videre oportet, in quo prædicamento constituatur. Facile autem convenit inter omnes, et ipsa ratio demonstrat characterem non pertinere ad genus substantiæ: quippe quod est accidens spirituale, a substantia animæ diversum, et in ea per actionem sacramentorum productum. Similiter non pertinet ad genus quantitatis: hæc enim est accidens corporeum; character vero quid spirituale. Et eodem motivo convincitur non collocari in aliquo quatuor ultimorum prædicamentorum: sunt namque ista corporea, et resultant in subjecto ex adjacentia extrinseca alterius rei similiter corporeæ; quorum neutrum convenit characteri. Denique nequit collocari sub actione, aut passione: quippe istæ transeunt; character autem indelebiliter permanet. Quare a sufficienti generum enumeratione consequitur characterem solum collocari in genere qualitatis. Et sic docent unanimiter Theologi, exceptis præcise Durando, et Scoto cum paucis asseclis. Sed quia in qualitatis prædicamento sunt quatuor species, nempe habitus, et dispositio; potentia, et impotentia; forma et figura; passio, et passibilis qualitas; adhuc gravis inter ipsos est controversia, adquam qualitatisspeciem character pertineat. Et ut propositæ difficultati satisfaciamus.

§ III.

Rejicitur sententia Alensis, et plurium recentiorum.

21. Dicendum est tertio characterem non pertinere ad primam speciem qualitatis, atque ideo non esse habitum, aut dispositionem. Et quidem quod non sit dispositio, concedunt ipsi, contra quos agimus: nam dispositio est qualitas facile mobilis: character autem non est qualitas facile mobilis, sed potius indelebilis: ergo character non est dispositio. Unde tota assertio revocanda est ad excludendum, quod character sit habitus. Sic autem docet D. Thom. in præs. art. 2, in arg. *Sed contra* his verbis: « Similiter etiam character non est habi- « tus: quia nullus est habitus, qui se possit « ad bene, et male habere: character au- « tem ad utrumque se habet: utuntur enim « eo quidam bene, alii vero male. Quod in « habitibus non contingit: nam habitu « virtutis nullus male utitur, et habitu « malitiæ nullus bene.» Et si quis imaginetur hæc præcise dici in argumento *Sed contra*, quod non semper continet sententiam Doctoris, nec ad ejus mentem est; attendat hic aliter contingere: tum quia D. Thom. ab hac radice procedit, ut in corpore articuli characterem constituat in alia qualitatis specie, ut infra videbimus. Tum quia Sanctus Doctor eandem resolutionem, et resolutionis motivum proponit ex propria sententia in 4, dist. 4, quæst. 1, artic. 1, in corp. ubi ait: « Cum charac- « ter ordinetur ad aliquid simpliciter, non « ad illud bene, vel male: quia Sacerdos « potest conficere bene, vel male: non « potest esse, quod qualitas supra quam « fundatur relatio characteris sit habi- « tus. Unde relinquitur, quod non sit in « prima specie qualitatis. » Et in scripto *ad Annibald.* eadem dist. quæst. et articulo ait: « Nec iterum potest dici, ut alii dicunt « quod sit in prima specie: quia habitus « disponit ad operandum bene, vel male, « non autem character etc. » Unde sic docent unanimiter Thomistæ, suffragantibus etiam pluribus extraneis, quos dabimus num. 31.

Tertia conclusio.

D. Tho.

Probatur primo ratione jam proposita a D. Thom. quoniam omnis habitus determinat potentiam ad operandum certo modo, nempe habitus virtutis ad operan-

Ratio D. Thomæ.

dum bene, et habitus vitii ad operandum male : sed character non importat hujusmodi determinationem : ergo character non est habitus. Consequentia est legitima. Et minor certa : nam Sacerdos, dum charactere ordinis utitur ad absolvendum, vel consecrandum, aliquando bene, et aliquando male operatur : ergo character non determinat ad operandum certo modo, nempe aut determinate bene, aut determinate male. Major autem probatur : tum inductive : quia nullus assignabitur habitus, qui in proprio ordine, aut genere non importet hujusmodi determinationem : si enim attendamus ad habitus morales, virtus determinat ad operandum bene moraliter : vitium autem ad operandem male moraliter : si vero consideremus habitus intellectivos, scientia, ars, et similes determinant ad veritatem speculativam, vel practicam, in qua rectitudo prædicti ordinis consistit ; habitus autem erroris, et similes determinant ad oppositum. Tum etiam ratione generali : nam cum habitus supponat potentiam absolute, et sit quædam potentiæ determinatio ; non ordinatur ad dandum posse absolute, sed ad determinandum posse pro certo modo operandi, nempe bene, vel male, juxta diversos ordines, ad quos habitus spectat.

Vazquii responsio. 22. Respondet primo Vazquez majorem hujus discursus solum verificari in habitibus operativis, sive ordinatis per se ad operandum ; non autem in habitu ordinato ad hoc, ut subjectum bene se habeat in se, ut de sanitate dici solet. Character autem est hujus posterioris generis : et ideo non determinat ad bene, vel male operandum, sed ut homo bene disponatur in se : quod ad rationem habitus sufficit.

Confutatur. Sed hoc non satisfacit : quia nulla ratione negari valet characterem dare posse ad aliquas operationes, et influere active in illas. Sic enim character Sacerdotis concurrit instrumentaliter ad conversionem panis in corpus Christi, et ad excludendum peccata per absolutionem. Character Episcopi concurrit instrumentaliter ad producendum characterem in ordinatis, et in confirmatis. Character etiam confirmationis concurrit specialiter active ad confessionem fidei ex officio, ejusque defensionem coram tyranno. Ergo si character est habitus, nequit non esse habitus operativus. Et hæc est communis apprehensio inter Theologos. Unde in Catechismo Pii Quinti *de sacram. in genere* § penult. dicitur « Character hoc præstat, « ut apti ad aliquid suscipiendum, vel « peragendum efficiamur. « Confirmatur : quia omnis habitus, ut Vazquez recognoscit, vel determinat ad certum modum operationis, vel disponit subjectum in se, sive in ordine ad proprium esse : sed character non ordinatur ad disponendum subjectum in se, sive in ordine ad proprium esse : ergo ordinatur ad certum modum operandi : et sic procedit, perseveratque discursus supra positus. Probatur minor : quia character non disponit animam in se, sive in ordine ad esse quantum ad naturalia : quippe anima est incorruptibilis, nullaque dispotione in se quantum ad naturalia indiget. Nec disponit animam in se, sive in ordine ad esse quantum ad supernaturalia : tum quia anima sufficientissime in ordine ad hæc disponitur per gratiam sanctificantem : tum quia non apparet, quid perfectionis præstet character animæ in se ipsa, et in ordine ad esse : siquidem character compatitur cum summa miseria, atque indispositione tam peccati, quam æternæ damnationis. Non possumus itaque, nec debemus imaginari characterem tanquam habitum absolutum, et perficientem animam ad se, et in se : sed si semel est habitus, apprehendi debet ad instar virtutis operativæ, et cum ordine ad operationem.

23. Respondet secundo Suarez majorem præmissi discursus vel applicatam habitibus operativis non esse universaliter veram. Primo, quia valde probabile est, quod in voluntate præter habitus virtutis, et vitii, datur habitus indifferens, genitus ex actibus ex specie sua indifferentibus : nam licet actus ex specie sua indifferens nunquam fiat in individuo absque bonitate, vel malitia ex fine extrinseco operantis ; nihilominus semper in sua entitate conservat indifferentiam secundum speciem, et secundum illam poterit generare similem habitum. Secundo, quia certum est habitus intellectivos non determinare ad operandum bene, vel male moraliter : utitur enim quis arte, vel scientia bene, vel male, prout vult. Et si dicatur hos habitus determinare ad rectitudinem, aut defectum in proprio genere ; licet non determinent ab bonitatem, vel malitiam moralem : idem dici poterit de charactere, quod

quod scilicet sit habitus ad determinatas actiones perfectas, et validas in ordine sacramentali, quamvis non determinet ad hoc, quod bene moraliter fiant.

Hæc tamen responsio minus, quam præcedens, satisfacit, et evertitur refellendo, quæ pro se affert. Primum quidem, quia actiones sunt singularium, et non causant nisi prout in individuo : sed omnis actio humana prout est singularis, atque in individuo, habet bonitatem, vel malitiam moralem : ergo actio humana vel non causat ullum habitum, vel causat habitum determinate bonum, aut determinate malum: et consequenter nullus est possibilis habitus indifferens, qui non determinet vel ad operandum bene, vel ad operandum male. Unde excluditur oppositum Suarii motivum : nam licet bonitas, aut malitia ex fine extrinseco operantis sit accidentalis actui considerato præcisive, et quantum ad speciem ex objecto ; non tamen accidit illi sumpto individualiter, prout hic, et nunc fit : quo pacto sumptus, et non præcisive consideratus habet realiter influere. Secundum etiam evertitur : quia nullus est habitus operativus, qui in propria materia non determinet ad bene, vel male, ut liquet in ipsis habitibus intellectivis, quos nobis objectat Suarez : licet enim non determinent ad bonum, vel malum morale, tamen determinant ad bonum, vel malum suæ lineæ, nempe ad operandum conformiter ad principia scientiæ, et regulas artis, vel ad operandum cum difformitate ad illas. Materia autem propria characteris est cultus religionis Christianæ cum ritibus ad ipsam pertinentibus : quæ omnia notum est pertinere ad genus moris, et esse de se capacia, ut bene, vel male moraliter fiant. Ergo si character esset habitus operativus, deberet determinare ad bonum usum ; et non posset indifferenter concurrere ad prædictas actiones. Consequens autem est falsum, ut Suarius recognoscit. Ergo character non est habitus, sed se habet ad instar potentiæ dantis absolute posse, et abstrahendo a modis, ut infra magis declarabimus. Quare sicut voluntas dat posse ad prosequendum absolute bonum, quod vero determinetur ad bonum verum, vel ad bonum apparens habet ab habitibus virtutis, et vitii : ita character dat posse ad peragendum absolute quosdam ritus, et cæremonias vitæ Christianæ : quod vero ista peragantur bene, vel male, non est a charactere, sed a virtute religionis, et a vitiis eidem oppositis.

24. Probatur secundo eadem assertio : quia habitus est qualitas intensibilis, et capax augmenti, ut inductive potest ostendi in omnibus habitibus tam naturalibus, quam supernaturalibus : nullus enim reperitur, qui per actus repetitos, et perfectos, quos elicit non augeatur. Sed character non est qualitas intensibilis, et capax augmenti : quantumlibet enim Sacerdos proprio charactere utatur, hic minime crescit : unde omnes characteres sacerdotales sunt æquales, non obstantibus inæqualibus exercitiis. Ergo character non est habitus. Nec proderit dicere causam characteris non esse ejus subjectum, sed sacramentum : et quia sacramentum imprimens characterem non iteratur, ideo character non augetur. Nam contra est : quod causa producens gratiam sanctificantem non est subjectum, sed Deus : et nihilominus per exercitium actuum propriorum gratiæ fit hujus augmentum : ergo licet causa characteris non sit subjectum, tamen per exercitium actuum propriorum characteris augeretur character, si esset qualitas intensibilis. Nec iterum proderit dicere, quod licet character de facto non intendatur, potest tamen intendi de potentia Dei absoluta. Nam contra est : quod habitus, et omnis qualitas primæ speciei est intensibilis non solum secundum potentiam Dei absolutam, sed etiam juxta naturam suam, sive ex natura rei : ergo si character non est intensibilis juxta naturam suam, sed solum secundum providentiam extraordinariam, signum est, quod character non est qualitas primæ speciei, nec subinde verus habitus. Intensibilitas namque per respectum ad potentiam Dei absolutam convenit etiam aliis qualitatis speciebus.

Aliud pro assertione motivum.

Præciduntur effugia.

25. Ultimum pro assertione fundamentum est : quoniam si character esset habitus, homo per characterem consignatus, et eliciens operationes proprias characteris concurreret per modum causæ principalis, et ageret nomine proprio : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela probatur tum inductive in omnibus aliis habitibus: sive enim naturales, sive supernaturales sint, homo eis præditus concurrit principaliter, atque ideo proprio nomine ad eorum operationes : unde homo per

Alterum motivum.

charitatem diligens est causa principalis dilectionis, et homo per fidem credens est causa principalis assensus, et sic de aliis. Tum ratione a priori : quia habitus, et actus ei correspondens important eandem tendentiam specificam in objectum, et effectum : quare habitus habet sufficientem vim, et adæquationem, ut per modum causæ principalis producat operationem sibi correspondentem consideratam secundum tendentiam specificam in objectum ; quidquid sit de existentia, et majori actualitate operationis : si autem habitus concurrit principaliter ut *quo*, necessarium est, quod homo per habitum influens concurrat etiam principaliter ut *quod*. Falsitas autem consequentis ostenditur : nam homo per characterem sacerdotalem concurrit ad consecrationem, qua convertit panem in corpus Christi, et similiter concurrit ad absolutionem, qua remittit peccata, et communicat gratiam justificantem : et tamen hæc non præstat per modum causæ principalis, et nomine proprio, sed solum per modum causæ instrumentariæ, et tanquam minister Dei : ergo falsum est hominem per characterem concurrentem influere in actiones ipsi correspondentes per modum causæ principalis, et agere nomine proprio. Quod

D. Tho. optime observavit D. Thom. in præs. art. 2, in corp. dicens : « Habere characterem « sacramenti competit ministris Dei. Minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philosoph. dicit in 1 Polit. « Et ideo sicut virtus, quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per « reductionem, eo quod est quiddam fluens, « et incompletum : ita etiam character non « proprie est in genere, vel specie etc. »

Opinio contrar. Alensis. Bellarm. Suarez. Vazq. Coninck. Ochagavia Hurtado.

26. Oppositam nostræ assertioni sententiam docent Alensis 4 part. quæst. 19, membro 1, Bellarminus lib. 2, *de sacramentis* cap. 19, Suarez disput. 11, sect. 3, Vasquez disput. 134, cap. 3, Coninckus artic. 2, Gaspar Hurtado disp. 3, difficult. 12, Ochagavia quæst. 15, num. 9, et alii.

Primum argumentum remissive.

Quæ sententia solet principaliter probari : quia character non potest constitui in secunda specie qualitatis : ergo debet constitui in prima : quod enim non constituatur in tertia, nec in quarta supponunt prædicti Auctores, et nos statim breviter ostendemus. Antecedens autem potest multipliciter suaderi. Sed quia hoc argumentum congruentius proponetur, et diluetur post ultimam conclusionem, illud nunc remittimus ad nu. 38.

Arguitur secundo, et magis directe destruendo principale nostræ assertionis motivum : nam ideo character non esset habitus, nec subinde constitueretur in prima qualitatis specie ; quia respicit actum sibi correspondentem absolute sumptum, et non determinat ad bonum, ut arguebamus n. 21; at sic est, quod character est qualitas determinans ad bonum : ergo habet rationem habitus, et debet in prima specie qualitatis constitui. Minor probatur : tum quia character est qualitas supernaturalis, a Deo auctore supernaturali participata : quidquid autem est hujusmodi, non est indifferens ad bonum, et malum, sed inclinat de se ad bonum. Tum etiam quia character inclinat determinate ad verum cultum Dei in usu actionum sacramentalium : hic autem cultus est quoddam bonum : ergo character inclinat, et determinat ad bonum. Tum denique quia character nobis impressus est participatio sacerdotii Christi : atqui sacerdotium Christi non est indifferens ad bonum, et malum, sed determinat ad bonum : ergo idem cum proportione de nostro charactere dicendum est.

Confirmatur primo : nam character est virtus instrumentaria, per quam minister agit tanquam instrumentum motum a Christo: ergo si character ageret cum indifferentia ad bonum, et malum, talis indifferentia reduceretur in principalem motorem : atque ideo ubi occurreret usus defectuosus characteris, revocaretur ad Christum : hoc autem est absurdum, ut ex se liquet : ergo tenendum est characterem esse qualitatem determinantem ad bonum.

Confirmatur secundo : nam ut aliqua qualitas dicatur determinare ad bonum, et subinde sortiatur veram rationem habitus, sufficit, quod determinet ad bonum in propria materia, licet relinquat indifferentiam in alia materia ad se non pertinente : sed ita se habet character : ergo est habitus. Major constat in virtutibus intellectivis, quæ solum determinant ad bonum in propria materia, nempe ad verum ; sed non determinant ad bonum alterius lineæ, nempe ad bonum morale : et ideo potest homo virtute intellectiva, utputa scientia, et arte uti bene, vel male moraliter. Minor etiam ostenditur : quia materia propria characteris est verus cultus Dei positus in receptione

receptione, aut traditione sacramentorum, et in confessione fidei Christianæ : sed character hujusmodi bonum semper consequitur; quippe qui non aliter concurrit, quam ad verum cultum Dei in hujusmodi rebus positum : ergo determinat ad bonum in propria materia. Et consequenter nihil refert, quod quis bene vel male moraliter utatur charactere : id enim non pertinet ad ejus materiam propriam, sed ad extraneam.

Solutio argumenti. 27. Ut huic argumento liquido satisfiat, duo debent observari. Primum ad rationem habitus non sufficere, quod respiciat bonum objectum, vel quod determinet ad bonum objectum; id enim pluribus etiam potentiis commune est : sed magis requiri quod determinet ad bonum ex parte subjecti, quatenus ex vi modi, quo procedit, attingit bene objectum in propria materia. Secundum materiam characteris non esse verum speculativum, sed practicum : quia character ipse non pertinet ad animam secundum partem, et rationem speculativam, sed multo magis secundum partem, et rationem practicam ut infra nu. 51 magis constabit. Quare si esset habitus, non solum determinaret ad verum Dei cultum, sed determinaret etiam ad verum Dei cultum religiose, et sancte exercendum : hæc enim est propria bonitas partis practicæ, desumpta non tam ex objecto attacto, quam ex modo illud attingendi. His suppositis respondetur ad argumentum, quod licet character determinet ad bonum ex parte objecti, non tamen determinat ad bonum ex parte subjecti, sive quantum ad usum, et modum attingendi objectum : potest enim quis uti charactere et religiose, et sacrilege. Quare distinguendo juxta præmissos sensus minorem, negamus absolute consequentiam. Probationes autem minoris solum evincunt determinationem ad bonum ex parte objecti, non autem subjecti, et quantum ad modum, ut singulis occurrendo constabit. Ad primam enim respondetur : quidquid participatur ex Deo, inclinare de se ad bonum : sed tamen non semper determinare subjectum ad rectum ejus usum, ut patet in dono prophetiæ, quo aliqui abutuntur. Et aliqui id etiam extendunt ad fidem Theologicam, discurrentes circa illam, sicut circa virtutes intellectivas, de quo diximus in suo tractatu 17, disp. 5, dub. 2, ubi plura etiam circa characterem occurrent. Ad secundam dicendum, quod licet verus cultus Dei, ad quem concurrit character, semper sit bonus objective; nihilominus aliquando irreligiose fit, ut patet in sacerdote peccatore consecrante. Ad tertiam respondemus characterem nostrum esse quidem participationem sacerdotii Christi, sed imperfectam, et diminutam : unde solum dat posse ad actum, sed non determinat subjectum ad rectum usum : quod tamen ad verum habitum (utique practicum, ut observavimus), requirebatur.

Responsio ad 1 confirmationem. Ad primam confirmationem respondemus se destruere, et ab objicientibus dilui debere : nam sive character sit habitus, sive qualitas alterius speciei; certum est apud omnes, quod minister utens charactere agit ut minister Christi, sive tanquam instrumentum eidem ut agenti principali subordinatum : deinde nemo negat ministrum in usu characteris aliquando peccare, ut patet in sacerdote peccatore absolvente, et consecrante. Quare quolibet modo natura characteris explicetur, colligi videtur defectum ministri, aut instrumenti agentis per characterem reducendum fore in Christum : et propterea confirmatio nihil contra nos specialiter concludit. Sed tamen pro nobis, et aliis negamus sequelam : quia cum character det præcise posse ad operationes sacramentales, et non determinet ministrum ad usum; quidquid perfectionis, et efficaciæ reperitur in actione sacramentali, revocandum est in Christum tanquam in principalem agentem : sed quidquid est defectus, aut malitiæ in usu characteris, reducendum unice est in pravam ministri applicationem, et determinationem. Sicut si sacerdos consecret, ut conficiat sortilegium ex hostia consecrata, conversio quidem panis in corpus Domini est principaliter a Christo, cujus virtute fit; sed sacrilegium est solum a ministro abutenti illa virtute. Sed ad rectam horum intelligentiam omnino videre oportet, quæ diximus tract. citat. a num. 43; ex eis namque constabit, quomodo ex una parte character nullo modo concurrat ad malitiam, et quomodo ex alia non determinet ad bonum morale, sed permittat malitiam in sui usu, et quod ejus operatio reddatur objective mala, id est objectum pravi usus ex parte ministri. Ista enim non oportet hic repetere, quæ eo loco exacte digessimus, ut sal- Nota.

varemus nullam operationem supernaturalem posse induere malitiam formalem.

Solvitur secunda. Ad secundam confirmationem constat ex prænotatis, et ex dictis num. 23 materiam characteris pertinere ad lineam practicam : quare si esset habitus, determinaret ad bonum practicum, seu morale, ut scilicet actiones sacramentales fierent religiose, et bene moraliter. Unde cum ad hoc non determinet, ut ipsa confirmatio supponit, satis convincitur characterem non esse habitum, sed aliam qualitatis speciem.

Tertium argumentum. 28. Arguitur tertio : nam character confirmationis est quidam habitus : ergo idem de aliis characteribus dicendum est. Consequentia patet a paritate. Et antecedens suadetur : quia character confirmationis non est ad patiendum, et agendum simpliciter, sed ad recipiendum, et operandum perfectius. Quod facile declaratur in hunc modum : etenim prædictus character non est absolute necessarius ad recipiendum characterem ordinis, et alia sacramenta ; possunt enim absque illo simpliciter recipi : sed deservit ad magis congruentem eorum receptionem. Similiter prædictus character non requiritur simpliciter ad actum confitendi fidem coram tyranno ; sed datur ad firmiorem, seu perfectiorem confessionem. Constat autem id, quod concurrit ad effectum non ut simpliciter necessarium, sed solum ut conferens ad melius esse, comparari per modum habitus. Ergo character confirmationis est habitus quidam.

Diluitur. Respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, quod si semel character confirmationis requiritur ad recipiendum saltem congruentius characterem ordinis, et alia sacramenta ; ex hoc ipso convincitur non esse habitum, qui constituitur in prima specie qualitatis : hujusmodi namque habitus non ordinatur ad recipiendum alia a se, nisi ad summum propriam operationem, quam elicit. Sed sequendo aliam partem, quod prædictus habitus concurrit ad agendum, necessario requiritur ad propriam operationem absolute : quia actus correspondens characteri confirmationis non est confessio fidei utcumque, sed confessio fidei ex officio, et cum aliquo speciali modo, qui non convenit non confirmatis : ad hujusmodi vero operationem est prædictus character simpliciter necessarius. Addendum tamen est juxta superius dicta modum proprium majoris perfectionis, quem respicit habitus, additque supra actum secundum se, et ut correspondentem potentiæ, debere esse in propria materia habitus. Character autem confirmationis, si semel foret habitus, esset utique habitus practicus, et requireretur ad majorem bonitatem moralem operationis, atque ab illa minime præscinderet. Sed res non ita se habet : nam solum ordinatur ad confessionem fidei quasi ex officio, et præscindendo ab alia bonitate morali : unde licet confessio inficiatur aliqua malitia, non propterea desinit esse actus proprius characteris confirmationis. Quod satis evincit prædictum characterem non esse habitum.

Fa[...] aliorum sen[...]tiæ. 29. Ex dictis facile refelluntur aliæ sententiæ minus principales in assignando characteris conditionem. Et primo infertur characterem non constitui in tertia qualitatis specie, nempe sub passione, aut passibili qualitate. Oppositum hujus consectarii docuerunt Altisiodorensis lib. 4, tract. 3, cap. 2, et Ochan in 4, quæst. 2, concl. 5, cum quibus sentit Lugo disp. 6, sect. 3. [Alti-siodorensis, Ochan, Lugo.] Fundamentum antiquorum erat, quod lumen ponitur in tertia specie qualitatis : character vero est quoddam lumen spirituale. Motivum autem Lugonis est, quod in prædicta qualitatis specie collocantur qualitates non solum corporeæ, sed spirituales : unde Suarez tom. 2 *Metaphy*. disp. 42, sect. 4, dixit gratiam sanctificantem in prædicta specie constitui, eo quod per se primo operativa non sit. Sed prædictam sententiam refellunt communiter alii Theologi, et in primis D. Thom. in præs. art. 2, in arg. *sed contra*, et in resp. ad 2. [Re[...]lun[...]] Ratio est : quia sub prædicta specie non collocantur, nisi qualitates sensibiles, nempe vel passio, quæ cito transit, vel passibilis qualitas, quæ est terminus passionis sensibilis, aut eam inducit, sicut se habent pallor ex metu, et rubor ex verecundia. Manifestum autem est characterem non esse qualitatem sensibilem, nec cito transire, nec esse principium, aut terminum alicujus passionis corporalis. Ergo character non collocatur in tertia qualitatis specie. Unde D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 1, [D. T...] dixit : « Sicut probat Philosoph. in 7 *Physicor*. tertia species qualitatis non est « nisi in sensibili parte : character autem « a nullo ponitur in hac parte, sed in intellectiva

« tellectiva. Et præterea illæ qualitates « semper habent ordinem ad aliquam « transmutationem corporalem, vel quam « inferunt, vel a qua causantur. » Motivum autem antiquorum diluitur a S. Doct. in præs. ad 2, his verbis: « In tertia spe« cie qualitatis non sunt nisi vel sensibiles « passiones, vel sensibiles qualitates: cha« racter autem non est lumen sensibile: « et ideo non est in tertia specie qualitatis, « ut quidam dixerant. » Unde etiam diluitur motivum Lugonis supponentis in tali specie collocari etiam qualitates spirituales. Et quod Suarius id dixerit, nihil refert: prædicamenta namque, genera, species rerum, et horum coordinationem non a recentioribus, sed a principibus scientiarum debemus accipere, ut fuerunt Aristoteles, et Div. Thom.

Alia sententia falsa. 30. Infertur secundo characterem non constitui in quarta specie qualitatis, nempe sub forma, vel figura. Oppositum docent *Marsil. Cartag. Aversa. Salas.* Marsilius in 4, quæst. 4, art. 1, concl. 7, Cartagena disp. 5, difficult. 2, cap. 4, Aversa in præs. quæst. 63, sect. 2, et Salas tom. 1, in 12, tract. 2, disp. 8, sect. 3. Quorum fundamentum est tum quod character idem videtur esse, quod figura: unde ad Hebr. 1, ubi dicitur, *figura substantiæ ejus*, in Græco loco *figuræ* legitur *character:* si autem character figura est, sub nulla specie aptius collocatur, quam sub figura. Tum quod character forma quædam est perficiens subjectum in se ipso: unde congruenter sub formæ specie constituetur. *Impugnatur.* Sed prædicta sententia rejicitur communiter a Theologis cum D. Thom in præs. art. 2 ad 1, et merito: quoniam, ut *D. Tho.* inquit S. Doct. « figura est quædam termi« natio quantitatis: unde proprie loquendo « non est nisi in rebus corporeis, in spiri« tualibus autem dicitur metaphorice. Non « autem ponitur aliquid in genere, vel « specie, nisi per id, quod de eo proprie « prædicatur. Et ideo character non potest « esse in quarta specie qualitatis, licet hoc « quidam posuerint. » Itaque character sacramentalis solum per metaphoram dicitur figura: quia videlicet sicut in rebus externis, ac sensibilibus solemus uti figuris sive notis, quibus eas sigillamus, ut distinguantur ab aliis: ita character imprimendo aliquid animæ, per quod baptizatus distinguitur a non baptizato, appellatur figura, et signum. Sed tamen figura proprie non est, cum terminatio quantitatis non sit, nec dispositio partium quantitatis in ordine ad se. Res autem non constituitur in genere, aut specie ratione ejus, quod sibi convenit secundum metaphoram: alias Verbum Dei, quod dicitur *figura substantiæ ejus*, collocaretur in quarta specie qualitatis: et Apostoli, quibus dicitur, *vos estis lux mundi,* constituerentur in tertia: quod imaginari ridiculum foret. Et hinc patet ad motivum oppositum: quia character non dicitur forma, vel figura nisi metaphorice.

Alia sententia falsa Gabriel. Infertur tertio falsam omnino esse sententiam Gabrielis in 4, dist. 6, quæst. 2, art. 4, dub. 3, asserentis characterem sacramentalem posse constitui in omnibus, et singulis speciebus qualitatis. Quod merito ab omnibus refellitur: quoniam prædictæ qualitatis species differunt essentialiter inter se: impossibile autem est qualitatem simplicem, cujusmodi est character, habere tot essentias: alias esset, et non esset una qualitas; siquidem unitas essentiam rei consequitur: ergo character nequit constitui in omnibus, et singulis speciebus qualitatis. *Evertitur.* Nec proderit dicere characterem non constitui in specie directe, sed per reductionem, ut significat Div. Thom. in præs. art. 2. Nam licet res ita se habeat; nihilominus fieri non valet, quod character æque primo reducatur ad omnes prædictas species; cum enim unam essentiam habeat licet diminutam, et incompletam; oportet illud, quidquid est, ad unam speciem revocari. Et nullum rationabile motivum apparet pro imaginatione opposita.

Reflexio. Ex quibus omnibus constat, quid character non sit. Qui procedendi modus tam in charactere, quam in rebus aliis facili studio comparatur. Sed ulterius determinare oportet quid sit; in quo plus laboris, et attentionis solet desiderari. Nam cum facillime excludantur falsa, quæ plura sunt, et solent esse pervia; ægre tamen, et difficulter collineamus in verum, quod unum inter plurima est, et sæpius latet. Quare ad absolvendum principaliter præsentem difficultatem.

§ IV.

Defenditur sententia Divi Thom. dubio directe respondens.

31. Dicendum est quarto characterem sacramentalem constitui in secunda qualita- *Quarta conclusio.*

tis specie ut veram potentiam spiritualem instrumentalem. Ita Div. Thom. in præs. art. 2, his verbis : « Character importat « quandam potentiam spiritualem, ordi- « natam ad ea, quæ sunt divini cultus. « Sciendum tamen, quod hæc spiritualis « potentia est instrumentalis, sicut etiam « supra dictum est de virtute, quæ est in « sacramentis. Habere enim characterem « competit ministris Dei : minister autem « habet se per modum instrumenti, ut « Philosoph. dicit in 1, Politic. Et ideo « sicut virtus, quæ est in sacramentis non « est in genere per se, sed per reductio- « nem eo quod est quiddam fluens, et in- « completum : ita etiam character non pro- « prie est in genere, vel specie, sed redu- « citur ad secundam speciem qualitatis. » Idem docet in 4, distinct. 4, quæst. 1, art. 1, et ad Annibald. distinct. 4, art. 1, ubi ait : « Character reducitur ad secundam « speciem qualitatis : est enim quædam « spiritualis potentia data ad communi- « candum actus spirituales, sicut potentia « corporalis ad corporales. » Unde sic do- cent unanimiter Thomistæ, Capreolus, Paludanus, Hervæus, Didacus Daza, Soto, Martinus de Ledesma, et Soncinas in 4, distinct. 4, Cajetanus, Nugnus, Seraphinus, Sylvius, Cabrera, Arauxo, Serra, et Ruyz in præs. art. 2, Joannes a S. Thom. disp. 25, dub. 2, Prado dub. 2, § 6, Gonet disput. 4, artic. 1, concl. 3, Labat disp. 1, dub. 6, § 1, concl. 2, Contenson dissertat. 1, cap. 2, speculat. 1, N. Complutenses abbrev. *in Logica*, disp. 15, quæst. 4, num. 14, N. Franciscus tract. 1, capit. 6, dub. 6, N. Philippus disput. 6, dub. 6, concl. 4, Cardinalis Aguirre *in Metaph.* disput. 13, section. 3, num. 30, D. Antoninus, Sylvester, Viguerius. Armilla, Joannes a Cruce, Petrus, et Bartholomeus de Ledesma in summis *de sacramentis*. Idem etiam tuentur Valencia tom. 3, disput. 3, quæst. 4, punct. 3, Sayrus lib. 4, *de sacrament.* capit. 3, quæst. unica, Henriquez libr. 1, capit. 13, numer. 4, Lelius Zecchius *de sacramentis in genere*, capit. 14, concl. 6, Trullench lib. 1, capit. 4, dub. 5, Ludovicus de S. Joanne, Archangelus Rubeus, et Marchinus, quos refert, et sequitur Leander tract. 1, disput. 3, quæst. 19, et alii.

[Margin: D. Tho. — Capreol. Soto. Cajetan. Nugnus. Arauxo. Serra. Joann. a S. Tho. Prado. Gonet. Labat. Contens. N. Comp. N. Fran. N. Phil. Aguirre. Ledes. Valenc. Sayrus. Henriq. Trullen. Leand.]

Ratio. Probatur satis efficaciter ex hactenus dictis : nam cum character sacramentalis sit aliquid reale, et absolutum, ut contra Durandum, et Scotum ostendimus, et non possit collocari in alio genere, nisi qualitatis, ut numer. 20, deduximus ; necessarium omnino est, quod in aliqua specie prædicamenti qualitatis constituatur : atqui non ponitur in prima, nec in tertia, nec in quarta, ut constat ex dictis § præcedenti : sequitur ergo characterem constitui in secunda qualitatis specie, quæ dicitur potentia. Nec valet dicere dari alias qualitatis species incognitas. Nam hoc effugium optime præcludit Div. Thom. loco citato ex 4 sent. his verbis : « Quidam dicunt, quod « character non est in aliqua quatuor spe- « cierum qualitatis, innitentes illi verbo « Philosophi : Fortasse apparebunt alii « qualitatis modi. Sed hæc est fuga quæ- « dam : quia quamvis sint alii modi qua- « litatis, tamen omnes reducuntur ad has « species. Quod patet ex hoc, quod nulla « alia species inveniri adhuc potuit. » Et Aristoteles, ut optime observant N. Complutenses ubi supra numer. 18, ita se gessit, non quia judicaverit esse possibiles alias qualitatis species ; sed modestiæ gratia, et ut simul insinuaret omnes species prædicamenti qualitatis cum difficultate deprehendi. Unde incidenter refellitur Mattheus Kellisonus ad præs. artic. dub. unico, concl. 4, qui cum nobiscum excludat omnes modos dicendi supra relatos, et statuat characterem habere modum potentiæ ; tamen addit non esse propriam potentiam. Refellendus, inquam, est : quoniam hoc ens reale, quod character dicitur, in aliquo genere, et specie proprie dictis, et hactenus assignatis, constitui debet : at non constituitur in aliquo genere, nisi qualitatis ; nec ulterius sub qualitate constituitur in prima, vel tertia, vel quarta specie, ut ille Auctor concedit : ergo debet collocari in secunda, quæ proprie dicitur potentia : quamvis ad illam non pertineat directe, et per modum entis completi, sed reductive, et ad instar virtutis instrumentariæ.

[Margin: Præciditur fuga. — D. Tho. — Impugnatur Kellis.]

Confirmatur : quia omnia, quibus ostendimus characterem non esse habitum, nec collocari in prima qualitatis specie, si recte expendantur, probant characterem esse potentiam, atque in secunda specie qualitatis constitui. Etenim proprium potentiæ est respicere operationem absolute, sive non determinando ad bene, vel male ex parte subjecti : et similiter ad potentiam pertinet non suscipere magis, et minus, sed

[Margin: Confirmatio.]

sed retinere eundem a principio existendi modum. Sed character ita se habet ; siquidem non determinat subjectum ad bonum ejus usum, sed concurrit ad opus, licet eo abutatur minister : et similiter non suscipit magis, et minus ; unde licet ejus operatio repetatur, minime augetur. Ergo character est quædam potentia, atque participat rationem potentiæ, et sub illa collocatur. Quæ principia satis constant ex supra dictis.

Alia ratio. 32. Secundo probatur eadem assertio : quia omnia sacramenta characterem imprimentia, cum illum imprimunt, communicant indivisibiliter, et intransitive aliquam potestatem spiritualem veram, et realem : ergo communicant aliquam spiritualem potentiam : ergo character est aliqua potentia spiritualis. Hæc secunda consequentia patet ex prima : quia sacramenta imprimentia characterem solent non aliud producere, quam characterem ipsum, ut contingit, quando suscipiuntur cum indispositione ad gratiam : ergo si semper communicant aliquam spiritualem potentiam ; sequitur characterem indivisibiliter, atque intransitive esse hanc ipsam potentiam spiritualem. Prima vero consequentia facile constare videtur ex antecedenti : quoniam omnis potestas spiritualis vera, et realis est aliqua spiritualis potentia ut ex ipsis terminis constat : ergo si sacramenta imprimendo characterem communicant aliquam potestatem veram, et realem : recte infertur sacramenta imprimendo characterem communicare aliquam spiritualem potentiam. Antecedens autem suadetur exemplo sacramenti Ordinis, in cujus forma dicitur : *Accipe potestatem* etc. quæ verificantur, quatenus per tale sacramentum datur character, quo ordinatus possit conficere Corpus Christi, et absolvere a peccatis : ergo sacramentum Ordinis conferendo characterem communicat indivisibiliter, et intransitive aliquam potestatem veram, et realem. Et inde etiam probatur, quod alia duo sacramenta, Baptismus scilicet, et Confirmatio conferendo characterem conferant aliquam spiritualem potestatem.

D. Tho. Unde D. Thom. infra quæst. 72, art. 5, inquit : « In baptismo accipit homo potes« tatem ad ea agenda, quæ ad propriam « pertinent salutem, prout scilicet secun« dum se ipsum vivit. Et rursus ait : In « confirmatione accipit homo potestatem « ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam « spiritualem contra hostes fidei. » Ergo omnia prædicta sacramenta imprimendo suum characterem, conferunt indivisibiliter, et intransitive aliquam potestatem spiritualem. Quod ab effectu, sive a posteriori colligitur : nam qui non habet characterem baptismi non habet potestatem proximam ad alios characteres, nec ad gratiam sacramentalem cæterorum sacramentorum, nec ad actus proprios, ut sunt dispositiones congruæ ad suscipiendum alia sacramenta : e contra vero, qui suscipit characterem baptismi, habet potestatem ad omnia hujusmodi. Similiter qui non suscipit characterem ordinis, non habet potestatem consecrandi Eucharistiam, et absolvendi a peccatis, nec habet potestatem eliciendi intentionem absolutam, et efficacem pro hujusmodi effectibus requisitam : qua tamen potestate gaudet habens characterem sacerdotalem. Denique qui caret charactere confirmationis non habet potestatem ad actum confitendi, et defendendi fidem ex officio, et cum auxiliis sibi specialiter debitis : quam potestatem habet, qui suscipit sacramentum Confirmationis. Signum igitur manifestum est, quod prædicta sacramenta conferendo characterem conferunt aliquam potestatem spiritualem.

Confirmatur : quia si character non esset potestas quædam spiritualis per se ordinata ad operationem ; frustra diceretur communicari per aliqua sacramenta, et non per omnia : consequens est falsum, et contra id, quod de facto certa fide tenemus : ergo et antecedens. Probatur sequela : nam ex suppositione, quod character non præstet prædictam potestatem ad determinatos actus ; non recipietur in anima ut potentia vel ad recipiendum, vel ad agendum ; sed tantum comparabitur ut quidam ornatus, vel dispositio ut anima bene se habeat in se. Hoc autem pari ratione pertineret ad omnia sacramenta. Quin specialius pertineret ad Eucharistiam, quod omnium est principalius, animamque perficit, et magis facit pulchram, et bene ornatam in se. Secluso itaque ordine characteris ad operandum ; frustra dicitur pertinere specialiter ad aliqua sacramenta, et non ad omnia. Cumque hoc sit absurdum, fateri oportet sacramentalem characterem esse potestatem quandam spiritualem. Confirmatio.

33. Respondent Adversarii præmissum

ver- orum pon- o.

discursum evincere, quod character sit aliquomodo potentia activa, vel passiva, minime tamen suadere, quod sit potentia physica ; sufficit enim, quod sit potentia moralis per extrinsecam Dei ordinationem ad prædictos effectus. Unde non sequitur characterem constitui in secunda specie qualitatis, et sub communi potentiæ conceptu : quia res non constituuntur in genere, aut specie per esse morale, sed per esse physicum quod habent.

futa- mul- lici- er.

Sed minime satisfaciunt. Primo, quia præter istam potestatem moralem, ad quam recurrunt, fateri eos oportet characterem et esse aliquid physicum, et effectum aliquem physicum communicare : alias obligabuntur recidere in sententiam Durandi asserentis characterem non esse aliquid physicum in anima, sed solum denominationem moralem extrinsecam desumptam ab extrinseca Dei ordinatione. Inquirimus ergo ab eis, pro quo effectu physico admittunt physicum characterem ? Non utique ad sanctificandum animam : tum quia ad hoc sufficiunt gratia, et virtutes : tum quia character multoties reperitur in peccatoribus. Non præterea ad physice operandum ; siquidem dicunt non esse potestatem physicam, sed moralem. Ad quid ergo ponitur entitas illa physica, quæ nullum effectum physicum habet ? Si dicunt, quod ad ornatum animæ in se, eadem facilitate repelluntur : quoniam ad hunc ornatum magis deservire possent sacramenta perfectiora, et præsertim Eucharistia, ut supra dicebamus. Aliunde vero haud facile declarabunt, quem ornatum animæ præbeat character in peccatoribus, minus autem in condemnatis.

Secundo, quia juxta præmissam responsionem non alterius generis potestatem habebit sacerdos per characterem ad absolvendum, vel condemnandum, videlicet per solam deputationem extrinsecam superioris : hoc autem satis apparet absurdum, et contra dignitatem characteris sacerdotalis, et auctoritatem ministrorum Dei : ergo sacramentalis character importat aliqnam potestatem spiritualem non præcise moralem, sed physicam. Tertio, quia Deus de potentia absoluta producere valet aliquam potentiam physicam activam, vel passivam sacramentorum : neque enim apparet ulla contradictio in productione alicujus potentiæ physicæ, requisitæ, vel ad suscipiendum, vel ad conferendum sacramenta. Sed character habet de facto, quod haberet illa potentia physica producta a Deo : vel assignent Adversarii cum fundamento, quid haberet illa potentia physica, quod de facto non inveniatur in charactere. Ergo character præstat ad recipiendum et dandum sacramenta, et ad actiones sacramentales spiritualem quamdam potestatem non præcise moralem, sed physicam. Quarto, quia ita proportionabiliter comparatur character ministrorum ad actiones, et effectus sacramentales, sicut comparatur virtus sacramentorum ad sacramentorum effectus, utputa ad gratiam, et characterem, ut tradit D. Thom. in præs. artic. 2, in fine corp. sed virtus sacramentorum est virtus physica, qua physice influunt in suos effectus, ut ostendimus disp. præced. dub. 4, et ex Adversariis concedit Suarez : ergo pariter character præstat potestatem physicam ad effectus sacramentales proprios ipsius characteris. Sicut enim non repugnat virtus physica in sacramentis, sic etiam non repugnat potestas physica in ministris sacramentorum. Et sicut ad majorem dignitatem sacramentorum legis gratiæ pertinet, quod influant physice in suos effectus : sic etiam spectat ad dignitatem ministrorum legis gratiæ, quod habeant potestatem physicam ad effectus sibi correspondentes. Et tandem sicut non est explicabilis influxus moralis sacramentorum ; cum secluso influxu physico sint mera signa, ut ostendimus disp. cit. dub. 2, sic etiam declarari non potest, quid sit influxus moralis characteris, quippe qui nec est meritum, nec impetratio ; sed excluso concursu physico merum signum. Unde prædictus Auctor non satis consequenter se egit concedens concursum physicum in sacramento, et negans concursum physicum in charactere, et hac via palam recedens a D. Thom. ut profitetur his verbis : « Rationes enim me cogunt, ut in re non magni momenti a sententia D. Thomæ discedam, paratus ei assentire, cum primum earum solutiones invenero, quas hactenus nec reperire, nec assequi potui. » Sed quales sint illæ rationes indissolubiles, infra videbimus. Refellitur Suarez.

34. Nunc premamus amplius propositam impugnationem : nam character v. g. sacerdotalis concurrit physice ad conversionem panis in corpus Christi : ergo falsum est, quod character solum præstet potestatem Major responsionis impugnatio.

testatem moralem ad effectus sibi correspondentes. Consequentia patet. Et antecedens suadetur : quia non est assignabilis ratio, quare verba sacerdotis elevata per virtutem concurrant physice ad prædictam conversionem ; et quod sacerdos elevatus per characterem ad eundem effectum, et eodem modo non concurrat. Sicut enim ubi calamus concurrit physice ad scripturam, concurrit etiam physice manus calamum movens, ut in nobis hæc scribentibus contingit : sic etiam oportet, quod sacerdos, et verba sacerdotis eodem modo ad prædictam conversionem concurrant. Sed verba concurrunt physice, ut Suarius concedit : ergo idem de sacerdote dicendum est. Interest tamen discriminis, quod sacerdos est instrumentum permanens, unde influit per characterem permanentem in ipso : sed verba sunt instrumentum transiens, quare elevantur virtute cum eisdem transeunti. Quam doctrinam et differentiam optime tradidit D. Tho. in 4, dist. 8, q. 2, art. 3, ubi relata opinione, quod conversio panis in corpus Christi fiat sola virtute divina, et non virtute verborum consecrationis, subdidit : « Sed hæc opinio dignitati « sacramentorum novæ legis derogat, et « dictis Sanctorum obviare videtur. Et ideo « dicendum est, quod in verbis prædictis, « sicut et in aliis formis sacramentorum est « aliqua virtus ex Deo : sed hæc virtus non « est qualitas habens esse completum in na- « tura, qualis est virtus principalis agentis « secundum formam suam ; sed habet esse « incompletum, sicut virtus, quæ est in « instrumentis etc. » Contra quam resolutionem (quam Suarius nobiscum admittit) opponit S. Doctor : « Verba ista non faciunt « conversionem prædictam, nisi a sacer- « dote dicta : sed sacerdotis anima magis « est capax virtutis alicujus divinæ, quam « verba prolata ab ipso : ergo magis dicen- « dum est, quod hæc virtus in sacerdote « sit quam in verbis ; si tamen aliqua vir- « tus creata ad transubstantiationem ope- « ratur, » ut statuit in corp. articuli. Sed respondet egregie : « Ad nonum dicendum. « quod quando aliquod opus perficitur plu- « ribus instrumentis, virtus instrumenta- « lis non est complete in uno, sed incom- « plete in utroque, sicut manu, et penna « scribitur. Et similiter contingit in pro- « posito : quia virtus instrumentalis ad « faciendum prædictam conversionem, « non tantum est in verbo, vel in sacer- « dote, sed in utroque incomplete : quia nec « sacerdos sine verbo, nec verbum sine « sacerdote conficere potest. Et quia sacer- « dos est similior principali agenti, quam « verbum : quia gerit ejus figuram : ideo « simpliciter loquendo, sua virtus instru- « mentalis est major, et dignior : unde « etiam permanet, et ad multos hujusmodi « effectus se habet : virtus autem verbi « transit, et ad semel tantum est. Sed se- « cundum quid est potentior virtus verbi, « in quantum effectui propinquior quasi « signum ipsius : sicut etiam penna est « scripturæ propinquior, sed manus scri- « benti. » Hæc omnia Sanctus Doctor. Ex quibus facile constat nullam majorem occurrere repugnantiam in eo, quod sacerdos per characterem concurrat physice ad prædictam conversionem quam in eo, quod verba prædicto modo concurrant, ut in præsenti supponimus ex dictis loc. cit. Si autem res ita se habet, consequens est characterem saltem sacerdotalem importare potestatem physicam ad effectus sibi correspondentes. Eadem autem ratio militat in aliis characteribus, ut important potentiam activam respectu effectuum, vel operationum sibi correspondentium.

Nota Tho.

35. Sed veniamus ad characterem, ut importat potentiam passivam : quam difficilius apparet physicam esse, aut explicari posse. Est tamen, et explicatur : etenim character baptismi vere, et physice constituit hominem receptivum aliorum sacramentorum, characterum, et gratiarum sacramentalium : ergo character baptismalis est quædam potentia passiva physica respectu talium effectuum. Consequentia patet. Et antecedens suadetur : quia homo sine charactere baptismi non est vere, et physice capax suscipiendi proxime prædictos effectus (licet enim Deus de potentia absoluta valeat illos producere, non tamen secundum providentiam ordinariam, et attentis naturis prædictorum effectuum, et characterum) : sed posito charactere baptismali fit homo vere, et physice subjectum proxime capax ad suscipiendum hujusmodi effectus: ergo character baptismi vere, et physice constituit hominem receptivum aliorum sacramentorum, characterum, et gratiarum sacramentalium. Si autem dicant Recentiores, quod hominem esse proxime susceptivum sacramentorum, et aliorum effec-

Promovetur idem discursus.

Præcluduntur effugia.

tuum est mera denominatio extrinseca, et quod non postulat physicam capacitatem ; refellendi omnino sunt juxta doctrinam traditam dub. præced. quoniam character non est denominatio extrinseca, nec ens rationis, nec ens præcise morale ; sed est vere aliquid physicum, et animæ inhærens: omne autem quod est hujusmodi, et in subjecto recipitur, postulat in eodem subjecto capacitatem ejusdem ordinis, id est, physicam. Et sic procedit præmissus discursus: nam homo sine charactere baptismi non est proxime capax suscipiendi physice v. g. characteres confirmationis, et ordinis : sed per characterem baptismi fit proxime potens ad suscipiendum prædictum effectum: ergo character baptismi dat physicam capacitatem, sive potentiam passivam : quod minime verificaretur, nisi ille esset talis potentia. Et si rursus dicant non posse habere rationem potentiæ passivæ physicæ, cum ipse character baptismi non recipiat in se alios characteres, vel gratias sacramentales, vel sacramenta; urgentiori adhuc ratione rejici debent : innituntur namque falso fundamento, nempe omnem potentiam passivam debere recipere in se effectum, ad quem præstat proximam capacitatem. Oppositum enim facile constat tum in anima rationali, quæ dat corpori physicam, et proximam capacitatem ad suscipiendum potentias vitales sensitivas : quæ tamen non recipiuntur in anima, sed in corpore. Teneritudo etiam ceræ, aut alterius materiæ dat illi capacitatem physicam proximam suscipiendi figuram sigilli : et propterea Philosoph. cap. *de qualitate* teneritudinem, sive mollitiem constituit potentiam passivam sub secunda qualitatis specie : et tamen figura non recipitur in teneritudine, sed in quantitate. Ergo ex eo, quod character baptismi non recipiat in se alios characteres, aut gratias sacramentales : minime sequitur talem characterem non esse potentiam passivam physicam, et non constituere hominem physice capacem proxime ad suscipiendum tales effectus.

[Obj]ectio. 36. Opponit tamen Suarez : nihil physicum est in matrimonio, quod est sacramentum, quod non sit etiam in matrimonio, quod non est sacramentum, utputa infidelium : ergo matrimonium, quod est sacramentum, nullam supponit, aut poscit potentiam passivam, quam non supponat, et petat matrimonium, quod non est sacramentum: sed manifestum est istud ultimum non supponere, nec poscere characterem : ergo licet in primo concurrat, ac desideretur character, non tamen ut præstans ullam potentiam physicam, sed solam potestatem moralem ex ordinatione divina.

Sed mirum est virum doctum hæc opponere, in quibus et veritati, et sibi haud obscure contradicit. Nam matrimonium, quod est sacramentum, tam ex parte principii, quam ex parte effectus, quin et in se ipso importat aliquid physicum, quod minime requiritur, aut reperitur in matrimonio, quod non est sacramentum. Etenim ex parte contrahentium, qui sunt talis sacramenti ministri, supponit necessario characterem : si enim characterem non habeant, quamvis in gratia existant, aliaque habeant requisita, sacramentum tamen Matrimonii nullo modo conficiunt : character autem quid physicum est, ut statuimus dub. præced. Præterea Matrimonium ex parte effectus importat gratiam sacramentalem, et specialem, quæ minime producitur in aliis matrimoniis, quantumvis sancte, et religiose celebrentur : gratia autem sacramentalis aliquid reale, intrinsecum et physicum addit supra gratiam communem, ut ostendimus disp. præced. dub. 9. Denique ipsum sacramentum matrimonii in se importat aliquid physicum aliis Matrimoniis, quæ non sunt sacramenta, minime commune, nempe esse vere, et proprie productivum gratiæ, ut fides docet, et ostendimus disp. cit. dub. 1, quin et esse physice productivum gratiæ, ut ibidem statuimus dub. 4. et Suarez nobiscum docet. Habet itaque Matrimonium, quod est sacramentum, plures rationes physicas, quibus caret matrimonium, quod non est sacramentum. Quare objectio resolutionem nostram confirmat, si regeratur in opponentem : nam matrimonium, quod est sacramentum, importat aliquid physicum diversum ab omni physico, quod reperitur in matrimonio, quod non est sacramentum: ergo matrimonium, quod est sacrumentum, exigit majorem, aut diversam capacitatem physicam ex parte illud suscipientium : sed hanc capacitatem præstat character baptismi : ergo hujusmodi character præstat se ipso aliquam potentiam physicam. Vel sub alia forma: si character baptismi non daret aliquam capacitatem physicam ad matrimonium, quod est sacramentum ; hujusmodi

Responsio.

modi matrimonium nihil amplius physice importaret, quam matrimonium celebratum a non habentibus characterem : consequens est absurdum, ut proxime ostendimus : ergo et antecedens : atque ideo fateri oportet characterem baptismi communicare aliquam physicam capacitatem, sive potentiam passivam. Hæc itaque confundere non satis nostrorum sacramentorum, et characterum congruit dignitati. Unde forte non immerito Contenson loco supra cit. cum vidisset Suarium palam recedere a D. Thom. ob illa argumenta, quæ, ut vidimus in fine num. 33, repræsentat indissolubilia, hoc temperamentum adjecit : « Eruditi Theologi pace « dixerim, quantam quantam eorum ar- « gumentorum difficultatem, ex christiano- « rum characterum dignitate, et majestate « haud satis attenta proficisci : de charac- « teribus enim illis tam divinis, nimis hu- « mane, et philosophice, nec ac illam eorum « tam sublimem, quam Sacri Doctores ef- « formarunt ideam, satis consentanee P. « Suarem disputasse. »

ota.

Ultima assertionis pars illustratur ex D. Tho.

37. Et hæc sufficientia apparent pro prima, et principali assertionis parte. Addidimus autem in secunda hanc potentiam, in qua consistit character, esse instrumentariam; per quod significamus non habere esse ens completum ad instar cujusdam naturæ, et subinde non collocari directe in genere, et specie qualitatis : sed habere esse incompletum per modum virtutis instrumentariæ, et fluentis, atque ideo solum reductive constitui in prædicamento, et specie. Et hæc pars constat sola explicatione terminorum, quam optime expendit Div. Thom. in hoc art. 2, quin opus sit alia addere. « Character, *inquit*, importat quan- « dam potentiam spiritualem, ordinatam « ad ea, quæ sunt divini cultus. Sciendum « tamen, quod hæc spiritualis potentia est « instrumentalis, sicut etiam supra dictum « est de virtute, quæ est in sacramentis. « Habere enim sacramenti characterem « competit ministris Dei : minister autem « habet se per modum instrumenti, ut « Philosophus dicit in 1 Polit. Et ideo sicut « virtus, quæ est in sacramentis, non est « in genere per se, sed per reductionem, « eo quod est quiddam fluens, et incomple- « tum : ita etiam character non proprie est « in genere, specie, sed reducitur ad se- « cundam speciem qualitatis. »

Duo autem videntur difficilia in his verbis, et discursu Div. Thomæ. Primum, quod dicat characterem non constitui in genere specie directe, sed solum reductive, quia est virtus instrumentaria. Nam calor ignis est virtus ejus instrumentaria ad producendum alterum ignem : et tamen prædictus calor non reductive, sed directe constituitur in secunda qualitatis specie. Ergo ex eo, quod character sit virtus instrumentaria, non recte intulit Div. Thom. suam conclusionem. Secundum, quod dicat characterem esse quiddam fluens : hoc enim minime cohæret cum eo, quod art. 5, affirmat characterem manere in anima indelebiliter : nam quod habet esse indelebile, non habet esse fluens, et per modum transeuntis, sed magis esse permanens, et valde fixum.

Objectio.

Alia.

Hæc tamen non obscure, et sine ulla contradictione explicantur. Nam ad primum respondetur, quod Div. Thom. minime asseruit, ut falso supponitur, omnem virtutem instrumentariam esse ens incompletum, et solum reductive constitui in genere, aut specie : sed asseruit virtutem, quæ est in sacramentis, esse hujusmodi, et similiter characterem ministrorum. Quæ duo sunt longe diversa. Nam quando aliquid est sola et pura virtus instrumentalis, habet esse præcise per modum viæ, et intentionis in ordine ad terminum : unde nec habet esse completum, nec constituitur directe, et per se in genere, vel specie. Sed contingit aliquid esse ita virtutem instrumentariam respectu unius, quod tamen est virtus principalis respectu alterius, et consequitur rei essentiam per modum proprietatis: unde talis virtus potest habere esse completum, atque ideo in genere, et specie collocari. Priori modo se habent virtutes sacramentorum, et characterum : sunt enim puræ virtutes instrumentariæ, et non consequuntur aliquam essentiam. Posteriori autem modo comparatur calor ignis : nam ita est virtus instrumentaria ad producendum substantiam, quod nihilominus est causa principalis alterius caloris secundum se; et consequitur naturam ignis per modum proprietatis. Ad secundum dicendum est omnem virtutem instrumentariam in quantum talem habere esse fluens, quatenus ordinatur ad aliud. Sed tamen cum hoc cohæret, quod talis virtus sit aliquid diuturnum, et immobiliter afficiens subjectum, ut patet in virtute elevante ignem inferni ad torquendum spiritus damnatos per totam æternitatem

Occurritur primæ.

Fit satis secundæ.

Et hoc modo character, licet sit virtus instrumentaria, et habens esse fluens, ut Div. Thom. docet in art. 2, inhæret tamen indelebiliter animæ, ut affirmat in 5. Et radicem hujus permanentiæ designat ibidem ad 1, his verbis : « Gratia est in anima sicut « quædam forma habens esse completum « in ea: character autem est in anima sicut « quædam virtus instrumentalis, ut supra « art. 2 dictum est. Forma autem completa « est in subjecto secundum conditionem « subjecti : et quia anima est mutabilis « secundum liberum arbitrium, quandiu est « in statu viæ; consequens est, quod gratia « insit animæ mutabiliter. Sed virtus ins- « trumentalis magis attenditur secundum « conditionem principalis agentis : et ideo « character indelebiliter inest animæ, non « propter sui perfectionem sed propter per- « fectionem sacerdotii Christi, a quo deriva- « tur character sicut quædam instrumen- « talis virtus. » Quæ doctrina magis constabit ex dicendis dub. 4.

ho.

§ V.

Argumenta contra principalem conclusionem, et eorum dilutio.

38. Contra ultimam, et præcipuam nostram assertionem pugnant omnes Auctores, quorum sententias exclusimus in præcedentibus conclusionibus : quamvis enim inter se dissideant, conveniunt tamen in oppugnando resolutionem Div. Thomæ, nempe characterem sacramentalem esse veram, ac physicam potentiam, constituique in secunda qualitatis specie. Pro quibus arguitur primo : quoniam character non est aliqua potestas spiritualis : ergo non est vera potentia, nec in secunda specie qualitatis constitui debet. Consequentia patet. Et antecedens ostenditur : nam signum potestatis non est ipsa potestas, sed ab ea distinguitur sicut signum a signato : et ideo corona, vel sceptrum, quæ significant potestatem regiam, non sunt regia potestas, sed illam præsupponunt, et repræsentant : atqui character sacramentalis est signum spiritualis potestatis, sicut character mancipii est signum servitutis : et ideo Concilium Tridentinum loco cit. num. 12, characterem appellat *signum spirituale, et indelebile* : ergo sacramentalis character non est aliqua potestas spiritualis.

Respondetur negando antecedens : character enim sacramentalis est forma er, et intransitive spiritualis potestas ad ctus sibi correspondentes, ut in superioribus ostendimus. Antecedentis autem probatione ita convincitur Vazq. loco sup. cit. ut dixerit characterem sacerdotis non esse potestatem consecrandi, et absolvendi, sed signum ejus potestatis. Quod durissimum, et absurdissimum apparet : quoniam si spiritualis potestas sacerdotis ad prædictos effectus non consistit in charactere, sed charactere significatur; inquirimus, in quonam alio consistit? Non in aliquo characterem consequente : quia posito charactere, et omni alio consequente sublato, sacerdos valide consecraret; haberet itaque potestatem consecrandi. Nec in aliquo characterem antecedente : quia alias antecedenter ad characterem sacerdotii haberet homo potestatem consecrandi, et valide consecraret; quod est hæreticum. Nec denique in aliquo characterem concomitante : tum quia nullum habemus in Conciliis, et Patribus fundamentum ad introducendum illud : tum quia, ut proxime dicebamus, posito sacerdotii charactere, et aliis circumscriptis fit valide consecratio. Falsum itaque omnino est, et absurdum dicere, quod character sacerdotii non sit spiritualis potestas, sed merum signum illius. Et idem intelligi debet de cæteris characteribus in ordine ad actus sibi correspondentes. Quare ad prædictam probationem dicendum est characterem non esse proprie loquendo signum spiritualis potestatis, sed potestatem ipsam. Nec Concilium Tridentinum oppositum ullo modo significavit : solum enim dixit characterem esse *signum spirituale* : quod habet per habitudinem ad alias res, quas repræsentat. Et prædictam repræsentationem, præsertim in ordine ad potestatem, non habet per se, sed quatenus substat suæ causæ, nempe sacramento externo, quod prædictæ potestatis communicationem significat, ut optime tradidit D. Thom. in præs. art. 1 ad 2, et fusius in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 1 ad 2, ubi totam oppositam probationem cum exemplis eidem insertis diluit dicendo : « Cum qualibet potestate exterius datur aliquod visibile « signum illius potestatis : sicut Regi in « signum regiæ potestatis datur corona, et « sceptrum; et Pontifici mitra, et baculus, « et annulus. Et similiter cum spirituali « potestate, quæ in sacramentis confertur, datur

Solutio.

Refellitur Vazquez.

D. Tho.

« datur signum sacramentale exterius. Et « per comparationem ad illud exterius « signum ipsa spiritualis potentia dicitur « signum, in quantum homo per eam con- « figuratur, et determinatur ad actiones « spirituales. »

39. Arguitur secundo: quoniam si sacramentalis character esset vera potentia, et constitueretur in secunda qualitatis specie; foret utique potentia naturalis, et consequeretur aliquam naturam per modum proprietatis illius : consequens est falsum : ergo et antecedens. Falsitas consequentis ostenditur : nam in primis character est aliquid supernaturale, ut ejus finis satis demonstrat : ergo non est potentia naturalis. Deinde character ad nullam naturam sequitur : non quidem ad naturam animæ; cum aliquid supernaturale sit : nec ad naturam gratiæ sanctificantis ; cum possit sine illa esse, et infundi : nequit igitur ad ullam naturam comparari ad instar proprietatis illius. Sequela vero probatur : quia omnis qualitas, quæ in secunda specie constituitur, est qualitas *naturalis*, et alicui essentiæ *connaturalis :* unde Aristoteles prædictam speciem appellat *naturalem potentiam, vel impotentiam :* et omnia exempla, quæ ipse Philosophus affert, pertinent ad potentias entitative naturales, et consequentes naturaliter aliquam essentiam, cui insunt : unde idem calor, qui in igne est potentia, quia est eidem nativus, in aqua non gerit munus potentiæ, quia non est illi connaturalis. Si ergo character constituitur in prædicta secunda specie ; liquido infertur characterem et esse potentiam naturalem, et esse proprietatem alicujus naturæ. Ita Vazquez disp. cit. num. 68.

Confirmatur : quia omnis vera potentia physica constituit subjectum causam principalem effectuum tali potentiæ correspondentium, ut potest ostendi inductive in omnibus naturis, quæ agunt per potentias physicas sibi inhærentes ; sed character non constituit ministros causas principales effectuum, qui characteri respondent : absurdum enim esset dicere sacerdotem esse causam principalem conversionis panis in corpus Christi, et sic de aliis : ergo signum est characterem non esse veram, et physicam potentiam.

Ad argumentum respondetur negando sequelam, cujus falsitatem recte demonstrant insertæ argumento probationes. Ad probationem autem sequelæ respondetur Aristotelem solum cognovisse naturalia : unde merito dixit secundam qualitatis speciem esse naturalem potentiam, aut impotentiam, et conformiter ad descriptionem hujusmodi proposuit exempla mere naturalia : non enim altiora illi occurrebant. Sed quia in ordine supernaturali reperimus qualitates aliquas, in quibus communis illa ratio secundæ speciei qualitatis salvatur ; propterea tales qualitates in prædicta specie collocamus. Et hujusmodi sunt characteres sacramentales, ut supra ostendimus. Sicut etiam Philosophus pro explicanda prima qualitatis specie solum posuit exempla in dispositionibus, et habitibus naturalibus : et tamen Adversarii non negant habitus supernaturalis ordinis, quin et characteres, in prædicta specie constitui. Quam responsionem tradit D. Thom. loco cit. ex 4 sent. in solut. ad 2, his verbis : D. Tho.
« Character reducitur ad secundam speciem qualitatis. Et est alius modus ab « illo, quem Philosophus ibi ponit : quia « Philosophus non cognoscebat nisi operationes naturales ; et ita non nisi poten- « tias naturales. Constat autem, quod apud « nos oportet ponere potentias spirituales, « sicut potentiam conficiendi, et absolven- « di, et hujusmodi : et quod ad secundam « speciem qualitatis reducantur. Sicut ha- « bitus infusi in eadem specie qualitatis « sunt cum habitibus naturalibus, vel ac- « quisitis. » Unde etiam excluditur illud, quod in hoc argumento additur de potentia, quæ debeat esse proprietas alicujus naturæ: nam id solum verificatur de potentia, quæ est accidens completum, et convenit naturæ ab intrinseco. Sed character est virtus incompleta, et instrumentalis, conveniens animæ ex participatione, et influentia agentis superioris, ut tradit D. Tho. art. 2, in corp. Et conformiter ad hanc doctrinam addit art. 4 ad 2, « quod essentia animæ « est subjectum dotentiæ naturalis, quæ ex « principiis essentiæ procedit. Talis autem « potentia non est character : sed est quæ- « dam spiritualis potentia, ab extrinseco « adveniens. » Idem.

Et hinc facile constat ad confirmationem: nam major solum verificatur in potentia completa, quæ procedit a principiis essentiæ. Character autem non est hujusmodi, cum sit virtus incompleta, et instrumentaria, et ab extrinseco proveniens, ut sæ- Evertitur confirmatio.

pius diximus. Quæ omnia queunt facile explicari exemplo aliarum virtutum instrumentalium, quibus Deus utitur, sicut est virtus elevans sacramenta ad producendum gratiam, et virtus elevans ignem inferni ad torquendum spiritus : constituuntur enim in specie potentiæ, quin inde sequatur, quod sint accidentia nativa, vel proprietates alicujus essentiæ, vel quod constituant agens principale. Idem itaque in nostro casu dicendum est.

Replica. 40. Nec momenti erit, si contra principalem partem hujus responsionis opponatur D. Thomam, et nos minus consequenter procedere. Exclusimus enim characterem a prima, tertia, et quarta qualitatis specie, quia diffinitiones harum specierum a Philosopho assignatæ, et exempla, quibus illas declarat, non conveniunt characteri : sed id ipsum contingit in secunda specie qualitatis ; siquidem recognoscimus Aristotelem solum cognovisse, et diffinivisse potentias naturales : ergo vel character non debet constitui in secunda specie qualitatis ; vel motivum, quo illum exclusimus ab aliis speciebus, nihil evincit.

Solutio. Id, inquam, nihil valet, sed diluitur omittendo præmissas, et negando consequentiam. Nam licet Philosophus non cognoverit qualitates supernaturales secundum proprias earum rationes ; cognovit tamen qualitates naturales non solum secundum proprias species, sed etiam secundum communem, et genericam rationem, et hoc modo illas diffinivit. Prædicta autem communis, et generica ratio illarum qualitatis specierum (quæ subalternæ sunt), salvatur formaliter in qualitatibus supernaturalibus, ut patet in diffinitione habitus ab Aristotele tradita, quæ convenit pluribus qualitatibus non solum naturalibus, sed et supernaturalibus, nempe omnibus habitibus proprie dictis. Et idem proportionabiliter contingit in genere relationis : nam diffinitio a Philosopho tradita convenit relationibus tam naturalibus, quam supernaturalibus, quin et divinis. Immo diffinitio generationis viventium ab Aristotele tradita vere, et proprie adaptatur æternæ generationi, ut Theologi communiter exponunt. Cum igitur diffinitiones qualitatum pertinentium ad primam, et tertiam, et quartam speciem, traditæ a Philosopho minime congruant characteri ; merito character relegatur ab illis. E contra vero ratio, sive diffinitio secundæ speciei, nempe dare posse absolute, illi convenit : et propterea rationabiliter collocatur in tali specie. Ubi observandum est (et sic tacitam objectionem præoccupamus), quod qualitatibus tertiæ, et quartæ speciei convenit esse corporeas non per accidens, sed per se, et ex propria ratione : unde character, qui est qualitas spiritualis, nequit ad prædictas species pertinere. Sed esse naturalem non convenit per se potentiæ, sive secundæ speciei qualitatis, sed per accidens, sive extra propriam rationem, quæ salvatur in dare posse absolute : et ideo licet character supernaturalis sit, in eadem secunda specie cum aliis qualitatibus sive potentiis naturalibus constituitur. Nota.

41. Arguitur tertio : quonia n character solum est potestas moralis : ergo non est potentia physica. Consequentia patet. Et antecedens probatur, et declaratur exemplo characteris ordinis : nam hujusmodi character in simplici sacerdote non præstat potestatem ad conferendum valide sacramentum confirmationis : et tamen accedente dispensatione Pontificis, dat hujusmodi potestatem : ergo signum est prædictum characterem solum esse potestatem moralem. Patet consequentia : quia dispensatio Pontificis non dat potentiam physicam, nec illam immutat, sed ad summum deservit ad potestatem moralem. Tertium argumentum.

Confirmatur : quia si sacramentalis character esset vera potentia physica, sive dans simpliciter posse ; debuisset esse in Christo, qui de se dicit Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra* : sed character sacramentalis non fuit in Christo : ergo sacramentalis character non est vera potentia dans posse simpliciter. Confirmatio. Matth. ult.

Ad argumentum respondetur negando antecedens. Et ad probationem omittendo præmissas, negamus consequentiam : quia non est inconveniens, quod causa, et potentia physica, ut expedite exerceat suam operationem, dependeat ab aliqua alia causa, vel conditione morali. Quare licet simplex sacerdos habeat characterem, qui est potentia physica sufficiens in suo ordine, ut sacerdos simplex tanquam minister extraordinarius conferat valide sacramentum confirmationis : nihilominus quia est potestas ministri extraordinarii, eo ipso dependet a dispensatione Pontificis, qui prædictum sacerdotem ministrum extraordinarium Diluitur argumentum.

rium assignet. Et ideo quamvis assignatio, et dispensatio sit quid morale ; potestas tamen characteris potest esse, et est aliquid physicum. Nec hanc doctrinam potest negare Suarius qui nobiscum sentit sacramenta novæ legis esse causas physicas gratiæ : et tamen ut physice influant, sæpe dependent ab aliquibus conditionibus, aut requisitis moralibus. Sic enim ut absolutio sacerdotis conferat gratiam justificantem, exigit, quod sacerdos habeat potestatem moralem jurisdictionis. Sic enim sacramentum confirmationis confert physice gratiam : et nihilominus exposcit ex parte materiæ aliquam conditionem moralem, nempe oleum esse benedictum ab Episcopo, qui nihil physicum illi imprimit, sed morale. Et idem a fortiori constat in matrimonio, quod a pluribus conditionibus moralibus in sui valore dependet, ut ex se liquet. Si ergo quod character sacerdotis ad aliquem actum extraordinarium, qualis in argumento describitur, dependeat a conditione morali dispensationis Pontificis, minime probat talem characterem non esse potentiam physicam, aut physice non influere in illum met effectum, pro quo requiritur dispensatio. Et eandem doctrinam promovere possumus contra Vazquium, et alios, qui negant sacramenta esse causas physicas. Nam etsi negent, tamen salva fide negare non possunt sacramenta esse causas veras, et reales gratiæ sanctificantis, ut constat ex dictis disp. præced. dub. 1 ; dicunt autem illi esse causas reales, et veras, non quidem physicas, sed morales. Quo supposito, eorum argumentum eliditur, atque in ipsos retorquetur : quia non magis repugnat potentiam physicam dependere aliquando in suo exercitio ab aliqua conditione morali, quam quod vera causa realis dependeat in suo exercitio ab aliqua conditione non reali, sed rationis ; siquidem manifestum est non minus distare inter se ens reale, et ens rationis, quam esse physicum, et morale. Sed licet sacramenta nostra sint veræ causæ reales gratiæ per eadem productæ, dependent ab aliquo rationis, nempe a significatione verborum, quibus prædicta sacramenta perficiuntur. Ergo non est inconveniens, quod quamvis character sacerdotis sit potentia physica, dependeat tamen in suo aliquo exercitio a dispensatione Pontificis, vel ab alia conditione morali. Quod amplius liquet in eodem charactere, qui concedentibus ipsis Adversariis est vera potestas realis moralis ad consecrandum, et absolvendum : et tamen ut consecret, et absolvat dependet ab aliquo non reali, sed rationis, videlicet a significatione verborum consecrationis, et absolutionis. Sic ergo licet sit potentia physica, ut nos affirmamus, potest in aliquibus actibus dependere ab aliqua conditione morali.

Ad confirmationem negamus sequelam. Tum quia licet character sit aliqua potestas physica, est tamen quid incompletum, et diminutum per modum virtutis instrumentariæ, ut D. Thom. docet art. 2, et quædam participatio sacerdotii Christi ab ipso derivata : unde non decuit characterem esse in Christo, sed aliam potestatem longe majorem. Tum etiam quia signari charactere pertinet ad oves, milites, et ministros : et sic congruit Christianis, qui sumus oves, milites, et ministri Christi ; sed non convenit ei, qui est noster pastor, dux, et princeps. In illo autem testimonio Matthæi sermo est de alia potestate longe digniori, et separata ab hujusmodi imperfectionibus. Et certe confirmatio, si quid valeret, eodem modo applicari posset potentiæ morali, quam Adversarii non negant, sicut potentiæ physicæ, quam nos asserimus. Occurritur confirmationi.

42. Arguitur quarto (descendendo ab hoc loco ad considerationem characterum in particulari, et expendendo, quæ contra D. Thomam opposuit Suarez), quoniam si character baptismi importaret aliquam potentiam physicam, maxime passivam, seu receptivam : sed hanc non importat : ergo character baptismi non est potentia physica, nec in secunda specie qualitatis constituit debet. Probatur minor : quia omnis physica potentia passiva dicitur in ordine ad aliquem actum, quem in se recipiat : sed nihil est assignabile, quod recipiatur in charactere baptismi : ergo prædictus character non importat aliquam potentiam physicam passivam, seu receptivam. Minor hujus syllogismi secundi, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam in primis sacramenta non recipiuntur in charactere baptismi ; siquidem illa corporea sunt, et recipiuntur in corpore ; character vero est spiritualis, et soli animæ inhærens. Deinde gratia non recipitur in prædicto charactere : tum quia eadem gratiæ entitas potest recipi in Cathecumenis independenter a Quartum argumentum.

charactere baptismi : tum quia juxta sententiam D. Thomæ gratia est in substantia animæ, character autem baptismi inhæret intellectui. Denique alii characteres confirmationis, et ordinis non recipiuntur in tali charactere : quoniam licet illum supponant; tamen hæc suppositio solum provenit ab extrinseca Dei ordinatione, non autem ex natura rerum : sicut enim anima recipit immediate characterem baptismi; sic etiam recipere immediate posset cæteros characteres. Nihil ergo est assignabile, quod recipiatur in charactere baptismi, ut iste possit habere rationem potentiæ physicæ, passivæ, seu receptivæ.

Solutio. Huic argumento respondetur omittendo majorem, et negando minorem, in hoc tamen sensu, quod sicut in genere causæ efficientis datur efficiens proprie, et rigorose agens, nempe causa principalis ; et datur præterea efficiens non proprie, et rigorose agens, sed secundum quid, videlicet causa instrumentalis : sic etiam in genere causæ receptivæ, seu passivæ datur potentia vere, et proprie receptiva actus, vel formæ ; et ulterius datur potentia receptiva non rigorose, sed secundum quid, et minus proprie, quæ scilicet non tam recipit in se formam, quam aptat subjectum rigorosum, ut recipiat. Quæ distinctio exemplis infra proponendis magis declarabitur. Et in hoc sensu negamus minorem cum Div. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 3, ubi ait : « Sicut in naturalibus est potentia activa, et potentia naturalis passiva; ita « etiam in spiritualibus est potentia spiri« tualis quasi passiva, per quam homo « efficitur susceptivus spiritualium actio« num. Et talis spiritualis potentia confer« tur in baptismo : quia non baptizatus « effectus aliorum sacramentorum susci« pere non posset; et per consequens nec « aliis tradere. » Ad minoris autem probationem respondemus vel negando universaliter majorem ; vel illam distinguendo, atque admittendo in potentia, quæ proprie, et rigorose est receptiva : sed negari debet, si applicetur omni potentiæ passivæ, et receptivæ, quæ non est talis simpliciter, sed aliquo modo, et minus proprie, quatenus aptat subjectum ad recipiendum. Et quia character baptismi est hujusmodi, propterea omittendo minorem, negamus absolute consequentiam. Et fundamentum responsionis est : quoniam ad hoc, ut aliquid sit, et dicatur potentia passiva saltem minus proprie, et rigorose atque in secunda specie qualitatis constituatur ; minime requiritur, quod in se recipiat actum, vel formam, respectu cujus dicitur potentia passiva : sufficit, quod subjectum rigorose receptivum coaptet ad recipiendum actum, vel formam. Idque constat exemplis : etenim teneritudo, aut mollities v. g. ceræ (quam ad secundam qualitatis speciem pertinere docet Aristoteles *in Prædicam.* cap. *de qualitate* est potentia passiva ad recipiendum figuram sigilli : non quia illam in se recipiat; sed quia ceram capacem facit ad illam recipiendam : nequit enim prædicta forma imprimi ceræ induratæ, quamvis in ea conservari valeat. Similiter gravitas terræ est potentia passiva ad recipiendum motum deorsum, ut explicat D. Thom. 5, *Metaph.* lect. 14, non quia motus recipiatur rigorose in gravitate, sed quia gravitas coaptat terram ad illum motum. Plures etiam satis probabiliter dicunt quandam esse in animalibus potentiam ad motum localem : quæ tamen non est activa, sed passiva : nec passiva dicitur, quia in se recipiat motum, sed « quia per eam « membra redduntur habilia ad obedien« dum appetitui, » ut loquitur D. Thom. 1, p. quæst. 75, art. 3 ad 3. Unde liquet maximam illam a Suario assumptam (nempe omnem potentiam passivam, quæ ponitur in secunda qualitatis specie, debere recipere actum, cujus respectu dicitur potentia passiva), non esse universaliter veram, sed in ea universalitate esse falsam determinate. Quare concesso, quod character baptismi non recipiat in se illos effectus, ad quos hominem aptat ; minime sequitur non esse veram potentiam passivam, et receptivam, licet minus proprie, aut non constitui in secunda specie qualitatis.

Aristot. D. Tho. Idem.

Eliduntur inserta argumento. Unde opus non erat singulis illius minoris probationibus occurrere : sed tamen majoris claritatis gratia occurremus, notando incidenter aliqua falso in eisdem supposita. Ad primam constat ex immediate dictis non semper actum recipi in qualitate, quæ dicitur potentia passiva : et ideo nihil refert, quod character baptismi sit in uno subjecto, et quod sacramenta recipiantur in alio : semper enim verificatur hominem non esse aptum ad recipiendum sacramenta in corpore, nisi habeat characterem in anima. Et addimus sacramenta

ita

ita recipi in corpore, quod nihilominus habent virtutem physicam commutandi animam per gratiam : quare egent ex parte animæ potentia passiva, quæ est per characterem baptismi. Ad secundam respondetur eodem modo. Sed addendum est falso in ea supponi, quod Cathecumenus habeat eandem capacitatem ad gratiam, quam habet baptizatus. Hic enim potest recipere gratiam sacramentalem aliorum sacramentorum, quam minime potest recipere proxime Cathecumenus : et prædicta gratia sacramentalis addit aliquid physicum, et intrinsecum supra gratiam communem, ut disput. præced. dub. 9, explicuimus. Ad tertiam dici satis probabiliter potest characterem baptismi non solum aptare hominem ad alios characteres, sed esse etiam susceptivum *quo* illorum, ipsosque immediate recipere in se : nihil enim grave occurrit, ut id negemus. Et inde multum roboratur nostra assertio, et debilitantur impetus Adversariorum : nam ut aliquid sit potentia passiva, sufficit si recipiat in se aliquem actum, licet non recipiat omnes alios, ad quos aptat : quare si character baptismi recipit in se alios characteres, est profecto potentia passiva. Quod vero in hac probatione dicitur, hanc scilicet characterum subordinationem, et dependentiam esse ex dispositione extrinseca Dei, fatemur ita quidem esse, et posse Deum de potentia absoluta aliter disponere : sed tamen de facto aliter contingit, et prædicta subordinatio congruit naturis rerum : unde non tollit a charactere baptismi esse potentiam physicam passivam, sive receptivam cæterorum characterum. Nec oppositum intendet Suarez consequenter agendo : quia negari nequit Deum potuisse disponere, quod gratia nobis daretur omnino independenter a sacramentis : et nihilominus nobiscum affirmat sacramenta nostra esse de facto physicas gratiæ causas : quia scilicet Deus exterius providendo dat his rebus, quidquid requiritur, ut physice concurrant vel agendo, vel patiendo.

43. Nec refert, si contra præmissam doctrinam opponas primo : nam ex illa sequitur quantitatem debere dici potentiam passivam, quia est ratio recipiendi accidentia in toto composito : atque ideo quantitas collocabitur in secunda specie qualitatis : quod est omnino ridiculum. Secundo, si character baptismi non habet recipere in se effectus supra relatos, sed præcise aptare subjectum, ut eos recipiat; erit utique dispositio quædam : atque immerito collocabitur in secunda qualitatis specie, quæ est naturalis potentia, sed congruentius constituitur in prima, quæ est habitus, et dispositio. Tertio, si character baptismi solum est potentia recipiendi, magis deberet dici impotentia, quam potentia : illæ namque qualitates vocantur impotentia naturalis, quæ non resistunt, sed facile cedunt. Quarto, nam potentia mere passiva non constituitur in secunda qualitatis specie; alias capacitas corporis ad suscipiendum accidentia in prædicta specie collocaretur; quod est falsum, et contra Philosophum cap. *de qualitate:* ergo per hoc, quod character baptismi sit potentia, aut det potentiam ad effectus supra relatos; non sequitur, quod constituatur in secunda qualitatis specie, sed magis infertur oppositum.

Non, inquam, referunt istæ objectiunculæ, quas majori ex parte Vazquez proponit. Ad primam respondetur eo tendere, ut quæstionem faciat de vocibus : quam vitabimus attendendo, quod quantitas solum est ratio recipiendi accidentia corporea extendendo substantiam : sed potentia receptiva, aut passiva, quæ constituitur in secunda qualitatis specie, ex una parte non limitatur ad sola accidentia corporea, sed extenditur etiam ad spiritualia : et ex alia parte non concurrit quocumque modo ad recipiendum, sed qualificando, modificando et aptando subjectum, ut constituatur in potentia proxima recipiendi : et ideo talis species olim appellabatur *aptitudo*, ut optime observat Cajetanus. Unde liquet diversitas hujus potentiæ a quantitate, et quod quantitas nullo modo participet formalem ejus conceptum, ut vel per somnium queat in specie qualitatis constitui. Secunda etiam objectio quæstionem revocat ad voces : sed dispellitur advertendo, quod licet qualitates primæ, et secundæ speciei aptent subjectum : nihilominus priores conferunt aptitudinem ad se habere, vel agere bene, vel male : sed posteriores communicant aptitudinem ad posse recipere, et agere absolute, et præcisive ab illis modis, ut supra diximus num. 21. Et quia character baptismi aptat subjectum non primo, sed ultimo modo; ideo non collocatur in prima specie qualitatis, sed in secunda. Tertia

Dispelluntur.

præterea objectio non minus pertinet ad voces. Tum quia valde probabile est potentiam, et impotentiam non distingui essentialiter, sed sicut perfectum, et imperfectum : quo modo comparantur potentia visiva juvenis, et potentia visiva senis: unde non multum refert, quod character dicatur potentia, vel impotentia, si rem ipsam teneamus, nempe characterem in secunda specie qualitatis constitui. Tum etiam quia membra dividentia participant sicut rationem, sic etiam et nomen divisi : secunda autem species qualitatis est potentia in communi, quæ dividitur deinde in naturalem potentiam, et impotentiam : quare in quolibet istorum membrorum dividentium collocetur character, merito potentia vocatur. Ad quartam constat ex dictis ad primam : nam proprius effectus secundæ speciei qualitatis non est constituere subjectum capax formæ utcumque, sed illud modificando, et aptando, ut sit in potentia proxime absolute. Quare passiva aptitudo corporis ad omnia accidentia non est potentia pertinens ad secundam speciem qualitatis; bene autem potentia passiva, sive aptitudo per characterem, ut in ea responsione explicuimus.

Quintum argumentum.

44. Arguitur quinto : quia character confirmationis nec est potentia activa, nec passiva : ergo nullo modo est potentia, quæ constituatur in secunda qualitatis specie. Probatur antecedens : nam in primis si esset potentia passiva, maxime respectu characteris ordinis : atqui respectu illius non habet rationem potentiæ passivæ ; siquidem character ordinis potest absolute recipi in homine non confirmato : ergo prædictus character non est potentia passiva, seu receptiva. Deinde si esset potentia activa, maxime ad confitendum, et defendendum fidem : sed non ita res se habet; cum ea confessio, et defensio fieri queat per gratiam, virtutes, et auxilia independenter a charactere : ergo talis character non est potentia activa. Et si dicantur nec characterem ordinis recipi, nec confessionem fidei fieri ita congruenter sine confirmationis charactere; inde sequitur talem characterem non requiri ad simpliciter, sed ad facilius, et melius ; et subinde non esse potentiam, sed habitum : quia potentia dat posse simpliciter, habitus autem facilius, et melius agere.

Respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem dicendum est characterem confirmationis posse dici potentiam passivam : quia aptat subjectum ad plura suscipienda, quæ in non confirmatis non recipiuntur, utputa ad suscipiendum gratiam sacramentalem, quæ est effectus sacramenti Confirmationis, et ad recipiendum auxilia, quæ confirmatis specialiter debentur, et denique ad sustinendum injurias, et labores pro defensione fidei. Et horum receptio sufficit, ut prædictus character dicatur potentia passiva : quidquid fuerit de charactere ordinis : nam ut supra jam diximus, necessarium non est, quod potentia passiva recipiat omnes actus : sed sufficit, si vel unum, vel aliquos recipiat. Sed quia in charactere confirmationis magis proprium est esse potentiam activam, quam passivam, ideo principalius ad alteram probationis partem respondendum est, et dicendum characterem ordinis esse potentiam activam ad actus confessionis, et defensionis fidei, non utcumque consideratos, aut secundum illam rationem, quæ correspondent virtutibus; sed quatenus important specialem modum, nempe fieri ex officio, et per modum exercitii correspondentis consignatis Christi militibus : quo pacto nequeunt sine charactere fieri. Unde patet characterem confirmationis præstare posse absolute ad prædictos actus sic sumptos, et non communicare præcise posse facilius. Quam solutionem docet D. Thom. tum in 4, dist. 7, quæst. 2, artic. 1, quæstiunc. 3, ad 1, dicens, quod in casu necessitatis etiam non confirmati profitentur, et defendunt fidem: *sed non ex officio characteris*. Tum infra quæst. 72, artic. 5 ad 2, ubi ait : « Dicendum, quod omnia sacra-« menta sunt quædam fidei protestationes. « Sicut igitur baptizatus accipit potestatem « spiritualem ad protestandum fidem per « susceptionem aliorum sacramentorum : « ita confirmatus accipit potestatem pu-« blice fidem Christi verbis profitendi quasi « ex officio. » Et quamvis tam officium, quam aliquid fieri ex officio videantur præcise denominationes morales desumptæ ab extrinseca ordinatione, et ita in humanis contingat; nihilominus in his, quæ versamus, important aliquid physicum : quia characteres sunt aliquid physicum animæ impressum, ut § 1, ostendimus contra Durandum. Quare sicut hominem consignari in specialem militem Christi charactere

Solvi[tur]

D. [Thom.]

tere confirmationis, non est denominatio extrinseca, aut præcise moralis, sed importat aliquid physicum: sic etiam profiteri, et defendere fidem ex officio militis Christi specialiter ad id consignati importat ex parte actus aliquam rationem formalem, secundum quam confessio fidei non correspondet virtutibus; sed petit speciale illud principium, nempe confirmationis characterem, quo homo miles Christi consignatur, et operatur ut ejus minister.

Non desunt autem, qui sustineant responsionem inter arguendum insinuatam, nempe confessionem, et defensionem fidei fortius fieri ab homine confirmato, quam a non confirmato, licet hic habeat gratiam, et virtutes: debentur etiam homini confirmato specialiora auxilia ex vi sacramenti, atque characteris, ut cum majori vigore fidem susceptam tueatur: et pro hujusmodi actu ponitur confirmationis character specialis quædam potentia. Nec contra hanc responsionem urget, quod in argumento opponitur: nam primaria, et essentialis inter potentiam, et habitum differentia non stat in eo, quod habitus præstet operari melius, fortius, aut facilius, et in eo, quod potentia præstet operari absolute, præscindendo a majori in operando vigore, et facilitate: nam sicut aliqui habitus dantur, et requiruntur ad operandum non solum melius, sed absolute, ut patet in habitibus supernaturalibus; sic aliqua potentia, videlicet per modum virtutis instrumentariæ potest dari et concurrere ad operationem non absolute, et secundum speciem acceptam, ut fit cum modo majoris vigoris, et facilitatis. Sed prædicta primaria essentialis differentia stat in diversitate supra assignata, quod habitus determinat ad operandum bene, vel male in propria materia: potentia autem respicit operationem absolute, sive præscindendo ab his modis, et determinationibus ad bonitatem, vel defectum. Unde character confirmationis distinguitur ab omni habitu virtutis concurrente ad confessionem, et defensionem fidei: quia habitus virtutis, v. g. fidei, aut fortitudinis respicit actum prædictæ confessionis, ut determinate fit bene moraliter: sed character respicit prædictum actum absolute, et abstrahendo a modo rectitudinis moralis. Unde quod ad actum sic consideratum præstet majorem vigorem, et efficaciam, minime illum constituit in propria ratione habitus, nec extrahit a conceptu potentiæ per modum virtutis instrumentariæ.

45. Arguitur sexto probando characterem ordinis non esse potentiam, et subinde non debere constitui in secunda specie qualitatis. Et quidem non esse potentiam passivam potest ostendi omnibus mediis, quæ pro aliis characteribus expendimus in duobus argumentis præcedentibus. Sed quod non sit potentia activa respectu alicujus effectus, suadetur per comparationem ad omnes effectus, qui assignari valent: sunt autem hujusmodi effectus vel alia sacramenta, vel gratia a sacramentis producta, vel conversio panis in corpus Christi. Et in primis character ordinis non concurrit active ad alia sacramenta: tum quia nulli ordinis characteres usque ad Diaconatum inclusive conficiunt aliquod sacramentum. Tum quia si sacramenta sumantur materialiter pro rebus, quibus constant, sufficienter fiunt, et applicantur per membra externa absque alterius virtutis spiritualis concursu: si autem accipiantur formaliter quantum ad significationem, qua ultimo constituuntur; hæc significatio est ens rationis, quæ proinde nequit terminare influxum alicujus virtutis realis. Character igitur ordinis non habet esse realem potentiam, aut realiter influere per respectum ad sacramenta. Deinde nec id habet per ordinem ad gratiam in sacramentis productam: hæc enim non fit a sacerdote per characterem, sed per sacramenta, quæ ministrat; unde videmus eundem esse effectum baptismi, sive conferatur a laico, sive a sacerdote. Esto tamen, quod character sacerdotalis elevaretur, aut elevari posset ad efficiendum physice gratiam in sacramentis, quæ sacerdos ministrat; id tamen minime sufficeret, ut prædictus character diceretur potentia activa ad talem effectum: nam omnes mundi res habent capacitatem, sive potentiam obedientialem ad hujusmodi elevationem, quin propterea sint, aut dicantur potentiæ activæ ad producendum gratiam. Denique non habere rationem potentiæ activæ per respectum ad transubstantiationem ostenditur: quoniam transubstantiatio hujusmodi est insigne quoddam miraculum: sed repugnat dari qualitatem permanentem operativam miraculorum, ut agentes de potentia animæ Christi statuimus Tractat. præcedent. disp. 23, dub. 6, a num. 64; ergo character sa-

Sextum argumentum.

cerdotalis (qui est, ut supponitur, qualitas permanens), nequit habere rationem potentiæ activæ respectu transubstantiationis.

Responsio. Hujus tamen argumenti difficultatem debilem jam fecerunt responsiones præcedentium. Et quod attinet ad negationem (quam immerito supponit), potentiæ passivæ; distinguendum est inter alios ordinis characteres, et characterem ultimum, et supremum sacerdotii, quod est principale horum characterum membrum. Et fateri oportet characterem sacerdotii non esse potentiam passivam respectu aliorum characterum; sed magis eorum finem; cum ipse non ordinetur ad alios, sed isti ad illum. Potest tamen dici potentia passiva comparative ad gratiam sacramentalem, propriam ordinis sacerdotii. Cæteri autem characteres sunt potentia passiva non solum respectu gratiæ sacramentalis singulis ordinibus correspondentis; sed etiam respectu subsequentium characterum: quia priores aptant subjectum pro subsequentibus, ita quod posteriores non imprimuntur connaturaliter, nisi suppositis primis, et dependenter ab eis: quod sufficit, ut antecedentes habeant rationem potentiæ passivæ respectu subsequentium.

Continuatur. 46. Sed descendendo ad conceptum potentiæ activæ, quam ut excludat, dirigitur specialiter argumentum; singulæ ejus partes diluendæ sunt. Et characterem sacerdotalem esse principium physice activum docet præter Thomistas, et Auctores supra relatos Dicastillo tract. 1, disp. 1, dub. 16, n. 471. (Dicastillo.) Ad primum ergo dicendum est characterem sacerdotalem concurrere active ad sacramenta, quæ sacerdos ex officio conficit. Et ad oppositam probationem respondemus, quod licet actiones, aut res, quibus constant sacramenta, sint quid sensibile; nihilominus præter hoc habent ex institutione divina esse aliquid sacramentale, et sortiri vim ad immutandum animam: secundum quam rationem superant facultatem tam membrorum externorum, quam totius naturæ: quare ut attingantur secundum prædictam rationem, potest concurrere potentia activa superioris ordinis, nempe character sacerdotalis. Sicut in solutione argumenti præcedentis diximus characterem confirmationis esse potentiam activam ad externam fidei confessionem, non secundum se acceptam, sed ut factam tali modo, atque ex officio. De aliis autem inferioribus ordinis characteribus non idem affirmamus: quia ad alios ministros sacerdote inferiores non pertinet conficere sacramenta ex officio. Posset tamen dici prædictos characteres in sacerdote concurrere ad conficiendum sacramenta, saltem mediate, et cum subordinatione ad principalem characterem sacerdotii. Secunda facile dispellitur: nam sacerdos communicat gratiam non solum per sacramenta, sed etiam per characterem: et tam sacramenta, quam character se habent causaliter, et influxive ad effectus tamquam instrumenta subordinata, sicut conparantur calamus, et manus ad scribendum. Quamvis autem eadem gratia conferatur a laico baptizante, et a sacerdote baptizante; tamen non confertur eodem modo: quia sacerdos agit ex officio, et per characterem; unde non solum applicat sacramentum causativum gratiæ, sed illam etiam causat per characterem: laicus autem nec characterem habet, nec ex officio agit: quare gratiam non causat, sed applicat præcise sacramentum, quod causat illam. Ad id vero, quod in hac probatione additur, respondemus characterem sacerdotis non comparari ad hujusmodi effectus tanquam rem mere elevabilem, sed tanquam ipsam elevationem, et virtutem instrumentariam, cui ex suppositione debetur concursus principalis agentis. Hoc autem modo minime se habent omnes res mundi, ut ex se liquet. Unde ex eo, quod aliæ res non dicantur potentia activa ad effectus divinæ virtutis; non sequitur munus, et nomen potentiæ debere characteri denegari: sed magis infertur oppositum.

Extenditur. Et hinc ad tertiam probationem patet idem dicendum esse de concursu characteris ad miraculum transubstantiationis, quod diximus de concursu ad gratiam, quæ est sacramentorum effectus. Et ad impugnationem hujus partis respondemus illam doctrinam verissimam esse, ut loco cit. ostendimus; sed applicandam esse qualitati completæ, et in ordine ad omnia miracula; non autem qualitati incompletæ adhuc in linea virtutis instrumentariæ, et quæ compleri debet per novum Dei concursum. Character autem sacerdotalis hoc tantum posteriori modo habet esse virtutem instrumentariam ad miraculum transubstantiationis: quare optime cum ejus conditione cohæret habere esse permanenter. Videantur

tur specialiter, quæ diximus loco cit. toto § 2, et præsertim n. 71. Hæc sunt vel omnia, vel graviora, quæ opponunt Adversarii; atqui ex non obscura eorum solutione constat minime habere illam indissolubilitatem, quæ Suarez relatus num. 33, rationibus a se excogitatis detulit, ut palam D. Thomam impugnaverit. Liquet ulterius, quam alte sentiat opinio Thomistica de charactere Christiano, et quam plures veros, et reales effectus illi attribuat; cum tamen apud Adversarios vix, aut nullo modo explicari valeat, ad quid character deserviat, quemve effectum formalem physicum inducat, ut expendimus num. 32, in fine.

DUBIUM III.

Quodnam sit subjectum immediatum characteris sacramentalis?

Cognita magna ex parte characteris conditione, ad perfectiorem ejus notitiam oportet examinare, in quo subjecto recipiatur. Est autem difficultas de subjecto *quo*, et immediato: nam recipi simpliciter in homine sicut in subjecto *quod* citra controversiam supponitur. Sed sunt in homine plura, de quibus dubitari potest, utrum sint subjectum *quo* characteris, nempe corpus, sive compositum ex anima, et materia cum suis potentiis sensitivis, et corporalibus: anima secundum essentiam, sive quantum ad substantiam considerata: et præterea spirituales animæ potentiæ, intellectus scilicet, et voluntas. Ne autem circa non necessaria hæreamus, supponimus animam secundum substantiam distingui realiter a suis potentiis immediate operativis, ut docent communiter Thomistæ cum aliis pluribus, et ostendunt N. Complut. *abbrev. in Physic.* disp. 10, quæst. 2. Nihilominus nec locus omnino, ut quidam falso existimant huic quæst. præcluderetur facta contraria suppositione: quia adhuc posita reali identitate, daretur distinctio virtualis, seu formalis tam inter animam, et ejus potentias, quam inter potentias ipsas: et sic dubitari posset, an character recipiatur in illa entitate, ut formaliter est substantia, an vero ut est potentia operativa, et secundum quam potentiæ rationem. Quod facile declaratur tum in divinis, tum in humanis. In illis quidem, quia non obstante identitate reali intellectus, et voluntatis cum natura divina, dicimus processiones non esse actus naturæ, sed potentiarum; et Verbum procedere non per voluntatem, sed per intellectum; et Spiritum Sanctum procedere non per intellectum, sed voluntatem. In humanis etiam, quia licet intellectus speculativus, et intellectus practicus non sint potentiæ realiter diversæ: nihilominus quidam habitus intellectivi pertinent ad intellectum speculativum, et non ad practicum, alii autem spectant ad practicum, et non ad speculativum. Quia scilicet in omnibus prædictis, licet adsit realis identitas, occurrit tamen simul formalis, aut virtualis distinctio, quæ locum dat præmissæ distributioni. Et in hoc etiam sensu posset procedere præsens difficultas, ut manifestant exempla proposita, et facile consideranti constabit. Tractabimus tamen illam juxta frequentiorem, ac veriorem suppositionem distinctionis realis inter prædicta: sic enim congruentiorem locum habet, et facilius intelligitur. Sed qui voluerit procedere juxta suppositionem oppositam, nullo fere negotio resolutionem proportionabiliter applicabit. Punctum controversiæ.

§ I.

Sententia Thomistica aliquibus assertionibus explicatur.

47. Dicendum est primo characterem sacramentalem non recipi in corpore, nec in potentiis corporeis. Sic docent communiter omnes Theologi contra Durandum, ut superfluum sit eos recensere. Et aliqui notant oppositam sententiam esse hæreticam, aut erroneam; nec prorsus immerito censent, ut motivum statim proponendum evincit. Est autem hujusmodi: nam Concilium Florentinum relatum num. 1, statuit esse tria sacramenta « quæ characterem, id « est, spirituale quoddam signum imprimunt indelebile in anima. » Et Concilium Tridentinum ibidem etiam relatum diffinivit tria sacramenta « imprimere charac- « terem in anima, hoc est, signum quod- « dam spirituale, et indelebile. » In quarum diffinitionum singulis fere verbis stant efficacia pro communi assertione motiva: nam quod recipitur in anima, non recipitur in corpore, seu composito: sed de fide est characterem imprimi in anima, ut præmissa Concilia decernunt: ergo cha- Prima conclusio. Fundamentum

racter non recipitur in corpore, seu composito. Deinde signum spirituale non signat corpus, sed animam : character autem juxta præmissas diffinitiones est quoddam signum spirituale. Denique omnis nota, aut sigillatio corpori impressa potest per naturam, vel artem deleri: Concilia vero docent characterem esse signum indelebile: ergo ex sententia Conciliorum character non imprimitur, nec recipitur in corpore, sed in sola anima.

Alia ratio. Accedit etiam ratio Theologica destruens oppositum fundamentum : nam ideo character sacramentalis deberet recipi immediate non in anima, sed in corpore; quia prædictus character ordinatur ad aliquos actus externos, qui membris corporalibus exercentur, utputa ad ministrandum sacramenta, ad confessionem fidei, et alios ejusmodi : hoc autem motivum id non probat, sed magis oppositum; ergo character sacramentalis non recipitur in corpore, sed in anima. Probatur minor : tum quia non omnis actus, sive exercitium characteris exercetur membris corporalibus; siquidem coaptatio ad gratiam sacramentalem, ejusque receptio in sola anima fit : et tamen prædicta coaptatio, et receptio pertinent ad characterem sacramentalem, ut dub. præced. explicuimus. Tum etiam et præcipue, nam quod aliqui actus characteris sint externi, minime sufficit ad hoc, ut character in corpore constituatur : fides namque Theologica habet aliquam operationem externam, nempe confessionem; et tamen fides non est in corpore, sed in anima. Artes etiam tam liberales, quam mechanicæ resident non in corpore, sed in anima : et tamen animæ hærentes dirigunt manus, aliaque membra corporis ad operationes externas. Idem itaque de charactere dicendum est. Et ratio est proportionabiliter eadem : quoniam sicut habitus practici sive scientiæ, sive artis sunt principaliter propter opus operatum ; et nihilominus non debent esse in potentia exequente, aut in membris motis, sed in potentia superiori, et ad opus dirigente : ita character, quamvis ordinetur ad aliquid externum, quod membris corporalibus exercetur, ut sunt administrationes, et susceptiones sacramentorum; non ideo debet constitui in membris externis, sed magis in anima : quia externum illud exercitium debet regi, et dirigi per internam, et spiritualem actionem, quæ virtute characteris valeat inducere sacramentales, atque exteriores effectus.

48. Dicendum est secundo characterem non recipi immediate in essentia, sive substantia animæ, sed in aliqua ejus potentia. Secunda conclusionis pars evidenter sequitur ex prima, quin ad illam suadendam opus habeamus alia probatione. Utramque autem docet Div. Thom. in præs. art. 4, his verbis : « Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subjecto in essentia animæ, sed in ejus potentia. » Et idem statuit in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 3. Unde sic docent unanimiter Thomistæ, Capreolus, Cajetanus, et Sotus, quos refert, et sequitur Arauxo dub. 3, Petrus de Ledesma cap. 5, *de sacramentis in genere*, concl. 3, Nugnus art. 4, difficul. 1, Cabrera disp. 1, Joannes a S. Thom. dub. unico, Gonet. disp. 4, art. 3, concl. 1, Labat disp. 1, dub. 6, § 3, Prado dub. 4, concl. 1, N. Franciscus tract. 1, cap. 5, dub. 7, N. Philippus disp. 6, dub 4, et alii plures. Idem etiam tuentur B. Albertus in 4, dist. 4, quæst. 2, Div. Bonaventura distin. 6, articul. 1, quæst. 3, Richardus distint. 2, articul. 2, quæst. 2, Scotus distint. 6, quæst. 11, Alensis 4 part. quæst. 8, memb. 8, articul. 1, § 3, Sayrus lib. 4, cap. 4, quæst 1, art. 2, Valencia in hac quæst. puncto 4, Granados tract. 4, disput. 5, num. 6, Salas tom. 1, in 1, 2, tract. 2, disput. 8, sect. 3, Henriquez lib. 2, cap. 17, num. 3, Villalobos tract. 4, difficult. 9, Ludovicus de S. Joanne quæst. 3, art. 1, dub. 3, concl. 2, Martinus de S. Joseph. tract. 2, num. 11, Trullench lib. 1, praxis cap. 4, dub. 5, Leander tract. 1, disp. 3, quæst. 20, et alii plures.

Secunda conclusio. D. Tho. Capreo Cajetan Soto. Araux Ledesm Nugnu Cabrer Jo. a S. Thom Gonet Labat Prado N. Fra N. Phi B. Alb D. Bo Scotu Alensis Sayru Valen Grana Sala Enri Villal Trull Lean

Ratio fundamentalis. Probatur ratione desumpta ex Div. Thom. in locis supra relatis : quoniam vis proxime operativa non recipitur immediate in substantia, vel essentia animæ: sed character est quædam vis spiritualis operativa eorum, quæ pertinent ad cultum Dei in professione Christianæ religionis, ut satis constat ex dictis dub. præcedenti: ergo character non recipitur in substantia,

stantia, vel essentia animæ. Probatur major: quoniam vis proxime operativa debet immediate recipi in potentia immediate operativa; siquidem illam vel elevat, vel adjuvat, vel confortat, vel determinat ad agendum: sed anima secundum suam substantiam, vel essentiam non est potentia immediate operativa, siquidem substantia, aut essentia animæ non ordinatur per se primo ad operari, sed ad esse: ergo virtus proxime operativa non recipitur immediate in essentia, aut substantia animæ. Quo discursu communiter probatur habitus, virtutes, dona, et auxilia non recipi in substantia animæ, sed in potentiis. Eandem autem efficaciam habet applicatus characteri ex suppositione, quod sit quædam vis spiritualis proxime operativa. Potest autem magis explicari in hunc modum: nam id, quod in ordine supernaturali habet rationem naturæ, recipitur immediate in substantia animæ: ergo id, quod in ordine supernaturali habet rationem potentiæ, debet recipi immediate non in animæ substantia, sed in ejus potentia: quippe ita comparatur potentia ad potentiam, sicut natura ad naturam: atqui character est quædam potentia spiritualis, et ad speciem potentiæ spectans, ut ostendimus dub. præced. ergo character non in substantia animæ, sed in ejus potentia recipitur immediate.

Objectio. 49. Nec refert, si dicas hoc discursu magis probari oppositum: quia licet habitus, auxilia, et alia hujusmodi principia proxime operativa recipiantur immediate in potentiis; tamen potentiæ ipsæ immediate recipiuntur in substantia animæ, ut patet in intellectu, et voluntate. Quare cum character non se habeat per modum habitus, sed per modum potentiæ; ex hoc ipso convincitur, quod non recipitur in potentia, sed in animæ substantia. Nam, non inquam, hoc satisfacit: quia licet potentiæ naturales recipiantur immediate in substantia animæ, ut quæ non supponunt aliud susceptivum immediatius; sed naturali necessitate sequantur prædictam substantiam tanquam ejus proprietates: nihilominus id, quod in ordine supernaturali habet rationem potentiæ, exigit oppositum ob oppositam rationem: quia scilicet supponit naturales animæ potentias, quas elevat, aut determinat ad agendum supra id, quod naturaliter possunt: et ideo non in substantia animæ, sed in ejus potentia recipi debet. Quam differantiam eleganter tradidit D. Thom. in præs. art. 4 ad 2, his verbis: « Dicendum, quod essentia animæ est subjectum potentiæ naturalis, quæ ex principiis essentiæ procedit. Talis autem potentia non est character: sed est quædam spiritualis potentia, ab extrinseco adveniens. Unde sicut essentia animæ, per quam est naturaliter vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit: ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Habitus enim, et dispositio pertinent ad potentiam animæ: eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiæ sunt principia. Et eadem ratione omne, quod ad actum ordinatur, est potentiæ tribuendum. » Et characterem ita ordinari constat ex dictis.

(Margin: Evertitur. — D. Tho.)

Evasio. Nec iterum refert, si dicas præmissum discursum ad summum procedere in potentiis, aut virtutibus operativis, quæ sunt physice tales, secus vero si præcise habeant esse tales moraliter: potestas enim moralis licet adventitia potest immediate communicari animæ, illamque denominare potentem. Character autem non est potentia physica, sed moralis. Id, inquam, minime satisfacit, sed refellitur dupliciter. Primo, quia character est vera potentia physica, et propterea non in alio genere, aut specie constituitur, quam in secunda specie qualitatis collocatur: quod hic merito supponendum est ob doctrinam dub. præced. traditam. Secundo, quia esto, character sit sola potestas moralis; tamen hæc ipsa potentia moralis ordinatur suapte nature ad hunc finem, quod homo exerceat congruenter pertinentia ad divinum cultum, præsertim in susceptione, vel collatione sacramentorum: atqui hujusmodi exercitium non fit immediate per substantiam animæ, sed pertinet ad animæ potentias, ut ex se liquet: ergo multo magis consentaneum est characterem recipi in potentiis, quam in animæ substantia. Patet consequentia: quia anima secundum substantiam ordinatur immediate ad esse, et per potentias, aut secundum potentias ordinatur immediate ad operari: ergo quæcumque ad operandum pertinent, longe melius recipiuntur in animæ potentiis, quam in animæ substantia. Nec id consequenter negare possunt Adversarii, qui sicut di-

(Margin: Confutatur.)

cunt characterem esse potestatem moralem operandi, sic etiam docent dari plura auxilia non influentia physice, sed tantum moraliter: et tamen ista non collocant immediate in anima, sed in potentiis operativis: ergo minus recte aliter docent de charactere ex eo, quod sit potestas non physica, sed moralis.

Nec tandem refert, si dicatur propositum a nobis discursum ad summum probare in characteribus confirmationis, et ordinis, secus in charactere baptismi: quoniam licet duo illi sint aliqua potentia activa physica, vel saltem potestas moralis; character tamen baptismi non est hujusmodi, sed solum præstat capacitatem, vel potentiam passivam pro sacramentis, vel aliis ad cultum Christianæ religionis pertinentibus. Id, inquam, non diruit generalem vim motivi a nobis propositi, sed facile evertitur: tum quia character baptismalis non est mera potentia, aut capacitas passiva, sed importat etiam activam virtutem, præsertim ad eliciendum actus sub ratione dispositionis congruæ ad suscipiendum cætera sacramenta; quamvis enim non insignitus eo charactere queat omnes illos actus secundum speciem elicere, non tamen secundum quod ad sacramenta disponunt: et ideo in eliciendo prædictos actus cum hujusmodi congruentia, et virtualitate emicat vis baptismalis characteris, ut supra diximus n. 32. Tum etiam, et præcipue, quantum ad præsens refert, quoniam licet character baptismalis non sit potentia activa; est tamen potentia receptiva aliorum characterum confirmationis, et ordinis: ergo debet cum illis recipi in eodem subjecto: sed duo illi characteres non recipiuntur immediate in substantia animæ cum sint potentiæ operativæ, ut hoc effugium recognoscit, et supponit: ergo character baptismi non recipitur immediate in animæ substantia.

Tertia conclusio D. Tho. 50. Dicendum est tertio characterem sacramentalem recipi immediate in solo intellectu. Ita D. Thom. in præs. art. 4 ad 3, ubi ait: « Character ordinatur ad ea, « quæ sunt divini cultus: qui quidem est « quædam fidei protestatio per exteriora « signa. Et ideo oportet, quod character sit « in cognitiva potentia animæ, in qua est « fides. » Constat autem fidem in solo intellectu immediate recipi. Unde sic unanimiter docent Thomistæ, quin et omnes fere Auctores num. 48 relati, paucis exceptis, ut constabit n. 58. Probatur ratione jam tradita a D. Th. in verbis relatis: nam character sacramentalis ordinatur ad Dei cultum consistentem in protestatione fidei per externa ejusdem fidei signa: ergo debet esse in eadem potentia, in qua est fides: hæc autem est in solo intellectu: ergo oportet, quod character sacramentalis in solo intellectu immediate recipiatur. Qui discursus supponit (et sic tacitam objectionem præoccupamus) characterem ordinari ad cultum Dei, non quidem sub determinatione ut bene moraliter fiat, quo pacto magis pertinet ad religionem, quam ad fidem; sed absolute ut fit independenter a determinatione rectitudinis, sicut in peccatoribus non habentibus virtutem religionis sæpe contingit, secundum quam rationem non religioni, sed fidei correspondet. Omnia enim, quibus dub. præced. § 3 et 4, ostendimus characterem non esse in specie habitus, sed potentiæ probant characterem ordinari ad cultum Dei non sub determinatione bonitatis moralis, sed absolute consideratum. Ratio D. Tho. Nota.

51. Probatur secundo eadem assertio: quoniam character sacramentalis est quædam potentia executiva instrumentalis dirigens, et movens potentias externas ad operationes, in quibus consistit divinus cultus, præsertim quantum ad susceptionem et administrationem sacramentorum: quare character et debet esse participatio potentiæ executivæ Dei, et recipi in potentia executiva animæ. Potentia autem executiva Dei pertinet formaliter ad intellectum ejus practicum, ut statuimus tractat. 3, disp. 5, a num. 43; potentia etiam executiva animæ, et cujusvis substantiæ spiritualis creatæ consistit formaliter, atque in recto in ejus intellectu practico, ut ex ibidem dictis satis constat. Ergo character sacramentalis debet recipi in intellectu. Et sicut ad potentiam executivam Dei in ejus intellectu practico consistentem pertinet exequi efficaciter opus externum: sic ad characterem spectat exequi actiones sacras externas, elevando scilicet intellectum practicum, et concurrendo simul cum illo ad executionem, et directionem prædictarum operationum. In quo sensu D. Dionysius cap. 2, *de Ecclesiastica hierach.* dixit « characterem esse lumen « divinum, illuminans nos, et configurans « Christo: » quia videlicet perficit intellectum practicum ut efficiat operationes Alia ratio. D. Dionys.

pertinentes

pertinentes ad cultum Dei, et quantum ad hoc nos Christo facit consimiles.

Confirmatio. Confirmatur, et explicatur amplius : quia illa potentia debet essse subjectum recipiens immediate characterem sacramentalem, quæ adjuta charactere dirigit, ac movet cæteras potentias ad actiones pertinentes ad cultum Dei : sed hujusmodi potentia est intellectus sub munere practici; siquidem ad intellectum sub hoc munere spectat, quod per actum imperii moveat, et dirigat alias potentias ad opus : ergo subjectum immediatum characteris est intellectus. Major suadetur : nam cum character ordinetur ad cultum Dei secundum ritum Christianæ religionis, consistentem principaliter in susceptionibus, et administrationibus sacramentorum; in illa potentia debet immediate recipi, quæ habet vim imperandi, dirigendi, atque movendi alias potentias : ergo hæc potentia est subjectum recipiens immediate characterem. Unde facile intelligitur characterem baptismi recipi in intellectu practico, communicando ejus imperio efficaciam, ut alias potentias moveat ad validam receptionem cæterorum sacramentorum. Similiter character confirmationis recipitur in intellectu practico, dando ipsi efficaciam, ut imperet, inferatque in aliis potentiis actum confessionis externæ, sive defensionem fidei contra tyrannos. Denique character ordinis residet in intellectu practico conferendo illi vim, ut moveat alias potentias externas ad exequendum sacramenta ex officio, et ad convertendum panem in corpus Christi, et exercendum actiones hierarchicas.

Aliud motivum. 52. Ultimum nostræ assertionis fundamentum est : quoniam cum character sit verum aliquod accidens reale, ut dub. præced. ostendimus, debet alicui subjecto inhærere, atque in eo immediate recipi : sed non recipitur in corpore, ut in prima assertione statuimus contra Durand. ergo debet recipi in anima, sive parte spirituali : atqui non recipitur immediate in animæ essentia, sive substantia, ut contra Juniores proposuimus in secunda conclusione : ergo recipitur immediate in potentia animæ immediate operativa : ergo recipitur immediate in solo intellectu. Probatur hæc ultima consequentia : quia in anima non sunt aliæ potentiæ immediate operativæ, nisi intellectus, et voluntas. Quod autem character non recipiatur in voluntate ostenditur : nam qualitas recepta in voluntate determinat vel ad operandum præcise bene moraliter, vel ad operandum præcise male moraliter, ita ut non possit voluntas illa indifferenter operari : sicut nec ipsa voluntas libere unquam agit, quin necessario ex suppositione agat bene, vel male moraliter : atqui character minime determinat ad usum determinate malum, nec determinate bonum moraliter; sed comparatur per modum potentiæ physicæ dantis posse absolute, et præscindendo ab aliis determinationis modis : ergo character non recipitur immediate in voluntate. Qui discursus sicut probat characterem non recipi immediate in voluntate, sic etiam probat non recipi immediate simul in voluntate, atque intellectu, ut facile consideranti constabit. Restat igitur a sufficienti partium dinumeratione, quod character sacramentalis in solo intellectu immediate recipitur.

§ II.

Referuntur sententiæ contrariæ.

53. Contra primam conclusionem sentit Durandus in 4, dist. 4, quæst. 1, num. 9, satis aperte significans, quod character sacramentalis, et præsertim character ordinis, congruentius in membris exterioribus constituitur. Quod probat : nam virtus, quæ perficit hominem non quantum ad cognoscere, vel appetere, sed quantum ad operari, non debet recipi in potentia vel cognoscitiva, vel appetitiva, sed solum in potentia executiva : unde potentia factiva artificis, inquit ille, non est in potentiis internis, sed in artificis manibus : atqui character, si est virtus, perficit hominem non quantum ad cognoscere, vel appetere, sed quantum ad operari : quippe qui non est virtus intellectiva, sed quædam vis ad exequendum opera externa pertinentia ad cultum Dei, ut nos ipsi docemus : ergo character recipitur immediate in solis membris externis. Prima sententia contraria Durandus. Argumentum.

Sed hoc motivum convulsum relinquitur num. 47. Tum quia character est accidens spirituale, et indelebile, ut plane docent Concilia : hujusmodi autem accidens congruentius recipitur in spiritu, quam in corpore, ut ex se liquet; esto, non implicaret contradictionem, quod in corpore reciperetur, ut dicitur de virtute instrumen- Responsio.

taria sacramentorum. Tum etiam quia plures sunt virtutes activæ, quæ ordinantur ad opus externum, et nihilominus non recipiuntur in corpore, sed in anima, ut patet in omnibus artibus : sufficit enim, quod afficiant intellectum practicum, ut congrue dirigat ad externum opus, illudque imperet. Et hoc modo character est in anima. perficiendo videlicet intellectum, ut convenienter imperet, et concurrat ad opera externa pertinentia ad cultum Dei, præsertim in usu sacramentorum. Unde refellitur exemplum Durandi : nam ars non est in artificis manibus, sed in mente : et idem dicimus de charactere.

54. Contra secundam conclusionem sentiunt Marsilius in 4, dist. 4, quæst. 4, art. 1, Bellarminus lib. *de sacram.* cap. 19, concl. 4, Suarez disp. 11, sect. 4, Vazquez disp. 134, cap. 4, Lugo disp. 6, sect. 4, Bonac. disp. 1, quæst. 5, punct. 2, Aversa in hac quæst. sect. 3, Ochagavia quæst. 16, nu. 16, Dicastillo disp. 2, dub. 16, a n. 463, Hurtado disp. 3, difficult. 13, Becanus cap. 4, quæst. 3, et communiter Recentiores, qui docent characterem sacramentalem recipi immediate in substantia animæ : quamvis Dicastillo, et quidam alii ab hac regula excipiant ordinis characterem. Argumenta autem, quibus utuntur, *levissima* appellavit Prado dub. 4, num, 12. Et ita quidem nobis videntur, ut miremur, quod propter illa tam palam recesserint ab Angelico Doctore, sicut magis constabit ea diluendo. Nam Lugo, et quidam alii opponunt primo animæ substantiam, et potentias non distingui realiter : ergo impossibile est characterem esse in anima, et non recipi immediate in substantia illius. Sed quod nihil concludant ostendimus ab ipso dubii vestibulo ; tum quia anima, et ejus potentiæ distinguuntur realiter, ut docet verior, et frequentior Philosophia. Tum quia exclusa distinctione reali, adhuc maneret diversitas formalis, aut virtualis, ut nemo negat : quo supposito argumentum nimis materialiter procedit, probans præcise characterem recipi immediate in entitate, quæ identice est substantia, cum tamen nostra probent recipi in illa entitate, quatenus est formaliter potentia immediate operativa, et explicat munus istud. Sicut nihil plane concluderet, qui cum Adversariis arguerit : intellectus speculativus, et intellectus practicus non distinguuntur realiter : sed prudentia, et ars recipiuntur in intellectu practico : ergo pertinent formaliter ad intellectum speculativum, ut talis est. Quæ stupida foret illatio.

55. Arguit secundo Suarez speciali fundamento : quia signum manifestativum, et distinctivum debet constitui in parte notiori: sed character sacramentalis est quoddam signum manifestativum, et distinctivum : ergo debet esse in anima secundum partem notiorem : constat autem substantiam animæ esse notiorem, et priorem ejus potentiis : ergo character non est in potentia aliqua animæ, sed immediate in ejus essentia. Secundum argumentum.

Respondetur nihil in hoc argumento vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, atque illationis contineri, quod ruinosum non sit. Nam quod dicitur signum debere esse in parte notiori, non est universaliter verum, ut patet in signis ducum, et militum, quæ solent non in capite, aut fronte, sed vel in pectore, vel in manibus collocari. Quod additur animæ substantiam esse priorem, et notiorem ejus potentiis, nihil valet : quia licet substantia sit prior, aut notior secundum se, non tamen quoad nos: sunt enim potentiæ nobis notissimæ ratione suarum operationum ; cum tamen substantia lateat, ut experimento liquet : quare magis colligi debet characterem debere imprimi immediate potentiis tanquam rebus nobis notioribus. Porro illatio desumpta ab eo, quod character sit signum, straminea est, et ad pauca attendens : nam character non est merum signum, sed potentia quædam realis per modum virtutis incompletæ, et instrumentariæ: quare recipi debet in eo, quod immediate operatur : id autem non est animæ substantia, sed potentia, ut num. 48 arguebamus. Quare sicut ex eo, quod character sit signum, minime concluditur characterem debere collocari in genere relationis ; constituitur enim, vel Suario concedente, in genere qualitatis ; quia primarius ejus conceptus, sive effectus formalis non est significare, sed qualificare subjectum in se. Ita non meliori consequentia infert prædictus Auctor characterem debere recipi immediate in anima, quia signum est ; quoniam esse signum non convenit characteri primario, sed magis esse quandam potentiam, sive virtutem, ut dub. præcedenti explicuimus. Peccat itaque totum argumentum, dum procedit a dicto secundum Responsio.

secundum quid ad dictum simpliciter, sive a quadam ratione inadæquata ad totum, et principalem characteris conceptum.

rtium gu- ıtum. 56. Arguitur tertio : nam Concilia asserunt characterem imprimi in anima : sed anima proprie, et formaliter loquendo significat substantiam sive essentiam, non autem potentias : ergo ex mente Conciliorum character recipitur immediate non in animæ potentiis, sed in ejus substantia.

nfir- ıtio. Tho. Confirmatur : nam idem debet esse subjectum immediatum formæ, et dispositionis ad formam : sed D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 1 ad 5, affirmat, « quod character est dispositio ad gratiam per « quandam congruitatis dignitatem : » ergo cum gratia recipiatur immediate in substantia animæ, sequitur idem dicendum esse de charactere.

uitur gu- ntum. Ad argumentum respondetur, quod sicut absolute, et cum proprietate dicimus animam vivere, agere, et elicere operationes ; licet hæc non exequatur immediate per substantiam suam, sed mediantibus potentis sicut facultatibus proximis operandi : ita etiam absolute, et cum proprietate dicimus animam recipere aliquid, quamvis illud non recipiat immediate per suam substantiam, sed mediis potentiis, tanquam rationibus proximis recipiendi, ut patet in actibus vitalibus, qui non recipiuntur in anima immediate, sed mediantibus potentiis, per quas immediate fiunt. Unde licet character recipiatur in anima mediis potentiis, adhuc absolute, et cum proprietate dicitur in anima recipi, ut significant Concilia : quæ tamen id præcipue significare intendebant, quod sacramentalis character non est nota corporea, sed spirituale signum, et subinde ad partem spiritualem, sive ad animam spectans. Quomodo autem illi hæreat, an scilicet immediate, an vero mediis potentiis, non determinaverunt : sed reliquerunt Theologorum disputationibus.

lvitur onfir- oatio. Ad confirmationem respondemus characterem vere, et proprie, seu physice non esse dispositionem ad gratiam sanctificantem: potest enim character dari sine gratia, et e converso gratia, sine charactere. Sed tamen dici valet dispositio moralis, et ut loquitur D. Thom. *per quandam congruitatis dignitatem :* nam cum exercitium characteris sit cultus Dei, in susceptione, administratione sacramentorum, atque similibus, qui usus non ita religiose sit, nisi subjectum existat in gratia, congruum secundum *congruitatis dignitatem* est, quod character gratiam connotet, et secum afferat. Quolibet autem modo prædicta dispositio explicetur, necessarium non est, quod character, et gratia habeant idem immediatum subjectum : quia nec necessarium est, quod illud habeant dispositio, et forma, ut inductive potest ostendi tam in naturalibus, quam in supernaturalibus. Nam accidentia non recipiuntur immediate in materia prima, sed in composito : et tamen disponunt ad formam substantialem, quæ non in composito, sed in materia prima immediate recipiuntur. Contritio etiam, aut amor Dei non recipitur immediate in substantia animæ, sed in voluntate : et nihilominus disponunt ad gratiam sanctificantem, quæ non in voluntate, sed in substantia animæ immediate recipitur. Sic igitur licet character sit, aut dicatur dispositio ad gratiam, et hæc recipiatur immediate in substantia animæ ; minime sequitur, quod character in eadem substantia recipiatur immediate : sed receptus in potentia potest disponere ad immediatam gratiæ receptionem in substantia. Quæ responsio amplius confirmari valet ex optima, et generali doctrina Div. Thom. 1, 2, quæst. 74, art. 4 ad 3, ubi ait : D. Tho. « Dicendum, quod dispositio tripliciter se « habet ad id, ad quod disponit. Quandoque autem est in eodem, sed non « idem : sicut calor est dispositio ad formam ignis. Quandoque enim est idem, « et in eodem : sicut scientia inchoata dicitur esse dispositio ad scientiam perfectam. Quandoque vero nec est idem, nec « in eodem, sicut in his, quæ habent ordinem ad invicem : ut ex uno perveniatur « in aliud : sicut bonitas imaginationis est « dispositio ad scientiam, quæ est in intellectu. Et hoc modo veniale peccatum, quod « est in sensualitate, potest esse dispositio « ad peccatum mortale, quod est in ratione. » Et hoc etiam ultimo modo character, qui est in intellectu, potest esse dispositio ad gratiam, quæ est in animæ substantia.

57. Arguitur quarto : nam ea ratione Quartum argumentum. character deberet recipi immediate in potentia, quia est principium alicujus operationis : sed character nullius operationis est principium : ergo non debet recipi immediate in potentia operativa, sed in ani-

mæ substantia. Probatur minor : quia actus v. g. cantandi Evangelium, profitendi fidem, ministrandi sacramenta, et similes sufficienter revocantur sicut in principium ad fidem, religionem, et membra externa, quibus fiunt : ergo character sacramentalis nullius operationis principium est. Confirmatur : quia character, ut affirmamus, in solo intellectu immediate recipitur : ergo si esset principium alicujus operationis, foret utique alicujus cognitionis, et utique supernaturalis, cum ipse character supernaturalis sit : at non esse principium talis cognitionis ex eo liquet, quod omnis cognitio supernaturalis hujus status sufficienter revocatur in prudentiam, fidem, dona Spiritus Sancti, et alia lumina omnibus habentibus gratiam communia : ergo character non est principium alicujus operationis.

Confirmatio.

Occurritur argumento.

Ad argumentum negatur minor. Et ad ejus probationem constat ex dictis num. 44, et 46, quod licet illi actus entitative, vel quoad speciem accepti revocentur in alia principia ; nihilominus ut facti ex officio, et quatenus pertinent ad susceptionem, vel administrationem sacramentorum, supponunt characterem, quo homo sigillatur, et constituitur Dei minister in ordine ad prædictos actus. Unde hujusmodi actus, quatenus tales, procedunt imperative ab intellectu informato, et determinato per characterem. Ex quibus patet ad confirmationem : nam character non ponitur a nobis principium cognitionis speculativæ, sed practicæ, nempe illius imperii, quo intellectus movet alias potentias tam internas, quam externas ad actus eidem characteri correspondentes, ut sunt debita intentio in suscipiendo, et ministrando sacramenta, atque externa, ac legitima eorum administratio. Ad quod non oportet characterem afferre distinctam cognitionem ab ea, quæ convenit intellectui practico : sed sufficit, quod prædicto intellectui addat efficaciam, et specialem determinationem, ut imperet actus externos, pro quorum valore, aut modo ponitur character. Unde falsum est omnem cognitionem supernaturalem revocari sufficienter ad alia principia in confirmatione assignata : nam cognitio practica dirigens, et imperans legitimum usum sacramentorum vel in suscipiente vel in ministrante, et similiter confessio fidei ex officio petit procedere ab intellectu practico determinato per characterem : aliter enim nec intentio esset valida, nec usus legitimus.

Et confirmationi.

Aliæ opiniones contrariæ.

58. Contra tertiam assertionem sunt duæ sententiæ. Primo asserit characterem recipi immediate in sola voluntate. Ita ex Auctoribus num. 48 relatis Scotus, Villalobos, Ludovicus de S. Joanne, et Martinus de S. Joseph. Secunda docet characterem recipi immediate simul in intellectu, et voluntate. Sic ex Auctoribus ibidem relatis Alensis, et D. Bonaventura. Fundamentum prioris sententiæ est, quod character est signum obligationis animæ ad Deum : sed obligatio oritur per se primo ex voluntate : ergo character immediate in voluntate recipitur. Confirmat Scotus : quia character est dispositio ad gratiam : hæc autem recipitur immediate in voluntate ; cum gratia sit idem realiter cum charitate : ergo similiter character voluntati immediate inest. Probatur consequentia : nam dispositio debet esse in eodem subjecto cum forma, ad quam disponit. Fundamentum autem secundæ sententiæ stat in motivis Scoti proxime propositis, et in motivis nostris, adhibitis a num. 50; nam quædam probant characterem esse in intellectu, quædam vero esse in voluntate : ergo simul est in utraque potentia. Et confirmari potest ; nam per characterem configuramur Trinitati : imago autem Trinitatis in anima attenditur non solum secundum intellectum, sed etiam secundum voluntatem : ergo character imprimitur in utraque potentia.

Motiva.

Convelluntur.

Sed hæc parum urgent. Nam ad fundamentum prioris sententiæ respondetur obligationem, cujus signum dicitur character, non oriri ex actu voluntatis, cum hic sæpissime non interveniat in characteris impressione, ut patet in pueris : sed consequitur ex natura rei ipsum characterem acceptum : quare ex vi obligationis hujusmodi nullatenus colligi valet characterem debere esse in voluntate. Permisso autem, quod character esset signum obligationis ex voluntate ortæ ; nihil adhuc conficeretur : quia signum obligationis non oportet esse in eadem parte, aut potentia, ex qua oritur obligatio : sæpe namque contingit servitutem oriri ex voluntate ; et tamen signum obligationis serviendi non in voluntate ponitur, sed in corpore. Ad confirmationem omittendo præmissas, negamus consequentiam : quia non semper oportet dispositionem, et formam esse in eodem

eodem subjecto *quo*, et immediato, ut satis constat ex dictis num. 56, in resp. ad confirmationem.

Ex quibus corruit fundamentum secundæ sententiæ : nam cum character non sit in voluntate, ut proxime diximus, nequit afficere utramque potentiam. Et quod debeat esse in solo intellectu, constat ex dictis num. 50. Ad confirmationem dicendum est configurationem hominis ad Trinitatem per characterem stare in ea similitudine, vel analogia, quod sicut Trinitas agit ad extra per actum imperii formaliter immanentis et virtualiter transeuntis ; sic et character elevat, et determinat intellectum practicum ad imperium, quo inducat actus externos eidem characteri correspondentes. Addimus ex D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 2, quod « imago principaliter consistit in potentia cognitiva : quia ex memoria, et intelligentia oritur voluntas. Unde tota imago est in intellectiva parte sicut in radice. Et ideo omne, quod attribuitur homini ratione imaginis, principaliter respicit intellectivam, et ex consequenti affectivam. Et ideo quia character respicit imaginem, principaliter est in intellectiva parte. » Et in resp. ad 2, inquit : « Assimilatio in bonitate præcipue est ad Deum per voluntatem : sed assimilatio in esse, et posse magis est ex parte intellectus : quia ex hoc ipso, quod aliquid esse immateriale habet, intellectivum est, etc. Et ideo cum conformitas characteris respiciat spiritualem potestatem (*non autem bonitatem moralem operis ut dixerat in resp. ad* 1, magis convenit intellectivæ parti, quam affectivæ. » Quæ omnia consonant superius dictis dub. præced. § 3 et 4. D. Thom.

DUBIUM IV.

Utrum character sit in anima indelebiliter ?

Hactenus egimus de existentia, et essentia characteris sacramentalis : post quarum notitiam succedebat agere de ejus proprietatibus. Sed istæ haud obscure colliguntur ex dictis circa ejus quidditatem, et effectus. Una autem est, quæ communiter illi ab omnibus attribuitur, et vendicat magis specialem attentionem, nempe esse indelebilem, sive inamissibilem. Circa quam duo supponuntur certa. Primum est hanc inamissibilitatem, sive incorruptibilitatem tantam non esse, ut character sit indestructibilis per respectum ad potentiam Dei absolutam : nihil enim creatum est, quod hanc in existendo firmitatem habeat : omnia enim a Deo dependent non solum in fieri, sed etiam in conservari ; quare destrui, et cessare possunt per solam suspensionem divini concursus. Unde qua ratione Angelus, et anima rationalis, licet ab intrinseco, sive ex natura sua sint incorruptibiles ; nihilominus destrui valent per divinam potentiam : sic etiam character posset destrui, licet ab intrinseco talem incorruptibilitatem haberet. Secundum est characterem esse indelebilem, et indestructibilem saltem ex divina dispositione ita ordinante, et pro statu viæ. Quod a nullo Theologorum negatur, nec quidem potest : quoniam sic ad minus accipi debent Concilium Florentinum, et Tridentinum, dum characterem sacramentalem appellant signum indelebile, et initerabile, ut constat ex eorum decretis relatis num. 1. Idque etiam constat ex communi Ecclesiæ traditione ab effectu : nam sacramenta imprimentia characterem iterari non possunt : et hac de causa cum hæretici redeunt ad catholicam unitatem, minime baptizantur : signum igitur est characterem baptismi (et idem occurrit in aliis) non destrui per peccatum, vel hæresim, vel aliam causam ; sed inesse indelebiliter animæ pro statu viæ mortalis. Et hæc quidem communia sunt. Sed dubitari potest an prædicta indelebilitas tanta sit, ut conveniat characteri ab intrinseco, illumque servet idemmet in statu etiam vitæ futuræ.

Suppositio. Alia. Punctum difficultatis.

§ I.

Verior, et communior D. Thom. sententia.

59. Dicendum est primo characterem sacramentalem inesse animæ indelebiliter non solum ab intrinseca dispositione Dei, sed etiam ab extrinseco, et ex natura. Ita D. Thom. art. 5, per totum, et præcipue in fine corporis, ubi concludit : « Manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est, et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. » Constat enim intellectum esse ab extrinseco, et ex sua natura incorruptibilem, sicut anima, aut spiritus, cujus est. Unde ita unanimiter do-

Prima conclusio. D. Tho.

cent discipuli D. Thom. quos refert, et sequitur Prado dub. 5, num. 4. Idem etiam docent Alensis 4 part. quæst. 8, memb. 8, art. 1, § 5. Suarez *in Comment.* ad art. 5, § *Quartus sensus* dicens id esse valde consentaneum principiis fidei aptiusque ad rem fidei declarandam, et alii.

Prado. Alensis. Suarez.

Ratio. D. Tho. Probatur ratione desumpta ex D. Thom. art. 5, quoniam sacramentalis character est participatio quædam potestatis sacerdotalis Christi recepta in intellectu : ergo nequit naturaliter corrumpi, sed est ab intrinseco indelebilis. Antecedens probatur : nam configuratio, quam charactere insigniti habent ad Christum, in eo consistit, quod sicut in Christo est plena sacerdotii potestas, ita illi participant a Christo aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, et eorum, quæ pertinent ad divinum cultum : quod vero hujusmodi potestas recipiatur in intellectu, constat ex dictis num. 50, est ergo character sacramentalis participatio quædam potestatis sacramentalis Christi in intellectu recepta. Consequentia vero ostenditur : quia nequit aliquod accidens naturaliter corrumpi nisi vel per accidens ad corruptionem subjecti, vel per se ad introductionem contrarii : sed eo ipso, quod character sit potestas recepta in intellectu, nequit corrumpi per accidens ad corruptionem subjecti : siquidem intellectus est simpliciter incorruptibilis : et eo ipso, quod sit participatio potestatis sacerdotalis Christi, nequit corrumpi per se, sive ad introductionem contrarii : quippe talis potestas, cum non ordinetur per se ad actus moraliter bonos, sed solum præstet posse physice absolute, nullum habet contrarium : unde videmus characterem nullis vel gravissimis peccatis excludi: ergo si character est participatio quædam potestatis sacerdotalis Christi in intellectu recepta ; optime colligitur characterem non posse naturaliter destrui, sed esse ab intrinseco indelebilem, sive inamissibilem.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur amplius : nam illud, quod inest subjecto incorruptibili, et nullum habet contrarium physicum, vel morale, est ab intrinseco incorruptibile ; siquidem destrui non potest vel ad defectum subjecti, vel ad introductionem contrarii : sed character est qualitas, quæ inest subjecto incorruptibili, et nullum habet contrarium physicum vel morale ; nullum quippe hujusmodi assignari valet, quod habeat oppositionem cum potestate physica, quam communicat character : hic ergo est incorruptibilis ab intrinseco, et ex natura rei.

Objectiones. 60. Unde cessant, quæ aliqui opponunt contra discursum D. Thomæ. Primum, quod fides recipitur in intellectu : et tamen aliquando corrumpitur : ergo ex eo, quod character recipiatur in intellectu, minus recte probat D. Thomas characterem esse incorruptibilem. Secundum, quod gratia sacramentalis etiam derivatur ex sacerdotio Christi influente per sacramenta : ergo si discursus D. Thomæ aliquid evincit, probat utique gratiam sacramentalem esse incorruptibilem : quod est omnino falsum, et absurdum. Sed, ut diximus, evanescunt istæ objectiones. Nam ad primam respondetur S. Doctorem non probare characterem esse incorruptibilem ex eo præcise, quod insit intellectui ; sed supposito, quod sit participatio potestatis sacerdotalis Christi, et hinc habeat perpetuitatem : procedit ulterius ad ostendendum, quod nequit corrumpi adhuc per accidens ob defectum subjecti : nam intellectus incorruptibilis est. Unde nihil valet fidei exemplum : nam licet insit intellectui, habet tamen contrarium, nempe infidelitatem, ad cujus introductionem excluditur. Ad secundum neganda est consequentia. Tum quia gratia sacramentalis est ipsa gratia sanctificans cum quodam modo, ut explicuimus disp. præced. dub. 9; quare sicut gratia sanctificans habet contrarium, nempe peccatum grave, et eo excluditur ; sic etiam gratia sacramentalis : sed character nullum habet contrarium, quo possit excludi. Tum etiam (et magis aperitur disparitas), quia gratia sacramentalis est participatio sacerdotii Christi sub conceptu sanctitatis, et rectitudinis moralis, cui opponitur malitia : character autem est participatio sacerdotii Christi, non quidem sub conceptu sanctitatis, aut rectitudinis moralis, sed sub conceptu potestatis physicæ ad actum, sive usum præcisive sumptum ab omni modo, et determinatione rectitudinis, vel malitiæ, ut declaravimus dub. 2, § 3, et 4. Sanctitudini vero et rectitudini morali opponitur malitia, non autem physicæ potestati. Et ideo gratia sacramentalis destruitur per peccatum, non autem character sacramentalis. Quam differentiam optime insinuavit D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 3,

Dispelluntur.

3, quæstiunc. 4 ad 1, his verbis : « Dicendum, quod causa indelebilitatis characteris est ex parte subjecti, quod est incorruptibile ; et ex parte causæ, quæ est invariabilis. Gratia autem habet aliquo modo causam non efficientem, sed disponentem ex parte subjecti : quia secundum Augustinum: Qui creavit te non justificabit te sine te. Et ideo per indispositionem subjecti gratia amittitur. » Et in præs. art. 5 ad 2 addit : « Quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur, propter immobilitatem principalis moventis. »

Melius, et urgentius posset opponi plura esse accidentalia, quæ deficiunt, et corrumpuntur absque corruptione subjecti, aut introductione contrarii, ut patet tum in relationibus, quæ deficiunt ex absentia solius termini : tum in auxiliis vel sufficientibus, vel efficacibus, quæ desinunt ab intrinseco simul cum operatione, cui deserviunt ut statuimus tract. 14, disp. 5, dub. 3, § 3 ; ergo quod character habeat subjectum incorruptibile, et careat contrario, non probat characterem esse ab intrinseco, sive ex natura sua incorruptibilem, atque indelebilem. Sed diluitur objectio negando consequentiam. Non enim dubitamus dari plura accidentia, quæ pereunt sine introductione contrarii, sed alias ob causas, utputa relationes deficiunt ablato termino, quia sunt respectus ad ipsum ; auxilia, quæ deficiunt cum operatione, quia sunt applicationes ad illam ; qualitates etiam primæ speciei, quæ sunt dispositiones, facile evanescunt, nisi repetantur actus, quibus generantur, quia ab illis sicut in primo esse, ita in conservari dependent, et sic de aliis. Sed cum character sit accidens absolutum, permanens, nostris actibus non comparatus, nec ab hujusmodi extrinsecis requisitis dependens : opus non fuit ad ista recurrere pro ejus incorruptibilitate vel neganda, vel asserenda : sed præcise oportuit attendere tam ad ejus naturam, quam ad ipsius subjectum : si enim ex neutrius parte corruptioni obnoxius est, liquido colligitur esse indelebilem ab intrinseco. Idque evidentius constabit attendendo magis in particulari ad principia, ex quibus posset deficere. Et quidem non ex defectu subjecti ; quoniam istud incorruptibile est. Non ob introductionem contrarii physice : quia nullum habet ; præsertim cum non sit habitus, sed potentia. Non ob oppositionem contrarii moraliter, sive demeritorie, aut in pœnam peccati : nam sæpe imprimitur actualiter peccanti, atque ponenti obicem gratiæ sacramenti. Non denique ex defectu causæ conservantis : quia charcter non conservatur ab homine, sed a solo Deo, ipsum producente : Deus autem licet absolute possit suspendere suum concursum pro sua libera voluntate ; nihilominus nunquam illum suspendit, nisi hanc suspensionem exigant causæ ipsæ naturales, aut morales : quod in præsenti non contingit, ut constat ex dictis immediate. Est itaque character suapte natura, atque ab intrinseco incorruptibilis.

61. Probatur secundo eadem conclusio ratione desumpta ex D. Thom. locis statim referendis : quia homo per characterem non minus consecratur ad cultum Christianæ religionis, quam calix, aut templum per extrinsecam benedictionem, sed multo magis, ut ex se liquet : atqui consecratio calicis, templi, et hujusmodi est ab intrinseco, et ex natura rei perpetua : unde quandiu manent calix, templum, et similia, semper retinent consecrationem : ergo similiter consecratio hominis per characterem est ab intrinseco, et ex natura rei perpetua : quod non contingeret, nisi character, quo fit, esse eodem modo indelebilis. Quo discursu utitur D. Thom. in præs. artic. illis verbis : « Sacerdotium Christi est æternum, secundum illud Psalm. 109 : Tu es sacerdos in æternum. Et inde est, quod omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium ejus est perpetua re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis : nam Ecclesiæ, vel altaris manet consecratio semper, nisi destruantur. » Et idem fusius tradit in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 4, his verbis : « Dicendum, quod impressio characteris est per quandam animæ rationalis sanctificationem, prout sanctificatio dicitur deputatio ad aliquid sacrum. Ad hanc autem sanctificationem non magis active comparatur anima sanctificanda, quam aqua sanctificanda, vel oleum, vel chrisma ad sui sanctificationem, nisi quod homo se subjicit tali sanctificationi per consensum ; res autem prædictæ subjiciuntur, quia libero arbitrio carent. Et ideo qualitercumque anima varietur per proprias operatio-

Aliud pro assertione motivum.

D. Thom.

« nes, nunquam characterem amittit : si« cut nec chrisma, nec oleum, nec panis « consecratus unquam sanctificationem « perdunt, dummodo non corrumpantur.» Videatur etiam idem Angelicus Doctor 2, 2, quæst. 88, artic. 11, ubi ex eodem principio probat Papam efficere non posse, quod religiosus solemniter professus desinat esse religiosus : quia nullus prælatus, inquit, efficere valet, quod homo Deo consecratus desinat esse consecratus, et solemnitas voti in quadam consecratione consistit. Quod principium late explicuimus, et defendimus Tractat. 20, disput, 1, dub. 7, § 1, et 2. Et a fortiori habet locum in præs. materia, quam versamus. Unde videmus, quod quantumcumque conetur Ecclesia, ut quantumvis sacerdos degradetur ; semper tamen retinet characterem, et potestatem valide consecrandi.

Objectio. 62. Sed oppones hinc fieri, quod homo charactere insignitus nec de potentia absoluta queat characterem, et consecrationem, sive deputationem ad speciales characteris actus amittere : consequens est omnino falsum utpote derogans divinæ virtuti : ergo et antecedens. Sequela ostenditur: quoniam ita se habet homo consecratus charactere sicut calix consecratus benedictione : sed calix consecratus, quandiu manet, nequit non esse consecratus : ergo si præmissus discursus evincit intentum, probat utique per respectum ad potentium Dei absolutam. Et ratio est : quia in utroque casu denominatio consecrati sumitur per respectum ad actum jam præteritam, qui per nullam potentiam valet non esse præteritus.

Diluitur. Respondetur negando sequelam : fateri namque oportet, quod licet character natura sua sit indelebilis, destrui tamen absolute potest a Deo : sicut idem proportionabiliter contingit in substantiis creatis spiritualibus. Cum enim istæ, et ille sint aliquid positivum dependens in sua conservatione ab influxu libero Dei : destrui simpliciter possunt per hoc solum, quod Deus suspendat, ut potest, illum concursum. Ad probationem autem sequelæ dicendum in primis est consecrationem hominis per characterem, et consecrationem calicis, per benedictionem non esse omnino pares : prior enim sit per formam positivam physicam, nempe characterem, quæ exposcit continuam influentiam concursus conservativi divini : et ideo potest destrui cessatione hujus concursus : posterior vero non fit per hujusmodi formam, sed per solum actum externum, et jam præteritum, ad quem non datur actio ; et ideo licet calix consecratus ex suppositione quod perseveret, non posset amittere consecrationem, aut non esse consecratus ; adhuc non inferretur idem dicendum esse de homine consecrato per characterem. Juxta quam doctrinam neganda esset major prædictæ probationis ob disparitatem jam assignatam. Sed absolute, et melius respondetur omissa majori, negando minorem : quia quocumque modo consecratio rerum fiat, potest Deus pro suo supremo dominio illam destruere. Cum enim rerum consecratio fiat per deputationem ad certos actus (sive id fiat per formam intrinsecam, ut contingit in homine consecrato per characterem, sive extrinseca sanctificatione, ut accidit in calice, et similibus), et Deus possit tum formam intrinsecam destruere, tum præcedentem consecrationem invertere execrando rem, aut illam deputando ad fines contrarios : dubium non est quamlibet consecrationem rerum, eisdem adhuc manentibus, posse juxta absolutam Dei potentiam cessare, ut observavimus, et magis explicuimus loc. supra cit. ex tract. 20, num. 100.

63. Dicendum est secundo characterem sacramentalem manere post mortem in alia vita tam in beatis, quam in damnatis. Ita D. Tho. in præs. 5 ad 3, ubi ait: « Post « hanc vitam remanet character, et in bo« nis ad eorum gloriam, et in malis ad « eorum ignominiam. Sicut etiam milita« ris character in militibus post adeptam « victoriam, et in his, qui vicerunt ad glo« riam, et in his, qui sunt victi, ad pœ« nam. » Et supra quæst. 50, art. 4 ad 3, dixerat, « quod esse sacerdotem convenit « homini ratione animæ, in qua est ordi« nis character. Unde post mortem homo « non perdit ordinem sacerdotalem. » Et in 4, dist, 4, q. 1, art. 3, quæstiunc. 4 ad 3, resolvit, quod sicut in beatis remanent virtutes, et dona, sic et character, subjungitque : « In damnatis etiam manet. Sed « hoc est per accidens præter intentionem « imprimentis characterem, quod reci« piens damnetur. Et ideo non est ibi or« dinatus ad aliquem finem : quia quæ « præter intentionem accidunt, carent ordine

« dine ad finem. Tamen Deus, qui nihil « inordinatum relinquit, elicit ex hoc « aliquod bonum, scilicet quod appareat « justior eorum damnatio, qui tantum « munus neglexerunt. » Unde conformiter ad hanc doctrinam idem S. Doctor *ad Rom.* 7, lect. 1, ad illa verba. *Soluta est a lege viri*, et ad Hebræ. 11, lect. 7, ad illa verba, *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*, resolvit, quod si baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus moriatur, et miraculose resurgat, non debet iterum eadem sacramenta recipere, quia conservat, et retinet præcedentium characteres. Et ideo sic unanimiter docent Thomistæ in præs. et in 4, dist. 4. Idem etiam docent Dicastillo disp. 2, dub. 16, num. 477, dicens in hoc consentire alios Theologos, Coninckus quæst. 63, art. 5, num. 16, dicens id esse omnino certum, Henriquez lib. 2, cap. 7, Marchinus tract. 1, *de Ordine*, part. 3, cap. 6, Suarez, Ochagavia, Sayrus, Lugo, Hurtada, Vivaldus, Archangelus, Raconius, et Moure, quos refert, et sequitur Leander tract. 1, disput. 4, quæstio 21, et alii plures.

Probatur ex doctrina superius tradita : nam character est qualitas suapte natura, atque ab intrinseco indelebilis absolute, sive absque respectu ad certum tempus : aliunde vero recipitur in sola anima, quæ manet post mortem : ergo nulla est ratio, quare per mortem auferatur, aut destruatur : atque ideo debet in alia vita perseverare. Confirmatur primo præcludendo tacitam responsionem : nam ideo non maneret in alia vita, præsertim in damnatis, quia status damnationis haberet aliquam oppositionem physicam, vel moralem cum illo : atqui nullam talem oppositionem habet : ergo character manet in alia vita etiam in damnatis. Probatur minor : quoniam character nullam rectitudinem moralem, aut determinationem ad bonum morale importat ; sed est mera quædam potentia physica, ut constat ex dictis dub. 2; unde quantumcumque multiplicentur peccata, et sint gravissima ; aut contra fidem, et ex odio ad ipsum characterem, nihilominus character non amittitur : quod signum est nullam malitiam, aut perversitatem opponi physice, aut moraliter, aut demeritorie, et per modum pœnæ cum charactere : eadem autem ratio occurrit in pœna, sive statu æternæ damnationis : ergo talis status nullam habet oppositionem cum charactere.

Confirmatur secundo, et declaratur amplius : quia ita se habet homo charactere insignitus, sicut calix v. g. benedictione consecratus. Sed calix hujusmodi, quandiu manet, retinet indelebiliter esse consecratum. Et ideo si calix nunc consecratus conservaretur post finem mundi, adhuc esset consecratus, et retineret consecrationem, quam modo habet. Ergo pariter homo charactere in hac vita insignitus, quandiu manet in rerum natura, conservat illam characteristicam consecrationem ; atque ideo licet transferatur ad alterius vitæ statum, retinet characterem. Alia.

§ II.

Convelluntur motiva adversantium opinionem.

64. Quod character non sit indelebilis ab intrinseco, et ex natura rei, sed solum ab extrinseca Dei ordinatione, satis aperte significavit Scotus in 4, dist. 6, quæst. 9, ante solutionem argumentorum. Et hoc ipsum re ipsa tuetur Vazquez disp. 134, cap. 5, num. 90. In quo opponuntur primæ conclusionum nostrarum. Quamvis autem neminem viderimus, qui neget secundam ; tamen esse probabile, quod character non perseverat post mortem, significaverunt Lugo disput. 6, sect. 4, Hurtado, disp. 3, diffic. 14, et alii. Quin non fore post mortem potestatem characteris docuit Vazquez disp. cit. cap. 3, sentiens characterem de facto potestatem non esse, sed signum potestatis : quare licet non neget post mortem existere characterem, negat tamen existere potestatem illi annexam. Et cum Vazquio sentiunt Coninckus, Hurtado, Ochagavia, et Lugo apud Leandrum loco supra citato. Proponemus autem simul motiva prædictarum opinionum, tum quia multa non sunt, nec gravia : tum quia principia, quibus innituntur, convulsa fuerunt in superioribus. Et primum eorum est, quod ad salvandam doctrinam Ecclesiæ statuentis characterem esse signum indelebile, sufficit confiteri, quod character per nulla peccata, vel alias indispositiones deleatur in hac vita ; ergo asserere, quod character est indelebilis ab intrinseco, aut quod permanebit post mor-

Scotus. Vazquez Lugo. Hurtad. Primum argumentum.

tem, non est secundum doctrinam Ecclesiæ.
Responsio. Sed hoc levi manu dispellitur : quia solum probat assertiones nostras non esse hactenus ab Ecclesia diffinitas. Sed cum hoc cohæret, quod sint longe probabiliores oppositis, et quod doctrinæ Ecclesiæ minime repugnent ; sed eidem magis respondeant, ut supra ostendimus. Evincit itaque probatio Auctores contraria docentes non esse hæreticos ; sed amplius quid non evincit.

Secundum argumentum. 65. Arguitur secundo : quia gratia sanctificans est longe perfectior, quam character, sed prædicta gratia non inest animæ indelebiliter ; siquidem aliquando destruitur : ergo character non est ab intrinseco, et ex natura rei indelebilis.

Solutio. Respondetur difficultatem regerendam esse in opponentes : nam gratia amititur quolibet peccato mortali : et tamen character ex se, et ab intrinseco non amittitur quolibet hujusmodi peccato ; quin potius animæ actualiter peccanti, imprimi solet : oportet igitur, recognoscant characterem præ gratia indelebiliorem esse. Ulterius gratia sanctificans est perfectior fide Theologica : et tamen non est ita indelebilis ; siquidem destructa gratia per quodlibet peccatum, manet adhuc regulariter fides : non itaque indelabilitas regulari debet penes perfectionem majorem. Unde concessis argumenti præmisis negamus consequentiam. Et ratio disparitatis (quæ satis elucebat ex dictis num. 60), est duplex. Prima, quod gratiæ opponitur peccatum grave ; et ideo destruitur ad ejus introductionem : sed characteri non opponitur peccatum, cum stante peccato soleat imprimi : aliunde vero nec aliud contrarium habet : unde nec peccato, nec alio quovis destrui potest, sed est ab intrinseco inamissibilis. Secundam optime proponit Div.
D. Tho. Thom. in præs. art. 5 ad 1, his verbis : « Dicendum, quod aliter est in anima gra- « tia, et aliter character. Nam gratia est « in anima sicut quædam forma habens « esse completum in ea : character autem « est in anima, sicut quædam virtus ins- « trumentalis, ut supra dictum est. Forma « autem completa est in subjecto secundum « conditionem subjecti : et quia anima est « mutabilis secundum liberum arbitrium, « quandiu est in statu viæ ; consequens est, « quod gratia insit mutabiliter. Sed virtus « instrumentalis magis attenditur secun- « dum conditionem principalis agentis : et « ideo character indelebiliter inest animæ, « non propter sui perfectionem, sed propter « perfectionem sacerdotii Christi, a quo « derivatur character, sicut quædam ins- « trumentalis virtus. »

Objectio. Nec refert, si opponas ex hac ipsa Div. Thomæ doctrina inferri characterem esse ab intrinseco delebilem : quia omnis virtus instrumentaria est quid incompletum, et fluidum, communicaturque per modum transeuntis : ergo si character est virtus instrumentaria, habet esse fluidum, et per modum transeuntis : cum quo minime cohæret habere esse indelebilem, ut ex ipsis terminis liquet. Id, inquam, non refert, sed in sola æquivocatione fundatur : Satisfactio. nam virtutem instrumentariam esse fluidam, et per modum transeuntis minime significat brevem, aut longam, amissibilem, aut indelebilem ejus durationem ; sed solum quod talis virtus non perficit subjectum in se, aut in esse quieto, sed per modum viæ, et tendentiæ ad ulteriorem terminum : et cum hoc ultimo recte cohæret, quod insit indelebiliter, atque in æternum, si virtus principaliter moventis æterna sit. Hoc pacto virtus instrumentaria elevans ignem inferni ad torquendum damnatos (de qua diximus tract. 13, disput. 18, dub. 2, per totum, et præsertim § 3), est quid viale, et tamen inamissibiliter, atque in æternum durabit. Virtus etiam instrumentaria elevans beatos ad attingendum tam existentiam, quam ultimam actualitatem visionis beatificæ (juxta doctrinam, quam tradunt N. Complut. abbrev. N. C. pl. in lib. *de generat.* disp. 15, quæst. 5, num. 60. fusius a nobis explicatam tract. 14, disp. 5, dub. 5), est quid incompletum, et fluidum : quo non obstante habet esse ab intrinseco indelebilem, et durabit per æternitatem. Et hoc etiam modo character sacramentalis, licet virtus instrumentaria sit, vendicat similem stabilitatem, atque durationem æternam.

Tertium argumentum. 66. Arguitur tertio (et potest esse replica contra doctrinam, et exempla immediate proposita) : quoniam cessante fine, debent cessare, quæ sunt ad finem : sed finis characteris est susceptio, vel administratio sacramentorum, quæ cessat post mortem : ergo non oportet, quod post mortem maneat character. Unde liquet aliter omnino se habere virtutes illas instrumentarias, de quibus proxime dicebamus : nam earum

earum finis durat in æternum, et ita debent ipsæ in æternum durare.

spel- ur. Respondetur, quod sicut in beatis conservantur plures habitus virtutum moralium, non quia in eo statu habituri sint propria exercitia, sed quia prædicta exercitia illis objective non repugnant : sic etiam conservabitur character, quia nec ejus exercitium importat aliquam objectivam repugnantiam cum tali statu : unde Sacerdos beatus, aut etiam damnatus posset, Deo permittente, valide consecrare absque alia ordinatione : quod satis evincit characterem etiam post mortem in illis statibus conservari. Sed addimus majorem argumenti ad summum verificari, ubi finis adæquate cessat. In quo sensu minor est falsa : nam ad finem proprium characteris pertinet non solum suscipere, aut ministrare sacramenta ; sed etiam consignare christianos, et ministros Christi, ut distinguantur ab aliis. Unde congruum est characterem conservari post mortem in beatis ad majorem gloriam, et in condemnatis ad majorem ignominiam, ut tradit D. Thom. in testim. num. 62 relatis.

rtum gu- tum. 67. Arguitur quarto : nam sacerdos post hanc vitam non habet potestatem Sacerdotalem : ergo nec characterem ordinis. Antecedens probatur : tum quia frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum : ad quem profecto non reducetur potestas sacerdotalis post hanc vitam. Tum etiam, quia ex opposito fieret sacerdotem damnatum posse absolvere a peccatis, et animam separatam sacerdotis posse consecrare : quæ sunt absurda. Tum denique quia inde ulterius fieret sacerdotium nostrum esse ita perpetuum, atque in æternum, sicut sacerdotium Christi : quod est falsum, et derogare videtur singulari dignitati Christi significatæ in illo Psalm. 109 : *Tu es Sacerdos in æternum.*

quii pon- o. Huic argumento respondet Vazquez concesso antecedenti, et negando consequentiam : quia censet characterem sacerdotalem non esse sacerdotalem potestatem, sed hujus potestatis signum : unde colligit, quod, licet in alia vita conservetur prædictus character, non tamen illa

felli- ir. potestas. Sed prædictam sententiam jam supra num. 38 rejecimus ut valde falsam : nam character sacerdotalis est formaliter, et intransitive ipsa potestas ordinis : unde impossibile est perseverare characterem, et non perseverare potestatem. Quare si in hominibus post mortem non manet sacerdotalis potestas, legitime infertur characterem ordinis minime in eisdem perseverare. Et plane si Vazquez dicit characterem esse illius potestatis signum, qua ratione, deficiente potestate, non deficit, illius signum ; aut quo pacto erit signum verum, aut vere significabit. Respondemus igitur negando antecedens : quia nullum majus inconveniens apparet in eo, quod sacerdos retineat sacerdotalem potestatem ordinis, quam in eo, quod retineat ordinis characterem. Et ad primam antecedentis probationem constat ex dictis in solutione præcedentis argumenti. Ad secundam concedimus sacerdotem damnatum habere sacerdotalem potestatem absolvendi a peccatis, sed impeditam ab exercitio, ut contingit in degradatis. Signum autem, quod retineat hujusmodi potestatem, est non obscurum, quod si resurgeret, posset absque alia ordinatione, aut concessione absolvere potestate ordinis, ut resolvit D. Thom. relatus num. 63. Et de sacerdotibus beatis idem S. Doctor infra quæst. seq. art. 7 ad 2, concedit, quod possunt consecrare : quod ibibem negat Angelis. Non est autem ratio de anima separata : quia licet conservet characterem, et potestatem ordinis ; nihilominus minister sacramentorum non est anima, sed homo, qui possit humana, et vera verba proferre, in quibus consistunt nostrorum sacramentorum formæ ex institutione divina, ut constat ex dictis disp. 2, dub, 3. Ad ultimam probationem negamus sequelam : quia licet potestas sacerdotalis Christi, et potestas sacerdotii purorum hominum sacerdotum duret in æternum : nihilominus in hoc habent maximam inæqualitatem : nam Christo convenit sacerdotium per se, nobis autem ex quadam participatione sacerdotii Christi, ut expresse docet D. Thom. in præs. artic. 5, et melius longe est, esse tale per se, quam esse tale per participationem. Aliunde etiam sacerdotium Christi habet ex se efficaciam perducendi homines in salutem æternam ; unde merito ipse Christus appellatur *Sacerdos in æternum* : id vero non convenit alteri sacerdotio, ut ex professo explicuimus tract. præcedent. disput. 31, dub. 4, ubi specialiter num. 47, et 49 refutavimus Vazquium ostendentes ipsum non plus quantum ad sacer-

(Right margin notes: Vera solutio. — D. Tho.)

dotium æternum deferre Christo Domino, quam puris hominibus sacerdotibus.

§ III.

Consectarium præcedentis doctrinæ, in quo aliæ circa characterem quæstiunculæ deciduntur.

Characteres distinguuntur realiter. 68. Ex dictis in hac disputatione facile colligemus resolutionem quarundam aliarum difficultatum, quæ longam non exposcunt discussionem. Et primo dubitari posset, an tres characteres, nempe baptismi, confirmationis, et ordinis distinguantur realiter, et essentialiter? Et respondendum est affirmative quoad utramque partem, ut tenent D. Thom. in 4, dist. 7, quæst. 2, artic. 1, quæstiunc, 2, in corp. et ad 2, Alensis, Gabriel, et Suarez, quos refert, et sequitur Granados tract. 4, disp. 4, Prado quæst. 63, dub. 6, § 2, Leander tract. 1, disp. 3, quæst. 23, Bonacina disp. 1, quæst. 5, punct. 3, et est communis sententia Theologorum. Et prima pars, nempe illos characteres realiter distingui probatur ratione D. Thom. loco cit. quoniam effectus proprii, et immediati causarum realiter distinctarum debent esse realiter distincti: sed characteres baptismi, confirmationis, et ordinis sunt effectus proprii, et immediati causarum realiter distinctarum, videlicet prædictorum sacramentorum : ergo tales characteres sunt realiter distincti.

(D. Tho. Alensis. Suarez. Granad. Prado. Leand. Bonac.)

Motiva. Confirmatur : nam realis separatio signum est realis distinctionis : prædicti autem characteres realiter separantur ; siquidem potest dari character baptismi sine charactere confirmationis, et utriusque character sine charactere ordinis ; alioquin omnis baptizatus, aut confirmatus esset sacerdos, quod est hæreticum : ergo prædicti characteres realiter distinguuntur.

Objectio. Nec refert, si opponas, quod in eadem parte corporis non possunt esse plures characteres realiter diversi : ergo nec in una parte, aut quasi parte animæ : sed characteres trium illorum sacramentorum recipiuntur in una parte, aut quasi parte animæ, nempe in intellectu, qui indivisibilis est, ut diximus dub. 3; ergo prædicti characteres non distinguuntur realiter. Non inquam, refert objectio hæc : nam ut egregie docet D. Thom. loco cit. « Character « corporalis attenditur secundum figuram, « quæ consistit in terminatione figurati. « Et quia impossibile est esse diversas « terminationes unius rei ; ideo impossi« bile est, ut idem corpus secundum ean« dem partem diversimode figuretur, aut « characterizetur. Sed character spiritua« lis attenditur secundum aliquam spiri« tualem potestatem. Non est autem in« conveniens diversas proprietates non « oppositas eidem inesse secundum ean« dem partem. Et ideo in eadem parte « animæ plures characteres esse pos« sunt. »

(Solutio ex D. Th.)

Distinctio essentialis characterum. Secunda etiam ejusdem resolutionis pars ostenditur. Tum ex immediate dictis : quoniam prædicti characteres distinguuntur realiter, et recipiuntur in eodem subjecto : sed repugnat accidentia solo numero distincta eidem subjecto inesse, ut cum D. Thom. et discipulis docent N. Complut. abbrev. in lib. *de generat.* disp. 14, quæst. 6, et fuse ostendimus tract. 1; ergo characteres distinguuntur realiter, et non tantum numerice : ergo specifice, et essentialiter. Tum etiam quia quælibet potentia dicit ordinem ad actum, atque ideo debet esse eidem proportionata, ut docet Aristotel. in 2, *de anima*, tex. 24; ergo ubi actus in quos ordinantur potentiæ sunt essentialiter distincti, necessarium est ipsas potentias, sive sint activæ, sive passivæ distingui essentialiter inter se. Cum igitur character sit quædam potentia, ut constat ex dictis dub. 2, fateri oportet, quod ubi actus correspondentes characteribus sunt essentialiter distincti ipsi characteres differunt essentialiter. Sed manifestum est actus correspondentes singulis characteribus essentialiter distingui ; alias superfluum foret plures characteres multiplicare, et animæ imprimere. Ergo characteres baptismi, confirmationis, et ordinis essentialiter distinguuntur.

(N. Complut. Aristot.)

Objectio. 69. Sed objicies : nam si præmissa a nobis resolutio vera esset, et motiva pro eadem proposita efficacia : sequeretur idem dicendum esse de characteribus ordinum minorum et majorum, nempe distingui realiter essentialiter : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela probatur : nam ideo diximus characteres baptismi, confirmationis, et ordinis distingui realiter, quia unus separatur ab alio, et quia sunt effectus proprii causarum realiter distinctarum : hæc autem ratio etiam militat

militat in characteribus ordinum ; siquidem et correspondent ordinationibus realiter diversis, et character inferior est separabilis a superioribus. Deinde diximus illos tres characteres distingui essentialiter, et quia insunt eidem subjecto, et quia ordinantur ad actus essentialiter diversos : quæ etiam ratio procedit in characteribus ordinum ; quandoquidem et recipiuntur in eodem subjecto, et important respectum ad ministeria essentialiter differentia, ut satis declarant verba formarum, quibus ordines conferuntur. Sequitur ergo prædictos characteres distingui realiter essentialiter inter se. Falsitas autem consequentis ostenditur : tum quia sicut plures ordines non sunt simpliciter plura sacramenta, sed unum, ut constat ex receptissimo numero septem sacramentorum Ecclesiæ : sic oportet characteres ordinum non esse plures simpliciter characteres, sed unum : cum quo minime cohæret, quod tales characteres realiter essentialiter distinguantur. Tum etiam quia si ita distinguerentur : proprius uniuscujusque effectus, et actus non posset per alterum characterem suppleri, nec exhiberi posset a non habente talem characterem : quod esse falsum liquet ex eo, quod si quis per saltum, sive non susceptis ordinibus inferioribus, ordinaretur sacerdos, posset utique cum solo sacerdotii charactere exercere omnia ministeria characteribus inferiorum ordinum correspondentia : signum igitur est characteres ordinum non esse plures realiter, sed unummet minus, aut magis perfectum.

Respondetur concedendo sequelam, quam inductæ probationes optime evincunt, sumpta similitudine ad alios characteres sacramentorum ; nisi quod in his datur major distinctio, et minor subordinatio : sed in characteribus ordinis datur distinctio minor, et subordinatio major propter habitudinem ad eundem finem principalem proximum, ut statim dicemus. Ad primam autem consequentis improbationem respondemus, quod quilibet ordo sacer est verum sacramentum : et tamen omnes ordines non sunt plura sacramenta, sed unum unitate habitudinis unius ad alium, et omnium ad unum, nempe ad ordinem sacerdotalem, in quo omnium perfectio plane existit : sicut plura officia unius regni, v. g. militis, prætoris, præsidentis, et regis constituunt non plures, sed unam monarchiam : quia omnia munera inferiora ordinantur ad unam potestatem regiam, in qua complentur, ut declarant communiter Theologi, et videri potest apud N. Andream N. Andr. tract. 8, cap. 1, dub. 1. Et hoc etiam modo se habent characteres ordinibus correspondentes : nam licet distinguantur realiter essentialiter ad instar ipsorum ordinum ; servant tamen unitatem habitudinis per respectum unius ad alium, et omnium ad characterem sacerdotalem, in quo habent plenam, et completam perfectionem. Nec ullus, ut putamus, rationabiliter judicabit inconveniens poni eandem vel distinctionem, vel unitatem ex parte characterum, quæ juxta communem sententiam datur ex parte ordinum characteres imprimentium.

Unde ad secundam improbationem dicendum est, quod habens characterem superiorem potest utique exercere ministerium inferioris ; quia potestas inferior continetur secundum diversam, et altiorem rationem in superiori : sed tamen non potest exercere quasi ex officio, et cum determinatione ad tale ministerium. Quare non sequitur, quod alii inferiores characteres sint superflui, aut rejiciendi in præsentia superioris : quia deserviunt ad ministrandum ex peculiari officio, et cum modo specialis determinationis ad proprium munus. Sicut etiam rex habet potestatem faciendi absolute, quæ faciunt miles, dux, prætor et similes ministri : sed tamen præter characteristicam, ut sic dicamus, potestatem regis, oportet esse characteres, et potestates inferiores. Et sicut in homine præter intellectum cognoscentem omnia, et procedentem sub ratione universali, dantur aliæ potentiæ cognoscitivæ inferiores ad particularia objecta, et cum modo magis particulari. Et Metaphysica potest attingere idem objectum, et cognoscere eandem veritatem, quæ ad Philosophiam pertinent quin inde sequatur vel habitum Philosophiæ superfluere in præsentia Metaphysicæ, vel utrumque habitum non posse simul in eodem intellectu coexistere : quia licet per utrumque habitum attingatur idem objectum, et cognoscatur eadem veritas ; nihilominus Metaphysica procedit sub una ratione, et magis universali. Philosophia vero procedit sub alia ratione, et magis particulari. Sic ergo quamvis character sacerdotalis possit in illos actus et munera,

quæ correspondent characteribus inferioribus; tamen nec isti superfluunt, nec sunt illi incompossibiles: quia ille procedit sub una ratione universali, et isti sub aliis rationibus distinctis, et magis depressis. Quæ est doctrina D. Thom. in 4, dist. 24, q. 1, art 2, quæstiunc. 4, ubi loquens de ordinibus, et de potestatibus, sive characteribus eis correspondentibus inquit : « Potestates sunt « distinctæ, et una, quantum est de sui ra- « tione, non requirit aliam in eodem sub- « jecto. Et ideo etiam in primitiva Ecclesia « aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui « prius inferiores ordines non susceperant: « et tamen poterant omnia, quæ inferio- « res ordines possunt. Quia inferior potes- « tas comprehenditur in superiori virtute, « sicut sensus in intellectum, et ducatus in « regno. » Quo non obstante statuit quæstiunc. 2, omnes, et singulos ordines imprimere suos speciales characteres. « Alii, « *inquit*, dixerunt, quod in sacris ordinibus « imprimitur character, non autem in mi- « noribus. Sed hoc nihil iterum est : quia « per quemlibet ordinem aliquis constitui- « tur super plebem in aliquo gradu potes- « tatis ordinatæ ad sacramentorum dispen- « sationem. Unde cum character sit signum « distinctivum ab aliis ; oportet, quod in « omnibus character imprimatur. Cujus « etiam signum est, quod perpetuo manent, « et nunquam iterantur. Et hæc est tertia « opinio, quæ communior est. »

70. Secundo dubitari potest, utrum character sit qualitas indivisibilis, id est, quæ non suscipiat magis, et minus, sive quæ nequeat intendi, et remitti. Ad quam respondendum est affirmative cum communi Thomistarum sententia. Juxta quam facilis, et valde consequens assignatur hujus resolutionis ratio : quoniam character est quædam potentia, et constituitur in secunda specie qualitatis ; sed qualitates hujusmodi non admittunt intensionem : ergo idem de charactere dicendum est. Et consequenter omnes characteres ejusdem speciei sunt etiam ejusdem perfectionis intra speciem : et sic omnes characteres impressi per baptismum sunt æquales : et idem intelligendum est de characteribus confirmationis, et de characteribus ordinis, si intra propriam speciem comparentur inter se. Cæterum cum prædictorum sacramentorum characteres distinguantur essentialiter, et una species sit necessario perfectior alia, quippe comparantur ut numeri ; concedendum est characterem unius sacramenti esse perfectiorem charactere alterius. Et censemus hunc excessum optime dimetiri posse juxta perfectionem ipsorum sacramentorum, per quæ chraracteres imprimuntur : oportet enim nobilioribus causis correspondere perfectiores effectus. Quem autem ordinem habeant ipsa sacramenta in dignitate, et perfectione, dicemus disp. 9, dub, 2, § 2.

Confirmatur præmissa resolutio: quoniam ubi datur eadem virtus ex parte causæ, et nulla attenditur ad effectum dispositio ex parte passi, oportet effectus esse æqualis perfectionis intra speciem, sive non distingui penes magis, et minus in latitudine: sed virtus ex parte baptismi v. g. est æqualis, et ad suscipiendum characterem baptismi nulla attenditur dispositio ex parte baptizati ; siquidem licet actu peccet, illi imprimitur character : ergo omnes characteres per baptismum impressi sunt æquales intra speciem. Et idem motivum occurrit in characteribus aliorum sacramentorum intra eandem speciem comparatis. Comparando autem characterem ordinis inferioris cum charactere superioris, dubitari posset, an sint qualitates indivisibiles, et diversæ speciei ; an vero una simplex qualitas, quæ paulatim augeatur per modum intensionis, aut extensionis in susceptione ordinum superiorum. Sed primum illud tenendum est ut satis constat ex dictis num. præced. Unde character ædæquatus omnium non est una specie, aut numero qualitas, sed plures qualitates essentialiter diversæ, habentes tamen unitatem subordinationis, et habitudinis, ibidem explicuimus.

Major difficultas posset esse apud illos, qui docent characterem esse in specie habitus, et conferre potestatem non physicam, sed moralem : quoniam et habitus est qualitas capax intensionis, et potestas moralis, cum sit quædam dignitas, commensurari solet dispositioni subjecti. Sed nec illi recedunt a communi sententia, ut videri potest apud Suarium in comment. ad art. 5 præsentis quæst. § ultimo *potest*, ubi illam probat : quia intensio nequit convenire characteri ratione dispositionis ex parte subjecti, cum nullam exposcat : nec ratione iterationis sacramenti, siquidem sacramenta imprimentia characterem sunt initerabilia

iterabilia : nec ratione finis quandoquidem ad effectum consignandi melius est signum esse invariabile, et in omnibus æquale. Accedit nullam apparere repugnantiam in eo, quod aliqua qualitas primæ speciei sit ex natura sua incapax augmenti, et decrementi : quo supposito verisimile est Deum qualitatem hujusmodi ad effectum characterizandi elegisse.

Quo sensu character dicatur signum.

71. Tertio dubitari potest, an character sacramentalis sit signum, præsertim apud nos, qui characterem constituimus non in genere relationis (quæ est forma signi), sed in genere qualitatis. Hanc difficultatem jam attigimus num. 20, ut responderemus Scoto. Et conformiter ad ibidem tradita dicendum est characterem esse rem, quæ denominatur signum. Quæ resolutio est certissima propter doctrinam Concilii Florentini, et Tridentini, quæ characterem vocant *signum quoddam spirituale*, ut constat ex dictis num. 1, Patres etiam relati num. 3, illum *signum, et signaculnm* appellant. Quin et ipsum characteris vocabulum (quod græcum est), non aliud quam figuram, aut signum significat. Est igitur character sacramentalis signum quoddam, per quod multitudo, milites, et duces populi Christiani distinguuntur tum ab aliis non Christianis, tum inter se, ut ex D. Thoma, et ex V.N. Thoma Waldensi vidimus num. 4. Et sic tenet communis Ecclesiæ traditio. Quod autem dixerimus characterem non esse relationem, sed qualitatem, minime huic veritati præjudicat : quia qualitas sicut, et aliæ res possunt relationi signi subesse, et signa denominari, ut patet in signis tam naturalibus, quam ad placitum : nam fumus, qui est signum naturale ignis, non constituitur in genere relationis, sed substantiæ, quæ tamen dicit respectum ad ignem, et illum repræsentat : voces etiam significativæ, non non sunt relatio, sed aliud quid ex hominum impositione significans : idemque apparet in imaginibus, in speciebus impressis, et expressis, et in aliis pluribus.

Nota.

Relationes in charactere distinguendæ.

In hoc autem signo, quod est sacramentalis character, multiplex relatio attendi potest : nam cum sit signum distinctivum, et configurativum, sive assimilativum; qua ratione est signum, dicit relationem ad signatum ; et qua ratione est distinctivum, importat habitudinem ad eos, a quibus distinguit ; et qua ratione est configurativum, explicat respectum ad ea, quibus assimilat : sive istæ relationes sint omnes reales, sive partim reales, et partim rationis, quod parum referet. Sed nihilominus sacramentalis character dicitur specialiter signum, aut character Christi, ut resolvit D. Thom. in præs. art. 3. D. Tho. Quam resolutionem optime declarat, et confirmat sequenti discursu : « Character proprie est signaculum quoddam, quo « aliquid insignitur ut ordinatum in ali- « quem finem : sicut charactere insignitur « denarius iu usum commutationum ; et « milites charactere insigniuntur quasi ad « militiam deputati. Homo autem fidelis « ad duo deputatur. Primo quidem, et prin- « cipaliter ad fruitionem gloriæ. Et ad hoc « insignitur signaculo gratiæ, secundum il- « lud Ezech. 9 : *Signa Thau super frontes vi- « vorum gementium, et dolentium, et* Apocal. « 7: *Nolite nocere terræ, et mari neque arbo- « ribus, quoad usque signemus servos Dei « nostri in frontibus eorum*. Secundo autem « deputatur quisque fidelis ad recipien- « dum, vel tradendum aliis ea, quæ perti- « nent ad cultum Dei: et ad hoc proprie de- « putatur character sacramentalis. Totus « autem ritus Christianæ religionis deri- « vatur a Sacerdotio Christi. Et ideo ma- « nifestum est, quod character sacramenta- « lis specialiter est character Christi, cujus « Sacerdotio configurantur fideles secun- « dum sacramentales characteres : qui ni- « hil aliud sunt, quam quædam participa- « tiones Sacerdotii Christi, ab ipso Christo « derivatæ. » In quo discursu, ut bene Cajetanus observavit, S. Doctor reduxit characteres Christianæ religionis in Christum, consideratum non secundum quamcumque aliam rationem ; sed specialissime secundum rationem Sacerdotis : nam Sacerdotis est summus principatus in omni religione tam vera, quam falsa. Unde character Christianæ reipublicæ et militiæ debet milites, et ministros consignare, et configurare summo Sacerdoti, et principi Christo : sicut Hispani milites, et ministri consignantur Regi Catholico. Cujus discursus vires magis adhuc explicat D. Thom. in resp. ad 2, his verbis : « Dupliciter po- « test aliquid characteri attribui. Uno « modo secundum rationem sacramenti : « et hoc modo est signum invisibilis gratiæ, « quæ in sacramento confertur ; » nempe quatenus character est res, et sacramentum simul : quod aliis etiam, quæ non sunt characteres, commune est, ut contingit in

Cajetanus.

D. Tho.

sacramentis illum non imprimentibus. « Alio modo secundum propriam rationem « characteris : et hoc modo est signum con- « figurativum alicui principali, apud quem « residet auctoritas ejus, ad quod aliquis « deputatur : sicut milites, qui deputantur « ad pugnam, insigniuntur signo ducis : « quo quodammodo ei configurantur. Et « hoc modo illi, qui deputantur ad cultum « Christianum, cujus auctor est Christus, « characterem accipiunt, quo Christo confi- « gurantur. Unde proprie est character « Christi. »

jec- o. 72. Nec refert, si opponas characteres baptismi, et confirmationis non constituere hominem Sacerdotem : ergo non sunt participationes Sacerdotii Christi, nec configurant homines Christo ut Sacerdoti. Quæ objectio majores vires explicat in feminis, quæ cum recipiant characteres baptismi, et confirmationis ejusdem rationis cum characteribus hominum, nequeunt tamen participare Sacerdotium Christi.

l'ic. Id, inquam, non refert, sed facile diluitur concesso antecedenti, et negando utramque consequentiam : nam sicut ad hoc, quod characteres, quibus insigniuntur milites Regis Hispaniæ, sint quædam participationes dignitatis regiæ, per quas Regi Hispaniæ specialiter consignantur, necessarium non est, quod tales characteres constituant milites reges : hoc namque est aperte falsum : sic etiam ad hoc, quod characteres baptismi, et confirmationis, quibus insigniuntur domestici, et milites Christi, sint aliquæ participationes dignitatis Sacerdotalis Christi, per quas homines Christo Sacerdoti consignantur, minime requiritur, quod homines per talem configurationem constituantur Sacerdotes. Et ratio est eadem utrobique, nempe necessarium non esse, quod istæ participationes sint perfectæ, hauriantque conceptum formalem, et proprium exemplaris : sed sufficere, quod aliquid licet diminutum, et inadæquatum de ipso participent. Quare sicut a Rege Hispaniæ non participant ejus milites, et ministri regiam dignitatem, et quod sint reges; sed participant aliquid inferius in ordine ad finem politicum : sic etiam homines per characterem baptismi, et confirmationis non participant a Christo Sacerdote potestatem sacerdotalem, aut quod Sacerdotes sint ; sed participant aliquam aliam potestatem inferiorem in ordine ad finem spiritualem, ut in superioribus explicuimus. Et hujus potestatis inferioris capaces sunt etiam fœminæ : unde participant aliquid de sacerdotio Christi, videlicet prædictam potestatem, licet Sacerdotes non sint, nec esse possint. Quæ doctrina traditur a D. Thom. in præs. D.Thom. art. 5, his verbis : « Dicendum, quod cha- « racter est quædam participatio sacerdotii « Christi in fidelibus : ut scilicet sicut « Christus habet plenam spiritualis sacerdo- « tii potestatem ; ita fideles ejus ei configu- « rantur in hoc, quod participent aliquam « spiritualem potestatem respectu sacra- « mentorum (*saltem ut suscipiendorum*) et « eorum, quæ pertinent ad cultum divinum « (*saltem remote*.) Et propter hoc etiam « Christo non competit habere characte- « rem : sed potestas Sacerdotii ejus com- « paratur ad characterem, sicut id, quod est « plenum, et perfectum, ad aliquam sui « participationem. »

73. Hinc autem oritur difficultas (et sit dubium quartum), an scilicet hoc signum characteris sacramentalis, quo Christo consignamur, et configuramur, sit siguum naturale, an autem signum præcise ad placitum ? Et hoc ultimum docuit Gabriel in 4, dist. 6, quæst. 1, notabili 2, cui subscripserunt Suarez disp. 11, sect. 2, post medium, et sect. 3, § *Ex his constat*, Vazquez disp. 134, cap. 3, et quidam aiii censentes characterem solum significare ex divina extrinseca ordinatione. Idque suaderi potest : quia in spiritualibus nullum aliud naturale signum reperitur, quam signum formale, nempe species intelligibilis impressa, aut expressa : manifestum autem est characterem non esse hujusmodi speciem ; quamvis id dicere ausus fuerit Bernal disp. 15, sect. 2, § 3, num 70, et § 5, numer. 98, contra communem sententiam Theologorum. An character sit signum naturale. Aliquorum opinio. Gabriel. Vasq. Suarez.

Sed probabilius censemus characterem esse signum naturale : quod etiam tuentur Prado quæst. 63, dub. 3, num. 13, Salas tom. 1, tract. 2, disp. 8, sect. 3, Lugo disp. 6, sect. 3, num. 40, Bernal ubi proxime quamvis peregrino illo ductus fundamento, et alii. Et omissis aliis motivis, probatur : quoniam imago, sive sit naturalis (ut Cæsar pictus repræsentat verum Cæsarem), sive sit symbolica (sicut agnus cum cruce repræsentat Christum), est, et dicitur signum naturale: quia licet in fieri dependeat a causa efficienti necessaria, vel libera, naturali, vel artificiali ; nihilominus semel facta ex similitudine Verior sententia. Prado. Salas. Lugo. Bernal.

dine in specie, vel in signo speciei, aut proprietatis habet ducere in cognitionem signati. Sed character sacramentalis est quædam qualitas vere, et realis, per quam vere et realiter configuramur Christo participando aliquid de ejus proprietate, ut constat ex supra dictis. Ergo licet in fieri dependeat ex libera Dei voluntate; nihilominus semel factus est signum Christum naturaliter repræsentans. Idque non obscure colligitur ex D. Thom. in præsent. art. 3, ubi docet, quod sicut gratia consignamur, et deputamur ad gloriam, sic charactere consignamur Christo, et deputamur ad cultum Christianæ religionis, ut expendimus num. 71; gratia autem ita consignat ad gloriam, quod est signum illam naturaliter repræsentans: ergo idem dicendum est de charactere comparative ad principale signatum, nempe Christum: quippe sicut causa repræsentat naturaliter suum effectum, et ita se habet gratia ad gloriam; sic etiam effectus repræsentat naturaliter causam, et sic se habet character ad Christum.

(margin: .Thom.)

Confirmatur, et explicatur amplius occurrendo simul tacitæ objectioni: quia licet non negemus in hoc signo quod est character, dari, aut considerari posse aliquos respectus rationis ad diversos terminos; id tamen minime impedit, quod sit signum naturale respectu principalium signatorum, ut est Christus per modum causæ, et aliqui etiam actus, ad quos per modum potentiæ ducit ordinem realem. Et declaratur exemplo characteris monetæ sigillatæ imagine vel naturali. vel symbolica principis: etenim in illa valor moralis desumptus ex impositione regis quid morale tantum est, aut respectus rationis: sed tamen imago ære incisa monetam constituit signum naturale, et regem naturaliter repræsentans: sicut etiam per modum effectus repræsentat naturaliter manum artificis. Sic igitur licet in charactere sacramentali reperiantur aliqui respectus rationis ad aliquos terminos, cum quibus non habet nexum ex natura rei, sed solum ab extrinseca Christi dispositione: nihilominus quod per modum participationis physicæ Sacerdotii Christi, homines ipsi consignet, et ipsum Christum repræsentet, habet ab intrinseco, atque ex suapte natura. Et idem dici debet de repræsentatione aliquorum effectum, in quos character per modum potentiæ physicæ tam receptivæ, quam activæ naturaliter, atque ex propria specie ordinatur, ut satis constat ex dictis dub. 2. Cumque hoc sit præcipuum in charactere sacramentali; merito talis character appellatur signum naturale; quamvis simul fundet alios respectus rationis in ordine ad terminos non ita sibi connexos, et sit signum ad placitum respectu illorum: sicut fumus ex turribus est signum naturale ignis, et simul signum ad placitum adventus hostium. Quod vero pro parte contraria opponebatur, non urget: quia in spiritualibus præter signum formale habens similitudinem intentionalem, dantur etiam alia signa naturalia: sicut gratia cognita repræsentat aliud a se, nempe gloriam, et Angelus cognitus repræsentat aliud a se, nempe sui causam seu Deum.

(margin: ulcitur.)

(margin: Dispellitur motivum contrarium.)

74. Ex quibus omnibus in hac disputatione dictis possumus colligere diffinitionem characteris sacramentalis; quamvis hoc complexum, quia complexum est, nequeat exacte diffiniri, sed magis sit diffinitio. Et quidem D. Thom. in 4, dist. 4, quæst. 1, art. 2, duas proponit hujusce characteris descriptiones desumptas ex D. Dionysio, et ex Magistro, quas ibidem declarat. Brevior autem, et magis propria est, quæ desumitur ex doctrina ejusdem Angelici Doctoris in præs. art. 2 et 3, nempe « Character est potestas spiritualis configurans homines Sacerdotio Christi ad divina suscipienda, vel agenda. » In qua ly *potestas spiritualis* ponitur loco generis, in quo character convenit cum aliis potestatibus spiritualibus, quæ characteres non sunt. Reliquæ autem particulæ ponuntur loco differentiæ: nam explicant propriam rationem characteris sacramentalis, per quam distinguitur non solum ab aliis rebus, sed ab aliis etiam spiritualibus potestatibus, quæ non participant conceptum characteris. Manifestant etiam prædictæ particulæ propriam characteris conditionem tam in ordine ad effectum consignandi, quam in ordine ad alios effectus, pro quibus habet rationem potentiæ. Quæ satis constant ex dictis per totam disputationem.

(margin: Characteris diffinitio.)

(margin: D.Thom.)

—

QUÆSTIO LXIV

De causa sacramentorum in decem articulos divisa.

Deinde considerandum est de causa sacramentorum, sive per auctoritatem, sive per ministerium. Et circa hoc decem quæruntur. Primo, etc.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non solus Deus, sed etiam minister interius operetur ad effectum sacramenti: interior enim sacramenti effectus est, ut homo purgetur a peccatis: et illuminetur per gratiam. Sed ad ministros Ecclesiæ pertinet purgare illuminare, et perficere: ut patet per Dionysium in 5, cap. Cælest. Hierar. Ergo videtur, quod non solus Deus, sed etiam ministri Ecclesiæ interius operentur ad sacramenti effectum.

Præterea: In collatione sacramentorum quædam orationum suffragia proponuntur. Sed orationes justorum sunt magis apud Deum exaudibiles quam quorumcumque, secundum illud Joan 9: Si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc Deus exaudit. Ergo videtur quod majorem effectum sacramenti consequatur ille, qui recipit ipsum a bono ministro. Sic ergo et minister aliquid operatur ad interiorem effectum, et non solus Deus.

Præterea: Dignior est homo quam res inanimata. Sed res inanimata aliquid operatur ad interiorem effectum: nam aqua corpus tangit, et cor abluit, ut dicit Augustin. super Joan. Ergo homo aliquid operatur ad interiorem effectum sacramenti, et non solus Deus.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 8: Deus est qui justificat. Cum ergo interior effectus omnium sacramentorum sit justificatio, videtur quod solus Deus operetur interiorem effectum sacramenti.

Respondeo dicendum, quod operari aliquem effectum, contingit dupliciter. Uno modo per modum principalis agentis. Alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti. Tum quia solus Deus illabitur animæ in qua sacramenti effectus existit, non autem potest aliquid immediate operari ubi non est. Tum quia gratia, quæ est interior sacramenti effectus, est a solo Deo, ut in secunda parte dictum est. Character etiam qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quæ manat a principali agente quod est Deus.

Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti in quantum operatur per modum ministri: nam eadem ratio est ministri, et instrumenti, utriusque enim actio exterius adhibetur. Sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis quod est Deus.

Ad primum ergo dicendum, quod purgatio secundum quod attribuitur ministris Ecclesiæ, non est a peccato. Sed dicuntur Diaconi purgare, in quantum vel immundos ejiciunt a cœtu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionem. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicuntur sacrum populum, non quidem gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo, ut patet per Dionysium ibidem.

Ad secundum dicendum: quod orationes, quæ dicuntur in sacramentorum collatione proponuntur Deo non ex parte singularis personæ; sed ex parte totius Ecclesiæ, cujus preces sunt apud Deum exaudibiles: secundum illud Matth. 18: Si duo ex vobis consenserint super terram: de omni re quamcumque petierint fiet illis a patre meo. Nihil tamen prohibet: quin devotio viri justi ad hoc aliquid operetur. Illud tamen quod est sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiæ vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cujus virtus operatur in sacramentis, ut dictum est. Unde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri. Nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum a Deo.

Ad tertium dicendum, quod res inanimatæ non operantur aliquid ad interiorem effectum, nisi instrumentaliter, ut dictum est. Et similiter homines non operantur ad sacramentorum effectum, nisi per modum ministerii, ut dictum est.

Prima conclusio: *Solus Deus operatur per modum agentis principalis ad interiorem effectum sacramentorum.*

Secunda conclusio: *Homo potest operari ad interiorem effectum sacramentorum per modum ministri, et instrumenti.*

Difficultates remittendæ.

Graves aliquæ controversiæ excitari possent circa utramque D. Thomæ conclusionem. Sed quia illas ex professo alibi versavimus, supervacaneum foret ipsas repetere. Quare satis erit loca indicare, et lectorem ad ipsa remittere. Statuit itaque D. Thomas in prima conclusione solum Deum agere principaliter effectum interiorem sacramentorum. Quia hujusmodi effectus est gratia sanctificans: repugnat autem agens creatum producere principaliter talem gratiam: ergo solus Deus per modum causæ principalis operatur ad interiorem effectum sacramentorum. Ubi notum est totius discursus efficaciam dependere ex veritate minoris. Hanc autem asseruimus, et ex professo probavimus tract. 14, disp. 8, dub. 1. Ex quo principio sequitur nec Christum ipsum ut hominem, aut secundum humanitatem esse causam principalem physicam gratiæ sanctificantis, et subinde nec effectus interni sacramentorum. Quod consectarium statuimus, et ex professo firmavimus tractat. præcedent. disput. 23, dub. 3. Alter autem interior aliquorum sacramentorum effectus assignari solet, nempe character, de quo diximus disput. præcedent Et nec istius potest Prima

creatura

cun- a. creatura esse causa principalis physica, sed solus Deus : quod deducitur a prima illa radice, nempe solum Deum esse causam principalem physicam gratiæ. Nam sicut ex eo principio colligimus solum Deum esse causam principalem physicam virtutum supernaturalium, et auxiliorum tam sufficientium quam efficacium, ut ostendimus loco citato ex tractat. 14, numer. 13, et sicut solus Deus est causa principalis physica cujuscumque operis supernaturalis, et miraculosi, ita ut nec Christus in quantum homo vel ad minimum hujusmodi opus per modum causæ principalis concurrat, ut ostendimus loco citato ex Tract. præcedent. sic etiam colligitur solum Deum esse causam principalem physicam characteris sacramentalis. Est namque quædam supernaturalis virtus per modum potentiæ, ipsiusque impressio est opus supernaturale, ut satis constat ex dictis ertia. disp. præcedenti per totam. Altera autem conclusio, nempe hominem posse per modum ministri, et instrumenti influere in effectum interiorem sacramentorum, nempe in gratiam sanctificantem, et characterem; satis constat ex alibi a nobis dictis. Quoniam et ipsa sacramenta, cum sint res materiales, concurrunt instrumentaliter physice ad producendum gratiam, et characterem, ut supra late ostendimus disp. 4, dub. 4. Et Christus ut homo, sive secundnm humanitatem fuit instrumentum physicum ad producendum gratiam, et alios effectus supernaturales, ut ex professo ostendimus Tractat. præcedent. disput. 23, dub. 4. Quare nulla nova, vel diversa difficultas nunc occurrit in eo, quod homo per modum instrumenti concurrat ad gratiam, et characterem, quæ sunt effectus interior sacramentorum.

ARTICULUS II

Utrum sacramenta sint solum ex institutione divina?

Ad secundum sic proceditur, Videtur quod sacramenta non sint solum ex institutione divina. Ea enim quæ sunt divinitus instituta traduntur nobis in sacra Scriptura. Sed qnædam aguntur in sacramentis, de quibus nulla fit mentio in Scriptura sacra puta de chrismate, quo homines confirmantur, et de oleo, quod sacerdotes inunguntur : et de multis aliis tam verbis quam factis, quibus utimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solum ex institutione divina.

Præterea : Sacramenta sunt quædam signa : Res autem sensibiles naturaliter quædam significant, nec potest dlci quod Deus quibusdam significationibus delectetur, et non aliis · quia ipse omnia quæ fecit approbat. Hoc autem proprium videtur esse dæmonum, ut quibusdam signis ad aliquid alliciantur. Dicit enim August. 21, de Civ. Dei : Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis ; non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis. Non ergo videtur quod sacramenta indigeant esse ex institutione divina.

Præterea : Apostoli vicem Dei gesserunt in terris : unde Apostolus dicit 2, ad Corinth. 2 : Nam et ego quod donavi si quid donavi propter vos in persona Christi, idest, ac si ipse Christus donasset. Sic ergo videtur quod Apostoli, et eorum successores possint nova sacramenta instituere.

Sed contra est, quod ille instituit aliquid, qui dat ei robur et virtutem, sicut patet de institutoribus legum. Sed virtus sacramenti est a solo Deo, ut patet ex prædictis. Ergo solus Deus potest instituere sacramentum.

Respondeo dicendum, quod (sicut ex supra dictis patet) sacramenta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem a principali agente. Agens autem respectu sacramenti est duplex, scilicet instituens sacramentum : et utens sacramento instituto. applicando scilicet ipsum ad inducendum effectum Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento: quia non operatur nisi per modum ministerii. Unde relinquitur quod virtus sacramenti sit ab eo qui instituit sacramentum. Cum igitur virtus sacramenti sit a solo Deo: consequens est quod solus Deus sit sacramentorum institutor.

Ad primum ergo dicendum : quod illa, quæ aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed ad quandam solemnitatem, quæ adhibetur sacramentis, ad excitandam devotionem, et reverentiam in his qui sacramenta suscipiunt. Ea vero quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo, Et licet non sint omnia tradita in scripturis habet tamen ea ecclesia ex familiari Apostolorum traditione, sicut Apostolus dicit 1, ad Corinth. 11 : Cætera cum venero disponam.

Ad secundum dicendum. quod res sensibiles aptitudinem quandam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura, sed ista aptitudo determinatur ad spiritualem significationem ex institutione divina. Et hoc est quod Hugo de S. Victore dicit, quod sacramentum ex institutione significat. Prælegit tamen Deus quasdam res aliis ad significationes sacramentales non quia ad eas contrahatur ejus effectus ; sed ut sit convenientior significatio.

Ad tertium dicendum, quod Apostoli et eorum successores sunt Vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam. ita non licet eis tradere aliam fidem nec instituere alia sacramenta. quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.

Conclusio est affirmativa.

Resolutio. et probatio. Veritatem hujus conclusionis demonstrat optime D. Th. ex dictis art. præced. quoniam sacramenta sunt instrumenta quædam ad producendum gratiam sanctificantem ut supra ostendimus disp. 4, dub. 1 et 4; ergo ille solus potest sacramenta instituere, qui potest communicare sacramentis virtutem ad producendum gratiam: sed solus Deus potest hujusmodi virtutem conferre, cum ipse solus sit causa principalia gratiæ sanctificantis, ut constat ex dictis art. præced. ergo Deus solus potest esse institutor sacramentorum. Quod autem homo concurrat per modum instru-

menti ad gratiam, quæ est effectus sacramentorum, ut art. præced. diximus, huic veritati non præjudicat ; quia homo ita concurrit utendo sacramentis a Deo institutis : quocirca ipse sacramenta non instituit, sed ejus concursus supponit illorum institutionem ex Deo. Et hæc satis manifestant de facto solum Deum esse authoritate propria institutorem sacramentorum. Sed dubitari posset, an Ecclesia saltem ex commissione Dei habeat de facto potestatem instituendi sacramenta. Ad hoc tamen constat ex dictis disp. 2, dub. 4, ubi ostendimus Deum Ecclesiæ non detulisse hujusmodi potestatem ; quod optime tradit Div. Thom. in præs. in resp. ad 3. Qualiter vero cum hoc cohæreat, quod homines in statu legis naturæ determinaverint materias, et ritus sacramentorum, quibus utebantur, constat ex dictis disp. 3 dub. 3.

ARTICULUS III.

Utrum Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Christus secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum. Dicit enim Joannes Baptista ut habetur Joann. 1, qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum : hic est qui baptizat in Spiritu Sancto ; sed baptizare in Spiritu Sancto, est interius gratiam Spiritus Sancti conferre. Spiritus Sanctus autem descendit super Christum in quantum homo, et non in quantum Deus : quia sic, ipse dat Spiritum Sanctum. Ergo videtur quod Christus secundum quod homo habuerit potestatem interiorem effectum sacramentorum causandi.

Præterea: Matth. 9 : Dominus dicit : Sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra, dimittendi peccata. Sed remissio peccatorum est interior effectus sacramenti Ergo videtur quod Christus secundum quod homo interiorem effectum sacramentorum operetur.

Præterea : Institutio sacramentorum pertinet ad eum, qui tanquam principale agens operatur ad interiorem sacramenti effectum : manifestum est autem quod Christus sacramenta instituit. Ergo ipse est qui interius operatur sacramentorum effectum.

Præterea : Nullus potest effectum sacramenti sine sacramento conferre, nisi propria virtute sacramenti effectum operetur Sed Christus sine sacramento contulit sacramenti effectum : ut patet in Magdalena, cui dixit dimittuntur tibi peccata. Ergo videtur quod Christus secundum quod homo operetur interiorem sacramenti effectum.

Præterea : Illud in cujus virtute sacramentum operatur est principale agens ad interiorem effectum. Sed sacramenta habent virtutem ex passione Christi, et invocatione nominis ejus, secundum illud 1. ad Corinthios 1, numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Ergo Christus in quantum homo operatur interiorem effectum sacramenti.

Sed contra est quod Augustin. dicit : quod in sacramentis divina virtus secretius operatur salutem. Divina autem virtus est Christi secundum quod est Deus, non autem secundum quod est homo. Ergo Christus non operatur interiorem sacramenti effectum, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

Respondeo dicendum, quod interiorem sacramentorum effectum operatur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo, aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus operatur in sacramentis per authoritatem : secundum autem quod est homo operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie, et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim, quod passio Christi quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per authoritatem : sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus, ut supra dictum est. Sed tamen, quia est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quandam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum : qui sunt ministri Ecclesiæ : ut ex supra dictis patet. Et ideo sicut Christus in quantum Deus habet potestatem authoritatis in sacramentis, ita in quantum homo habet potestatem Ministerii principalis sive potestatem excellentiæ, quæ quidem consistit in quatuor. Primo quidem in hoc : quod meritum et virtus passionis ejus operantur in sacramentis, ut supra dictum est, Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem (secundum illud Rom. 3, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius) quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur. Ideo secundo ad potestatem excellentiæ quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex ejus institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramentorum, sine exteriori sacramento conferre. Et per hoc patet responsio ad objecta : utraque enim pars objectionum secundum aliquid vera est : ut dictum est.

Prima conclusio : *Christus, in quantum Deus, operatur auctoritative, seu principaliter effectum sacramentorum.*

Secunda conclusio : *Christus, in quantum homo, operatur ad effectus sacramentorum meritorie, et efficienter, non principaliter, sed instrumentaliter.*

Tertia conclusio : *Christus, in quantum homo, habet circa sacramenta potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiæ.*

Quarta conclusio : *Potestas excellentiæ, quam Christus in sacramentis habuit, consistit in quatuor, nempe in eo, quod ejus virtus, et meritum operantur in sacramentis : quod nomine ipsius sanctificantur sacramenta : quod ille sacramenta instituit : et quod ipse potuit sacramentorum effectum sine sacramentis conferre.*

Prima D. Thomæ conclusio, et etiam secunda constat ex dictis in duobus articulis præced. ostensum enim in illis fuit solum Deum esse causam principalem, atque institutorem sacramentorum ; hominem autem esse causam ministerialem et instrumentalem : ergo Christus ut Deus est causa principalis Ratio omnium assertionum.

cipalis, auctor, atque institutor sacramentorum ; et Christus ut homo solum est causa illorum ministerialis, et instrumentalis. Sed quia humanitas Christi est instrumentum divinitatis eidem physice conjunctum, in quo summo intervallo excedit cætera instrumenta divinitati extrinseca; congruum omnino fuit, quod Christus inter omnes ministros, qui sunt instrumenta Dei ad usum sacramentorum, haberet eximiam, et supereminentem quandam potestatem, quæ propterea dicitur potestas excellentiæ, aut ministerii principalis. Eminentia vero singularis prædictæ potestatis consistit in quatuor illis muneribus in ultima conclusione relatis, quæ satis perspicua sunt. Tantum observari circa secundum oportet, quod sanctificari Christi nomine sacramenta id est, atque in eo consistit, quod cum virtus, et meritum passionis Christi copuletur nobis per fidem, et sacramenta ; oportet quod invocationem nominis Christi, seu fidem ejus protestemur in sacramentis.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, non potuerit ministris communicare. Ut enim argumentatur Augustin. contra Maximum, si potuit et non voluit invidus fuit. Sed invidia longe fuit a Christo : in quo fuit summa plenitudo charitatis. Ergo cum Christus non communicaverit suam potestatem Ministris : videtur quod non potuerit communicare.

Præterea : Super illud Joann. 14, majora horum faciet dicit Augustin Prorsus majus hoc esse dixerim (sicilicet ut ex impio justus fiat) quam creare cœlum et terram. Sed Christus non potuit communicare discipulis quod crearent cœlum et terram : ergo neque quod justificarent impium. Cum igitur justificatio impii fiat per potestatem Christi, quam habet in sacramentis : videtur quod potestatem suam, quam in sacramentis habuit, non potuerit ministris communicare.

Præterea : Christo in quantum est caput Ecclesiæ competit ut ab ipso gratia derivetur ad alios : secundum illud Joann 1, de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Sed hoc non fuit aliis communicabile : quia sic Ecclesia esset monstruosa, multa capita habens Ergo videtur quod Christus potestatem suam non potuerit Ministris communicare.

Sed contra est, quod super illud Joan. 1. Ego nesciebam eum, dicit Augustin. quod noverat potestatem baptismi, ipsum Dominum habiturum, et sibi retenturum : Hoc autem non ignorasset Joan. si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo suam potestatem Christus ministris communicare.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem. Una authoritatis quæ competit ei secundum quod Deus : et talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus ut ad invocationem nominum ipsorum, sanctificarentur sacramenta : et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum conjunctum quanto fuerit fortius tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere : sicut manus baculo.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non ex invidia prætermisit potestatem excellentiæ Ecclesiæ Ministris communicare. Sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent : et ne essent diversa sacramenta. Ex quibus divisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos, qui dicebant : ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ut dicitur 1, ad Corinth, 1.

Ad secundum dicendum, quod objectio illa procedit de potestate authoritatis, quæ convenit Christo secundum quod est Deus. Licet et potestas excellentiæ possit authoritas nominari : per comparationem ad alios Ministros. Unde super illud ad Corinth. 1, divisus est Christus, dicit glossa, quod potuit eis dare authoritatem baptismi, quibus contulit Ministerium.

Ad tertium dicendum, quod ad hoc inconveniens evitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ Ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esse caput principaliter, alii vero secundario.

Prima conclusio : *Christus non potuit communicare Ministris potestatem auctoritatis, quam habuit in sacramentis.*

Secunda conclusio : *Christus potuit communicare ministris potestatem excellentiæ, quam habuit in sacramentis.*

Tertia conclusio in resp. ad 3 : *Christus de facto non communicavit ministris potestatem excellentiæ in sacramentis.*

Prima D. Thomæ conclusio est nota per se, et ex articulis præcedentibus : nam quod convenit Christo ut Deo, sive ratione divinitatis, non est communicabile creaturæ : sed potestas auctoritatis circa sacramenta convenit Christo ut Deo, sive ratione divinitatis, ut constat ex art. 1 et 3; ergo Christus potestatem auctoritatis, quam habuit circa sacramenta, non potuit creaturis, aut ministris communicare. Et hinc provenit, quod circa legitimum sensum secundæ assertionis necessario observandum sit mentem S. Doctoris solum esse, quod Christus potuerit ministris communicare potestatem excellentiæ absolute quantum ad illos quatuor effectus ; non autem quantum ad modum perfectionis, quam prædicta potestas in Christo habuit. Quoniam perfectio hujusmodi potestatis in Christo fundatur in conjunctione physica humanitatis ad divinitatem in eadem Verbi persona: et inde provenit operationes Christi esse valoris moralis simpliciter infiniti tam in satisfaciendo, quam in merendo, ut late ostendimus tract. præced. disp. 1, dub. 6, per totum, et præsertim § 4, atque ideo Christus

Nota circa primam assertionem.

Legitimus sensus secundæ.

ut homo eam potestatis excellentiam habet, quod possit suo merito principaliter, condigne, ad æqualitatem, et ex rigore justitiæ consequi, ut fiat, quidquid non implicat contradictionem, ut explicuimus loco cit. dub. 7 et 9. Potestas autem excellentiæ cum hoc perfectionis modo repugnat plane puræ creaturæ: quia sicut implicat puram creaturam esse personaliter Deum, ita implicat puram creaturam habere in propriis operationibus valorem simpliciter infinitum, ut expendimus eodem loco dub. 5. Quare licet Christus suo merito potuerit ministris consequi, et conferre potestatem excellentiæ quantum ad illos quatuor effectus, ad quos talis potestas in Christo extenditur : non tamen posset illis mereri, et communicare potestatem ad exequendos prædictos effectus cum eo perfectionis modo, quo ipse concurrit : id enim repugnat ex parte objecti, sive effectus. Unde cum ipse Christus de condigno, et de rigore justitiæ meruerit justificationem peccatoris in sacramentis : nulla pura creatura potest ita concurrere ad remissionem peccati gravis : nec Christus mereri potest, ut minister aliquis, sive purus homo prædicto modo ad illam remissionem concurrat, ut ex professo probavimus tract. 16, disp. 6, dub. 2, § 3, et tract. præced. disp. 1, dub. 5 a num. 140. Potuit itaque Christus communicare ministris potestatem excellentiæ ad illos quatuor effectus, et officia : sed non potuit communicare prædictam potestatem cum illa amplitudine perfectionis, qua in ipso fuit. Quod non diminuit Christi potestatem; sed manifestat summam illius perfectionem moralem (quam ejus humanitas habet ex parte suppositi, et quæ ad ejus opera derivatur), esse incommunicabilem puræ creaturæ. Quod denique D. Thom. statuit in ultima conclusione, constat ex prænotatis ad art. 2, et locis ibidem relatis : nam si nec purus homo, nec Ecclesia habet de facto auctoritatem instituendi sacramenta ; manifeste sequitur Christum non detulisse ministris potestatem excellentiæ, quam circa sacramenta habuit: pertinet enim ad potestatem hujusmodi facultas instituendi sacramenta.

Nota. (margin, beside "rationibus valorem simpliciter infinitum")

Ratio ultima. (margin, beside "turæ. Quod denique D. Thom.")

DISPUTATIO VI.

De institutore sacramentorum.

Ad perfectam cognitionem sacramentorum pertinet, ut post notitiam essentiæ, existentiæ, causalitatis, et effectus illorum, disseramus de eorum causa. Et quidem quam habeant causam tam finalem, quam materialem, et formalem, satis constat ex tribus primis disputationibus, ubi hæc omnia assignavimus. Unde solum restat agere de illorum causa efficienti. Duplex autem efficiens eorum causa distingui potest : alia instituens, alia vero exequens, sive ministerialis. Et de prima agit D. Thom. in quatuor primis hujus quæstionis articulis; de secunda vero in sequentibus. Et eundem ordinem observantes in hac disputatione dicemus de sacramentorum institutore, et in alia de ministro.

DUBIUM I.

Utrum Christus instituerit immediate sacramenta novæ legis?

Christus Dominus potest considerari ut Deus ratione naturæ divinæ, et ut homo ratione naturæ humanæ. Et sicut certum est Deum esse auctorem institutoremque sacramentorum potestate auctoritatis; sic etiam certum est hæc omnia Christo, ut Deo convenire : sunt enim opera Trinitatis ad extra prorsus indivisa, et tribus personis communia. Unde Christus Dominus ut Deus fuit cum Patre, et Spiritu Sancto auctor, et institutor antiquorum sacramentorum tam in lege naturæ, quam in statu legis scriptæ, juxta doctrinam superius traditam disp. 3 et 4. Sed Christus, in quantum homo, non potuit antiqua illa sacramenta instituere : quia tunc non existebat secundum humanitatem. Quare Christi institutio merito ad sacramenta nostra in titulo dubii refertur. Et cum in ipso distinguantur duæ potestates, alia auctoritatis conveniens ipsi secundum naturam divinam, alia excellentiæ conveniens illi secundum naturam humanam ut constat ex prænotatis ad articulos præcedentes : sine controversia supponitur Christum ut Deum, et per potestatem auctoritatis sacramenta nostra instituisse. Et propterea dubium trahendum est ad Christum ut hominem, et

Supp... tio ... mu... (margin, cut off)

et quantum ad potestatem excellentiæ. In qua difficultate omnes supponunt Christum esse institutorem sacramentorum nostrorum immediate, vel mediate, id est, vel per se ipsum, vel per suos Apostolos, atque ministros, quibus potestatem commiserit sacramenta instituendi. Quæ suppositio est immediate de fide propter diffinitionem Concilii Tridentini statuentis sess. 7, can. 1. «Si quis dixerit sacramenta novæ legis « non fuisse omnia a Jesu Christo Domino « nostro instituta etc. anathema sit.» Nullus namque Catholicorum dubitat hoc decretum comprehendere directe præmissam a nobis suppositionem saltem sub disjunctione proposita. Quare si quæ controversia Theologis circa hoc punctum relinquitur, referri debet ad institutionem Christi immediatam, aut per se ipsum: atque in hoc sensu versari debet, ut in titulo proponitur.

§ I.

Proponitur vera, et communis sententia.

1. Dicendum est Christum instituisse immediate omnia novæ legis sacramenta. Hanc conclusionem (quam aliqui Doctores Catholici ante Concilium Tridentinum negare solebant,) constanter semper asseruit Angelicus Doctor, ut constat in 4, disp. 2, quæst. 1, art. 5, quæstiunc. 4 et dist. 23, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3 et *in scripto ad Annibald* eadem dist. quæst. 1, art. 1 ad 2, et in præs. art. 3 in fine corp. et art. 4 ad 3. Est vero conclusio ista post Concilium adeo certa, quod licet oppositum non sit hæresis notoria, sit tamen erroneum, aut temerarium. Unde Theologi post Concilium non solum illam defendunt, sed præmissas contrariæ sententiæ notas inurunt. Et sic se gerunt Soto in 4, dist. 1, quæst. 5, artic. 2, Martinus de Ledesma in 4, quæst. 31, artic. 3, Gravina *de sacramento Ordinis*, disp. 2, cap. 2, dub. 1, § 2, Nugnus, et Serra in præs., Cabrera art. 2, disp. unica, Prado quæst. 64, dub. 2, § 4, Gonet disp. 1, art. 1, num. 2, N. Philippus disp. 7, dub. 1, N. Franciscus tract. 1, cap. 3, dub. 1, num, 1, Labat disp. 1, dub. 7, concl. 1 et alii Thomistæ. Covarrubias in cap. *Alma mater* 2 part. § 2, num. 7, Bellarminus lib. 1, *de sacram.* cap. 23, Sayrus lib. 2, cap. 2, quæst. 2, artic. 1, Basilius Pontius in relect. *de confirmatione* part. 1, cap. 4, Vazquez disp. 135, cap. 1, Suarez disp. 22, sect. 2, et in tom. 4, disp. 39, sect. 2, Granados tract. 5, disp. 1, Leander alios referens tract. 1, disp. 1, quæst. 6, et tract. 4, disp. 1, quæst. 3, et alii plurimi. Vasq. Suarez. Leand.

Præcipuum hujus assertionis fundamentum desumitur ex Concilio Tridentino in diffinitione supra relata, in qua anathematizat negantes « omnia sacramenta novæ « legis fuisse a Christo instituta.» Nec proderit dicere Concilium non adhibuisse in eo decreto particulam *immediate*, quam in assertione proposuimus, et circa quam est specialis hujus dubii difficultas. Nam contra est, quod licet hæc responsio vitet, quod opposita nostræ assertioni sententia sit hæresis manifesta (idque admittimus contra aliquos ea censura utentes): nihilominus nec vim præmissi pro assertione fundamenti diruit, nec ullam contrariæ probabilitatem conciliat, nec illam purgare valet a nota erroris, et temeritatis in re gravissima. Quod ostenditur primo: quoniam etsi Concilium illam particulam *immediate* non adhibuerit expresse; nihilominus ipsam adhibuit implicite, atque virtualiter in aliis verbis æquivalentibus. Verba namque Conciliorum accipienda sunt in rigorosa, et propriissima acceptione. *Instituere* autem proprie non dicitur, qui per semetipsum, sive immediate aliquid non instituit, sed alteri dat facultatem instituendi. Unde videmus, quod licet reges habeant a Deo potestatem condendi leges juxta illud: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt*: nihilominus leges a regibus latæ non sunt divinæ, sed humanæ, nec dicuntur institutæ a Deo, sed ab hominibus. Ergo ut Christus vere, et proprie dicatur instituisse omnia novæ legis sacramenta; opus consequenter est dicere, quod Christus immediate, et per se omnia prædicta sacramenta instituerit. Cum igitur Concilium diffinierit Christum instituisse omnia sacramenta nostra, ibi implicite, et virtualiter, et æquivalenter diffinivit Christum per se ipsum, sive immediate talia sacramenta instituisse. Nec oppositum, nempe institutio mediata, aut per commissionem asseri valet, nisi impropriando, sive deturbando a rigore sermonis verba Concilii: in quo ipso occurrit error, aut saltem summa temeritas. Secundo, quia Concilium in prædicto canone processit Præcidi- tur fuga.

contra hæreticos ejus temporis, Lutheranos scilicet, et Calvinistas, qui negabant septem Ecclesiæ sacramenta, admittentes præcise duo, vel tria : indeque sui erroris ansam arripiebant, quia dicebant Christum Dominum non instituisse per se illa omnia, quæ Ecclesia Romana vocat sacramenta, sed unum, aut alterum ; alia vero esse ritus ab hominibus institutos. Concilium vero oppositum, atque in sensu opposito diffinivit. Atque ideo cum statuit Christum instituisse omnia sacramenta, non asseruit præcise institutionem mediatam, impropriam, aut ex sola commissione : sed diffinivit institutionem immediatam, nempe quam hæretici negabant, ut negarent numerum sacramentorum a Catholicis receptum.

Roboratur discursus. 2. Confirmatur urgenter : nam præcipua controversia, quæ tam intra Scholasticos, quam cum hæreticis in hac materia occurrebat, erat circa sacramentum extremæ unctionis, quod non apparebat institutum immediate a Christo Domino fuisse : sed Concilium diffinivit Christum immediate, sive per se ipsum prædictum sacramentum instituisse : ergo idem a fortiori diffinivit de cæteris sacramentis. Minor, in qua poterat esse difficultas, probatur ex prædicto Concilio sess. 14, sub titulo: *Doctrina de sacramento extremæ unctionis*, ubi inquit: « Clementiss. Redemptor noster, qui servis « suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium « hostium tela esse prospectum, quemad« modum auxilia maxima in sacramentis « aliis præparavit, quibus Christiani con« servare se integros, dum viverent, ab « omni graviore spiritus incommodo pos« sint; ita extremæ unctionis sacramento « finem vitæ tanquam firmissimo quodam « præsidio munivit.» Ubi notum est totam, et immediatam prædicti Sacramenti institutionem referri ad providentiam, et dispositionem Christi. Et cap. 1, inquit : « Instituta est autem sacra hæc unctio in« firmorum tanquam vere, et proprie sa« cramentum novi Testamenti a Christo « Domino nostro, apud Marcum quidem « insinuatum, per Jacobum autem Apos« tolum, ac Domini fratrem fidelibus « commendatum, ac promulgatum. » Ubi Concil. apertissime distinguit inter institutionem, et promulgationem sive commendationem hujus sacramenti; et institutionem quidem attribuit Christo, promulgationem vero cuidam ejus Apostolo, nempe Jacobo: sensit igitur, et docuit institutionem prædicti sacramenti non fuisse ab hominibus ipsum prædicantibus, et promulgantibus, sed dimanasse immediate a Christo Domino : et quod sicut Jacobus illud immediate, aut per se illud promulgavit, sic Christus ipsum immediate, aut per se instituit. Et conformiter ad hanc doctrinam diffinivit in can. 1, *de extrema unctione* : « Si quis dixerit extremam unctio« nem non esse vere, et proprie sacramen« tum a Christo Domino nostro institutum, « et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, « sed ritum tantum acceptum a Patri« bus, aut figmentum humanum, ana« thema sit. » Quo loco distinguit institutionem prædicti sacramenti ab ejus promulgatione, hanc præcise Jacobo attribuens, institutionem vero non in Jacobum, nec in Patres, aut homines referens, sed unice revocans ad solum Christum. Diffinivit itaque satis manifeste Concilium, quod Christus immediate, et per se instituerit sacramentum extremæ unctionis.

Concil. Triden. (margin)

3. Potest secundo eadem assertio fundari in Scriptura, adjuncta Patrum doctrina : nam Apostolus 1 *ad Corinth.* 4, aperte profitetur: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, id est, sacramentorum. Quibus verbis significat se, et alios Apostolos non esse inventores, aut institutores sacramentorum ; sed meros ministros, et dispensatores supponentes sacramentorum institutionem a Christo. Christus igitur omnia, et singula immediate, sive per semetipsum instituit. Et quidem de baptismo constat Matth. 28, de Eucharistia, Matth. 26, de pœnitentia, Joannis 20, de Ordine, Matth. 26, de aliis ex perpetua Ecclesiæ traditione. Sed quia id ostendere, et magis ex proposito probare pertinet ad speciales singulorum sacramentorum tractatus ; propterea circa hæc non amplius moramur. Subjiciemus tamen unam, aut aliam Patrum sententiam. Antiquissimus namque Dionysius cap. 1, *de cælesti Hierarch.* num. 4, *de Christo, et sacramentis* inquit : « Ipse sacramentorum « Auctor, princeps nostram sanctissimam « Hierarchiam ita potestati tradidit. » Et lib. *de Hierarch. Ecclesiastica*. cap. 3, repetit eandem sententiam. « Ipse, *inquit*, sa« cramentorum institutor, et auctor. » D. Amb

D. Ambros. lib. 4, *de sacramentis* cap. 4 « *sacramentorum* autem auctor quis est, nisi « Dominus Jesus ? » D. August. tract. 120, *in Joan.* ait: « Vigilanti verbo Evangelista « usus est, ut non diceret, latus ejus per- « cussit, sed aperuit, ut illic quodammodo « vitæ ostium panderetur, unde Ecclesiæ « sacramenta manaverunt, sine quibus ad « vitam, quæ vere vita est, non intratur.»

4. Ratio autem a priori hujus veritatis alia non est, quam Dei voluntas, a qua cuncta ad sacramenta pertinentia dependent. Sed tamen optimas prædictæ voluntatis congruentias assignat D. Thomas. Primam in hac quæst. art. 2 ad 3, quod sicut Christus immediate fundavit Ecclesiam, ita instituit ea, quæ ad Ecclesiam substantialiter pertinent, ut sunt sacramenta: et sicut non decuit, quod Apostolis, et aliis committeret fundationem Ecclesiæ, ita nec sacramentorum institutionem. « Dicendum, *inquit*, quod Apostoli, et eo- « rum successores sunt Vicarii Dei quan- « tum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per « fidem et fidei sacramenta. Unde sicut « non licet eis constituere aliam Eccle- « siam ; ita non licet eis tradere aliam « fidem, nec instituere alia sacramenta. « Sed per sacramenta, quæ de latere Christi « pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse « fabricata Ecclesia Christi. Assignat præterea Secundam congruentiam desumptam ab inconvenientibus oppositis, ut scilicet servetur unitas fidelium, et vitetur omnis disjunctionis occasio. Unde art. 4 ad 1, inquit : « Dicendum, quod Christus non ex « invidia prætermisit potestatem excellen- « tiæ (*ad quam pertinet sacramentorum in- « stitutio*) Ecclesiæ ministris communicare: « sed propter fidelium utilitatem : ne in « homine spem ponerent ; et ne essent di- « versa sacramenta: ex quibus divisio in « Ecclesia oriretur, sicut apud illos, qui « dicebant : Ego sum Pauli, ego autem « Apollo, ego vero Cephæ, ut dicitur 1, « ad Corinth. 1. » Et in resp. ad 3, addit : « Dicendum, quod ad hoc inconveniens « evitandum, ne scilicet multa cæpita in « Ecclesia essent, Christus noluit potesta- « tem suæ excellentiæ ministris communi- « care. » Proponit denique tertiam congruentiam in 4, distinct. 17, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 5, nempe quod sicut creatio universi præsupponitur operationibus causarum secundarum (ex qua radice provenit, quod sicut causæ secundæ non potuerunt creare universum, sic etiam non possint ejus ordinem invertere:) ita etiam fundatio Ecclesiæ debuit præsupponi operationibus ministrorum omnium: Ecclesiæ autem fundatio, sive institutio est per fidem, et sacramenta: ergo institutio sacramentorum non pertinuit ad ministros, sed solum ad Christum Dominum, Ecclesiæ fundatorem. « Dicendum, *inquit*, quod ministri « Ecclesiæ instituuntur in Ecclesia divini- « tus fundata ; et ideo institutio Ecclesiæ « præsupponitur ad operationem ministro- « rum, sicut opus creationis præsupponitur « ad opus naturæ. Et quia Ecclesia funda- « tur in fide, et sacramentis ; ideo ad mi- « nistros Ecclesiæ, nec novos articulos « fidei edere, aut editos removere, aut nova « sacramenta instituere, aut instituta re- « movere pertinet : sed hoc est potestatis « excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui « est Ecclesiæ fundamentum. » Qui discursus comprehendit ipsos etiam Apostolos, et Ecclesiæ principes super omnem terram constitutos ; erant enim solum ministri juxta illud Pauli supra allegatum : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, etc.*

§ II.

Refertur sententia contraria.

5. Oppositam catholicæ nostræ assertioni sententiam, prætermissis hæreticis, tenuerunt olim graves Doctores. Nam institutionem sacramenti confirmationis non fuisse immediate a Christo : sed ab Ecclesia factam esse in quodam Concilio Meldensi docuerunt Alensis 4 part. quæst. 9, membro 2, et S. Bonaventura in 4, dist. 7, art. 1, quæst. 1. Sacramentum etiam pœnitentiæ non fuisse institutum a Christo immediate, sed vel ab Apostolis ejus, vel ab Ecclesia in Concilio Niceno asseruerunt, Glossa in cap. *Principio de pœnitentia* dist. 5, Altisiodorensis libro 4 *summæ*, titul. 2, capit. 3, Alensis 4 part. quæst. 59, memb. 3, et Div. Bonaventur. in 4, distict. 17, artic. 1, quæst. 3. Denique sacramentum extremæ unctionis institutum fuisse non a Christo immediate, sed ab ejus Apostolis, docuerunt Hugo Victorinus tom. 3, lib. 2, part. 15, cap. 2, Magister sent. in 4, dist. 23, cap. 2, et Div. Bonavent. ibidem distinct. 23, art. 2, quæst. 2. Quæ sententia

Alensis. D. Bona. Glossa. Altisiodorensis. D. Bon. Hugo Victor. Magister. D. Bon.

ante Concilium Tridentinum utcumque sustinebatur. Sed et post prædictum Concilium aliqui significaverunt posse probabiliter defendi. Decanus Lovaniensis art. 1, *contra Lutherum*, § *Potuisse tamen*, Guillelmus Estius in 4, dist. 1, § 16, § *His assentiri*, Joannes Echius, Beatus Rhenanus, et Javellus apud Pradum dub. 2, num. 20. Cæterum post Concilium nullam habere probabilitatem, sed esse plane erroneam, vel ad minus summe temerariam tenet hodie concors Theologorum assertio, et satis efficaciter a nobis, ut putamus, probatum est. Et quod ad sacramentum pœnitentiæ attinet, jam olim ante Concilium reprobata, et condemnata fuerat a Sixto IV, in quadam Extravaganti contra Petrum Oxomensem, cujus meminit Bartholomæus Miranda in summa Conciliorum. Quin et sapientissimo Soto, qui opus suum in 4 sent. scribebat ante celebrationem sessionis septimæ prædicti Concilii, et non viderat immensum auctoritatis pondus ab eo loco, et sequentibus desumptum, nihilominus dist. 1, q. 5, art. 2, dixit quidem non usque adeo constare hæreticum esse negare sacramenta confirmationis, et extremæ unctionis fuisse ore proprio Christi instituta : sed tamen in 4 concl. adjecit : « Jam vero profecto temerarium esset negare omnia « sacramenta fuisse a Christo instituta. » Hæc Sotus, amplius quid dicturus, si tunc præsentia haberet Concilii Tridentini circa hanc materiam decreta. Sed quamvis prædicta sententia adeo falsa sit, et reprobanda; pro illa tamen.

Decanus Lovaniens. Estius. Echius. Mirand. Soto.

Primum argumentum. Arguitur primo: nam Apostoli, et eorum successores habuerunt eandem auctoritatem, et potestatem, quam habuit Christus, in quantum homo, ad statum, et perfectionem Ecclesiæ; cum hac tamen differentia, quod Christus illam auctoritatem, et potestatem habebat a Patre, Apostoli vero a Christo: sed Christus ut homo habuit potestatem instituendi sacramenta, et aliqua de facto instituit: ergo Apostoli habuerunt etiam potestatem hujusmodi : sed frustra illam habuissent, si nunquam illa usi fuissent, ipsamque reduxissent ad actum: ergo Apostoli instituerunt aliqua ex septem sacramentis Ecclesiæ. Cætera constant. Et major primi syllogismi quoad primam partem, in qua poterat esse difficultas, probatur tum ex verbis Christi Domini Joan. 2, *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* : nam illis significavit se Apostolos eam potestatem dedisse, quam a Patre habebat in quantum homo. Tum ex verbis Pauli 2 ad Corinth. 2: *Nam et ego, quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi* : quia significat se ita in donando gessisse, processisseque, ac si Christus ipse in propria persona donasset : quod falsum foret, si Apostolus non haberet eam potestatem, quam habuit Christus ut homo.

Joann. 2. 2 ad Corinth.

Confirmatur auctoritate Sanctorum: nam D. Cyprianus in serm. *de ablutione pedum* non longe a principio ait : « Ipse summus « sui est sacramenti institutor, et auctor : « in cæteris homines Spiritum Sanctum ha- « buere doctorem. » Quo loco *sui sacramenti* nomine intelligit Eucharistiam: sentit igitur Eucharistiæ sacramentum fuisse dumtaxat a Christo institutum, reliqua vero ab Apostolis, aut Ecclesia, prout Spiritus Sanctus dictabat. Deinde D. Augustin. epist. 118, cap. 1, statuit sequentia : « Primum « tenere te volo Dominum nostrum Jesum « Christum levi jugo suo nos subdidisse, et « sarcinæ levi. Unde sacramentis numero « paucissimis, observatione facillimis, di- « gnitate præstantissimis servitutem novi « populi colligavit : sicuti est baptismus « Trinitatis nomine consecratus, commu- « nicatio corporis, et sanguinis, et ipsius, « et si quid aliud in canonicis scripturis « commendatur: exceptis his, quæ servitu- « tem populi veteris pro congruentia cor- « dis illorum, et prophetici temporis one- « rabant: quæ et in quinque libris Moysis « leguntur. Illa, quæ non scripta: nempe in « sacris litteris, sed tradita custodimus, « quæ quidem toto terrarum orbe observan- « tur, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis « Conciliis, quorum est in Ecclesia saluber- « rima auctoritas, commendata, atque ins- « tituta retineri. » Hæc D. Augustin: in quibus duo satis perspicue statuit. Primum Christum instituisse duo sacramenta, nempe baptismum, et Eucharistiam. Secundum reliqua omnia, quæ servantur in tota Ecclesia Catholica, et non reperiuntur scripta in libris Canonicis, esse ex commendatione, atque institutione Apostolorum, et Conciliorum Generalium. Cum igitur certum sit non omnia septem Ecclesiæ sacramenta reperiri scripta in libris Canonicis; sequitur, quod ex sententia D. Augustini non fuerint instituta immediate a Christo Domino, sed vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia in Conciliis

liis Generalibus. Deinde idem S. Doctor lib. 3, *de doctrina Christiana* cap. 9, agens de sacramentis novæ legis inquit : « Quædam pauca pro multis, eademque factu « facillima, et intellectu augustissima, et « observatu castissima ipse Dominus, et « Apostolica tradidit disciplina. » In quibus supponit non solum Christum Deminum, sed et ejus Apostolos instituisse nostra sacramenta : quod verificari non valet, nisi quædam sacramenta fuerint immediate instituta a Christo, et quædam immediate ab Apostolis. Non ergo Christus instituit immediate omnia sacramenta Ecclesiæ.

tur u- um. 6. Ad argumentum respondetur negando majorem: convincitur namque falsitatis, vel ex eo, quod Christus, in quantum homo habuit a Patre potestatem fundandi Ecclesiam Christianam, quam potestatem minime habuerunt Apostoli, sed Ecclesiæ a Christo institutæ aggregati sunt. Ad primam autem majoris probationem respondemus ly *sicut* non significare æqualitatem, sed similitudinem, imitationem, et participationem, ut est usitatissimum in Scriptura. Et ex opposito fieret Apostolos eodem amore, tantaque sanctitate missos a Christi fuisse, sicut ipse missus fuerat a Patre : quod est hæreticum. Ad secundam dicendum est planum illius loci sensum esse, quod Paulus donaverat, aut remiserat in persona Christi, id est, juxta ejus commissionem, et auctoritatem, sicut ipsius vicarius. Sed inde minime sequitur, quod habuerit eandem, quam Christus, potestatem: nam ut egregie docet. D. Thom. num. 4, relatus, Apostoli, et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem, et fidei sacramenta : quare sicut ad illorum potestatem non pertinuit Ecclesiam fundare, ita nec sacramenta instituere.

itur nfir- tio. Ad confirmationem respondetur, quod in primo testimonio illius Auctor per ly sui *sacramenti* significat omne sacramentum legis gratiæ ; per ly autem *in cæteris* significat alia, quæ sacramenta non sunt, sed alii ritus. Unde prædictum testimonium magio confirmat communem assertionem, ut consideranti constabit. Aliæ expositiones possunt videri in Grav., et Vazq. locis supra relatis. Sed locus indignus est his angustiis: nam constat Auctorem illius sermonis non esse D. Cyprianum, sed alium quemdam incerti nominis, et auctoritatis: et prædictus sermo alia non pauca continet longe difficiliora. Notetque lector tale testimonium, si quid ponderis haberet, evincere, quod Christus solum instituerit sacramentum Eucharistiæ, non autem alia : id vero est tam evidenter falsum, ut vel ispi Lutherani, et Calvinistæ non negent sacramentum baptismi, cujus recognoscunt Christum immediatum institutorem, ut constat Matth. 28. In secundo testimonio D. Augustini intendit S. Doctor commendare suavitatem legis Evangelicæ : nam Christus, sublato onere legis antiquæ, pauca, et suavia præcepta imposuit, nempe sumptionem baptismi, et Eucharistiæ, et si quid aliud in scriptura novi testamenti occurrit, ut præceptum confessionis Joann. 20, et 1, ad Corinth. 11. Et ita quidem res se habet. Sed inde minime sequitur Christum non instituisse omnia sacramenta ; licet de eorum institutione non constet evidenter per Scripturam ; sed vel sic, vel per traditionem Ecclesiæ : quoniam sacramentorum institutio non est proprie loquendo impositio præceptorum. Et licet circa eorum materias, et formas ex suppositione quod fiant occurrunt præcepta; hæc tamen non sunt positiva, sed naturalia, sive sequentia ex natura rei ipsam sacramentorum institutionem. Et si quæ alia reperiuntur imposita vel circa ritum, vel circa modum perficiendi sacramenta ; ista non sunt immediate a Christo, sed ab Apostolis, et Ecclesia. Et ita salvat D. Augustinus, (quod erat illius scopus), paucitatem, et suavitatem legis Evangelicæ in præceptis, quibus nos ligavit Christus contrapositive ad multitudinem et gravitatem præceptorum legis scriptæ. In altero ejusdem D. Augustini testimonio nihil est difficultatis : minime namque significat, quod Apostoli aliqua instituerint sacramenta, sed quod instituta a Christo Domino docuerint, ac promulgaverint : idque et non amplius significat ly *Apostolica disciplina*, quod non repræsentat institutionem, sed doctrinam.

7. Arguitur secundo : nam quæ Christus immediate instituit, proponuntur nobis expresse in sacra Scriptura : sed quorundam sacramentorum institutio non refertur in Scriptura : ergo talia sacramenta non fuerunt instituta a Christo Domino. Confirmatur : quia graves Doctores asseruerunt aliqua sacramenta, utputa confirma- Secundum argumentum. Confirmatio.

tionem, et extremam unctionem, instituta fuisse ab hominibus, ut constat ex relatis nu. 5, et hoc facilius intelligitur : ergo oportet, ut ita sentiamus.

Convelluntur. Respondetur negando majorem : nam ut dicitur Joan. ult. *Sunt et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Et horum multa pervenerunt ad nos per traditionem Apostolorum, et successorum, qui ea viderunt, et populis annuntiarunt. Unde ex eo, quod aliqua sacramenta non recenseantur in Scriptura, minime probatur talia sacramenta non esse ex immediata Christi institutione, ut optime tradit D. Tho. in præs. art. 2 ad 1, his verbis : « Dicendum, quod « illa, quæ aguntur in sacramentis per « homines instituta, non sunt de necessi- « tate sacramenti : sed ad quandam so- « lemnitatem, quæ adhibetur sacramentis « ad excitandum devotionem, et reveren- « tiam in his, qui sacramenta suscipiunt. « Ea vero, quæ sunt de necessitate sacra- « menti, ab ipso Christo instituta sunt, « qui est Deus, et homo. Et licet non sint « omnia tradita in Scripturis, habet tamen « ea Ecclesia ex familiari Apostolorum tra- « ditione : sicut Apostolus dicit 1 ad Co- « rinth. 11. Cætera, cum venero dispo- « nam. » Ad confirmationem dicendum est prædictos Doctores deceptos fuisse in eo asserendo, et minus recte, quam decebat, de dignitate nostrorum sacramentorum, quantum ad eorum institutionem existimando. Nec mirum deceptos in assertione, qui falsis, ac levibus ducti ad illam fuere motivis. Nam quod aliqui dixerunt de institutione confirmationis in Concilio Meldensi, falsitatis plane convincitur : nam prædicti sacramenti reperitur mentio in Patribus illo Concilio longe antiquioribus, ut in Clemente Romano epist. 4, et lib. 3 constitut. cap. 4, et in D. Dionysio Areopagito. cap. 4, *de Ecclesiast. Hierarch.* et in aliis. Quod vero dixerunt extremam unctionem institutam esse a Jacobo Apostolo, deceptio fuit orta ex non distinctione inter institutionem , et promulgationen sacramenti : Jacobus enim primus fuit, qui scripto illud sacramentum promulgavit : sed prius Christus illud instituerat ; quin et Apostoli alii ipsum viva voce prædicaverant, et actu exercuerant, ut recte tradit Lindanus *in Panoplia* lib. 4. cap. 96. Unde illorum Doctorum auctoritas nec vel minimam pro hoc tempore probabilitatem absurdæ illi positioni valet afferre. Longe, atque incomparabiliter melius se gessit D. Thomas, qui jam diu præviderat earum sententiarum falsitatem, tum aliis locis, tum specialiter infra quæst. 72, art. 1 ad 1, ubi loquens de sacramento Confirmationis inquit : « Dicendum, quod circa institutio- « nem hujus sacramenti est duplex opinio. « Quidam enim dixerunt, quod hoc sacra- « mentum non fuit institutum nec a Chris- « to, nec ab Apostolis, sed postea processu « temporis in quodam Concilio. Alii vero « dixerunt, quod fuit institutum ab Apos- « tolis. Sed hoc non potest esse : quia « instituere novum sacramentum pertinet « ad potestatem excellentiæ, quæ competit « soli Christo. Et ideo dicendum, quod « Christus instituit hoc sacramentum etc. » Quam doctrinam canonizavit Concilium Tridentinum in testimoniis supra relatis et insuper sess. 21, cap. 2, ubi profitetur « potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, « ut in sacramentorum dispensatione, sal- « va illorum substantia, ea statueret, vel « mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu « ipsorum sacramentorum venerationi, « pro rerum, temporum, et locorum varie- « tate magis expedire indicaret. » Quibus verbis Ecclesia Catholica recognoscit in se potestatem circa ritus, et cæremonias in usu sacramentorum occurrentes ; minime vero circa eorum substantiam, ad quam spectat ipsorum institutio, ut magnis expendimus disp. 2, dub. 4.

Joan. ult. — D. Tho. — D. Clem. — D. Dion. — Lindan. — D. Th. — Conci. Trident.

8. Arguitur tertio : nam cum sacramenta nostra sint quædam concreta, seu composita ex materia, et forma juxta superius dicta disp. 2, dub. 2, ad illorum institutionem necessario pertinet determinatio materiæ, et formæ, ex quibus constant : sed Christus non determinavit materias, et formas omnium sacramentorum : ergo Christus non instituit immediate omnia nostra sacramenta. Probatur minor : quia Christus in primis non determinavit signa vel media, per quæ celebretur, aut conficiatur sacramentum Ordinis : unde aliis utuntur Græci, et aliis Latini. Deinde pro materia sacramenti Matrimonii nullam certam materiam, aut formam determinavit : quare his, vel aliis signis utantur contrahentes, sicut verum matrimonium, sic etiam verum sacramentum conficiunt. Confirmatur nam

Tertium argumentum.

nam qui mutat formam sacrameuti, variat substantialiter ipsum, et novum aliud introducit: sed Apostoli mutaverunt formam alicujus sacramenti: ergo variarunt substantialiter sacramentum, et introduxerunt aliud: quod minime contingeret, nisi illi etiam essent sacramentorum institutores: ergo Christus non est immediatus institutor omnium nostrorum sacramentorum. Cætera constant. Et minor probatur: nam propria forma sacramenti Baptismi est *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: sed Apostoli in primtiiva Ecclesia baptizabant *in nomine Christi*: ergo Apostoli mutaverunt formam alicujus sacramenti.

Ad hoc argumentum satis constat ex supra dictis disp. 2, dub. 4, a num 64, et disput. 3, dub. 3, num. 31. Juxta quæ nunc breviter respondemus ad institutorem sacramentorum pertinere, quod determinet materiam, et formam sacramentorum determinatione saltem formali: sed necessarium non esse, quod illa determinet determinatione materiali. Et in hoc sensu distinguendo majorem, et minorem, negamus absolute consequentiam. Et ad probationem minoris, quatenus præmissæ distinctioni posset opponi, respondemus illam magis explicando quod Christus pro materia sacramenti Ordinis assignavit, et determinavit signa manifestativa traditionis alicujus potestatis spiritualis; et in hac manifestatione consistit formalis determinatio materiæ; sed Christus non assignavit, aut determinavit, quod talis manifestatio aut repræsentatio fieret per hæc determinate signa. v. g. determinate per traditionem calicis, aut per impositionem manuum; quod pertinet ad determinationem materiæ materialiter sumptam. Et inde provenit, quod quolibet ex illis modis vel apud Latincs, vel apud Græcos usitatis, perficiatur ordinis sacramentum: quia utrobique salvatur eadem materia formaliter, et in specie a Christo determinata; et diversitas illorum signorum in esse rei est materialis respectu materiæ propriæ sacramenti a Christo institutæ. Idemque dicendum est ad aliud exemplum: nam Christus instituit pro materia sacramenti Matrimonii signa manifestativa consensus inter contrahentes: et hæc est materia formaliter determinata pro tali sacramento. Sed quod prædicta manifestatio fiat per hæc, aut illa signa, utputa per nutus, aut verba, aut scriptum, est determinatio mere materialis, et per accidens respectu materiæ, quam Christus determinavit determinatione formali. Unde talis variatio nec præjudicat sacramenti valori; nec probat Christum non esse immediatum institutorem illius.

Ad confirmationem respondemus negando utramque consequentiam: nam quod Apostoli in primitiva Ecclesia usi fuerint illa baptismi forma; fuit ex speciali Christi dispensatione tunc opportuna. Quare talis tunc usus nec tollit a Christo esse immediatum institutorem sacramenti Baptismi, et auctorem illius dispensationis: nec ulla ratione probat Apostolos fuisse novi alicujus sacramenti institutores. Et desumitur hæc responsio ex D. Thom. infra q. 66, artic.6 ad 1, ubi inquit: « Dicendum, « quod ex speciali Christi revelatione « Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine « Christi baptizabant: ut nomen Christi « (quod erat odiosum Judæis, et Gentili- « bus), honorabile redderetur per hoc, « quod ad ejus invocationem Spiritus San- « ctus dabatur in baptismo. » De quo suo loco dicemus.

DUBIUM II.

Utrum potestas instituendi sacramenta, quæ fuit in Christo, potuerit puro homini communicari?

Vidimus dub. præced. quid de facto contigerit, nempe nullum purum hominem instituisse de facto sacramenta; sed solum Christum Deum, et hominem esse nostrorum sacramentorum institutorem. Nunc videndum est, an oppositum repugnet. In Christo autem fuit duplex potestas erga sacramenta, una scilicet suprema, independens, et Dei propria, quæ subinde conveniebat Christo ut Deo. Et omnes supponunt prædictam potestatem nulli puræ creaturæ communicabilem esse. « Talis « potestas, *inquit D. Thom.* in præs. art. 4, « nulli creaturæ potuit communicari, sicut « nec divina essentia. » Alia potestas fuit in Christo, quæ dicitur excellentia, importatque quatuor prærogativas assignatas a D. Thom. art. 3, ut ad ipsum observavimus. Sed præcipua quantum ad præsentem considerationem est, quod potuerit sacra-

menta instituere, determinando scilicet aliquam rem sensibilem, ad cujus præsentiam, et usum gratia sanctificans infallibiliter conferretur. Et de hac potestate procedit præsens difficultas.

9. Quam ut majori claritate decidamus, et quæstionem de vocibus evitemus, oportet aliqua præsupponere. Primum implicare quod potestas excellentiæ, quæ fuit in Christo, potuerit puræ creaturæ communicari cum eo perfectionis modo, quem in Christo habuit. Et ratio est manifesta: quoniam prædicta potestas in Christo fuit potestas ministri, et instrumenti divinitati conjuncti, propter unionem physicam divinitatis, et humanitatis, in eadem Verbi persona : implicat autem hunc perfectionis modum reperiri in pura creatura, quippe eo ipso, quod talis non est hypostatice Deus. Quare excluso hoc perfectionis modo, difficultas ad solam potestatis substantiam, sive essentiam referenda est. Secundum (et derivatur ex eadem radice) Christum habuisse meritum simpliciter infinitum, quo de condigno, et de rigore justitiæ meruit remissionem offensæ, et justificationem hominum peccatorum. Nulla autem pura creatura potest habere meritum simpliciter infinitum. Unde nulla pura creatura potest mereri de condigno, ut Deus remittat jus, quod habet, exigendi satisfactionem pro gravi injuria sibi illata per peccatum mortale : atque ideo nec mereri de condigno valet prædicti peccati remissionem, aut gratiam sanctificantem, ut peccatori dandam, et quatenus peccatori dandam, seu prædictos effectus concernentem : sed ad summum potest mereri de condigno prædictam gratiam inadæquate sumptam, sive quantum ad illud præcise valoris, quod correspondet finito valori operis meritorii reperti in pura creatura. Quæ omnia ex instituto explicuimus, ac probavimus locis relatis in nota ad art. 4. Quocirca, exclusa etiam hac meriti adæquatione, difficultas revocatur ad solam substantiam potestatis instituendi sacramenta, idest, signa sensibilia, in quorum præsentia conferatur gratia sanctificans, præcisive tamen a merito condigno remissionis gravis offensæ Dei. Quæ præcisio minime excludit statum præsentis quæstionis : tum quia non est de conceptu communi sacramenti ordinari ad remissionem hujusmodi aut illam essentialiter inducere : tum quia in ipsa peccatoris justificatione, et peccati atque offensæ remissione potest partitio attendi secundum prudentem æstimationem, ut illud valoris, in quo justificatio non excedit operis meritorii valorem, cadat sub merito de condigno; illud autem valoris, in quo opus excedit, non cadat sub merito de condigno, sed conferatur ex sola Dei liberalitate ad præsentiam operis ut condictionis ex pacto. Quæ omnia facile intelligentur recolendo loca supra relata.

Suppositio 1. — *Secunda.* — *Status præsentis difficultatis.*

In præmisso itaque sensu procedit præsens difficultas, nempe considerando potestatem excellentiæ quantum ad substantiam, quæ consistit in eo, ut signis sensibilibus det vim infallibilem, ut ad eorum præsentiam, et usum communicetur gratia sanctificans. Cui excellentiæ tres aliæ solent adjungi, quarum meminit D. Thomas in præs. art. 4, nempe quod habens talem potestatem attingat suo merito effectum sacramentorum; quod in nomine ipsius sacramenta sanctificentur, seu administrentur; et denique quod possit independenter a sacramentis gratiam communicare. Reducitur autem difficultas ad duo puncta : primum, an Deus possit hanc potestatem puræ creaturæ committere : secundum, an si committeret, id sufficeret, ut creatura diceretur proprie institutor sacramentorum.

§ I.

Quæstionis decisio duabus assertionibcs explicatur.

10. Dicendum est primo non implicare, quod potestas excellentiæ, quam Christus habuit instituendi sacramenta, puræ creatnræ communicetur quantum ad substantiam. Addidimus hanc ultimam particulam ob ea, quæ prænotavimus, nempe ut explicemus talem potestatem non esse creaturæ communicabilem cum modo perfectionis, quem habuit in Christo. Idque satis expressit D. Thom. in præs. art. 4 ad 3, dicens : « Christus noluit potestatem suæ excellen« tiæ ministris communicare. Si tamen « communicasset, ipse esset caput princi« paliter, alii vero secundario. » Quibus verbis significavit inæqualitatem quantum ad perfectionis modum, quo prædicta potestas fuit in Christo, et foret in puris hominibus. Et hæc pars jam citra controversiam supponi debet. Sed assertionem ipsam in præmisso sensu docet evidenter D. Augustinus

Pri... con... si... — *D.*

gustinus tract. 8, *in Joan.* ubi ait : « Potuit « Jesus Christus, si vellet tradere potesta- « tem alicui servo suo, ut daret baptismum « tanquam vice sua, et transferret a se « baptizandi potestatem, et eam constitue- « ret in servo; et tantam vim daret baptismo « translato in servum, quantam vim ha- « beret baptismus datus a Domino. Hoc « noluit, etc.» Ubi recognoscit, quod licet de facto homines habeant solam potestatem ministrandi baptismum ; nihilominus ex voluntate Christi potuerunt habere talem potestatem, qualem ipse habuit, quæ est potestas excellentiæ. Et eadem est ratio de cæteris sacramentis. Docet etiam D. Th. art. cit. his verbis : « Alias potestatem « habuit Christus excellentiæ, quæ com- « petit ei secundum quod homo. Et talem « potestatem potuit ministris communi- « care, dando scilicet eis tantam gratiæ « plenitudinem, ut eorum meritum opere- « tur ad sacramentorum effectus, ut ad « invocationem nominum ipsorum sancti- « ficarentur sacramenta, et ut ipsi possent « sacramenta instituere, et sine ritu sacra- « mentorum effectum sacramentorum con- « ferre solo imperio.» Similia tradit in 4, dist. 5, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 2. Unde idem asserunt unanimiter Thomistæ, Sotus in 4, dist. 1, quæst. 1, art. 4, § *At forsan.* Cajetanus in præs. art. 4, ubi Nugnus difficult. 4, Cabrera num. 5, Sylvius dub. 1, Prado dub. 3, § 2, Gonet disp. 5, concl. 2, N. Franciscus tract. 1, cap. 3, dub. 2, N. Philippus disp. 7, dub. 2, Labat. disp. 1, dub. 7, concl. 2, et alii. Idem etiam amplectuntur communiter alii Theologi, D. Bonavent. in 4, dist. 5, art. 3, quæst. 1, Richardus ibi, art. 1, quæst. 3, Sayrus lib. 2, cap. 2, quæst. 8, Suarez disp. 12, sect. 2. Granados tract. 5, disp. 1, concl. 3, Lugo disp. 7, sect. 2, Joannes de Ripalda tom. 2, lib. 4, disp. 96, sect. 2, Coninkus art. 4, dub. 2, Pasqualigus disp. 71, sect. 3, Laiman lib. 5, q. 2, Castro Palao tract. 18, disp. unica, punc. 4, Aversa quæst. 64, sect. 1, § *Sexto deinde,* Bonacina disp. 1, q. 3, puncto 1, Dicastillo disp. 3, num. 25, et alii.

Probatur ratione fundamentali : quoniam potestas excellentiæ in instituendo sacramenta, quatenus distinguitur a suprema potestate auctoritatis ejus, qui concurrit per modum primi principii independentis ab alio, et quatenus differt ab infima potestate ministeriali ejus, qui supponit instituta sacramenta, illaque præcise applicat ; consistit in eo, quod medio modo se habeat, quatenus præsupponit commissionem, et delegationem ex parte Dei, eaque supposita determinat, atque eligit signa sensibilia ad sanctificandum ; ita quod effectus talium signorum dependeat ex voluntate determinantis, atque eligentis. Sed nulla apparet contradictio in eo, quod pura creatura hoc modo se gerat. Ergo non implicat, quod puræ creaturæ communicetur potestas excellentiæ ad institutionem sacramentorum ; atque ideo nec implicat quod potestas excellentiæ, quam in hac parte habuit Christus, puro homini communicetur quantum ad substantiam. Hæc secunda consequentia patet ex prima : nam potestas excellentiæ, quam habuit Christus, secundum substantiam considerata, et præcisive sumpta a modo perfectionis derivato ex dignitate personæ, non in alio consistit, quam in ea facultate, quam in majori descripsimus, ut facile consideranti constabit. Prima vero consequentia legitime infertur ex præmissis. Major autem ostenditur : tum quia nomine potestatis excellentiæ non aliud intenditur a nobis, nec aliud communiter significatur. Tum etiam quia potestas circa institutionem sacramentorum, quæ non est potestas auctoritatis, nec est potestas puri ministerii, est potestas excellentiæ, ut a sufficienti partium dinumeratione demonstrari videtur : sed potestas, quæ supposita commissione, et delegatione Dei, se extendit ad determinandum signa practica efficacia sanctitatis, ita quod efficacia dependeat ex voluntate determinantis, non est potestas auctoritatis, quippe ista est prima, et nullam ab alio commissionem supponens ; nec est potestas ministerialis, hæc enim applicat tantum sacramenta jam instituta : ergo est determinate potestas excellentiæ. Minor denique probatur : quia ut quis prædicto modo, nempe ex commissione Dei procedat ad institutionem sacramentorum, necessaria non est aliqua perfectio vel physice, vel moraliter infinita : ex quo præcise capite poterat puræ creaturæ repugnare talis potestas : cum ex parte termini, vel objecti, scilicet passivæ sacramentorum institutionis nulla appareat contradictio : ergo non est repugnantia in eo, quod pura creatura prædicto modo se gerat. Quod evidentius constabit dissolvendo argumenta

Confirmatio. 11. Confirmatur : quia potestas excellentiæ ad instituendum sacramenta non est aliud, quam potestas imponendi rem aliquam externam ad significandum infallibiliter gratiam vel dandam in ejus usu, vel per ipsum signum causandam : sed nulla est repugnantia in eo, quod pura creatura ex commissione Dei habeat hujusmodi facultatem, ut pro suo arbitrio designet res, in quarum usu ex Dei commissione, assistentia, et causalitate producatur gratia sanctificans : siquidem totum hoc revocatur tandem non in vires creaturæ, sed in Dei dispositionem, potentiam, et efficaciam : ergo non repugnat puram creaturam habere potestatem excellentiæ ad institutionem sacramentorum.

Quædam responsio. Nec momenti erit, si dicatur minime sufficere, quod homo possit determinare materias, et formas sacramentorum, ut habeat potestatem excellentiæ circa sacramentorum institutionem. Homines namque in statu legis naturæ determinabant prædicta, ut diximus disp. 3, dub. 3, § 2, et tamen non habebant potestatem excellentiæ circa prædicta ; siquidem nullus hactenus illam habuit, nec fuit institutor sacramentorum, ut satis constat ex dictis dub. præced. Id, inquam, nihil refert : quoniam ita quidem res se habet, ut ad potestatem excellentiæ non sufficiat sola designatio, aut determinatio rerum, in quarum applicatione sanctificatio fiat. Sed insuper desideratur, ut determinans tales res inducat primam significationem practicam, dando rebus efficaciam, ut sint infallibilia signa sanctitatis conferendæ. Homines autem in statu legis naturæ solum potuerunt determinare materialiter res, supposita institutione divina sanctificandi eos per signa ab eisdem materialiter electa : sed efficacia, et significatio practica non erat ab eisdem, sed unice a solo Deo, sub cujus formali determinatione, atque institutione ipsi procedebant, ut loco cit. ex disp. 3, magis explicuimus. Sicut etam modo, supposita institutione sacramenti Eucharistiæ, potest Sacerdos determinare materialiter pro materia consecrationis vel vinum album, vel vinum nigrum : quia Christus assignavit formaliter pro materia talis consecrationis vinum verum, relinquendo arbitrio Sacerdotis ulteriorem, et materialem hujus, vel alterius vini determinationem. Et sicut etiam supposita institutione sacramenti matrimonii, et quod fiat per signa repræsentativa consensus, relinquitur contrahentium electioni ut determinent materialiter talia signa, nempe vel ad verba vel nutus. Idem itaque in statu legis naturæ contingebat, licet cum majori amplitudine, atque indeterminatione ob imperfectionem talis status. Sed id, ut diximus, et ex se liquet, minime sufficit, ut quis dicatur habere potestatem excellentiæ ad sacramentorum institutionem : neque id præcise intendimus in præsenti. Addit itaque prædicta potestas facultatem determinandi quodlibet signum sensibile ad significationem practicam gratiæ sanctificantis infallibiliter producendæ in ejus applicatione : quod minime habuerunt homines in statu legis naturæ : idque asserimus non repugnare. Quæ differentia in eo magis elucet, quod homines in statu legis naturæ, vel in alio quolibet non habuerunt hactenus potestatem producendi gratiam in aliis vel per media ad arbitrium suum electa, vel immediate per imperium suum. Et tamen statuimus id minime repugnare ; sed posse puræ creaturæ ex commissione, et delegatione Dei competere : atque in eodem sensu asserimus posse puræ creaturæ communicari potestatem excellentiæ.

Confutatur. (margin note beside "præced. Id, inquam")

12. Dicendum est secundo creaturam, seu purum hominem, cui potestas excellentiæ jam præmissa committeretur, dicendam esse absolute, et proprie institutorem sacramentorum. Hæc assertio, quæ ad modum loquendi pertinere videtur, est de mente omnium Auctorum, quod dedimus num. 10, et præsertim Recentiorum, qui primam assertionem in prædicto sensu expresse defendunt. Probatur destruendo fundamentum contrariæ opinionis : nam ideo purus homo habens prædictam potestatem, et juxta illa disponens non diceretur vere, et proprie institutor sacramentorum, quia haberet prædictam potestatem ab alio, et quia supponeret primum decretum circa talem institutionem, et quia non determinaret voluntatem Dei ad statuendum circa hæc aliquid, quod prius non statuisset : sed hæc motiva nihil valent : ergo homo purus habens potestatem excellentiæ, et juxta illam disponens, diceretur absolute vere, et proprie institutor sacramentorum. Probatur minor : nam de facto Christus Dominus habens eam potestatem, et juxta illam circa sacramenta disponens dicitur

dicitur absolute, vere, et proprie institutor sacramentorum, ut patet ex Patribus, et Conciliis num. præced. relatis : et tamen Christus Dominus prædictam potestatem habebat ex commissione Dei, et supponebat in illo primum decretum circa sacramentorum institutionem, et non determinavit Dei voluntatem ad statuendum circa hæc aliquid, quod prius non statuisset : ergo prædicta motiva minime impediunt, quod habens talem potestatem, et juxta illam operans dicatur vere, et proprie institutor sacramentorum.

Respondet Vazquez, quod Christus est vere, et proprie institutor sacramentorum, quia est Deus. Sed si consideretur in quantum homo, non est vere, et proprie talis institutor : quia in illo etiam militant omnes rationes proxime assignatæ, ne ita appelletur, nempe agere ex commissione Dei, supponere primum decretum circa sacramentorum institutionem, et non determinare voluntatem Dei ad sic decernendum.

Sed responsio videtur voluntaria, et communi loquendi, et apprehendendi modo contraria : quoniam nihil usitatius est, quam quod non sola hominum plebs, sed etiam Summi Pontifices, Patriarchas Religionum vocent earundem Religionum institutores, ut Benedictum, Dominicum, et alios : et tamen certum est prædictos Patriarchas non dedisse Religionibus principium nisi ex inspiratione, et potestate Dei; supposuisseque in Deo decretum de tali institutione, et minime determinasse Deum ad volendum aliquid, quod prius non volebat : ergo hæc requisita nullum fundamentum habent nisi in arbitrio Vazquii sic statuentis, prout sua referre putabat. Deinde valde dissonum apparet dicere Christum ut hominem non esse nostrorum sacramentorum institutorem, sed præcise ut Deum : nam Concilium Tridentinum satis aperte significat contrarium sess. 13, cap. 1, ubi ait : « Ergo salvator noster discessurus ex « hoc mundo ad Patrem, sacramentum « hoc instituit : » illis quippe verbis, *discessurus* etc. descripsit conditionem instituentis : et manifestum est, quod discedere a mundo conveniebat Christo ut homini. Et idem significat sess. seq. cap. 1, illis verbis : « Dominus autem sacramen- « tum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, « cum a mortuis excitatus insuflavit in « discipulos suos dicens : Accipite Spiri- « tum Sanctum; quorum remiseritis pec- « cata etc.», nam excitari a mortuis, insuflare, et loqui sunt prædicata convenientia Christo ut homini, ac secundum humanitatem, et determinantia Christum in ratione institutoris. Ecclesia etiam in festo Corporis Christi canit :

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum,
Dicens : Accipite, quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic sacrificium istud instituit, etc.

Ubi de eodem, qui protulit illa verba, *Accipite, et bibite*, prædicatur instituisse illud sacrificium, et sacramentum. Verba autem protulit ut homo. Atque ideo per naturam humanam, et secundum voluntatem humanam prædictum sacrificium, et sacramentum instituit. Præterea Vazquez evidenter contradicit D. Thomæ in præs. artic. 3, ubi ait, quod « Christus, « secundum quod est Deus operatur in sa- « cramentis per auctoritatem. » Et infra subdit : « Sicut Christus in quantum Deus « habet potestatem auctoritatis in sacra- « mentis ; ita in quantum homo habet « potestatem ministerii principalis, sive po- « testatem excellentiæ. » Descendens autem ad explicandum ea, quæ ad prædictam excellentiæ potestatem pertinent, subjungit : « Et quia ex ejus institutione sacra- « menta virtutem obtinent ; inde est, quod « tertio ad excellentiam potestatis Christi « pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem, « potuit instituere sacramenta. « Ubi manifestum est, quod inter actus pertinentes ad potestatem excellentiæ recenset sacramentorum institutionem : dixerat autem, ut vidimus, potestatem excellentiæ convenire Christo, in quantum est homo : ergo ex sententia S. Doctoris Christus in quantum homo fuit institutor sacramentorum. D. Tho.

13. Confirmatur primo ad hominem : quia Vazquez ipse probat Christum instituisse immediate sacramenta, quia Concilium Tridentinum (ut expendimus dub. præcedenti) docet Christum instituisse sacramenta, licet Concilium non addat illam particulam *immediate* : probat, inquam, et bene, quia verbum *instituere* significat institutionem non mediatam ; sed immediatam : alias eadem proprietate diceretur Confirmatio 1.

Christum instituisse omnes ritus, et cæremonias Ecclesiæ, quod nemo concedet : nam istorum institutio non fuit Christi, sed Ecclesiæ. In quo discursu necesse est Vazquium concedere, quod Ecclesia vere, et proprie instituerit plures ritus, et cæremonias, quibus utitur. Et sic ejus positio refellitur, et inconsequentiæ convincitur : nam ut Ecclesia instituerit ritus, et cæremonias, habet commissionem ex Deo, et supponit in ipso decretum, et non determinat ipsius voluntatem, ut sic statuat : et tamen hoc non impedit, quod Ecclesia vere, et proprie dicatur institutrix illorum rituum, et cæremoniarium : ergo pariter ut quis vere, et proprie dicatur institutor sacramentorum, nullum impedimentum est operari ex commissione Dei, supponere in eo decretum de sacramentorum institutione, et non determinare divinam voluntatem, ut sic statuat. Unde ulterius fit tales conditiones absque fundamento fingi.

Confirmatio 2. Confirmatur secundo ; non est major ratio, ut ad munus institutoris sacramentorum vere, et proprie requiratur carentia commissionis, aut decreti ex parte primæ causæ, quam quod prædicta carentia requiratur ad munus redemptoris, sive liberantis homines a servitute peccati : sed non obstante, quod redimens supponat primum liberationis decretum in Deo, et divinam voluntatem non determinet ad decernendum opus redemptionis ; dicitur nihilominus vere, et proprie redemptor : ergo pariter licet quis supponat decretum Dei de institutione sacramentorum, ipsumque non determinet ad sic decernendum, potest vere, et proprie dici institutor sacramentorum. Consequentia patet tum a paritate : tum ex eo, quod denominationes institutoris, et redemptoris, quando causæ secundæ applicantur, conveniunt ipsi ut causæ secundæ, nempe sub decreto, et determinatione ab intrinseco causæ primæ. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, traditur, et optime probatur a Divo Thoma supra quæst. 48, articul. 5, his verbis : « Pretium redemptionis nostræ « est sanguis Christi, vel vita ejus corpo- « ralis, quæ est in sanguine : quam ipse « Christus exolvit. Unde utrumque isto- « rum ad Christum pertinet immediate, in « quantum est homo : sed ad totam Trini- « tatem sicut ad causam primam, et remo- « tam, cujus erat et ipsa vita Christi, sicut « primi auctoris, et a qua inspiratum fuit « ipsi homini Christo, ut pateretur pro « nobis. Et ideo esse immediate Redemp- « torem proprium est Christi, in quantum « est homo : quamvis ipsa redemptio pos- « sit attribui toti Trinitati sicut primæ « causæ. » Et in resp. ad 2, addit : « Di- « cendum,quod pretium redemptionis nos- « træ homo Christus solvit immediate ; « sed de mandato Patris sicut primordialis « auctoris. » Ergo quod opus redemptionis nostræ processerit ex mandato Dei ut primi auctoris, et quod in eo supposuerit circa redemptionem decretum, et quod Deum non determinaverit ad eam voluntatem, minime impedivit Christum ut hominem esse vere, et proprie redemptorem. Vel neget Vazquez, aut quis alius, quod Christus, qui prædicta supposuit, non sit redemptor generis humani vere, et proprie.

D. Tho.

§ II.

Convelluntur motiva adversantium opinionum.

14. Contra primam conclusionem sentiunt Scotus in 4, dist. 1, quæst. 3, § *De secundo dico*, Gabriel ibidem quæst. 2, artic. 3, et Durandus dist. 2, quæst. 1, num. 4. Cum quibus arguitur primo : nam ille solus habet potestatem excellentiæ circa institutionem sacramentorum, qui potest instituere certa, et infallibilia signa gratiæ conferendæ : sed Deus solus potest hujus modi signa instituere : ergo repugnat talem excellentiæ potestatem communicari puræ creaturæ. Probatur minor : quoniam ille solus potest instituere certa et infallibilia signa gratiæ conferendæ, qui potest ipsam gratiam conferre : solus autem Deus potest conferre gratiam : ergo et ille solus potest certa, et infallibilia signa gratiæ conferendæ instituere. Confirmatur, et declaratur : quia nequit dari certum, et infallibile signum gratiæ conferendæ, nisi voluntas Dei determinetur ad conferendum gratiam posito tali signo: ergo si pura creatura posset instituere signa certa, et infallibilia gratiæ conferendæ,qualia sacramenta sunt, posset utique determinare voluntatem Dei ad gratiam communicandam : consequens est impossibile : cum omnis determinatio creaturæ circa bonum oriatur ex determinatione voluntatis divinæ circa idem

Pri... opi... contr... Sco... Gab... Dur...

Pr... ar... men...

Co... ma...

idem : ergo impossibile est, quod pura creatura instituat certa, et infallibilia signa gratiæ conferendæ.

Ad argumentum concessa majori, distinguenda est major, si significet solum Deum posse auctoritative, et per modum primæ causæ illa signa instituere, concedenda est ; si vero significet solum Deum posse absolute instituere talia signa, negari debet : et deinde negamus absolute consequentiam. Quoniam potestas excellentiæ est inferior potestate auctoritatis, et importat facultatem ad institutionem prædictorum signorum modo inferiori, et sub determinatione primæ causæ, quam præsupponit, sicut et omnis potestas causæ secundæ. Ad probationem autem minoris, quatenus huic doctrinæ potest opponi, respondetur eodem modo, quod licet solus Deus auctoritative, ut prima causa, atque cum omnimoda independentia ab alio possit gratiam conferre : nihilominus pura etiam creatura potest ex commissione Dei gratiam conferre, tum moraliter merito, oratione, aut imperio ; tum etiam physice per modum instrumenti attingentis effectum per se, et immediate : et hæc posterior facultas producendi gratiam sufficit tam ad designandum signa practica illius, nempe sacramenta, quam ad constituendam potestatem excellentiæ, prout a sola potestate mere ministeriali distinctam. Et tota responsionis doctrina confirmatur exemplo Christi, qui in quantum homo habuit potestatem excellentiæ, ut num. 12 vidimus ex D. Tho. et tamen in quantum homo non potuit conferre gratiam auctoritative, sed alio modo inferiori physico, et morali.

Ad confirmationem negamus primam consequentiam : quia Deus supponeretur determinatus ex propria voluntate ad volendum conferre infallibiliter gratiam in præsentia signi designati a creatura, quam ipse Deus vellet habere potestatem excellentiæ ad institutionem sacramentorum : quin et prædictam creaturam præmotione physica determinaret ad faciendum prædictorum signorum designationem, sicut generaliter in omni operatione causæ secundæ contingit. Unde minime sequeretur, quod creatura determinaret Deum ad producendum gratiam ; sed vice versa, quod Deus determinaret creaturam ad designandum signa sensibilia, in quorum præsentia Deus infallibiliter gratiam conferret. Quæ responsio explicatur, et fulcitur tum exemplo Christi, qui in quantum homo habuit potestatem excellentiæ, et secundum illam instituit signa practica, in quorum præsentia Deus infallibiliter gratiam conferret : et tamen Christus in quantum homo non determinavit voluntatem Dei, ut sic vellet ; sed e converso ipse Christus fuit physice præmotus a Deo ad talem signorum determinationem, et assignationem. Tum exemplo nostræ orationis, et meritorum apud Deum : nam his non movemus, nec determinamus Deum, ut aliquid velit, aut decernat : sed potius præmoti a Deo exequimur ordinem divinæ providentiæ apud se determinantis, quod ille finis, quem orando, aut merendo consequi intendimus, per certa illa, et determinata media executioni mandetur. Et hoc modo, non autem movendo, aut determinando Deum, ille, qui assignaret signa practica gratiæ conferendæ, faceret infallibilem ipsius collationem, nempe agendo juxta determinationem divinam præsuppositam, et exequendo media ab illa præscripta.

Et hanc doctrinam utique verissimam tradit D. Thom. tum communiter aliis locis, tum specialiter 2, 2, quæst. 83, art. 2, ubi inquirit, *Utrum sit conveniens orare.* Et relatis quibusdam falsis sententiis, subdit : « Tertia fuit opinio ponentium quidem « res humanas divina providentia regi, et « quod res humanæ non proveniunt ex « necessitate : sed dicebant similiter dis- « positionem divinæ providentiæ variabi- « lem esse, et quod orationibus, et aliis, « quæ ad divinum cultum pertinent, dis- « positio divinæ providentiæ immutatur. « Hæc autem omnia in primo libro impro- « bata sunt. Et ideo oportet sic inducere « orationis utilitatem, ut neque rebus hu- « manis divinæ providentiæ subjectis ne- « cessitatem imponamus ; neque etiam « divinam dispositionem mutabilem æsti- « memus. Ad hujus ergo evidentiam con- « siderandum est, quod ex divina provi- « dentia non solum disponitur, qui effec- « tus fiant, sed etiam ex quibus causis, et « quo ordine proveniant. Inter alias autem « causas sunt etiam causæ actus humani. « Unde oportet homines agere aliqua : non « ut per suos actus divinam dispositionem « immutent : sed ut per actus suos im- « pleant quosdam effectus secundum ordi-

Fulcitur præmissa doctrina ex D. Tho.

« nem a Deo dispositum. Et idem etiam est « in naturalibus causis. Et simile etiam « est de oratione. Non enim propter hoc « oramus, ut divinam dispositionem im- « mutemus : sed ut impetremus, quod Deus « disposuit per orationes sanctorum esse « implendum : ut scilicet homines postu- « lando mereantur accipere, quod eis Deus « omnipotens ante sæcula disposuit dona- « re, ut Gregoriis dicit in lib. 1 Dialogo- « rum cap. 8. » Et hoc etiam modo creatura, cui committeretur potestas excellentiæ, determinando signa gratiæ conferendæ, redderet infallibilem hujus collationem : non quidem movendo voluntatem Dei, nec illam determinando, trahendove ad novum aliquod decretum : sed exequendo præcise ordinem providentiæ divinæ, quæ ab æterno decreverat hæc ita fieri, et quod ad positionem signorum per eam creaturam deputatorum gratia infallibiliter conferretur.

Secundum argumentum. 15. Arguitur secundo : nam illud, quod convenit Christo ratione unionis hypostaticæ : nequit puræ creaturæ communicari; siquidem in pura creatura unio hypostatica non reperitur, ut liquet ex terminis : sed potestas excellentiæ convenit Christo ratione unionis hypostaticæ ; quippe ab illa habuit dignitatem, ob quam prædicta potestas ei confertur : ergo potestas excellentiæ non potuit communicari puræ creaturæ.

Solutio. Respondemus aliqua convenire connaturaliter, sive congrue Christo Domino ratione unionis hypostaticæ, quæ eadem connaturalitate, et congruitate non possunt in pura creatura existere : et tamen absolute non implicat, quod puræ creaturæ communicentur. Sic enim juxta dignitatem unionis hypostaticæ congruum, et connaturale fuit Christi humanitatem habere excellentissimum illum gratiæ habitualis, et charitatis gradum, quem de facto habuit: et nec connaturale nec congruum fuit, quod idem gratiæ, et charitatis gradus in pura creatura collocaretur. Sed tamen impossibile non est tantam, aut etiam majorem gratiam habitualem in pura creatura constitui : est namque in Christo prædicta gratia physice finita, et simpliciter augmentabilis, ut ostendimns tract. præced. disp. 15, dub. unico. Hac itaque ratione connaturale, et congruum fuit, quod Christo ut homini ratione unionis hypostaticæ conferretur a Deo potestas excellentiæ circa sacramentorum institutionem, et dispositionem : et nec congruum, nec connaturale fuit, quod talis potestas puræ creaturæ communicaretur : et ita contigit de facto, servatis connaturalibus rerum exigentiis. Id tamen non probat prædictam potestatem non posse puræ creaturæ communicari absolute, licet non connaturaliter, sicut in Christo : sed ea, quæ supra expendimus, probant oppositum, nempe talem potestatem in pura creatura non repugnare. Sed addendum est (juxta prænotata in dubii exordio) potestatem excellentiæ, quæ fuit in Christo, posse considerari vel quoad solam substantiam, vel quoad modum, quem in ipso habuit : et hic plane importavit dignitatem moralem infinitam ratione unionis hypostaticæ; unde prædicta potestas habuit ab hac radice vim satisfaciendi de rigore justitiæ pro omnibus peccatis gravibus, et efficaciam merendi directe, et de condigno justificationem omnium hominum peccatorum. Qui fuit specialis modus potestatis excellentiæ in Christo propter dignitatem suppositi. Et potestatem excellentiæ prædicto perfectionis modo associatam fatemur esse simpliciter incommunicabilem puræ creaturæ. Unde solum intendimus, et pro assertione statuimus posse puræ creaturæ communicari potestatem excellentiæ, si fiat præcisio ab illo modo, et consideretur præcise quoad substantiam, et comparative ad solos effectus, non autem ad modum causalitatis moralis, quo Christus illos induxit. Alia solutio.

Replica. Nec refert, si insistas, et opponas ad sacramenta pertinere, quod peccatores justificent, dando illis gratiam, qua excludatur offensa Dei, et fiat reconciliatio cum ipso : ergo hoc ipsum pertinet ad potestatem excellentiæ in institutione sacramentorum secundum substantiam consideratam : sed repugnat talem potestatem puræ creaturæ communicari : siquidem impossibile est puram creaturam mereri de condigno remissionem offensæ gravis, et justificationem peccatoris, ut statuimus tract. 16, disp. 5, dub. 2, § 3; ergo potestas excellentiæ quæ fuit in Christo, nec secundum substantiam consideratu potuit communicari puræ creaturæ. Id, inquam, non refert : quoniam solum evincit potestatem illam, quæ fuit in Christo, non posse puræ creaturæ communicari cum eodem perfectionis modo : nam concurrere ad peccatoris justi- Dispellitur.

ficationem-

ficationem, vel ad remissionem offensæ merito de condigno, et satisfactione æquali secundum rigorem justitiæ, est modus quidam perfectionis ; non vero substantia, aut essentia prædictæ potestatis. Unde negamus absolute consequentiam. Quoniam sicut sacramenta inducunt remissionem offensæ gravis, et reconciliationem cum Deo, quatenus re ipsa communicant gratiam sanctificantem, non autem quia illam mereamur : sic etiam pura creatura habens potestatem excellentiæ induceret eosdem effectus, non quidem per viam meriti de condigno, aut satisfactionis æqualis ; sed quia ex commissione Dei designaret signa practica, in quorum usu Deus principaliter causaret prædictos effectus ; vel concurrentibus ipsis sacramentis ut instrumentis physicis, sicut modo contingit, vel concurrentibus præcise ut signis practicis, et non causis, sicut contingebat in sacramentis antiquis ; vel ulterius concurrente physice per modum instrumenti ipsa creatura sacramenta instituente ; vel denique concurrente solum moraliter aut impetrative ; aut meritorie de congruo respectu remissionis offensæ gravis et respectu exclusionis juris ad exigendum condignam, id est, infinitam simpliciter satisfactionem. Hæc enim varietas est accidentalis, et extra essentiam potestatis excellentiæ, de qua loquimur. Sed an pura creatura similem potestatem habens possit de condigno mereri gratiam ut dandam peccatori, et inducentem saltem indirecte remissionem offensæ gravis ; alia, et quidem gravior difficultas est, quam ex professo versavimus loco cit, et tract. præced. disp. 1, num. 140.

[…]tium […]gu-[…]tum. […]ug. 16. Arguitur tertio : nam majus quid est justificatio impii, quam cœli, et terræ creatio, ut affirmat D. Augustin. tract. 72, *in Joann :* sed puræ creaturæ non potuit communicari potestas creandi cælum, et terram ; quin nec vel unam formicam potest creatura adhuc instrumentaliter creare, ut docent communiter Thomistæ cum D. Thom. 1 p. quæstiunc. 45, art. 5 ; ergo nulli puræ creaturæ communicari valet potestas ad justificationem peccatoris : ergo nec potestas excellentiæ pro sacramentorum institutione. Probatur hæc ultima consequentia : nam sacramenta sui usu, et appplicatione peccatores justificant, ut patet in baptismo, et pœnitentia : ergo qui non habet potestatem justificandi peccatores, nec potestatem habet sacramenta instituendi.

Respondetur hoc argumentum excessive probare, et se destruere. Tum quia si probaret, sub eadem forma concluderet Christum non habuisse potestatem excellentiæ : hujusmodi namque potestas convenit Christo ut homini, aut secundum humanitatem, ut supra ostendimus contra Vazquium : Christus autem in quantum homo non habuit potestatem creandi cœlum, et terram. Tum etiam quia pariter evinceret homines, et ipsa sacramenta non posse adhuc instrumentaliter physice influere in justificationem peccatoris : quia instrumentaliter physice nequeunt ad aliquid vel minimum creandum concurrere. Hæc autem sunt satis aperte falsa et produnt præmissi argumenti defectus. Dicendum itaque est, justificationem impii esse opus majus creatione cœli, et terræ ex parte rei factæ : quia terminus prædictæ justificationis est gratia sanctificans, quæ simpliciter excedit in perfectione cœlum, et terram, ut ostendimus tract. 14, disputatione 4, dub. 7. Sed tamen creatio non solum cœli, et terræ, sed vel minimæ arenæ est opus majus justificatione impii ex parte modi efficiendi terminum : quoniam justificatio fit per eductionem gratiæ ex subjecto præsupposito ; creatio autem cujuscumque rei fit ex nihilo, ut magis expendimus tract. 15, disp. 4, dub. 3, § 1, et majus quid est quantum ad modum procedendi, et attingendi terminum, efficere muscam ex nihilo, quam gratiam ex subjecto præsupposito. Unde provenit, quod ad efficiendum justificationem impii possit creatura instrumentaliter concurrere, ut patet in nostris sacramentis : sed ad opus creationis nec principaliter, nec instrumentaliter creatura concurrere valet. Excessus namque perfectionis ex parte termini producti superatur per subordinationem instrumenti ad agens principale habens æqualem, aut majorem perfectionem. Sed excessus ex parte modi agendi in creatione nequit ullo modo in creatione suppleri : nam implicat agens creatum agere, et non ex præsupposito subjecto, quod actione sua attingat : atque ideo repugnat, quod creatura adhuc per modum instrumenti producat aliquid ex nihilo. Quod igitur creatura nequeat creare cœlum, et terram, non provenit ex parte perfectionis rei factæ, sed ex modo productionis. Qui modus non inter-

Satis factio.

[…]Tho.

venit in justificatione impii. Et propterea licet potestas creandi non possit communicari creaturæ; valet tamen illi communicari potestas excellentiæ, qua concurrat ad impii justificationem aliquo ex modis num. præced. descriptis. Videatur D. Th. 1, 2, quæst. 113, art. 9, ex quo responsio desumpta est, fusius explicata loco citat. ex tract. 15.

cunda pinio ntraria. azq. ellis. ernal. 17. Contra secundam conclusionem opinantur Vazquez disp. 135, cap. 2, Kellisonus in præs. art. 4, dub. unic. concl. 4, et Bernal disp. 16, sect. 3, § 3, qui censent, quod licet creaturæ communicaretur ea, aut similis circa sacramenta potestas, qualem supra proposuimus; adhuc tamen vere, et proprie sacramenta instituere non diceretur. Principale autem et velut unicum hujus sententiæ fundamentum est: quoniam instituere vere, et proprie sacramenta illi solum convenit, a quo oritur primum de sacramentis decretum: constat autem primum prædictæ institutionis decretum non dimanare a creatura, sed a solo Deo: siquidem quælibet creaturæ determinatio circa bonum præsupponit determinationem primæ causæ circa idem, et ab eadem oritur: ergo nulla creatura, quælibet potestas ei deferatur, valet dici vere, et proprie institutor sacramentorum. Majorem probat Vazquez: quia instituere proprie loquendo significat rem incipere; et primo decernere, atque statuere, juxta illud Ciceronis pro Cluent: «Quæso, ut me judices, sicut facere « instituistis, benigne, attenteque audiatis.» Unde colligit Vazquez nec Christum ut hominem fuisse vere, et proprie sacramentorum institutorem: quia scilicet ut homo supponebat primum aliud decretum, nempe Dei, initians sacramentorum institutionem.

rgumentum. ceron.

onfirmatio 1. Confirmatur primo: quoniam ille solus dicitur vere, et proprie sacramenta instituere, qui dat sacramentis virtutem ad producendum gratiam: sed solus Deus dat sacramentis virtutem ad producendum gratiam: ergo solus Deus potest dici vere, et proprie institutor sacramentorum: ergo purus homo, quantalibet potestate exornetur, nequit esse, aut dici institutor sacramentorum vere, et proprie. Utraque consequentia patet. Et major est propositio expressa D. Thomæ in præs. art. 2. Minor etiam constat: quia ille solus potest dare sacramentis virtutem ad producendam gratiam, qui potest gratiam principaliter producere: et solus Deus est, qui producit principaliter gratiam tam de facto, quam de possibili, ut ostendimus tract. 14, disp. 8, dub. 1. Et totus hic discursus videtur in propriis terminis D. Thomæ loco cit. ubi ait: « Virtus sacra« menti non potest esse ab eo, qui utitur « sacramento: quia non operatur nisi per « modum ministerii. Unde relinquitur, « quod virtus sacramenti sit ab eo, qui « instituit sacramentum. Cum igitur virtus « sacramenti sit a solo Deo; consequens « est, quod solus Deus sit sacramentorum « institutor. » Quare ne D. Thom. sibi manifeste, et quasi immediate contradicat; dicendum necessario apparet, quod quando loco proxime relato dicit solum Deum esse institutorem sacramentorum, loquitur de institutore vere, et proprie dicto: quando autem art. 3 et 4, significant potestatem instituendi sacramenta posse creaturæ communicari, non loquitur de institutione sumpta vere, et proprie, sed solum improprie et secundum quid.

Tho.

Confirmatur secundo, et declaratur amplius: nam qui ex sola auctoritate sibi ab alio commissa aggreditur, aut facit aliquod opus, non potest dici proprie loquendo illius operis institutor, sed merus executor. Unde cum aliquis mittit famulum, ut ejus nomine aliquid operetur; non famulus, sed dominus dicitur illius operis institutor: et ob eandem rationem in moralibus actio non tam attribuitur instrumento, quam agenti principali. Sed manifestum est nullam creaturam posse concurrere ad institutionem sacramentorum nisi ex commissione Dei, et per modum instrumenti divinæ virtuti subordinati. Ergo institutio sacramentorum non in creaturam, sed in solum Deum potest principaliter reduci: et consequenter solus Deus, non autem pura creatura potest dici vere, et proprie institutor sacramentorum. Confirmatio 2.

18. Ad argumentum, sive fundamentum Vazquii satis constabat ex dictis num. 12, ubi ab inconvenientibus ostendimus falsitatem principii quod assumit, nempe ad rationem institutoris vere, et proprie dicti necessarium est, quod nullum decretum, nullamve inchoationem supponat circa rem, quæ instituitur. Inde enim fieret fundatores Religionum non dici proprie earum institutores: quia supponebant decretum Dei, et agebant ex ejus motione, aut inspiratione. Similiter nullos homines fuisse institutores regnorum, et legum, quibus gubernantur Satisfit argumento.

gubernantur : quia supponebant circa hæc dispositionem divinam. Pariter nullos homines fuisse institutores diversarum artium, ob eandem scilicet rationem. Id vero opponitur omnium existimationi, et emendare tentat communnem modum loquendi ; cum tamen ipsa communis acceptio sicut sensum, sic etiam proprietatem sermonis in vocibus introducat. Quin ex illa Vazquii theologia fieret de nulla creatura posse dici, quod incipiat aliquod bonum facere, v. g. quod homo incipiat intelligere, velle, et similia : quia incipere non minus importat inchoationem, et primam determinationem quam instituere : ad omnem autem actionem hominis præsupponitur decretum, et inchoatio ex parte Dei : nequit ergo de homine verificari, quod vere, et proprie incipiat aliquando intelligere, velle, et similia. Quod quam absurdum sit, et contra communem omnium apprehensionem, nemo non videt. Sed ipsa absurditas docet modum argumentum diluendi, distinguendo inter inceptionem, atque institutionem per modum primi auctoris, aut primæ causæ a nullo dependentis, nullamque alterius inchoationem, aut institutionem supponentis et inter inchoationem, atque institutionem in ordine causæ secundæ, et per modum principii particularis : nam posterior ista inchoatio, atque institutio hoc ipso, quod sit causæ secundæ, nequit esse simpliciter, sive in omni ordine prima ; sed necessario præsupponit inchoationem aut institutionem Dei ut summi auctoris et primæ causæ a nemine dependentis. Quare creatura solum dicitur incipere, aut instituere aliquid in suo ordine, causæ scilicet secundæ, et dependentis a Deo. Et hoc sufficit, ut absolute, vere, et proprie dicatur incipere, aut instituere, ut patet ex communi apprehendendi, et loquendi modo, qui non alium primatum creaturæ attribuere intendit, quam in ordine causæ secundæ et per comparationem ad alias creaturas, quæ in ordine ad aliquem effectum non habent eundem primatum. Juxta quam doctrinam respondetur ad argumentum, quod solum evincit non posse creaturam dici institutorem sacramentorum per modum summi auctoris, primæ causæ, atque in omni ordine ; minime vero, quod non possit dici vere, et proprie instituere sacramenta per modum principii particularis, et in ordine causæ secundæ. Oppositum enim constat ex doctrina, et exemplis immediate propositis.

Ad primam confirmationem respondetur eodem fere modo, quod licet solus Deus det virtutem sacramentis ut summus auctor, causa prima, atque principalis gratiæ ; et eodem subinde modo sit institutor sacramentorum, nihilominus non repugnat, quod creatura ex commissione Dei, et tanquam delegatus, et instrumentum illius communicet sacramentis virtutem, aut efficaciam, ut in eorum usu gratia conferatur : nulla enim in hoc apparet contradictio, ut supra expendimus. Idque sufficeret, ut talis creatura diceretur vere, et proprie institutor sacramentorum, non quidem ut primus, aut summus eorum auctor, sed solum in suo ordine, causæ scilicet secundæ. Quod vero in hac confirmatione additur ex D. Thoma, nec illi favet, nec ullam contradictionem importat. Nam S. Doct. in secundo art. loquitur de facto, et secundum præsentem providentiam, ut liquet ex titulo, et contextu totius articuli. Et quia de facto solus Deus dat virtutem sacramentis : propterea de facto solus Deus est institutor sacramentorum. Sed in art. 4, loquitur de possibili, ut non minus liquet ex titulo, et articuli contextura. Et quia non implicat communicari creaturæ potestatem, ut vel physice vel moraliter det virtutem sacramentis ad producendum gratiam ; idcirco concludit posse creaturæ communicari potestatem excellentiæ ad sacramentorum institutionem. Nulla itaque in eis assertis occurrit contradictio : neque indigemus ea distinctione, quod Deus dicatur institutor sacramentorum vere, et proprie, creatura autem diceretur improprie, aut secundum quid. Data namque illa suppositione Deus ; et creatura dicerentur instituere, vere, et proprie : sed Deus ut summus auctor, et cum omnimoda independentia ; creatura vero ut particulare principium, et dependenter a Deo.

Occurritur primæ confirmationi.

Nota.

Ex quibus patet ad secundam confirmationem : nam doctrina majoris vera quidem est facta comparatione inter causas secundas, seu creatas : nam cum sint ejusdem ordinis, unius primatus excludit primatum, sive institutionem alterius. Unde cum unus homo agit ut delegatus, vel instrumentum alterius hominis, nempe ex ejus commissione auctoritate, aut mandato, non dicitur institutor ejus, quod ea auctoritate,

Diluitur secunda.

aut delegatione facit; sed institutoris nomen proprie, et vere soli danti potestatem, atque mandanti attribuendum est. Cæterum Deus est causa alterius ordinis, concurrensque ut summus auctor; unde quod creatura aliquid instituat ex Dei commissione, et virtute, et quod supponat primum in illo decretum, aut inchoationem; minime impedit quod (suppositis aliis conditionibus), dicatur institutor vere, et proprie in suo ordine, nempe causæ secundæ et cum dependentia a Deo, sicut ab auctore summo, et primo simpliciter institutore. Nemo namque imaginatus est attribui creaturæ alium in instituendo primatum.

ARTICULUS V.

Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint?

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod per malos ministros sacramenta conferri non possint. Sacramenta enim novæ legis ordinantur ad emundationem culpæ, et collatione gratiæ. Sed mali cum sint immundi non possunt alios a peccato mundare (secundum illud Eccles. 34: Ab immundo quis mundabitur?) et etiam cum gratiam non habeant, non videtur quod gratiam conferre possint: quia nullus dat quod non habet. Non ergo videtur quod per malos sacramenta conferri possint.

Præterea: Tota virtus sacramentorum derivatur a Christo, ut dictum est. Sed mali sunt præcisi a Christo: quia non habent charitatem, per quam membra capiti uniuntur: secundum illud primæ Joan. 4: Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Ergo videtur quod per malos sacramenta conferri non possint.

Præterea: Si desit aliquid horum, quæ debitum est esse in sacramentis, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma, vel debita materia. Sed debitus minister sacramenti est ille, qui caret macula peccati: secundum illud Lev. 21: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ante ministerium ejus. Ergo videtur quod si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

Sed contra est quod Augustin. dicit super illud Joann. 1: super quem videris spiritum, etc. Quid non noverat Joannes potestatem baptismi, ipsum Dominum habiturum, et sibi retenturum, sed ministerium plane transiturum in bonos, et malos: quid tibi facit malus minister, ubi bonus est dominus?

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri, et instrumenti. Sicut autem supra dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem ejus, a quo movetur. Et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti sicut quod corpus medici quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum, vel infirmum: et sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali.

Ad primum ergo dicendum, quod ministri Ecclesiæ neque a peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes neque gratiam conferunt sua virtute: sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta. Et ideo effectus consequitur in suscipientibus sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum.

Ad secundum dicendum, quod per charitatem membra Christi uniuntur suo capiti, ut ab eo vitam recipiant: quia, ut dicitur primæ Joan. 3: Qui non diligit, manet in morte. Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, et a se separatum, quantum ad corporis unionem, dummodo sit conjunctum per quandam motionem: aliter enim operatur artifex per manum, et aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis, et per bonos, tanquam per membra viventia, et per malos, tanquam per instrumenta carentia vita.

Ad tertium dicendum, quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Uno modo sicut existens de necessitate sacramenti, quod quidem si desit, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo est aliquid debitum esse in sacramento secundum quandam decentiam, et hoc modo debitum est, ut ministri sacramentorum sint boni.

Conclusio: *Ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiam si mali sint.*

Proposuerat D. Thomas initio hujus quæst. 64. « Considerandum est de causis « sacramentorum, sive per auctoritatem, sive « per ministerium. » Et de priori causa, instituente scilicet sacramenta, egit in quatuor articulis. Ab hoc autem artic. 5, usque ad finem quæstionis agit de alia causa, nempe de sacramentorum ministro, considerans omnia ex parte illius requisita, nempe naturam, statum, fidem, bonitatem, intentionem, et similia. Et quia in sequenti disput. hæc omnia vocabimus ad examen, explicantes, et tuentes D. Thomæ dicta: propterea prædictos articulos non transcribimus; sed immediate a nobis proponitur.

DISPUTATIO VII.

De ministris sacramentorum.

Cum plura in dubium trahi queant circa sacramentorum ministros, tam ut valide quam ut licite in administrando procedant; primo loco occurrit, quam naturam, et naturæ statum habere debeant. Et ideo sit

DUBIUM I.

Utrum ordinarius sacramentorum minister sit solus homo viator?

Nomine ministri ordinarii ille intelligitur, qui juxta institutionem Christi, et secundum communem providentiam potest sacramenta conficere, et administrare: et hic possunt dici ministri ordinarii simpliciter. Sicut e converso, extraordinarius dicitur qui ministrat non secundum hanc providentiam

providentiam communem, sed in hypothesi aliqua extraordinaria. Quod dupliciter adhuc contingere posset : primo ex nova aliqua commissione et traditione potestatis : secundo sine hujusmodi novitate, sed ex ipsa primaria Christi institutione ; quamvis modus, aut status, in quo potestas exerceretur, non foret alias communis, sed extraordinarius. Juxta quas distinctiones, dubium per partes decidemus, referendo immediate, quæ contra singulas potest opponi : nec enim præsens difficultas, alium methodum exposcit.

Nota.

§ I

Resolutio dubii quantum ad ministrum simpliciter ordinarium.

Prima conclusio.

1. Dicendum est primo ministrum simpliciter ordinarium sacramentorum esse duntaxat hominem viatorem : atque ideo Angelos non esse ordinarios sacramentorum ministros, et similiter nec animas separatas, nec homines beatos. Secunda assertionis pars infertur evidenter ex prima. Hanc autem docent communiter Theologi, et quidem in eo gradu certitudinis, ut Nugnus, et Cabrera ad artic. 7, hujus quæstionis, dicant esse certam secundum fidem, Vazquez disput. 138, cap. 1, statuat esse veritatem catholicam, quæ sine errore negari nequit, et Prado dub. 6, affirmet oppositum ejus esse temerarium propter communem consensum. Fundamentum unicum est voluntas Dei ita disponentis : de qua constat ex ipsa sacramentorum institutione. Nam videmus potestatem ministrandi sacramenta solis hominibus, et quando erant in statu viæ, communicatam fuisse, ut patet de baptismo Matth. ult. *Baptizate omnes gentes.* De pœnitentia Joan. 20 : *Quorum remiseritis peccata.* De Matrimonio Matth. 19: *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ etc.* De Eucharistia Luc. 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* De extrema unctione Jacobi 5 : *Inducat Presbyteros Ecclesiæ etc.* De Confirmatione, et ordine, quia eorum minister debet (saltem regulariter) esse Episcopus : et ad Heb. 5, dicitur : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.* Ergo Christus dedit potestatem ministrandi sacramenta solis hominibus existentibus in statu viæ.

Nugnus. Cabrera. Vasq. Prado.

Fundamentum ab auctoritate.

Math. ult. Joan 20. Math. 19. Luc. 22. Jacobi 5 Ad Heb. 5.

Congruentia.

Ratio autem congruentiæ est, quoniam sacramenta de facto instituta sunt pro ista Ecclesia militanti, humana, et visibili, nec enim locum habent in statu Ecclesiæ triumphantis, ut late ostendimus disput. 3, dub. 6 ; ergo conveniens fuit ministros simpliciter ordinarios sacramentorum pertinere ad hujusmodi Ecclesiam : sed ad illam solum pertinet homo viator, non autem Angelus, anima separata, vel homo in statu beatitudinis : ergo minister simpliciter ordinarius sacramentorum non est Angelus, nec anima separata, nec homo in statu beatitudinis, sed est solus homo viator. Confirmatur : nam oportet, quod detur proportio inter subjectum ministrans sacramenta, et subjectum, illa recipiens : sed subjectum recipiens sacramenta est solus homo viator : ergo pariter solus : homo viator est subjectum, quod potest modo ordinario (sive nullam supponente extraordinariam providentiam) illa ministrare.

Nota specialiter circa Angelos.

Et specialiter quod Angeli excludantur ab ista administratione ordinaria, probat optime D. Thomas in præs. art. 7, tum in argumento *Sed contra* his verbis : « Dicitur « ad Hebræ. 5 : Omnis Pontifex ex homi- « nibus assumptus, pro hominibus consti- « tuitur in his, quæ sunt ad Deum. Sed « Angeli boni, vel mali non sunt ex homi- « nibus. Ergo ipsi non constituuntur mi- « nistri in his, quæ sunt ad Deum. » Tum in corp. art. ubi ait : « Dicendum, quod si- « cut supra dictum est art. 3, tota virtus « sacramentorum a passione Christi deri- « vatur : quæ est Christi, secundum quod « est homo : cui in natura conformantur « homines, non Angeli; sed potius secun- « dum passionem dicitur modico ab Ange- « lis minoratus, ut patet ad Hebræ. 2. Et « ideo ad homines pertinet dispensare sa- « cramenta, et in eis ministrare, non au- « tem ad Angelos. » Qui discursus amplius explicatur in hunc modum: quoniam non decet, quod minister minus principalis sacramentorum sit in natura superior ministro principali; sed Christus est minister principalis sacramentorum secundum naturam humanam, ut docet D. Thom. art. 3, et probavimus disp. præced. num. 12. Angelus autem est superior Christo secundum naturam humanam considerato : ergo non decuit, quod Angelus esset minister ordi-

narius, et minus principalis sacramentorum.

Alia nota. 2. Sed observandum est pro legitima communis assertionis intelligentia, quod cum affirmamus solum hominem viatorem esse ministrum simpliciter ordinarium sacramentorum, non intendimus significare, quod omnis homo viator sit ordinarius, et legitimus sacramentorum minister : sed intendimus excludere alia subjecta a participatione illius prædicati, significando et naturam humanam, et statum viæ esse conditionem ad id requisitam. Ex quo tamen minime sequitur omnes homines viatores esse hoc ipso legitimos, et ordinarios ministros quorumcumque sacramentorum : quia præter illam conditionem alia etiam requisita possunt desiderari ex institutione divina. Et ita res se habet, ut docent omnes Catholici. Nam licet in baptismo possit esse minister quilibet homo ratione utens, etsi baptizatus non sit : nihilominus in aliis sacramentis plus aliquid requiritur. In matrimonio quidem ut contrahentes (qui simul sunt ejus sacramenti Ministri), sint baptizati : alias contractum præcise celebrabunt, sed sacramentum non conficient. In Pœnitentia, Eucharistia, et Extrema unctione ulterius desideratur, quod Ministri sint Sacerdotes. Denique in confirmatione, et ordinatione præter hæc omnia requiritur, quod Minister ordinarius sit Episcopus. Quæ omnia hic ut omnino certa supponenda sunt ex communi doctrina, et ex dicendis in singulis sacramentorum tractatibus.

Contra nostram assertionem non occurrit sententia, quam referamus. Nam licet Scotus in 4, dist. 6, quæst. 1, § *Respondeo*, asseruerit quidem Angelos absolute posse esse sacramentorum ministros; nihilominus facile explicari potest, ut non loquatur de ministro ordinario sacramentorum juxta præsentem dispositionem; sed absolute, sive respective ad potentiam Dei absolutam, et ad aliam providentiam. De quo dicemus infra num. 10. Solus impius Lutherus in lib. *impiissimo de abroganda Missa privata* impudenter asseruit ministros ordinarios, sive a Deo deputatos : sacramentorum esse non solum homines, aut Angelos bonos, sed etiam dæmones. Nullum tamen pro isto delirio occurrit vel leve, aut apparens motivum. Sed contra assertionem posset opponi D. August. lib, 2, *contra epist. Parmen.* cap. 15, ubi ait: « Nemo accipit sine « dante. Sed quod attinet ad baptismi « sanctitatem, adest Deus, qui dat, et ho« mo, qui accipiat, sive per se ipsum do« nante Deo, sive per Angelos. » Quibus verbis significare videtur Angelos dare gratim baptismi, et consequenter esse Ministros illius. Respondetur tamen id non esse de mente D. Augustini: quia gratiam, quæ est effectus baptismi, nunquam Deus producit se solo, et per se ipsum; sed per Ministrum. Loquitur ergo de sanctitate, aut gratia, quæ posset alias per sacramentum baptismi communicari: et hanc ait donari a Deo aliquando per se ipsum, et aliquando per Angelos. Nam ut optime tradit D. Th. in præsenti art. 7 ad 1, « illud, quod faciunt « homines inferiori modo, scilicet per « sensibilia sacramenta, quæ sunt propor« tionata modo ipsorum, faciunt Angeli « tanquam superiores ministri superiori « modo, scilicet invisibiliter purgando, il« luminando, et perficiendo. »

[Margin: Scotus. — Luther. — Explicatur D. August. — D. Tho.]

§ II.

Difficultas quantum ad homines beatos.

Secunda conclusio. 3. Dicendum est secundo homines beatos posse ministrare sacramenta absque nova commissione, aut collatione potestatis : unde si aliqui illorum ipsa ministrarent, dicerentur Ministri ordinarii quantum ad potestatem, et extraordinarii præcise quantum ad circumstantiam status : atque ideo supposito miraculo resurrectionis, absque novo miraculo possent sacramenta ministrare. Ultimæ assertionis partes facile colliguntur ex prima: in qua hominum beatorum nomine non intelligimus solas beatorum animas separatas; sed ipsos homines compositos ex anima, et corpore, ut quidam eorum de facto existunt in gloria. Et hanc assertionem docet, aut supponit D. Thom. in præs. art. 7, nam cum sibi objecisset, quod homines beati assimilantur Angelis : sed homines beati possunt ministrare sacramenta: ergo et Angeli, respondit: « Ad se« cundum dicendum, quod Sancti, qui « sunt in cœlo, sunt similes Angelis quan« tum ad participationem gloriæ, non au« tem quantum ad conditionem naturæ : « et per consequens neque quantum ad « sacramenta. » Ubi cum D. Th. facile posset negare minorem, si sentiret esse falsam

[Margin: D. Tho.]

falsam ; minime tamen negat, sed distinguendo majorem, et concedendo minorem, negat consequentiam assignando disparitatem inter homines, et Angelos. Et ponderari debet propositio Div. Thomæ quod non est similitudo inter Angelos, et homines beatos *quantum ad sacramenta* : nam ipse in corp. art. statuit, quod Angeli in potentia Dei absoluta possunt esse miraculosi, et extraordinarii Ministri sacramentorum, ut infra videbimus num. 10, ergo dum hominibus beatis plus aliquid circa hoc attribuit, sentit prædictos homines, supposito miraculo resurrectionis, posse absque alio miraculo, aut extraordinaria providentia sacramenta ministrare ; sed juxta illam, quam viatores habuerunt, commissionem, et potestatem. Unde sic communiter docent Thomistæ. Sotus in 4, dist. 1, quæst. 5, art. 7, § *Veruntamen.* Martinus de Ledesma 1, part. 4, quæst. 5, Nugnus in præs. art. 7, dub. unico, Prado dub. 6, num. 29, Gonet disp. 6, art. 1, conci. 3, N. Philippus disp. 8, dub. 1, Sylvester verbo *Baptismus* 3, quæst. 2, Tabiena eodem verbo *Baptismus* 6, § 4, et alii plures. Idem etiam tuentur Henriquez lib. 1, *de sacramentis*, cap. 26, num. 2, Suarez in præs. in Comment. ad art. 7 et disp. 13 sect 1, Aversa quæst. 64, sect. 2, § *Tertio*, Dicastillo disp. 4, num. 38, Diana part. 12, tract. *de consecrat. Episcop.* resolut. 111, Philibertus, Trullench, Leander, et alii apud Pradum ubi supra.

Probatur unico, sed satis efficaci fundamento : quoniam si beatus, v. g. quidam Sacerdos, resurgeret; posset (supposito resurrectionis miraculo) habere omnia requisita ad conficiendum juxta institutionem Christi, et providentiam illi conformem varum sacramentum Eucharistiæ; sed eadem ratio militat in aliis beatis respective ad alia sacramenta : ergo homines beati possunt absque alia commissione, vel potestate, vel extraordinaria providentia (præter illam, quæ in miraculo reassumendi corpus intervenit,) conficere, et ministrare sacramenta. Minor, et consequentia patent. Major autem suadetur : quia talis Sacerdos resurgens, et existens in statu beatitudinis retineret characterem sacerdotalem, ac perinde potestatem sacerdotalem ad consecrandum, ut cum communi sententia statuimus disp. 5, dub. 4. Aliunde vero posset habere præsentem debitam materiam, nempe panem triticeum. Deinde posset proferre super illam formam legitimam, nempe formam consecrationis verbis humanis. Ergo posset conficere sacramentum Eucharistiæ juxta institutionem Christi, et providentiam illi conformem. Patet consequentia : quia juxta prædictam institutionem est, quod concurrentibus Ministro, potestate, materia, et forma, conficiatur verum sacramentum. Sicut generale est aliquid fieri, aut perfici, ubi concurrunt cuncta requisita tam intrinseca, quam extrinseca, quæ ad ejus esse desiderantur.

4. Confirmatur; quia omnes concedunt, quod si aliquis Sacerdos resurgeret in statu mortalitatis, sive iterum moriturus; posset utique de lege ordinaria conficere sacramentum Eucharistiæ: quippe qui per mortem non amiserat characterem, et potestatem sacerdotalem: ergo idem dicendum est de eodem Sacerdote, si resurgeret in statu beatitudinis, et non moriturus ultra. Probatur consequentia, tum a paritate desumpta ex conservatione characteris Sacerdotalis : tum quia status beatitudinis nihil diminuit de Sacerdotali potestate, nec hominet magis deprimit, quam status viæ. Tum et præcipue, quia quod status viatoris requiratur essentialiter ad conficiendum sacramenta, nec est revelatum in Scriptura, nec traditum in Conciliis, nec assertum a Patribus, nec stabilitum communiter a Theologis, nec hactenus probatum aliquo solido fundamento, ut infra constabit. Ergo ab hoc capite inepte, et inconsequenter diceretur, quod licet Sacerdos resurgens in statu mortalitatis queat sacramentum de lege ordinaria conficere; id tamen non possit Sacerdos resurgens in statu beatitudinis.

5. Unde colligimus, quod si talis Sacerdos consecraret; Eucharistia, quam conficeret, adorari, et coli deberet sicut verum sacramentum continens realiter corpus Christi, sicut quælibet alia Eucharistia consecrata a Sacerdote viatore. Quin ipse beatitudinis status nos magis certos redderet de intentione Ministri, et valore sacramenti, quam si a Sacerdote viatore fieret consecratio: quia in Sacerdote beato non esset aliquis defectus circa intentionem, et alia; qui tamen solet esse in viatoribus, licet aliquando lateat. Colligimus secundo, quod si Sacerdos beatus absolveret pœni-

Secundum. tentem a peccatis; teneret absolutio, et verum conficeretur pœnitentiæ sacramentum. Ratio constat ex dictis: quoniam in tali casu possent concurrere omnia requisita tam ex parte materiæ, et formæ, quam ex parte potestatis: his autem positis verum conficeret sacramentum. Et deinde nullum rationabile fundamentum occurrit, ut dicatur Sacerdotem beatum, si consecret, verum conficere sacramentum Eucharistiæ; eundem vero Sacerdotem, si absolvat, non conficere verum sacramentum pœnitentiæ.

Tertium. Colligimus tertio pœnitentem absolutum a Sacerdote beato non teneri confiteri postea eadem peccata Sacerdoti mortali. Sic

Lugonis opinio. statuimus contra Lugonem lib. 1, *resp. moral.* dub. 16. Cujus fundamentum est, quod licet aliquis absolveretur a Sacerdote beato, semper tamen esset cum onere confitendi peccata Ministris Ecclesiæ visibilis. Idque probat: nam in cap. *Omnis utriusque sexus, de pœnit. et remiss. et in Concilio Tridentino* sessione 14, capit. 5 et 6, præcipitur, ut quis confiteatur sua peccata proprio Sacerdoti: hujus autem nomi-

Rejicitur. ne Sacerdos viator intelligitur. Sed nostra resolutio probatur destruendo prædictum motivum: nam qui legitime, et directe absolvitur a peccatis intra verum pœnitentiæ sacramentum, non tenetur eadem peccata confiteri, aut alteri Ministro submittere: sed qui a Sacerdote non beato absolveretur, consequeretur legitimam, et directam peccatorum remissionem, non minus quam si ab alio Sacerdote non beato absolveretur: quippe adesset eadem potestas ex parte Ministri, eadem confessio ex parte pœnitentis, et concurrerent alia requisita: unde talis confessio esset simpliciter valida, ut non negat Lugo: ergo pœnitens non teneretur eadem peccata alteri Sacerdoti mortali iterum confiteri: et oppositum minus consequenter asseritur. Eo vel maxime, quod Sacerdos beatus non aggrederetur, nec ulla ratione tentare posset absolvere, in pœnitentiæ sacramento pœnitentem a peccatis, nisi sacramentum pœnitenti proficeret, ac subinde ipsum eximeret ab onere eadem peccata iterum confitendi: non enim queunt beati concurrere ad actus otiosos, et impertinentes. Unde ubi certo moraliter constaret Sacerdotem absolventem esse beatum; ex hoc ipso absque nova revelatione, aut dispositione certo moraliter simul constaret absolutionem esse veram, legitimam, et directam, atque ideo relinquere pœnitentem liberum ab obligatione confitendi illa peccata. Et ideo totum studium in eo poni de- Nota. beret, ut certo moraliter (id est, seclusa omni deceptione, et fallacia, quæ in apparitionibus similibus contingere solent), constaret de absolutione facta a Sacerdote beato: nam hoc posito cætera, quæ diximus, summa connexione sequuntur. Et motivum oppositum non urget: nam Concilium Tridentinum, et Innocentius Tertius in cap. cit. loquuntur per se, et de ministris simpliciter ordinariis, quos nos adire possumus nullo præsupposito miraculo: his enim per se loquendo debemus confiteri peccata. Sed minime negant, quod si (supposito miraculo resurrectionis) adesset sacerdos beatus; posset a peccatis absolvere, et legitimum perficere sacramentum. Sicut enim ex præmissa Concilii, et Pontificis doctrina nullus rationabiliter colliget, quod si sacerdos resurgeret in statu mortalitatis, non posset quis ab illo absolvi, vel quod peccata, a quibus absolveretur, deberent rursus manifestari, et subjici alteri sacerdoti: sic nec ex prædicta doctrina similia inferri debent, aut valent; licet sacerdos resurgat in statu beatitudinis: quia hic status nec inferior est, nec aliquid diminuit de potestate sacerdotali.

6. Contrariam nostræ assertioni senten- Opinio contraria. tiam defendunt Alensis 4 part. quæst. 16, memb. 4, Vazquez disp. 134, cap. 5, Lugo Alensis. Vasq. disp. 8, sect. 1, Bernal disp. 17, sect. 1, Lugo. § 2, Ochagavia quæst. 16, n. 8 et alii: cum Bernal. Ochagavia. quibus ex Thomistis sentit Cabrera in præs. Cabrera. art. 7, a n. 8. Pro qua opinione arguitur Argumentum. primo: quoniam sacramenta data sunt Ecclesiæ militanti, ut ab ipsa ministrentur per ministros suos, sive in eadem Ecclesia existentes: sed hujusmodi non sunt homines beati; siquidem in hac Ecclesia non existunt, nec eidem subduntur: ergo homines beati nequeunt esse ministri nostrorum sacramentorum. Confirmatur: quia inter Confirmatio. ministrum, et subjectum sacramentorum debet dari proportio, ut supra nu. 1, arguebamus: sed homines beati non sunt subjecta capacia recipiendi sacramenta, ut ostendimus disp. 3, dub. 6, ergo homines beati non sunt nec esse valent ministri sacramentorum. Eo vel maxime, quod Christus instituens sacramenta, et conferens potestatem illa administrandi, solos homine mortales,

mortales, et in statu viæ existentes alloquebatur, ut num. 1 ponderavimus : ergo soli homines viatores, non autem beati, sunt capaces, et idonei sacramentornm ministri.

tur u-um. Ad argumentum respondetur concedendo sacramenta instituta fuisse pro Ecclesia militante, ipsamque habere potestatem assignandi eorum ministros, qui erunt simpliciter ordinarii juxta superius dicta in prima assertione. Sed id minime impedit, quod homines resurgentes in carne mortali, vel immortali possint (supposito hoc miraculo) potestate antiqua, et subinde ordinaria conficere sacramenta : quia nec resurrectio, nec alius status eam potestatem ta. evacuat, ut supra ostendimus. Et notandum est, quod licet homo resurgens beatus non pertineat ad Ecclesiam militantem permanenter : potest tamen in illa existere transeunter, et quandiu in illa sic fuerit, sacramenta ministrare. itur ir-io. Ad confirmationem dicimus doctrinam in majori contentam procedere facta comparatione inter subjectum sacramenti, et ministrum simpliciter ordinarium, qui nullum miraculum præsupposuit : sed non verificari habito respectu ad ministrum, qui aliquod miraculum præsupponat. Et distinguendo majorem in hoc sensu, et concedendo minorem, negamus absolute consequentiam. Ratio autem disparitatis est satis perspicua : quoniam recipere sacramenta est proprium ejus, quod potest primam gratiam suscipere, vel augeri : beati autem ex vi sui status nequeunt ita comparari ; cum sint in termino, et habeant gratiam consummatam : et ideo non sunt subjecta capacia suscipiendi sacramenta. Sed minister sacramentorum constituitur per potestatem illa conferendi perficiendo alios : quæ potestas minime pugnat cum statu beatitudinis, sed potius importat perfectionem : et ideo homines, licet beati, possunt sacramenta ministrare. Unde pariter evacuatur difficultatis augmentum : nam licet Christus, cum institueret sacramenta, solos homines viatores alloqueretur, quos tantum præsentes habebat ; nihilominus sine fundamento diceretur ejus institutionem non fuisse absolutam, sed conditionatam, et alligatam statui viæ. Et oppositum liquet in ordinatione Apostolorum in sacerdotes : nam licet in statu viæ ordinati fuerint a Christo, nihilominus in patria retinent characterem, et ordinis potestatem.

7. Arguitur secundo : quoniam homines beati nequeunt aliqua sacramenta conficere, et ministrare : ergo nullius sacramenti queunt esse ministri. Consequentia patet quia eadem apparet omnium ratio. Antecedens autem probatur : tum in sacramento Eucharistiæ, nam licet homines beati retineant etiam post diem judicii characterem sacramentalem ; nihilominus tunc non poterunt illam conficere : eorum namque potestas ligata est, ut non extendatur ultra judicii diem, ut aperte significat Apost. 1, *ad Corinth*. 11, illis verbis : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Tum in sacramento extremæ unctionis : nam illud requirit et *presbyteros Ecclesiæ, et orationem fidei*, ut constat Jacobi 5. Presbyteri namque Ecclesiæ sunt homines in hac Ecclesia degentes; et oratio fidei non habet locum in beatis, quorum preces non procedunt ex fide, sed ex visione clara. Tum denique in sacramento matrimonii : nam cum ejus ministri sint ipsi contrahentes, ejusque vinculum non duret, nisi usque ad mortem unius conjugis ; evidens apparet ejus ministros non posse esse homines beatos, sed debere esse determinate homines viatores.

Secundum argumentum. — 1, Ad Corinth. 11. — Jacobi 5.

Respondetur argumentum nihil ex vi formæ probare, nec aliquid contra assertionem nostram concludere : nam cum indefinita sit, ad ejus veritatem sufficit posse beatos ministrare aliqua sacramenta ; quidquid fuerit de potestate ad aliorum administrationem. Unde concesso antecedenti, neganda foret consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod in omnibus sacramentis, in quibus minister est præcise minister, occurrit eadem ratio quantum ad præsentem considerationem : unde affirmamus beatos posse talia sacramenta conficere. Sed si detur aliquod sacramentum, cujus minister debeat etiam esse ejusdem subjectum, non poterit a beato ministrari : quia beatus nequit sacramenta, aut eorum gratiam suscipere, ut num. præced. dicebamus. Et hæc sufficiebant ad dilutionem objectæ difficultatis. Sed nihilominus ad singulas antecedentis probationes (quibus utitur specialiter Lugo), quatenus præmissæ doctrinæ opponi queunt, respondendum est. Ad primam concedimus nec in cœlo consecrari, aut existere Eucharistiam, nec post diem judicii, aut finem mundi conse-

Responsio.

crandam esse, quia Deus ita statuit, ut probari concedimus Apostoli testimonio. Sed tamen inde nec per umbram colligitur, quod si resurgeret sacerdos beatus, non posset in Ecclesia militante, potestate ordinaria, et legitima, quam retinet, prædictum sacramentum conficere. Ad secundam concedimus Jacobum nominasse quidem Presbyteros Ecclesiæ, quos fideles infirmi possunt ad se vocare. Sed inde non sequitur, quod si adesset (supposito resurrectionis miraculo) presbyter beatus, non posset idem sacramentum, et eadem potestate conferre. Et similiter non sequitur, quod oratio fidei requiratur determinate in tali ministro; sed requiritur in ministro viatore : in alio autem sufficeret oratio, licet ortum duceret a nobiliori principio. Ad tertiam respondemus ministros sacramenti matrimonii esse simul ejusdem sacramenti, et gratiæ ab eo productæ subjecta. Unde cum beati nequeant sacramenta, et novam gratiam suscipere ; nequeunt consequenter celebrare, aut conficere sacramentum matrimonii. Sed inde nequit trahi consequentia ad sacramenta alia, quæ ministri queunt conficere in aliis, ipsa non recipiendo in se. Ista namque ob oppositam rationem beati possunt optime administrare.

Tertium argumentum. 8. Arguitur tertio : nam si homo, qui fuit Summus Pontifex, resurgeret beatus, non posset regere Ecclesiam, nec ad id jurisdictionem haberet : alias contingens esset dari in Ecclesia duo suprema capita ; nempe Pontificem nunc regnantem, et Pontificem, qui a mortuis resurgeret ; quod est absurdum : ergo pariter, si homo, qui fuit sacerdos, resurgeret ; non posset conficere sacramenta. Patet consequentia a paritate : nam sicut sacerdoti correspondens potestas conficiendi sacramenta, ita Summo Pontifici potestas Ecclesiam regendi. Confirmatio. Confirmatur : nam sacerdos resurgens beatus non posset absolvere a peccatis : ergo nec alia sacramenta conficere. Probatur antecedens : quia ad absolvendum a peccatis requiritur ultra potestatem ordinis potestas jurisdictionis, quæ confertur per prælatos Ecclesiæ : ridiculum autem apparet, quod beatus mendicaret jurisdictionem ab hujusmodi prælatis existentibus in statu adeo inferiori mortalitatis : ergo sacerdos resurgens beatus non posset a peccatis absolvere.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondemus regerendo illud in Adversarios, qui communiter, et merito docent, quod si ille, qui fuit sacerdos, resurgeret in carne mortali, sive iterum moriturus, posset ordinaria potestate conficere sacramenta : et tamen si ille, qui fuit Summus Pontifex, resurgeret in carne mortali, non haberet jurisdictionem ordinariam ad regendum Ecclesiam : oportet igitur recognoscere tam inter prædictos casus differentiam, quam argumenti debilitatem. Concesso itaque antecedenti, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod sacerdos constituitur per characterem indebilem, et dantem potestatem ordinis ad sua munera : unde sive sacerdos vivat hanc vitam, sive a mortuis resurgat in carne mortali, aut immortali, semper habet illam potestatem in ordine ad prædictos effectus. Cæterum homo non fit Summus Pontifex aliqua consecratione, aut charactere, sed sola potestate jurisdictionis super universalem Ecclesiam, ut diximus tract. 17, disp. 4, dub. 1, num. 21, quæ jurisdictio potest cessare, et cessat non solum morte Pontificis, sed etiam per Papatus abdicationem, ut contigit in Sancto Petro Cœlestino. Unde cum Pontifex moritur, exuit potestatem Pontificis, quam habebat : et consequenter licet resurgat, non habet prædictam potestatem, sed perinde se habet ad ejus effectus, ac si Pontifex nunquam fuisset. Adde, quod concursus plurium supremarum potestatum jurisdictionis in pontifice regnante, et in Pontifice resurgente obstaret unitati, et paci Ecclesiæ, et perfectioni regiminis Ecclesiastici : unde merito præsumimus, quod qui fuit Pontifex, non resurgeret cum antiqua supremæ jurisdictionis potestate. Quod inconveniens nec apparenter militat in sacerdote resurgente : quia inconveniens non est dari in pluribus sacerdotibus plures potestates ordinis.

Occurritur confirmationi. Ad confirmationem respondetur negando antecedens, cujus oppositum satis constat ex dictis n. 5. Ad antecedentis autem probationem respondetur nullum esse inconveniens, quod sacerdos resurgens beatus potestatem jurisdictionis ab Ecclesiæ prælatis acciperet. Cui autem id appareat inconveniens, dicere poterit, quod in eo casu extraordinario sacerdos, qui resurgeret, sicut a Deo ad nos mitteretur, sic etiam a Deo haberet potestatem jurisdictionis, quin opus

opus esset illam ab aliis emendicare. In quo nec ulla est repugnantia, nec aliquod inconveniens.

lica. 9. Sed insistes : nam si ea, quæ diximus, vera sunt, sequitur sacerdotes damnatos habere potestatem absolvendi, et consecrandi, et similiter Episcopos damnatos habere potestatem ordinandi sacerdotes. Ex quo ulterius fieret posse in inferno dari absolutionem a peccatis, consecrationem Eucharistiæ, et ordinationem sacerdotum. Et præterea fieret, quod si damnati resurgerent, possent hæc omnia apud nos exercere. Quæ apparent absurda, et prorsus incredibilia : nam cum damnati summo odio Deum prosequantur ; existimandi sunt prædicta exequi ex intentione irrogandi Deo injuriam, atque ad illudendum sacramentis.

irui-ur. Respondetur concedendo sacerdotes, et Episcopos damnatos retinere potestatem ordinis de se, atque in proprio ordine sufficientem ad prædictos effectus : retinent namque characterem sacramentalem, ut diximus disp. 5, dub. 4, n. 63 ; character autem ordinis per se ipsum importat ejusmodi potestatem, ut ibidem diximus n. 67. Cum vero ulterius subinfertur sacerdotes, et Episcopos damnatos posse conficere sacramenta in inferno, absolvendo, consecrando, aut ordinando ; negamus omnino sequelam : quia sicut in cœlo, sive statu beatitudinis hæc exerceri non valent, ut diximus n. 6. Sic etiam et a fortiori exerceri non valent in inferno, aut statu damnationis. Et ratio est eadem : quia ad conficiendum sacramenta non sufficit sola potestas ex parte ministri, sed requiritur etiam capacitas ex parte subjecti : beati autem, et damnati non sunt subjecta capacia recipiendi sacramenta, et eorum effectus : tum quia sunt in termino : tum quia beati habent gratiam consummatam, damnati vero nullam gratiam recipere queunt: unde fieri non potest, quod ulla sacramenta ministrentur in cœlo, vel in inferno. Denique cum ultimo subinfertur, quod sacerdotes, et Episcopi condemnati, si venirent ad nos, possent eadem, quæ olim, sacramenta ministrare ; quidam responderet habituros quidem ad id potestatem, Deum tamen non permissurum talem administrationem : sicut certum est dæmonem posse plura facere, quæ non facit : quia Deus suspendendo suum concursum id non permittit. Et ita nobis verosimilius apparet, quod re ipsa contingeret, facta etiam suppositone, quod Deus permitteret sacerdotum damnatorum ad nos regressum. Sed hoc præsupposito, et absolute loquendo nullam videmus repugnantiam in eo, quod damnati, si ad nos venirent, ministrarent sacramenta : quia absolutam haberent ad id potestatem, et possent habere sufficientem intentionem ad valorem sacramenti, licet talis intentio ob pravum finem esset moraliter mala, sicut generaliter in omni damnatorum operatione contingit. Potestque resolutio ista confirmari exemplo paganorum, hæreticorum, peccatorum obstinatorum, et pessimorum hominum, qui non obstantibus eis indispositionibus, et perversitate finis operantis, possunt absolute ministrare valida sacramenta, ut docet D. Thom. art. 5 et 9, infra num. 53, videbimus.

§ III.

Difficultas quoad ministerium extraordinarium Angelorum.

10. Dicendum est tertio sanctos Angelos esse posse ministros extraordinarios sacramentorum ; non quidem ex institutione facta olim a Christo Domino, sed per miraculum, et insolita Dei commissione. Hæc assertionis limitatio satis constat ex dictis num. 1, ubi ostendimus Christum solis hominibus dedisse potestatem ministrandi sacramenta. Sed assertionem ipsam cum prædicta limitatione docet D. Thom. in præs. cui subscribunt non solum discipuli, sed communiter alii Theologi, ut testatur N. Franciscus loco supra cit. num 20. Videantur Suarez disp. 13, sect. 1, § Tandem, Nugnus, et Cabrera ad art. 7, Prado dub. 6, § 1 et 2, et Gonet disp. 6, art. 1, concl. 2. Probatur auctoritate simul, et optima ratione D. Thomæ art. 7, ubi postquam dixit non Angelos, sed homines esse ministros sacramentorum, nempe secundum primævam Christi institutionem, et providentiam communem, statim subdidit : « Sciendum tamen quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre : ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tri-

Tertia conclusio. D. Tho. N. Fran. Suarez. Nugnus. Cabrera. Prado. Gonet. Ratio D. Thomæ.

« buere ministrandi in sacramentis. Et « quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si « aliquod sacramentale ministerium a bo- « nis Angelis perficeretur, esset ratum « habendum : quia deberet constare hoc « fieri voluntate divina : sicut quædam « templa dicuntur angelico ministerio « consecrata. » Et similia tradidit in 4, dist. 5, quæst. 2, art. 3, quæstiunc. 2.

Confirmatio. Confirmatur : nam de facto Sancti Angeli ministraverunt aliqua sacramenta : ergo esse possunt extraordinarii eorum ministri. Consequentia patet. Et antecedens constat ex historiis, seu relationibus fide dignis : nam Nicephorus lib. 11 *Hist. Ecclesiasticæ* cap 20, testatur S. Amphilochium fuisse ab Angelis in deserto consecratum in Episcopum, cæterosque Episcopos istam consecrationem ratam habuisse. Sabellicus lib. 2, cap. 2, Volaterranus lib. 17, et alii plures referunt S. Onuphrium anachoretam solitum fuisse recipere de manu Angeli Eucharistiam omnibus diebus Dominicis. D. Antoninus 3, part. historiali tit. 24, cap. 13, § 3. Episcopus Aquilinus, et alii tradunt Angelum consecrasse calicem B. Proculo Episcopo, et martyri. Aliaque similia, et magis recentia exempla erudite congessit Prado loco supr. citat. a num. 18. Unde audiri non debent Bernal, et quidam alii recentiores, id aliquando factum negantes, et historiam Nicephori de Amphilochio contemnentes. Nam majorem longe auctoritatem habent cæteri (et sunt communiter omnes) qui prædictam historiam admittunt, ut recte expendit Diana num. 3, relatus. Et plane sicut ministri ordinarii ad conficiendum, seu ministrandum sacramenta sunt homines, et non Angeli, sic etiam ad consecrandum templa : quo non obstante Angeli aliquando templa consecrarunt, ut notissimum est in dedicatione templi S. Michaelis in monte Gargano, cujus meminit D. Thom. loco supra citat. ex 4 *sentent.* ubi ait : « Si Angelus baptizaret, non esset re- « baptizandus, dummodo constaret, quod « bonus Angelus esset. Sicut et judicatum « est templum, quod per Angelos conse- « cratum est, non oportere per hominem « consecrari, ut legitur in historia dedi- « cationis S. Michaelis. »

[Niceph.] [Sabellic.] [Volater.] [D. Anton.] [D. Tho.]

[...]cidens [qu]æstio. 11. Hæc communiter recipiuntur. Sed magis dubitari potest, an sacramenta, quæ Angeli conficerent essent ejusdem rationis cum nostris. Et ratio dubitandi est : quoniam nostra sacramenta constant essentialiter ex rebus, et verbis, ut vidimus disput. 2, dub. 1, sed verba ab Angelis formata non essent vere verba, neque ejusdem rationis cum nostris : quippe Angeli in corporibus assumptis, sicut non vivunt, aut eliciunt actiones vitales corporeas, sic etiam non possunt vere, et proprie loqui, sed solum formare aliquos sonos in aere ad instar vocum humanarum, ut docet Div. Thom. 1 part. quæst. 51, art. 3 ad. 4 ; ergo Angeli non possunt conficere, aut ministrare sacramenta ejusdem rationis cum nostris. D. Tho.

Aliquorum placitum. Propter hanc difficultatem non desunt Auctores etiam ex Thomistis, qui ita affirment, nempe Angelos posse efficere ex dispensatione eandem gratiam, eundem characterem, aut alios effectus, qui per nostra sacramenta solent produci, quin et posse vera sacramenta conficere : sed minime posse conficere sacramenta ejusdem rationis cum nostris ; sed quæ necessario forent alterius generis, ut propositum motivum, cui cedunt, videtur evincere. Quæ doctrina potest probabiliter sustineri. Absolute tamen nobis non arridet. Primo quia non videtur ad mentem Div. Thomæ in præs. art. 7; nam S. Doctor illa sacramenta negat posse confici ab Angelis sicut a ministris ordinariis, et concedit posse ab eisdem ministrari sicut a ministris extraordinariis, quæ homines ut ministri ordinarii conficiunt : sed hæc sunt determinate sacramenta nostra, quæ de facto existunt : ergo ex sententia Div. Thomæ Angeli non solum possunt producere effectus nostrorum sacramentorum, et efficere alia sacramenta diversæ rationis, sed possunt etiam ut ministri extraordinarii hæc ipsa nostra sacramenta conficere. Secundo, nam ideo illi Auctores asserunt cum Div. Thoma Angelos ex divina dispensatione posse efficere gratiam, aut alios effectus nostrorum sacramentorum, quia virtus divina non est alligata nostris sacramentis, sed potest prædictos effectus vel per se solum, vel per ministerium Angelorum efficere : atqui nec virtus divina ad conficiendum sacramenta nostra est alligata hominibus : ergo sicut sacramentorum effectus, sic etiam ipsa nostra sacramenta conficere potest independenter ab hominibus, vel per se ipsum solum, vel Angelorum ministerio. Tertio, quia si prædictum motivum aliquid valeret, suaderet utique nec Deum ipsum utentem Displic.

sua

sua omnipotentia posse sine nobis concurrentibus efficere sacramenta nostra, aut ejusdem rationis cum nostris : implicat enim actionem vitalem humanam fieri sine homine, aut quod voces sint vere humanæ, homine non concurrente:consequens autem apparet nimis durum, et derogans divinæ virtuti : ergo prædictum motivum plus æquo concludit, et sic prodit falsitatem assumpti.

[...]iti- [...]re- [...]tio. Quare censemus Angelos ex dispensatione divina posse conficere, et ministrare sacramenta ejusdem formalis rationis cum nostris. Et fundamentum præter proxime insinuata (quo simul diluitur motivum contrarium) est : nam licet verba prolata ab Angelis non sint ejusdem rationis cum nostris in esse entis, possunt tamen esse ejusdem specificæ, et formalissimæ rationis in esse signi sensibilis, sive in repræsentando signatum. Sive enim homo, sive Angelus, sive solus Deus dicant hæc verba : *Ego te baptizo;* idem omnino potest repræsentari, nempe ablutio externa, aut interna. Quare etsi prædicta verba a diversis prolata sint diversa in esse entis ; nihilominus possunt esse formaliter eadem in esse signi. Et cum sacramenta constituantur formaliter in genere non entis, aut causæ, sed signi, ut statuimus disp. 1, dub. 1, tota diversitas prædictorum verborum, cum ab homine, et Angelo proferuntur, est de materiali ad rationem sacramenti : atque ideo minime impedit, quod Angelus, et homo conficiant idem formaliter sacramentum in esse talis. Possunt igitur Angeli, quidquid sit de qualitate actionis, qua verba formant, conficere, atque ministrare sacramenta ejusdem rationis cum nostris.

[...]ctio. 12. Nec refert, si opponas præmissam a nobis doctrinam eodem modo applicari posse Angelis malis, sive dæmonibus, nempe posse vera sacramenta conficere ex divina dispensatione. Id autem apparet durissimum, et incredibile, ut scilicet ministri perditionis fiant instrumenta salutis. Et D. [...]Tho. Thomas in hoc art. 7 ad 3, inquit, « quod « mali homines non habent, quod possint « ministrare in sacramentis ex hoc, quod « per malitiam sunt membra diaboli. Et « ideo non sequitur, quod diabolus, qui est « eorum caput, magis hoc possit. » Quibus satis insinuat dæmones esse non posse ministros sacramentorum.

Id, inquam, non refert : quoniam si objectio referat casum ad metaphysicam possibilitatem : nullam implicationem videmus in eo, quod dæmones secundum extraordinarissimam providentiam ministrarent vera sacramenta : et nescimus illationem subterfugere. Deus namque sicut de facto utitur ministris, alias pessimis, ut hæreticis, et paganis ad conficiendum sacramentum baptismi, ut supra dicebamus num. 9, sic etiam uti posset ipsis dæmonibus. Et ratio a priori traditur a Div. Thom. in præs. art. 5, quia scilicet ministri sacramentorum non influunt in eorum effectum per propriam virtutem, sed virtute Dei, et tanquam ejus instrumenta. « Et ideo accidit instrumento, in quantum « est instrumentum, qualemcumque for« mam, vel virtutem habeat, præter id, « quod exigitur ad rationem instrumenti. « Sicut quod corpus medici, quod est ins« trumentum animæ habentis artem, sit « sanum, vel infirmum : et sicut fistula, per « quam transit aqua, sit argentea, vel plum« bea. Unde ministri Ecclesiæ possent sa« cramenta conferre, etiam si sint mali. » Satisfactio. D. Tho.

Nota. Nihilominus de facto dæmones non ministrant sacramenta, nec id decet, ut probat motivum, et auctoritas Div. Thomæ objectioni inferta. Unde notanda est differentia inter sacramenta ministrata ab Angelis bonis, et malis : nam ubi constaret bonum Angelum ministrasse aliquod sacramentum ; illud tanquam verum, et ratum haberi deberet, ut tradit, et bene probat Div. Thom. num. 10 relatus. Sed ubi constaret aliquod sacramentum ministratum fuisse ab Angelo malo ; illud non deberet ut verum admitti, sed magis repelli tanquam fictio diabolica. Nam, ut inquit Div. Thomas in 4, dist. 5, quæst. 2, art. 3, quæstiunc. 1 : « Si baptizare se fingeret, semper esset « timendum, quod non faceret intentione « baptizandi, quæ ad sacramentum exigi« tur ; sed intentione decipiendi : quia non « esset probabile, quod tantum bonum ho« mini procuraret, sicut est spiritualis « regeneratio. » Quare tenendum est sacramentum a dæmone administratum nunquam posse, aut debere prudenter, et citra periculum ut verum sacramentum admitti, nisi adsit nova, quasi reflexa, et evidentissima revelatio, manifestans id factum fuisse speciali Dei dispensatione, et jussione : quod non implicare supra asseruimus. D. Tho.

DUBIUM II.

An, et quæ intentio in ministro requiratur ad valorem sacramenti.

Succedit, ut post assignatum sacramentorum ministrum, describamus conditiones in eo principaliter requisitas. Et communiter tres assignantur, nempe intentio, fides, et sanctitas : de quibus oportet eodem ordine dicere. Intentionis autem nomine non significamus determinate illum voluntatis actum, qui est efficax amor finis, ex quo provenit electio mediorum : sed universali usurpatione significamus propositum, sive deliberationem voluntatis. Secundum quam acceptionem cuncta, quæ fiunt ex proposito, dicuntur fieri ex intentione : et illa tantum, quæ a casu fiunt, dicuntur præter intentio-
Aristot. nem fieri, ut sumitur ex Aristot. lib. 3, *Ethicor.* cap. 2, et lib. 6, cap. 9. Et in hoc sensu inquirimus, utrum præter materiam, et formam, et istarum utcumque concursum requiratur ad sacramenti valorem intentio ex parte ministri, quæ materiam, et formam exhibeat, uniat, applicetque subjecto? Et rursus, qualis debet esse hujusmodi intentio, ut validum sacramentum efficiat. Ut autem priori parti, quæ facilior est, occurramus.

§ I.

Asseritur veritas catholica, et ab objectionibus vindicatur.

Prima conclusio. 13. Dicendum est primo ad valorem sacramenti non sufficere, quod minister materiam, et formam exhibeat, sive applicet utcumque, utputa a casu, per jocum, per solam repræsentationem, aut irrisorie : sed necessarium esse, quod prædicta exhibeat, applicetque serio, sive ex intentione, aut proposito faciendi saltem, quod facit Ecclesia. Hæc conclusio est de fide, eamque proinde unanimiter defendunt omnes Doctores catholici, quorum aliquos dabimus num. 21 et 27. Probatur primo ex diffinitionibus Ecclesiæ : nam Concilium Florentinum *in decreto fidei* statuit : « Hæc omnia « sacramenta tribus perficiuntur, videlicet « rebus tanquam materia, verbis tanquam « forma, et persona ministri conferentis « sacramentum cum intentione faciendi, « quod facit Ecclesia. » Deinde Concilium

Præcipuum fundamentum. Concil. Florent.

Tridentinum sess. 7, can. 11, decernit : « Si quis dixerit in ministris, dum sacra- « menta conficiunt, non requiri intentio- « nem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, « anathema sit. » Et Martinus V, in fine Concilii Constantiensis jussit suspectos in fide rogari : « An credant, quod malus « sacerdos cum debita materia, et forma, et « intentione faciendi, quod facit Ecclesia, « vere conficiat, vere absolvat, et vere « conferat alia sacramenta. » Ubi liquido supponit prædictam intentionem requiri. Unde Leo X, *in Bulla contra Lutherum* damnavit duodecimum ejus articulum, qui erat hujusmodi : « Si sacerdos non serio, « sed joco absolveret, si tamen credat quis « se esse absolutum, verissime est absolu- « tus. » Et id ipsum reprobat Concilium Tridentinum sess. 14, can. 9, illis verbis : « Si quis dixerit absolutionem sacramen- « talem sacerdotis non esse actum judicia- « lem, sed nudum ministerium pronun- « tiandi, et declarandi remissa esse peccata « confitenti, modo tantum credat se esse « absolutum, aut sacerdos non serio, sed « joco absolvat etc. anathema sit. » Quæ omnia sunt tam perspicua, ut contraria nostræ assertioni sententia nequeat non esse hæresis notoria. Confirmatur : quia nulla est ratio, nullum etiam ab auctoritate fundamentum ad hoc, quod magis requiratur intentio recipiendi sacramentum ex parte recipientis, quam intentio conferendi sacramentum ex parte ministri : sed ex parte recipientis requiritur intentio recipiendi sacramentum : unde baptismus collatus absque intentione, et consensu recipientis (si sit adultus), est invalidus, ut diffinit Innocentius III, in cap *Majores de baptismo* : ergo pariter sacramentum collatum absque intentione ministri non perficitur, nec est vere sacramentum.

Concil. Trident. Martinus V. Leo X. Concil. Triden. Fulcitur. Innoc. III.

14. Deinde probatur conclusio ratione quasi a priori, desumpta scilicet ab ipsa sacramentorum institutione ; quoniam licet Deus potuerit ita disponere, quod ubi minister exhiberet materiam. et formam ab ipso Deo præscriptas, ex quacumque intentione bona, vel mala, seria, vel jocosa, quin et absque ulla intentione, sed a casu, et præter intentionem, perficeretur sacramentum (neque enim in hoc apparet ulla contradictio) : nihilominus de facto aliter disposuit, nempe non aliter confici sacramentum, nisi minister agat serio, et ex proposito

Aliud motivum.

proposito exhibendo materiam, et formam, illasque subjecto applicando. Et quod sic disposuerit, ostenditur : nam Christus eisdem verbis Apostolos constituit prædicatores, et ministros baptismi, juxta illud Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* quare sicut notum est doctrinam supponere deliberationem, et intentionem, sic etiam et baptismi ministerium. Deinde eosdem constituit judices, et ministros absolutionis in sacramento Pœnitentiæ, ut constat Joan. 20; absolutio autem non proveniens ex cognitione causæ, et deliberatione judicis nulla est. Præterea Luc. 22, sacerdotibus præcepit conficere, et celebrare Eucharistiam in ejus memoriam : *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem :* id vero sacerdotes minime exequi valent, nisi intentione humana operentur. Forma etiam sacramenti Extremæ unctionis est per modum orationis juxta illud Jacobi 5: *Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum etc.* est autem oratio actus humanus ex deliberatione procedens. Item in forma sacramenti Ordinis dicitur: *Accipe potestatem etc*, et nemo alteri potestatem tradit absque intentione eam conferendi. Denique Christus contractum matrimonii elevavit ad rationem sacramenti : contractus vero fieri non valet sine contrahentium intentione, atque consensu. Ergo secundum præsentem providentiam Deus ita disposuit, et Christus ita instituit, quod in sacramentis non sufficit quælibet applicatio licet jocosa materiæ, et formæ, vel quilibet harum etsi fortuitus concursus; sed necessarium sit ministrum prædicta exhibere, atque applicare ex proposito, et seria intentione.

Matth. ult. — Joan. 20. — Luc. 22. — Jacobi 5.

Ratio congruentiæ.

15. Porro hujus dispositionis, sive institutionis jam præsuppositæ (ut testimonia scripturæ, et decreta Conciliorum, ac Pontificum plane demonstrant), aliquæ rationes congruentiæ assignari valent. Optima autem est, quam proponit D. Thomas in præs. art. 8, quoniam cum aliqua se habent indifferenter ad plura ; oportet, quod determinentur ad unum, et illud determinate fiat : sed ablutio v. g. (et idem intelligi debet de alia qualibet materia, et de quibusvis aliis actionibus ad cætera sacramenta pertinentibus), est quid indifferens ; ad plura quippe deservire valet ad corporalem munditiam, vel ad sanitatem, vel denique ad ritum religiosum, ut ex se liquet : ergo ut ablutio sit determinate ritus sacer, et constituatur in ratione sacramenti, debet per aliquid determinari : sed nihil aliud, quod sic determinet, assignari congrue valet, nisi intentio ministri ; hæc igitur necessaria est ad valorem sacramenti. Nec proderit dicere materias, sive actiones sacramentorum sufficienter determinari per formas, seu verba, juxta doctrinam supra traditam disp, 2, dub. 1, et 3. Nam contra hoc est, quod licet res ita se habeat ; nihilominus ipsa verba, seu formæ carent ex se determinatione ad ritum sacramentalem : quippe istud verbum *baptizo*, vel *abluo* indifferens est ad significandum, quod quis utitur ablutione ad mundandum corpus alterius, vel ad sanandum corpus ejus, vel denique ad conferendum ipsi sacramentum mundans a peccatis : ergo ut hoc unum determinate efficiat, debet hoc ultimum determinate significare: quod tamen non aliunde habet, quam ex intentione ministri loquentis. Verum itaque est materiam determinari per formam, et res determinari per verba ; sed tamen verba non habent determinandi vim, nisi procedant a determinata intentione ministri, illamque repræsentent, ut optime significavit D. Thom. loco cit. illis verbis : « Et hæc intentio exprimitur per « verba, quæ in sacramento dicuntur, puta « cum abluens dicit : Ego te baptizo in no- « mine patris etc. »

Præcluditur evasio. — *D. Tho.*

Confirmatio.

Confirmatur, et declaratur præcidendo tacitam evasionem : quoniam licet Deus potuerit independenter ab intentione ministri res, et verba sacramentorum ita determinare, quod quolibet modo concurrerent, inducerent significationem sacramentalem, et perficerent sacramentum : nihilominus ex suppositione, quod statuerit sacramenta fieri per homines sive per ministros, congruum omnimo fuit proximam determinationem rerum, et verborum ad sacramenta spectantium pendere ab hominum intentione : sed certum est Deum disposuisse, quod homines sint ordinarii sacramentorum ministri, ut constat ex dictis dub. præcedent. ergo determinatio rerum, et verborum, ut sacramentum perficiant, dependet non solum a Deo, sed etiam ab intentione ministri. Cætera constant. Et major quoad secundam partem, in qua est difficultas suadetur: tum quia eo ipso, quod Deus voluerit homines esse ministros sacramentorum, voluit plane illos ministrare ut

homines, et actione humana, et modo humano : nequit autem homo agere ut homo, et modo humano, nisi agat ex proposito, sive cum deliberatione, et intentione : ergo ex hoc, quod Deus statuerit sacramenta fieri per homines sicut ministros, congruum fuit Deum velle, quod sacramentorum confectio, atque rerum, et verborum ad sacramenta pertinentium determinatio penderet ab hominum intentione. Tum etiam quia
. Tho. ut egregie docet D. Thomas artic. cit. in resp. ad 1 : « Instrumentum inanimatum « non habet aliquam intentionem respectu « effectus : sed loco intentionis est motus, « quo movetur a principali agente. Sed ins« trumentum animatum (sicut est minis« ter) non solum movetur, sed etiam quo« dammodo movet se ipsum, in quantum « sua voluntate movet membra ad operan« dum. Et ideo requiritur ejus intentio, « qua se subjiciat principali agenti : ut « scilicet intendat facere, quod facit Chris« tus, et Ecclesia. » Sic ergo congruum fuit, quod Deus disposuerit. Tum etiam quia ex opposita (quam hæretici comminiscuntur), dispositione plura, et gravia sequuntur inconvenientia, nempe sacramenta perfici, quando, ubi, et sicut non oportet. Fieret enim, quod cum infans lavatur ab obstetrice, si ab ea simul dicatur, aut cantetur devotionis gratia : *Ego te abluo in nomine Patris etc.* maneat infans baptizatus. Quod sacerdos nequeat in refectorio legere vel Evangelium, vel Pauli epistolam, in quibus sunt illa verba : *Hoc est corpus meum :* nam eo ipso converteret panes in corpus Christi, et conficeret Eucharistiam. Quod solutus, et soluta nequeant in comædiis repræsentare celebrationem matrimonii per verba, quibus communiter fit : quippe eo ipso conficerent sacramentum, et forent mutuo ligati. Quæ cum sint absurda, satis declarant congruum fuisse, quod Deus statuerit ad valorem sacramenti necessariam esse ministri intentionem, qua res, et verba ex se indifferentia, ut sacramemtum re ipsa constituant, determinentur.

esis sita. 16. Hæresim nostræ assertioni contrariam (quam hic immediate recensemus, ne circa hæc moremur deinceps in sequentibus), tenuerunt Lutherus, Kemnitius, et alii hæretici moderni apud Bellarminum lib. 1, *de sacramentis* cap. 27. Qui ita mordicus sentiunt intentionem ministri non esse necessariam ad sacramenti valorem, ut affirment, quod si semel apponat res, et proferat verba, conficit verum sacramentum ; quantumvis joco, irrisione, ficte, mendaciter, et cum intentione contraria hæc exterius exequatur. Solet etiam pro hac sentententia referri Innocentius IV, quatenus dixit ad valorem sacramenti non requiri, quod baptizans gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, ut refert Angelus verbo *Baptismus* 5, num. 7. Sed refertur immerito : nam Innocentius solum significavit necessarium non esse, quod baptizans intendat idem, quod Ecclesia, quantum ad effectum sacramenti : quod verum est, ut infra videbimus. Sed requiri, quod minister gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, quantum ad operationem ipsam sacramentalem, satis aperte significavit subjungendo, *dummodo intendat baptizare.* Referri etiam solet D. Augustinus : tum quia tractat. 5, in Joannem, et refertur in cap. *Dedit* 1, quæst. 1, asserit baptismum datum ab ebrio esse validum ; cum tamen ebrius, quandiu est, nequeat serio, et ex proposito agere. Tum quia lib. 7, *de baptismo* cap. 53, dubitat S. Doctor, an baptismus valeret, ubi lubrice, et joculariter ageretur. Cæterum D. Augustinus prædictæ sententiæ minime suffragatur : nam in primo loco non agit de ebrio, sed de ebrioso, nempe de eo, qui solet inebriari : unde vetus, et vera lectio non habet *ebrium* sed *ebriosum,* ut recte observavit Silvius ad artic. 8. In secundo autem loco nihil determinavit S. Doctor, sed quasi fluctuans inter diversa motiva significavit suam incertitudinem, desiderans determinationem Ecclesiæ in plenario Concilio. Modo autem adsunt diffinitiones Ecclesiæ num. 13 relatæ : quas si vidisset Augustinus, minime dubitasset.

Vindicatur Innocentius Papa.

Et D. August.

Expenditur vero communiter pro hac sententia factum Athanasii, qui cum puer esset, baptizavit per jocum alios pueros : et tamen prædictus baptismus judicatus est ratus, et validus ab Alexandro Episcopo Alexandrino, ut referunt Ruffinus lib. 1, cap. 14, Sozemenus, lib. 2, cap. 16, Gratianus in cap. *Spiritus Sanctus* 1, quæst. 1, et alii. Ergo ad valorem baptismi, et aliorum sacramentorum non requiritur, quod minister serio agat ex intentione, sive proposito faciendi, quod facit Ecclesia : sed sufficit, quod et si lubrice, et absque illa intentione adhibeat

Argumentum ab exemplo Athanasii.

Ruffinus. Sozomenus. Gratian.

adhibeat ea, in quibus Christus instituit sacramenta peragi. Confirmatur urgenter: nam Martyrologium Romanum die 25 Augusti hæc habet: « Romæ S. Genesius « Martyr, qui primum sub Gentilitate mi« mus cum in theatro spectante Diocletia« no Imperatore, mysteriis Christianorum « illuderet, a Deo inspiratus repente con« versus ad fidem, et baptizatus est. » Quam historiam latius referunt Ado Viennensis *in suo martyrologio* 8 kalendas Septembris, Vincentius lib. 13, cap. 102, D. Antoninus 1 p. *Histor.* tit. 8, cap, 1, § 19, et alii. Unde arguitur: Genesius mimice agens a sodalibus mimis, et irrisorie agentibus baptizatus fuit: et tamen baptismus tenuit: sufficit ergo ad hujus valorem adhibere materiam, et formam a Christo præscriptas, licet minister non agat ex seria intentione, sed per irrisionem, et jocum. Nam quod Bellarminus lib. 1, *de sacramentis* cap. 28, Vazquez in præs. disp. 138, num. 57, et alii dicunt Genesium baptizatum fuisse non a sodali ethnico, sed a sacerdote christiano; inverosimile, ac prorsus incredbile apparet: quo enim pacto sacerdos christianus concurreret ad ludricum spectaculum pro christianorum irrisione compositum? Qua ratione se christianum proderet, coram Imperatore acerrimo christianitatis persecutore? Qua via impunis abiit, et in domum redire permissus est? Non fuit itaque illius baptismi minister sacerdos, aut christianus, qui serio ageret; sed mimus aliquis ex Genesii sodalibus, qui cuncta repræsentaret per ludibrium. Et sic narrant Surius tomo 4, Ribadeneira in vita S. Genesii, et Bzovius tom, 1, lib. 3, anno 302, num. 27. Duas similes alias conversiones referre possemus, aliam Ardaleonis, qui cum mimice irrideret Christianis, repente, et serio Christianus factus, et pro fide Martyr occubuit, ut ex Græcorum, et Latinorum tabulis refert Baronius *in notis ad Martyrologiuum* die 14 Aprilis. Et quid simile contigit in Dioscoro Architeatro, ut refert Div. Augustin. epist. 67, *ad Alipium.* Et ob hæc forte exempla dubitavit Sanctus Doctor, an baptimus per jocum datus validus foret, an non, ut, constat ex supra dictis.

17. Mirum est, quantum in his expendendis, quæ argumentum, et confirmatio attingunt, componendis, et superandis nonnulli Auctores redundent, varias hinc inde corradendo historias. Sed qui non historiam, sed Theologiam nunc versamus, oportet vela contrahere, et pressius objectis occurrere. Unde pluribus omissis, in quibus referendis, et refellendis alii laborant, præmissorum exemplorum vim una tantum, et præ omnibus consequenti responsione diluemus. Pro quo animadvertendum est dupliciter contingere posse, quod baptismus (et idem intelligendum de aliis sacramentis) conferatur per jocum aut recreationem. Uno modo si Minister non intendat illum conferre, sed præcise jocari, simulare, aut repræsentare; quod frequenter fieri solet, ut in nostris comædiis contingit: et tunc non conficitur sacramentum, ob defectum scilicet intentionis, quam omnino requiri supra ostendimus. Alio modo si Minister re vera intendat conferre baptismum, sive facere, quod fieri a Christianis videt: quamvis id faciat sub specie ludi, et totum, quod agit, referat ad recreationem animi, vel etiam ad irrisionem Christianorum, vel ad alium finem perversum tanquam ad finem operantis, et extrinsecum: et hoc modo perficitur simpliciter sacramentum: quia simul cum materia, et forma concurrit intentio ministri volentis ipsum conficere, licet ipsum ordinet ad finem perversum. Quæ est doctrina D. Thomæ in præs. art. 10, ubi ait: « Di- D. Tho.
« cendum, quod intentio Ministri potest « perverti dupliciter. Uno modo respectu « ipsius sacramenti: puta cum aliquis « non intendit sacramentum conferre, sed « derisorie aliquid agere. Et talis perver« sitas tollit veritatem sacramenti; præ« cipue quando suam intentionem exterius « manifestat. Alio modo potest perverti « intentio Ministri quantum ad id, quod « sequitur sacramentum: puta si Sacerdos « intendat aliquam fœminam baptizare, « ut abutatur ea: vel si intendat conficere « corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur. « Et quia prius non dependet a posteriori, « inde est, quod talis intentionis perversi« tas veritatem sacramenti non tollit: sed « ipse Minister ex tali intentione graviter « peccat. » Additque in resp. ad 3: « Et « est simile, si Minister alicujus hominis « prava intentione deferret pauperibus ele« emosynam, quam dominus recta inten« tione mandaret. » Defert enim Minister eleemosynam, et subinde vult absolute deferre; quamvis et hanc intentionem, et pe-

cuniæ delationem ulteriori fini utique perverso subordinet.

Quid sentiendum in facto Athanasij. Ad rem igitur. Athanasius puer, puerosque baptizans duas habuit intentiones, sive duo voluit. Nam intendit baptizare pueros idque agere, quod in Ecclesia fieri viderat : quæ intentio, cæteris concurrentibus, sufficiens est ad valorem baptismi : unde baptismus ab Athanasio collatus validus, et ratus fuit. Intendit etiam Athanasius (idque præcipuus erat operantis finis) se, et alios pueros exercitatione recreare : qui finis pro qualitate materiæ fuit perversus, et (nisi excusante ignorantia) graviter peccaminosus : sed tamen cum esset extrinsecus, et aliam intentionem non excludens, valori absoluto collati baptismi neutiquam præjudicavit. Hac itaque de causa Alexander Episcopus, et alii de valore prædicti baptismi recte censuerunt. Et quod res, ut descripsimus, ita se habuerit, et voluntarie non asseratur, constat : tum ex eo, quod licet Athanasius dicatur puer, erat tamen certe grandiusculus, et plusquam duodecim annorum : unde catholicus, et inter catholicos educatus cum foret; minime præsumi debuit, aut potuit, quod ea perageret animo irridendi sacramentis, sed ex proposito illa, ut poterat, conficiendi. Tum etiam ex eo, quod Athanasius sedulo se gessit baptizans præcise pueros catechumenos, sive non baptizatos ; quo satis ostendit se baptizandi ministerium egisse non ex sola intentione jocandi, aut repræsentandi modum, quo baptismus conferri solet (ad id quippe nihil refert, quod repræsentantes baptizandos sint baptizati) : sed ex intentione baptizandi reipsa, adjuncta simul intentione recreandi pueros. Tum denique ex eo, quod ipse interrogatus intrepide respondit se in baptizando facere voluisse, quod ab Episcopo Alexandrino fieri viderat. Hisque cautionibus, et non aliter Episcopus, et alii baptismum puerorum ab Athanasio collatum ratum habuerunt. Et quidem merito ob doctrinam proxime prælibatam.

Quid de baptismo Genesii. Juxta quam similiter diluitur confirmatio desumpta ab exemplo baptismi S. Genesii. Dicendum namque est sodalem mimum, qui ipsi ministravit baptismum, voluisse absolute agere, quod fieri sciebat a Christianis baptizantibus: quamvis hoc ipsum ordinaverit ad ejusdem baptismi, et Christianorum irrisionem. Sed prima illa, et absoluta intentio safficiens est ad valorem sacramenti. Et quod ita contigerit, liquet ab effectu ; si quidem ille baptismus fuit validus, ut confirmatio supponit : validus autem non esset, nisi procederet ex intentione Ministri, ob ea, quæ supra diximus. Et plane Deus, qui Genesium primo irridentem movit, ut serio vellet baptizari, ministrum etiam primo mimice agentem movit, ut consone ad Genesii desiderium vellet absolute conferre baptismum. Nec momenti est, quod opponit Lugo vel ipsos Christianos, quando in comædiis personam Sacerdotis agunt, minime habere intentionem baptizandi, et perficiendi ea, quæ Christiani faciunt; sed solum fingendi, et repræsentandi : ergo incredibile est mimum ethnicum, et pro irrisione christianæ Religionis introductum, habuisse intentionem baptizandi, atque perficiendi in Genesio, quæ fieri sciebat apud Christianos. Id, inquam, nihil valet, sed magis firmat responsionem : nam quod Christiani, dum in scena repræsentant baptismum, non intendant baptizare, aut facere, quod facit Ecclesia, provenit ex eorum vera fide circa sacramentum; quare ne vel illa irrideant, vel ne baptizatum rebaptizent, nolunt facere, quod repræsentant, sed tantum repræsentare. Aliter autem omnino se gessit Gentilis: nam ut magis irrideret Christianorum Mysteria, tentavit, voluit, et intendit facere, quod faciunt Christiani : atque ideo ministravit reipsa verum baptismum.

Retu... tu... Lug...

18. Alia argumenta possent in favorem hæresis præmissæ proponi : sed congruentius ea referemus, et diluemus infra a num. 27. Hic autem locum habet objectio, quæ intentionem in commumi assertam impugnat : nam si aliqua intentio ad valorem sacramenti requireretur, ea plane deberet speciale objectum respicere : atqui non est assignabile objectum talis intentionis ; ergo nulla intentio in Ministro ad valorem sacramenti requiritur. Probatur minor : quoniam vel Minister debet intendere effectum sacramenti in subjecto, nempe gratiam sacramento correspondentem : et hoc necessarium non est ; cum possit Minister conficere validum sacramentum, licet habeat finem perversum, ut patet in exemplis allatis a D. Thoma num. præced. Vel debet intendere facere sacramentum ut sacramentum, aut sub ratione ritus religiosi

Alia... jec...

ligiosi: et nec hoc necessarium est: siquidem, ut proxime vidimus, Gentilis ex proposito irridendi potest sacramentum validum ministrare: qui autem irridet, non intendit facere sacramentum ut sacramentum et sub ratione ritus Religiosi, ut ex ipsis terminis constare videtur. Vel denique debet intendere solam externam, seriam tamen, exhibitionem materiæ, et formæ precisive ab omni ratione sacramenti, et ritus sacri: et nec istud affirmari valet: quia totum hoc opus externum confici valet absque intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quin fieri potest cum intentione interna contraria irridendi sacramenta, et quod sacramenta vera non fiant; cum tamen statuerimus aliquam intentionem requiri pro valore sacramenti. Nulla itaque ratione explicari valet, quod objectum, sive finem proximum habere debeat intentio necessaria ex parte Ministri.

Hæc objectio affert secundam, et graviorem hujus dubii difficultatem. Ad quam tamen nunc breviter respondetur negando minorem. Et ad istius probationem concedimus pro valore sacramenti non requiri, quod ipsum ministrans intendat explicite, et in se ipso sacramenti effectum; nam cum sacramentum distinguatur, et quandoque a suo effectu separetur: opus non est Ministri intentionem referri ad effectum, sed sufficit, si vel ad sacramentum referatur. Præsertim cum intendens sacramentum eo ipso intendat effectum illius implicite et prout in causa; licet alia intentione nolit ipsum in se. Deinde apud omnes constat intentionem, quam Minister habet faciendi sacramentum, aut ritum Christianum, quando materiam, et formam adhibet, sufficere ad sacramenti valorem. Nec hujusmodi intentione caruerunt Gentiles, qui validum sacramentum ministrarunt juxta superius dicta: quia cum voluerunt baptizare, sicut baptizant Christiani, ibi implicite intenderunt sacramentum: nam Christiani illud cum baptizant, intendunt. An autem prædicta intentio sit non solum sufficiens, quod omnes concedunt, sed etiam simpliciter necessaria, statim ostendemus. Sed major difficultas occurrit circa prædictam minoris probationem quoad ultimam partem: sunt namque Doctores catholici, qui etsi confiteantur ad valorem sacramenti requiri aliquam seriam et veram intentionem, ut necessario concedendam palam evincunt Conciliorum, et Pontificum decreta supra relata: sentiunt tamen non requiri, quod prædicta intentio referatur ad ea, quibus sacramentum constat, tanquam ad aliquid Religiosum, et sacrum; sed sufficere, si vel dirigatur ad ea externa serio exhibenda, quamvis non intendat conficere sacramentum, quin etsi intentione latenti intendat nullum sacramentum conficere. Affirmant itaque satis esse ad sacramenti valorem, quod Minister serio adhibeat materiam, et serio proferat formam, sicut in Ecclesia fieri solet: quamvis nullam intentionem habeat, nisi exequendi serio illud opus externum: et quamvis interius habeat intentionem perversam, et inique sentiat de valore sacramenti, et velit hoc pacto homines decipere, et sacramentis irridere, sicut quandoque contigisse in Ministris hæreticis, et in Sacerdotibus sanguine Judæis minime dubitamus. Juxta quam doctrinam facile constat, quodnam sit objectum intentionis in Ministro requisitæ, nempe opus externum non ludrice, aut per jocum, aut solam repræsentationem, sed serio factum quantum ad exteriorem speciem; licet nullo modo intendatur ut sacrum, aut exequendum juxta institutitionem Christi, et intentionem Ecclesiæ. Sed quia materia gravissima est, et multum refert scire, an præmissa doctrina sit vera.

§ II.

Proponitur alia conclusio ex D. Thom. inter Theologos communis.

19. Dicendum est secundo ad valorem sacramenti non sufficere in Ministro intentionem serio faciendi solum opus externum, prout exterius fit in Ecclesia: sed requiri intentionem faciendi prædictum opus ut sacramentale, hoc est, requiri propositum exequendi quod Christus instituit, quod Ecclesia intendit, aut quod legitimi Ministri in Ecclesia facere solent, aut quid simile; licet opus non sit omnes has expressiones, et reflexiones explicitis conceptibus adhibere, cum omnes virtute contineantur in intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Hanc assertionem docet profecto Div. Thomas. Sed quia Vasquez, et quidam alii in eo posuerunt studium, ut ipsi attribuant oppositam (satis absurdam) Secunda conclusio.

sententiam : ostendere oportet, quam longe ab ipsa exulet, et quam diserte nostram affirmet. Constat id evidentissimis testimoniis : nam in præsenti art. 8 observat externam baptismi ablutionem esse indifferentem, ut ordinetur ad plura, subjungitque : « Et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluendi. » (Per sacramentalem effectum non intelligit gratiam, aut quid simile, quod sit effectus sacramenti, sed sacramentum ipsum, quod est effectus ministri illud conferentis). « Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris, etc.* » Sensit ergo Sanctus Doctor requiri in Ministro intentionem, qua respiciat externam ablutionem nom solum ut serio faciendan, sed etiam quatenus est effectus sacramentalis : et similiter docuit verba falsa externa repræsentare illam interiorem, intentionem, quæ proinde verba falsa forent, internam illam intentionem non supponendo. Qualis vero hujusmodi intentio esse debeat, ut sacramentum conficiat, evidenter docet ibidem in resp. ad 1. « Instrumentum, *inquit*, animatum (sicut est minister), non solum movetur, sed etiam quodammodo movet se ipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti : ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, et Ecclesia. » Ubi liquido declarat conditionem ex parte objecti in intentione ministri requisitam, nempe quod non sit opus mere externum, et naturale; sed opus principalis agentis, nempe opus sacramentale, et religiosum, quod facit Christus, et Ecclesia.

Probatur testimoniis D. Tho.

Idem. Non minus perspicue loquitur in hac eadem quæst. artic. 10, ubi ait : « Intentio ministri potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius sacramenti : puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem sacramenti; præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. » Ubi supponit Sanctus Doctor, et quidem merito, contingere posse, quod omnia externa pro sacramento requisita adhibeantur, et quod absque derisione, sed serio adhibeantur; et quod nihilominus interior, et latens intentio sit intentio irridendi, et non conficiendi verum sacramentum. Qui ipsissimus casus est, in quo Adversarii dicunt sacramentum validum, et ratum esse. Sed D. Thomas palam resolvit « talem perversitatem tollere veritatem sacramenti. » Nam quod subjungit, « Præcipue quando suam intentionem exterius manifestat, » nihil diminuit prioris sententiæ; sed denotat præcise talem invaliditatem esse prorsus notam, et evidentem, quando intentionis perversitas exterius manifestatur : cæterum adest etiam, cum illa perversitas latet; licet defectus valoris sit etiam latens. Et consone ad hanc doctrinam addit in resp. ad 2, « quod intentio ludrica, vel jocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum. » Constat enim intentionem ludricam, et jocosam posse occultam omnino esse, per quam Adversarii censent non everti sacramenti valorem : sed tamen D. Thomas generaliter affirmat omnem intentionem ludricam, et jocosam, si ex ea tantum oriatur ministratio sacramenti, destruere rectitudinem intentionis ad sacramenti valorem requisitæ.

Ad hæc : ex sententia S. Doctoris hoc ipso, quod minister non habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, convincitur nullum perficere sacramentum : sed intentio faciendi, quod facit Ecclesia, non est intentio faciendi tantum serio opus externum, et naturale; quippe manifestum est Ecclesiam plus facere, nempe opus sacramentale juxta Christi institutionem ; ergo ex sententia D. Thomæ ad valorem sacramenti non sufficit, quod minister intendat facere serio opus externum in adhibendo materiam, et formam, existente qualibet intentione occulta perversa fingendi, aut irridendi, aut decipiendi: sed requiritur, quod minister intendat facere opus externum ut religiosum, et juxta intentionem Ecclesiæ. Major, in qua poterat esse difficultas, liquet ex his, quæ tradit D. Thom. supra quæst. 60, art. 7 ad 3, ubi ait : « Ille, qui corrupte profert verba sacramentalia, si hoc ex industria (*quæ potest esse latens*), faciat, non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia: et ita non videtur perfici sacramentum. » Ubi ex hoc præcise, quod minister non intendat facere, quod facit Ecclesia, colligit nullum sacramentum confici. Sentit igitur præter externum

Idem

externum serio factum necessariam esse internam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Adde solemne, et commune esse apud Theologos non minus ad valorem sacramenti requiri intentionem ex parte ministri, quam ex parte suscipientis; quin potius requiri magis ab ea parte, cum minister comparetur per modum agentis, et suscipiens per modum passi : unde cum quis dormiens baptizari possit, baptizare tamen dormiens non valet, ut infra constabit. Ex sententia autem D. Thom. necessarium est ad valorem sacramenti, quod adultus intendat non solum pati, aut recipere opus externum; sed etiam suscipere sacramentum secundum quod supra opus externum addit. Unde infra quæst. 68, art. 7, inquit : « In baptizato requiritur voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat, « qua intendat vitæ novitatem: cujus principium est ipsa susceptio sacramenti. Et « ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi sacramentum. » Unde in resp. ad 2, infert: « Dicendum, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. » Ubi certum est D. Thom. supponere, quod adultus susceperit illud quidem, in quo sacramentum baptismi consistit : alias non subjungeret, quod *esset rebaptizandus* : et tamen ex defectu intentionis internæ suscipiendi *sacramentum* colligit sacramentum nullum fuisse, et adultum opus habere baptismo. Eandem omnino doctrinam perpetuo tradit in aliis scriptis, ut in 4, dist. 5, quæst 2, art. 3, quæstiuuc. 1, et dist. 6, quæst 1, art. 2, quæstiunc. 1, et dist. 7, quæst. 3, art. 1, quæst. 3 ad 3, et dist. 8, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 3 ad 1, et dist. 11, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3 ad 1, et dist. 27, quæst 1, art. 2, quæst. 4, et dist. 30, quæst. 1, art. 3 ad 3, et alibi. Et plurium horum locorum formalia verba (quæ vitandæ prolixitatis gratia omittimus) videri possunt in Prado quæst. 64, dub. 7, § 5.

20. Hæc sunt tam clara, ut nullam circa mentem S. Doctoris relinquant dubitationem, nisi illis tantum, qui volunt in sole caligare, ejusque lucem ambiguam reddere. Quia vero contraria juxta se posita magis emicant, censuimus de re esse, si immediate opponamus, et extricemus ea, quæ Adversarii repræsentant, ut D. Thom. ad se reluctantem trahant, et in proprios sensus contorqueant. Objiciunt ergo, quod D. Thomas in præs. art. 8 ad 2, tradit his verbis: « Dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod « requiritur mentalis intentio in ministro: « quæ si desit, non perficitur sacramentum. Sed hunc defectum in pueris (qui « non habent intentionem accedendi ad « sacramentum), supplet Christus, qui interius baptizat: in adultis autem (qui « intendunt sacramenta suscipere), supplet « illum defectum fides, et devotio. Sed hoc « satis dici posset quantum ad ultimum « effectum, qui est justificatio a peccatis. « Sed quantum ad effectum, qui est res, et « sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis possit suppleri : quia « character nunquam imprimitur, nisi per « sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, « quod minister sacramenti agit in persona « totius Ecclesiæ, cujus est minister. In « verbis autem, quæ profert, exprimitur « intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel « recipientis sacramentum. » Similia omnino, aut etiam urgentiora habet in 4, dist. 6, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1 ad 2, ubi ait: « Alii dicunt, quod in baptismo, « et in aliis sacramentis, quæ habent in « forma actum exercitum, non requiritur « mentalis intentio, sed sufficit expressio « intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliud « exterius dicitur, quod sententiam contrariam exprimat, baptizatus est. » Hæc omnia D. Thomas, in quibus satis apparet ipsum prævenisse, docuisseque contrariam nostræ assertioni sententiam, nempe in ministro nullam requiri internam intentionem, qua intendat facere formaliter sacramentum; sed sufficere quod supra debitam materiam proferat serio legitimam formam, sive verba manifestantia intentionem Ecclesiæ; quamvis ipse careat interna intentione, aut habeat etiam intentionem mentalem contrariam, dummodo hæc perversitas lateat, seu non manifestetur in opere externo. Quæ adeo manifesta visa sunt Vazquio, ut non dubitaverit S. Doctorem tenuisse sententiam propositæ assertioni repugnantem : unde nullam (ut ille ait), audet huic inurere censuram. Tanta erat illi erga D. Thom. reverentia.

Vazquii judicium.

Refellitur Vazquez, vindicando D. Tho.

Sed sinistrum fuit Vazquii judicium, dum Doctorem Sanctum alienum repræsentat a communissima, et certissima assertione; patronum vero constituit illius doctrinæ, quam non pauci censent vel hæreticam, vel erroneam, vel saltem non satis tutam, ut infra videbimus. Et profecto cum D. Tho. in eisdem locis ex 3 part. quin in eodem artic. 8, aperte resolvat necessariam esse in ministro intentionem faciendi sacramentum, ut nu. præcedenti expendimus : quis in animum inducet, quod eodem loco tam inconsequenter se gesserit, ut asseruerit oppositum? Alienum id prorsus erat a sincerissima summi illius ingenii consequentia, ut tam sibi, quam veritati adeo proxime contradiceret. Quod evidentius constabit opposita, quæ ille Auctor objectat dispellendo. Et primum diluitur sola attentione ad argumentum, cui D. Thomas occurrit. Erat autem ejusmodi : « Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri « requiratur ad perfectionem sacramenti, « non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum, quod sacramentum « suscepisset. Et ita non posset habere certitudinem salutis, præcipue cum quædam « sacramenta sint de necessitate salutis, ut « infra dicetur. » Quod argumentum directe oppugnat assertionem D. Thomæ nempe necessariam esse in ministro intentionem conficiendi sacramentum. Et si S. Doctor in opposita foret sententia facillime illi difficultati satisfaceret negando, ut nostri Adversarii negant, necessitatem internæ intentionis, et statuendo sufficere externam eorum exhibitionem, sive applicationem, in quibus sacramentum consistit. Sic enim objectus timor, sive scrupulus evidenter dispelleretur. Sed tamen aliter omnino se gessit : nam supposita necessitate internæ in ministro intentionis, adhuc docuit posse suscipientem sacramenta (ea etiam, quæ sunt de necessitate salutis), quietari, et injectas circa intentionem ministri dubitationes a se propellere. Quia minister, nisi contrarium exprimat, præsumendus est agere juxta intentionem Ecclesiæ, quam intentionem ipsis verbis formæ satis exprimit, et repræsentat. Et ideo qui sacramenta suscipit a ministro sic ministrante, rationabiliter credit se obligationi satisfecisse, quam habet suscipiendi sacramenta; nec est, cur oppositarum imaginationum crucietur angustiis. Et sic respondet D. Thomas difficultati ab eo latere desumptæ ; sed minime tamen recedit ab assertione communi de necessitate intentionis. Unde in sola externa sacramenti exhibitione serio facta non fundat sufficientiam absolutam valoris; sed sufficientiam respectivam ad tollendum scrupulos, et dubietates, ut satis erat pro ejus argumenti dilutione. Et eodem modo procedit eidem difficultati occurrens in loco cit. ex 4, sentent. Quare cum ibidem ait, « si for« ma servatur, nec aliud exterius dicitur, « quod sententiam contrariam exprimat, « baptizatus est, » minime adstruit certitudinem metaphysicam, cui falsam ex defectu internæ intentionis subesse non possit, sed certitudinem moralem, quanta sufficit ad tollendum scrupulos cum circa valorem sacramentorum, cum circa adimpletionem præceptorum ad ea pertinentium.

21. Et hanc esse certam S. Doctoris sententiam constat ulterius ex communi consensu discipulorum: nam ita sentiunt Soto in 4, dist. 1, q. 5, artic. 8, Cajetanus in præs. art. 8, ubi Nugnus difficult. unica, Cabrera disp. 1, Serra dub. 1, concl. 1, Prado dub. 7, § 3, Gonet disp. 6, art. 2 § 1, Labat disp. 1, dub. 7, Sylvius dub. unico conclus. 2, N. Franciscus cap. 6, punct. 3, N. Philipp. disp. 8, dub. 2, Victoria *in Sum. de sacram. in materia de baptismo* n. 31, Petrus de Ledesma tract. 1, cap. 6, concl. 13, et alii plures. Idem etiam docent communiter alii Theologi, Hugo Victorinus lib. 2 *de sacram.* par. 6, cap. 13, D. Bonaventura in 4, dist. 6, art. 3, q. 1, ubi Durandus quæst. 2, Scotus q. 5, Gabriel q. 1, art. 2, concl. 3, Ricardus art. 1, quæst. 2, Adrianus quæst. 3, *de baptismo*, Alensis 4 p. quæst. 13, memb. 1, Bellarminus lib. 1, *de sacramentis* cap. 21, Suarez disp. 13, sect. 2, Vazquez disp. 138, cap. 3, Ochagavia quæst. 22, cap. 2, Lugo disp. 8, sect. 2, Franciscus de Lugo lib. 1, *de sacram.* cap. 2, quæst. 4, Bonacina disp. 1, quæst. 3, punct. 2, § 3, Granados tract. 5, disp. 4, sect. 1, Henriquez lib. 1, cap. 10, Trullench lib. 1, cap. 3, dub. 2, Aversa quæst. 64, sect. 3, Gaspar Hurtado disp. 4, difficult. 4, Bernal disp. 17, sect. 1, Bonæspei disp. 4, dub. 3, concl. 1, Diana par. 10, tract. 11, *miscellanea*, resolut. 67, et par. 12, in tract. *de consecrat. Episcoporum* resolut. 37, Leander disp. 4, quæst. 12,

12, et alii adeo communiter, ut superfluum sit plures recensere. Ex quibus Nugnus, Bellarmin. N. Philippus, et quidam alii sentiunt nostram assertionem esse immediate de fide, et subinde sententiam illi oppositam esse hæreticam. Suarez autem, Cabrera, Ledesma, Serra, Prado, et quidam alii judicant conclusionem nostram esse mediate de fide, et consequenter sententiam ei adversam esse erroneam. Alii præterea alias prædictæ sententiæ censuras inurunt, ut videri potest apud Dianam locis relatis. Sed Soto, Bonacina, Trullench, Leander, N. Franciscus, et quidam alii eam sententiam sic ut falsissimam refellunt; ut tamen ab aliis censuris abstineant. Nos vero eam præcise certitudinem nostræ, et communi assertioni deferimus, quam fundant motiva statim proponenda; sed quidem, ut censemus, gravissimam.

22. Probatur primo : nam in omnibus Conciliorum et Pontificum decretis, relatis num. 13, diffinitur præter materiam, et formam requiri intentionem ministri ad valorem sacramenti : ergo ad valorem sacramenti non sufficit intentio, qua minister intendat solam externam, et seriam exhibitionem sive applicationem materiæ, et formæ: ergo requiritur intentio mentalis, qua minister intendat illam externam exhibitionem ut quid sacrum saltem in confuso, et ut peragendam juxta intentionem Ecclesiæ. Antecedens est certum. Et prima consequentia probatur; quoniam actus interior, et volitio interior, ex qua procedit, non ponunt in numero : quare si ad valorem sacramentorum requiritur seria exhibitio, sive applicatio materiæ, et formæ, ibi necessario clauditur volitio interior intendens illum actum exteriorem : et consequenter dum Concilia, et Pontifices diffiniunt ad valorem sacramenti requiri materiam, et formam, hac ipsa sua diffinitione comprehendunt volitionem internam illius actus exterioris. Ergo quando præter materiam, et formam subjungunt necessariam esse intentionem ministri, vel plane redundant inculcando rem in ipsa materia, et forma serio applicatis inclusam, vel aliam intentionem exigunt : cumque primum illud sit absurdum, et contra auctoritatem, et reverentiam prædictarum diffinitionum; fateri oportet intentionem nudam exequendi serio opus externum non sufficere ad valorem sacramentorum. Et inde etiam facile probatur secunda consequentia: nam si alia intentio est necessaria, debet ut minus dirigi ad faciendum opus ut sacrum saltem in confuso, et juxta intentionem Ecclesiæ.

Confirmatur : nam Concilia, et Pontifices in prædictis decretis non solum diffiniunt necessariam esse intentionem in ministro ; sed etiam declarant, quid debeat esse terminus, sive objectum talis intentionis, nempe ut minus *facere, quod facit Ecclesia*. Constat autem id, quod facit Ecclesia, non esse meram cæremoniam externam materialiter sumptam, quæ extra Ecclesiam fieri etiam valet a paganis ; sed esse ipsum formaliter sacramentum, sive ritum a Christo institutum ad significandum, et causandum gratiam. Ergo ad valorem sacramenti non sufficit, quod minister intendat solam exhibitionem, sive applicationem materiæ serio peragendam ; sed insuper requiritur, quod intendat illam ut ritum sacrum saltem in confuso, et sub implicita illa conditione faciendi, quod facit Ecclesia. **Confirmatio.**

23. Nec satisfacit, si huic argumento, et confirmationi respondeatur cum Contensonio in præmissis decretis non diffiniri, quod minister intendat facere, quod intendit Ecclesia, sed quod Ecclesia facit : quæ duo sunt longe diversa, ut ex se liquet. Quamvis autem Ecclesia intendat veram, et formalem rationem sacramenti ; nihilominus quod facit, non est, nisi ipsum opus externum exhibendi serio materiam, et formam, ex quibus coalescit sacramentum, illasque suscipientibus applicando. Quare ex ipsismet decretis a nobis allegatis infertur ministrum suo muneri satisfacere, et verum perficere sacramentum, si intendat adhibere serio materiam, et formam, idque ita exequatur, licet nullam aliam intentionem mentalem habeat, qua curet facere sacramentum, sed habeat magis intentionem oppositam. Potestque hæc responsio fulciri regerendo in nos propositum fundamentum : quoniam Ecclesia intendit non solum perficere sacramentum, sed etiam consequi, aut conferre sacramenti effectum, nempe characterem, et gratiam : et tamen ut minister conficiat verum sacramentum, opus non habet intendere communicare sacramenti effectum, ut contra Alensem, et paucos alios docent communiter Theologi : ergo pariter ex eo, quod Ecclesia intendat conficere verum sacramentum, et **Effugium.**

minister debeat intendere facere, quod facit Ecclesia; minime sequitur, quod minister debeat intendere opus externum sub ratione sacramenti, ut validum sacramentum conficiat.

Præcluditur. Non, inquam, satisfacit hæc responsio, sed in suo robore relinquit inconveniens in fundamento objectum, nempe superflue Concilia, et Pontifices ultra materiam, et formam adjecisse necessitatem intentionis in ministro, si semel non requiritur alia intentio, quam exequendi opus externum: quippe in hujusmodi opere clauditur necessario voluntas illud faciendi. Plus igitur Concilia, et Pontifices determinando necessitatem intentionis voluerunt, atque assignarunt. Sed refellitur ulterius, et directe prædicta responsio: quoniam certum omnino est Ecclesiam facere re ipsa non solum opus externum exhibendo, atque applicando materiam, et formam materialiter, sed perficiendo etiam verum sacramentum, et propriam sacramenti rationem. Quippe verum sacramentum fit non a solo Deo, sed a Deo per ministros, sive a ministris tanquam ab instrumentis subordinatis Deo principali agenti. Et oppositum nequit salva fide affirmari. Ergo si minister debet intendere facere, quod facit Ecclesia, ut plane in præmissis diffinitionibus statuitur (esto non debeat intendere, quod intendit Ecclesia), opus est, quod minister intendat, vel explicite, vel implicite, atque in confuso facere sacramentum; et minime sufficit, quod intendat præcise opus externum sistendo ibi, aut intendendo mentaliter fictionem, et irrisionem: Ecclesia namque non facit præcise opus externum sistendo ibi, sed id promovet ad aliquid sacratius, faciendo ulterius verum sacramentum. Unde responsionis confirmatio facile evertitur: nam eo ipso, quod minister conficiens sacramentum intendat non solum opus externum, sed etiam sacram rem (quam facit Ecclesia) conficere; ibi necessario, et implicite intendit sacramenti effectum, scilicet aliorum sanctificationem: nam qui vult causam in se, vult etiam effectum saltem prout in causa; licet alia diversa, et inefficaci intentione nollet effectum; sicut medicus, qui absolute vult salubrem medicinam infirmo applicare, et applicat, vult reipsa absolute sanitatem infirmi, quamvis alia inefficaci intentione nollet eum vivere. Nec Theologi negant necessitatem intentionis erga effectum in ministro: sed negant (quod asserebat Alensis), necessitatem intentionis explicitæ circa effectum: quia satis est velle explicite causam; ut effectus dicatur intentus in illa.

Evertitur effugii motivum.

Nota. Ubi observationem meretur differentia inter eum, qui intendit opus externum sistendo ibi, et illum, qui intendit opus externum ut sacrum, et prout fit in Ecclesia, licet sistat ibi, et non intendat explicite sacramenti effectum. Nam prior nullo modo explicite, vel implicite intendit sacramentum: posterior vero etsi non explicite, tamen implicite sacramenti effectum intendit. Et ratio differentiæ est: quoniam opus externum, ut tale quantumvis serio factum, non est causa sacramenti, sed mere materialiter se habet, nec illud virtute continet: quare intentio relata ad solum opus externum nullo modo extenditur ad sacramentum, vel explicite in se, vel implicite in causa. Cæterum sacramentum quatenus tale continet virtute suum effectum, nempe gratiam, et hominum sanctificationem: unde qui vult absolute conficere sacramenta, ibi vult sacramenti effectum saltem implicite, et prout in causa, licet non intendat illum explicite in se, et licet eum ignoret, aut erret etiam circa ipsum. Sicut instructus hæretica doctrina Calvini censet hominem non justificari per gratiam inhærentem in sacramentis communicatam; et nihilominus hoc ipso, quod explicite vult suscipere sacramentum baptismi, vult implicite effectum ejus, nempe gratiam inhærentem, circa quam errorem sustinet.

Secunda assertionis ratio. 24. Probatur secundo eadem assertio: nam Christus ita instituit ministros sacramentorum, ut eos fecerit non meros executores operis externi; uti se habet nuntius deferens præcise epistolam: sed vere contulerit eis potestatem dispensandi mysteria Dei, quæ sunt sacramenta, et perficiendi sacramenta ipsa, et communicandi illorum effectus, ut plane evincunt testimonia relata num. 14; ergo ut homo circa sacramenta operetur ut minister Christi, debet intendere non solum exequi opus externum, sed propositum porrigere ad ipsam sacramenti rationem saltem in confuso, et sub expressione faciendi, quod facit Ecclesia: constat autem ad valorem sacramentorum requiri, quod homo operetur ut minister Christi; siquidem in conficiendo

sacrametna

sacramenta non aliter se habet, quam ut instrumentum, Christo principali agenti subordinatum : ergo ad sacramenti valorem requiritur, quod intendat non solum exequi opus externum materialiter sumptum, sed etiam perficere illud ut rem sacram saltem in confuso, referendo nempe intentionem ad id, quod in Ecclesia, et apud Christianos agitur.

Qui discursus magis explicabitur, et premet applicatus determinato ministro alicujus sacramenti v. g. pœnitentiæ : etenim ut sacerdos istud sacramentum conficiat, non sufficit intentionem dirigere ad externam, et seriam prolationem horum verborum, *Ego te absolvo;* sed necessarium est, quod intendat absolvere a peccatis : atqui in intentione absolvendi a peccatis necessario clauditur intentio, sive voluntas conficiendi sacramentum, saltem in confuso, et prout in Ecclesia fit : ergo ad valorem prædicti sacramenti necessaria est intentio non solum operis externi serio facti, sed etiam ipsius sacramenti : atque ideo idem de omnibus aliis sacramentis dicendum est. Hæc secunda consequentia patet ex prima : tum ad hominem, quia Adversarii eodem modo theologizant de omnibus sacramentis : tum ex eo, quia sicut in sacramento pœnitentiæ ly *absolvo* exprimit intentionem ministri, sic etiam in sacramento baptismi, ly *baptizo* repræsentat similiter intentionem, et sic de aliis. Prima autem consequentia legitime infertur ex præmissis. Minor etiam constat : quoniam absolutio a peccatis, quæ in sacramento pœnitentiæ fit, non est opus mere externum, sed aliquid addit supra ipsum, et non plane aliud, quam sacramentum peccati remissivum : ergo in intentione absolvendi a peccatis necessario clauditur intentio perficiendi non tantum externum opus, sed sacramentum. Major denique, in qua poterat esse difficultas, probatur : quia sacerdos absolvens exercet actum judicialem, quo tanquam judex pronuntiat sententiam : sed judex non aliter absolvit, nisi habeat intentionem absolvendi : ergo sacerdos in Sacramento pœnitentiæ absolvens debet intentionem absolvendi habere, et aliter nullum conficit sacramentum.

25. Respondent Contenson, et Scribonius, quod si judex proprius proferat exterius sententiam absolutionis, reus manet vere absolutus ; quantumvis judex careat intentione mentali absolvendi, et quantumcumque habeat intentionem internam oppositam, nempe non absolvendi ; dummodo exterius illam internam dispositionem non manifestet, sed in omnibus serio se gerat. Unde idem affirmant de sacerdote absolvente : atque ideo pœnitentem manere vere absolutum a peccatis, licet sacerdos non habeat intentionem mentalem conficiendi sacramentum, vel habeat intentionem contrariam, dummodo illam non prodat, sed serio se gerat. Idem etiam de ministro baptizante. Et idem, quod plus est, de contrahentibus matrimonium, nempe, quod licet careant intentione se obligandi, et jus mutuum in corpora tradendi ; si tamen exterius serio se gerunt, exhibendo ea signa, quibus matrimonium celebrari solet, vere conficiunt matrimonii sacramentum, et manent ejus virtute obligati ad vitam matrimonialem.

Sed hæc responsio absurdissima plane est, et contra unanimem Theologorum, et Jurisperitorum consensum : omnes namque docent nullum actum legitimum esse validum in foro conscientiæ, qui fiat absque interno consensu, licet in foro externo ob ignorantiam latentis defectus, validus reputetur, et ut talis sustineatur. Hinc generalis, et certa apud cunctos regula est, ut quotiescumque constat de fictione interna, sive de carentia intentionis vel in professione emittenda, sive in matrimonio celebrando (quod non semel ex sola confessione celebrantium innotescit), statim declaratur similes actus vel a principio ipso nullius roboris fuisse : et sic de facto multi Summi Pontifices declararunt. Ergo dicere, quod ad prædictorum valorem sufficit opus externum serio factum, secluso omni proposito interiori, vel adhibita etiam mentali intentione contraria ; non caret ingenti temeritate, et eo quidem repræhensibiliori, quo in rebus hujusce generis, nempe gravissimis se erigit adversus communem doctrinam. Nam quid absurdius, quam quod proferens sententiam excommunicationis sine intentione ligandi vere liget? et quod nolens absolvere vere absolvat? et quod matrimonium tam in ratione contractus, quam sacramenti perfici simpliciter queat absque conjugum consensu, qui plane non consistit in verbis externis falsis, sed in interiori proposito? Hæc, et alia sexcenta inconvenientia consequuntur præmissam Adversa- Proteritur.

riorum responsionem, et manifestant, quam falsa sit. Cæterum inhæreamus exemplo absolutionis sacramentalis, quod illam evidentius evertit : nam juxta doctrinam Concilii Tridentini prædicta absolutio est actus judicialis in foro conscientiæ, qui vel concedentibus contrariis exerceri debet a Sacerdote serio agente, et habente *animum vere absolvendi :* atqui animum vere absolvendi non habet, qui caret intentione absolvendi, et qui habet intentionem non conficiendi pœnitentiæ sacramentum habens vim delendi peccata : ergo ad valorem prædicti sacramenti minime sufficit, quod sacerdos in foro externo serio absolvat, si careat absolvendi intentione, vel habeat intentionem contrariam. Cætera constant.

Concil. Trident. Et major liquet ex Concil. Trident. sess. 14, cap. 6, quod est *de ministro hujus sacramenti et absolutione*, ubi dicitur : « Quamvis absolutio sacerdotalis alieni beneficii sit « dispensatio, tamen non est solum ministerium vel annuntiandi Evangelium, « vel declarandi remissa esse peccata ; sed « ad instar actus judicialis, quo ab ipso, « velut a judice, sententia pronuntiatur. « Atque ideo non habet pœnitens adeo sibi « de sua ipsius fide blandiri, ut etiam si « nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti « animus serio agendi, et vere absolvendi « desit ; putet tamen se propter suam solam fidem vere, et coram Deo esse absolutum. » In quibus verbis perspicuum est Concilium exigere in sacerdote, ut valide absolvat, non solum *animum serio agendi, sed animum etiam vere absolvendi:* qui animus adesse nequit absque absolvendi, et perficiendi sacramentum voluntate. Et rursus Concilium docet impediri sacramentum tam per defectum prædicti animi in sacerdote, quam per absentiam omnis contritionis in suscipiente. Sicut ergo ubi nulla adest contritio, sive nullus dolor, minime conficitur sacramentum Pœnitentiæ ; sic etiam ubi deficit in ministro intentio absolvendi a peccatis, impeditur sacramenti valor juxta doctrinam Concilii.

Nota. Et premere Adversarios oportet illis verbis : *Aut sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit :* quoniam Concilium non minus requirit in sacerdote animum vere absolvendi, quam animum serio agendi : sed ubi deest animus serio agendi, non conficitur sacramentum, ut illi concedunt : ergo idem, ubi deficit animus vere absolvendi, dicere debent, nisi inconsequenter agant, et contra sententiam Concilii.

Proba... ultim... ex D. Tho... 26. Ultimum pro assertione motivum desumitur ex D. Thom. in præs. art. 8, et potest ita formari : nam quando aliquid est indifferens ad plura, debet per aliquid determinari ad unum, ut fiat, et sit illud unum determinate : sed exhibitio materiæ, et prolatio verborum exterius factæ sunt de se aliquid indifferens ad rationes vel sacramenti, vel operis naturalis, ut patet in ablutione, quæ potest deservire vel ad sanandum, vel ad lavandum corpus, vel ad esse sacramentum : et similiter patet in prolatione verborum, quæ potest ordinari vel ad rationem sacramenti, vel ad solam invocationem devotam Trinitatis in abluendo, aut curando corpus, sicut eadem invocatione inchoamus plura opera mere naturalia : ergo oportet addere exhibitioni rerum, et verborum aliquid, quo determinentur ad esse sacramentale, et constituant sacramentum : sed hoc non est aliud, quam intentio ministri id ex animo volentis ; ex qua intentione provenit, quod illud opus externum determinetur ad sacramenti rationem : ergo prædicta intentio necessaria est pro sacramenti valore.

Præci... tur fu... Nec valet dicere cum Adversariis opus illud externum sufficienter determinari, constituique in ratione sacramenti per intentionem, qua minister vult serio peragere dictum opus. Nam contra hoc est, quod sicut opus externum est de se indifferens, ut fiat serio, et ut fiat jocose, aut irrisorie, aut per solam repræsentationem ; sic etiam opus externum serio factum est indifferens ad hoc quod sit sacramentum, et ad hoc, quod sit merum opus naturale cum invocatione Dei, ut patet in ablutione externa, quæ vel serio facta est indifferens tam ad rationem sacramenti, quam ad rationem operis naturalis, ut ex se liquet. Sed quia opus externum est de se indifferens, ut sit opus serium, et ut sit opus jocosum : necessarium est addere aliquid, nempe ministri propositum, quo determinetur ad esse opus serium, atque in esse talis constituatur, ut Adversarii concedunt, et satis ex se constat. Ergo pariter, quia opus externum, licet serio factum, manet adhuc indifferens, ut sit vel opus sacramentale, vel opus mere naturale ; necessarium est addere aliquid,

nempe

nempe ministri intentionem, qua determinetur ad esse sacramentale, atque sacramentum fiat. Manifestum autem apparet hanc intentionem addere supra intentionem serio agendi, et extendi ad objectum diversum, nempe non solum ad opus externum serio factum, sed etiam ad ipsum opus ut sacramentale saltem in confuso, et prout implicatur in faciendo, quod facit Ecclesia : nam, ut proxime diximus, adhuc supposita intentione faciendi serio opus externum, manet prædictum opus indifferens ad rationem operis naturalis, et ad rationem sacramenti. Addenda itaque est ulterior determinatio, qua ministri animus dirigatur ad opus illud ut sacramentale, saltem implicite, et sub confusione insinuata.

ngi- illud clu- ir. Nec valet iterum dicere prædictam determinationem adhiberi ex dispositione Dei, et institutione Christi hoc ipso, quod opus externum serio fiat. Nam contra est, tum quod supra opposuimus num. 15. Tum etiam, quia stat bene, quod opus externum serio, et exactissime fiat adhibendo illud, quod potest esse debita materia, et proferendo ea verba, quæ possunt esse legitima forma ; et quod nihilominus non perficiatur sacramentum, nec adsit illa determinatio, quam Christus instituit pro sacramenti valore : quod plane contingeret, ubi mulier lavaret infantem dicendo simul, aut cantando (non baptizandi proposito, sed devotionis, aut recreandi animum gratia) *Ego te abluo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti :* ergo falsum est, quod opus externum ex hoc ipso, quod serio fiat, induat ex Deo, et Christo sufficientem determinationem, ut independenter ab alia intentione in propria sacramenti ratione constituatur. Tum præterea quia sicut minister vere, et proprie concurrit ad efficiendum sacramentum, sic etiam concurrere debet ad determinationem pro constituendo sacramento necessariam : sed ultra opus serio factum requiritur ulterior determinatio, ut proxime ostendimus, et hæc responsio non negat : ergo talis determinatio non est a solo Deo, sed debet etiam esse a ministro : et consequenter ad valorem sacramenti non sufficit, quod ex parte ministri adsit intentio faciendi serio opus externum ; sed requiritur, quod detur etiam intentio faciendi illud opus ut sacramentum, saltem sub confusione superius significata. Tum denique quia Deus opus externum (exhibendi scilicet materiam, et formam) tam jocose factum, quam serio factum, posset determinare ad rationem sacramenti, ita ut quolibet modo factum foret sacramentum : nulla quippe in hoc apparet contradictio ; cum Deus pro suo arbitrio, et potestate uti queat quibusvis signis, mediis, atque instrumentis ad significandum, et efficiendum gratiam : sed Deus opus externum exhibitum sine intentione, ut serio fiat, non determinat ad rationem sacramenti : ergo pariter idem opus externum exhibitum sine intentione, ut sacramentum fiat, minime determinat ad propriam sacramenti rationem. Probatur consequentia : quia ex parte Dei est eadem potestas ; et ex parte operis eadem passiva aptitudo, cum semper sit idem materialiter opus ; et ex parte ministri non magis requiratur una intentio, quam alia ; et denique in decretis Conciliorum, et Pontificum utraque intentio significetur, cum dicitur debere ministrum intendere facere, quod facit Ecclesia. Unde timendum est, ne Auctores contrarii sentiant reipsa (licet excusentur errando) contra assertionem catholicam propositam num. 13, ut plures eisdem objiciunt.

§ III.

Refertur sententia secundæ conclusioni contraria.

27. Oppositam præmissæ assertioni doctrinam ex professo propugnavit Ambrosius Catharinus integro opusculo *de intentione* Cathar.
ministri sacramentorum ; licet in fine suam opinionem Concilio Tridentino (cui interfuit), et Summo Pontifici subjecerit ; sicut decebat virum catholicum. Eandem etiam tuentur Salmeron tom. 13, in epist. Salmer.
D. Pauli, lib. 1, part. 3, disp. 2, Hieronymus Columbus *de Hierarchia Angelica, et Humana* lib. 4, cap. 20, Joannes Marius Columbus.
Scribonius disput. 1, *de sacramentis in genere* quæst. 6, et 7, Pasqualigus tom. 2 Scribon. Pasqual.
moralis doctrinæ disput. 72, sect. 4, et novissime, ac contentiosissime Vincentius Contenson lib. 11, dissertatione 2, appendice, ubi tenet, quod stante externa, ac seria materiæ, et formæ legitimarum applicatione, nunquam potest sacramenti valor claudicare ex intentione ministri, Contens.

licet nulla sit, vel sit contraria, et perversa : affirmatque hanc esse sententiam gravissimorum, et juxta doctissimorum Theologorum tam antiquorum, quam modernorum, sacræ præsertim Parisiensis Facultatis, et publicorum apud Sorbonam Professorum. Refert autem ultra Angelicum Præceptorem (quem a se liquido stare censet, et quam non sit, ostendimus num. 19.) Magistrum in 3, dist. 27, littera C, Angelum de Clavasio *in Summa, verbo Baptismus* cap. 5, § 7, Guillelmum Estium in 4, dist. 1, § 23, Sambovium, et Arnaldum Theologos Parisienses, et ex Thomistis Paludanum in 4, dist. 6, quæst. 2, Sylvestrum *in Summa verbo Baptismus* titulo 3, Javellum part. 5, *Philosophiæ Christianæ*, tract. 2, *de Baptismo* cap. 6, in fine, et Viguerium (notans non esse Hispanum, ut ait Possevinus, sed Gallum Tolosanum) in lib. *Institut.* cap. 16, *de sacramentis in genere.* Quos omnes corrosisse videtur Contenson, ut censuram vitet propriæ sententiæ, quam diversis notis reprobant alii.

Alii, sed non certe.

Nos vero, ut jam supra insinuavimns, ab his duximus abstinendum : sed tamen nec istam sententiam putamus esse positive probabilem, et immunem. Et compositus a Contensonio Doctorum exercitus illam tueri a censuris, aut robur auctoritatis ei conciliare non potest : quia Magister non aliud docet, quam D. Thomas, nempe sacramentum exterius serio collatum esse validum reputative, et quoad forum externum, et ordine ad quietandum conscientias circa obligationem adimplendi præcepta sacramentorum ; sed minime asserit sacramentum esse validum in se, et coram Deo, ubi in ministro deficit interna intentio ipsum perficiendi. Et hæc tandem est mens Guillelmi Estii, ut liquet ex eodem loco § 24 seq. et ex dist. 4, § 10, et 11. Est etiam Sylvestri, ut legenti locum constabit. Javellus nihil affirmat, et Paludanus præfert tandem, et tenet nostram sententiam. Cæteri moderniores sunt, et non tantæ auctoritatis, ut contra communem assertionem queant prævalere, et multo minus contra satis perspicuam doctrinam tum aliorum Conciliorum, et Pontificum, tum præsertim Tridentini, ut supra expendimus. Et quod Cardinalis Pallavicinus *in sua Concilii Tridentini Historia*, part. 2, lib. 12, cap. 10, ponderatis aliquibus Concilii verbis ex sess. 14, c. 6, subjunxerit : « Ex his postremis verbis con- « jicere potest quisquis ea legerit, haud « esse expunctam sententiam Catharini, « aliorumque Theologorum opinantium « sacramentum, quo ratum sit, sufficere in « ministro voluntatem serio agendi, et « obesse tantummodo jocum, quem sacra- « mentum suscipiens cognoscere possit ; » nec prædictæ sententiæ robur, nec judicio nostro timorem affert : quia quidquid Pallavicinus senserit, multo plures sentiunt oppositum, melius intelligentes doctrinam Concilii, et sinceriorem appendicem colligentes.

Vindicantur Auctores.

Nota.

28. Plura tamen solent argumenta expendi pro hac sententia. Novem ex Salmeron refert Diana, et decem, et novem ex Scribonio refert Lugo. Sed ex tanta segete selectiora tantum, et difficiliora proponemus ; quibus convulsis cætera facile corruent. Et in primis solet hæc opinio probari testimoniis D. Augustini, et D. Tho. sed ea proposuimus, et explicuimus num. 16, et 20. Probari etiam solet exemplo Athanasii, et ministri Gentilis administrantium verum sacramentum Baptismi : sed ad hoc satis constat ex dictis a num. 17. Suaderi etiam solet ex responsione Nicolai I, *ad consulta Bulgarorum* titulo 16 (et refertur in cap. *A quodam Judeo, de consecratione* dist. 4), nam cum quidam professione Judæus baptismum aliquibus contulisset, quæsitum fuit, an talis baptismus esset validus. Et respondit Pontifex : « Si in nomine Trinitatis bapti- « zati sunt, rebaptizari non debere. » Ubi cum nullam mentionem intentionis adhibuerit, significasse videtur ad valorem sacramenti sufficere solam externam, seriamque ejusdem ministrationem. Sed id levi manu dispellitur : nam argumentum est mere negativum. Sic autem se gessit Pontifex : quia quæstio ei proposita erat non de intentione, sed de qualitate ministri : unde opus non habuit intentionis meminisse, quæ non excitaverat controversiam. Et plane difficultas, si quæ esset, communis foret, et in opponentes regerenda ; siquidem Pontifex nullam intentionem recensuit vel circa opus ut serio factum, vel circa opus ut sacramentum : quare ex ejus silentio omnis, aut nullius intentionis necessitas excluditur. Fatentur autem Adversarii necessariam esse in ministro intentionem, quæ

Plura argumenta remissive.

Nicolaus Papa.

quæ respiciat opus externum saltem ut serio faciendum. Et nos ob motiva supra proposita addimus prædictam intentionem debere dirigi in opus externum ut sacramentum, saltem implicite, et sub generali conditione faciendi, quod facit Ecclesia. His itaque relictis.

29. Arguitur primo : nam implicat ponere materiam, et formam sacramenti, et non constituere verum sacramentum ; sicut implicat ponere materiam, et formam corporis naturalis non constituendo corpus, et ponere materiam, et formam artefacti, et non constituere artefactum : ergo ubi minister exhibet materiam, et formam sacramenti, illasque alicui applicat, nequit non verum sacramentum resultare, atque constitui : sed minister potest id munus præstare absque mentali intentione conficiendi verum sacramentum, et cum opposita intentione illud irridendi : ergo ad valorem sacramenti non requiritur, quod Minister intendat sacramentum conficere.

Confirmatur primo : quia sacramenta se habent ut quædam spirituales medicinæ: sed quod medicinæ sint tales, et quod habeant effectum, non pendet ab intentione medici : quare licet hic non intendat medicinam applicare, sed venenum ; si tamen medicina applicatur, potest hæc prodesse contra medici intentionem : ergo pariter quod sacramenta sint talia, et sortiantur proprios effectus, non habet dependentiam ab eo, quod minister intendat sacramentum conficere ; sed sufficit si vel cum quacumque intentione Minister applicet ea, ex quibus constituitur.

Confirmatur secundo: quoniam Minister in sacramentis solum comparatur per modum instrumenti: sed intentio instrumenti impertinenter se habet ad effectum principalis agentis, cujus est movere, et dirigere effectum ad finem : ergo ex quacumque intentione agat Minister, si adhibet materiam, et formam legitimas, conficit verum sacramentum. Nec proderit dicere Ministrum esse instrumentum animatum, et rationale, ad quod pertinet agere ex intentione. Nam contra hoc est : quia nec in instrumentis hujusmodi requiritur intentio, sed sufficit intentio ex parte agentis principalis, ut patet tum in servo, qui ex imperio domini defert eleemosynam ad pauperes : transfert enim ejus dominium; licet id non intendat et licet habeat intentionem oppositam. Tum in interprete, quo quis utitur ad confessionem: potest enim hæc esse valida, et proficua, quidquid sit de interpretis intentione. Ergo ex eo, quod Minister in sacramentis sit instrumentum animatum, et rationale ; minime sequitur, quod ut sacramentum sit validum, debeat intendere conficere sacramentum.

30. Ad argumentum respondetur retorquendo illud in Adversarios : nam si quid valet, probat quod sicut implicat ponere materiam, et formam compositi naturalis, quin fiat compositum ; et sicut implicat ponere materiam, et formam artefacti, quin artefactum fiat ; quamvis prædicta ponantur, exhibeanturque sine ulla prorsus intentione, aut ponantur cum intentione non seria, sed jocosa, aut pure contingenter, a casu, et præter propositum : sic etiam implicabit poni ea, quæ sunt materia, et forma sacramenti, quin, verum sacramentum resultet, quantumvis nulla ex parte Ministri sit intentio, aut sit intentio mere jocosa, aut fiat conjunctio materiæ, et formæ a casu, et præter omnem intentionem. Hoc autem consequens est hæreticum, ut constat ex dictis in prima conclusione, et Adversarii recognoscunt. Oportet igitur, recognoscant etiam prædictum argumentum nihil concludere : sicut enim non evincit nullam intentionem necessariam esse ad sacramenti valorem : sic non evincit intentionem a nobis assertam superfluere. Diluitur autem distinguendo majorem, illamque concedendo, ubi ponuntur, aut concurrunt materia et forma sacramenti in esse talium ; sed negari debet, ubi prædicta duo concurrunt materialiter in esse entis : quia materia, et forma non constituunt sacramentum per id præcise, quod habent materialiter, et in esse entis, sed quatenus sunt sacræ, et exhibentur juxta institutionem Christi : quod non habent ex se, sed per determinationem juxta intentionem Ministri, ut ostendimus n. 24 et 26. Unde distinguendo in præmisso sensu sequentes propositiones, negamus absolute ultimam consequentiam. Et ratio disparitatis inter illa exempla, et præsentem rem facile constat : quoniam partes compositi tam naturalis, quam artificialis sunt ex se determinatæ ad prædicta composita ; et pertinent ad eundem ordinem : unde ubi concurrunt, ex quacumque intentione adhibeantur, talia composita necessario, et

naturaliter constituunt. Sed ea, quæ sunt materia et forma sacramenti, non habent determinationem ad esse illius : quare oportet, quod sicut ad Ministrum pertinet illa applicare, sic etiam quod ipsas determinet ad esse sacramentale : quod præstat non exequendo præcise opus externum, sed peragendo ipsum ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod gerunt Christiani, vel quod Christus instituit.

curri- r pri- con- rma- oni. Ad primam confirmationem respondemus excessive etiam probare : quia medicinæ habent esse tales, et prodesse independenter ab omni medici intentione, et quamvis medicus illas applicet per jocum : ergo si exemplum tenet, sequitur sacramenta esse talia, et prodesse independenter ab omni intentione Ministri, et quamvis iste per jocum agat : quod est hæreticum, et contra mentem Adversariorum. Omittendo itaque præmissas, negamus absolute consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod medicinæ sunt causæ naturales, habentes ex se virtutem curandi : quare sicut habent existere independenter a medico, sic etiam sanare independenter ab ejus intentione : unde qualibet intentione, vel intentionis carentia applicentur, habent eodem modo esse, et prodesse : neque enim medicus comparatur ad medicinas ut ipsas causans, sed ut mere applicans illas. Res autem naturales, et verba non habent ex se rationem sacramenti, vel partium sacramentalium : quare ut ad hujusmodi esse determinentur, egent intentione Ministri eos dirigente ad prædictum ordinem juxta intentionem Christi : sicut enim Minister vere efficit sacramentum, sic etiam determinat proxime indifferentiam eorum, quæ ad esse sacramenti elevantur. Ad quod opus habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ut supra diximus.

lvitur cunda. Ad secundam etiam confirmationem respondemus plus æquo probare : quia instrumenta solent exequi effectum principalis agentis absque ulla prorsus intentione : unde si Minister non aliter se habet in sacramentis, fiet Ministrum posse verum sacramentum conficere absque ulla prorsus intentione : quod est hæreticum. Quare approbanda est responsio inter arguendum data, et tradita a D. Thoma in præs. art. 8 ad 2, illis verbis : « Instrumentum animatum, « sicut est minister, non solum movetur, sed « etiam quodammodo movet se ipsum, in « quantum sua voluntate movet membra ad « operandum. Et ideo requiritur ejus in- « tentio, qua se subjiciat principali agenti : « ut scilicet intendat facere, quod facit « Christus, et Ecclesia. » Quod vero contra hanc doctrinam objicitur, non urget : non enim intendimus eam in omni instrumento animato intentionem requiri, quam in Ministro sacramentorum diximus necessariam. Solent enim effectus alicujus instrumenti animati esse determinati : atque ideo non egent ulterius determinari per instrumentum : et sic contingit in exemplis, quæ confirmatio expendit. Sed aliter omnino contingit in instrumento animato, sive Ministro sacramentorum : nam cum opus externum tam jocose, quam serio factum sit indifferens ad rationem operis mere naturalis, et ad rationem sacramenti ; necessarium est, quod Minister illud ad esse sacramentum determinet : quod facit agendo ex animo illud exequendi ut sacrum sive juxta institutionem Christi, et intentionem Ecclesiæ. Fiet autem hæc doctrina magis perspicua, si observemus duplex posse considerari instrumentum animatum : aliud enim concurrit ut præcise deferens voluntatem, aut rem domini, et principalis agentis : aliud vero accepta a domino potestate, gerit ejus vices, agitque arbitrio proprio. In priori sensu instrumentum animatum, et rationale concurrit, ac si instrumentum animatum, et rationale non essset : unde non requiritur ejus intentio. Et hoc modo se habet Minister deferens eleemosynam, et interpres loquens alterius verba : hæc enim omnia important purum ministerium, quod æque bene posset fieri per hominem amentem, aut per psitacum, quin et per instrumenta non animala. In secundo autem sensu nequit non instrumentum esse instrumentum rationale, et agere quatenus valet, influendo scilicet per arbitrium, et propositum ; siquidem exercet actus potestatis ab agente principali sibi commissæ. Et hoc modo comparatur Minister sacramentorum, ut liquet in Sacerdote absolvente : nam « absolutio non est nudum « ministerium, sed ad instar actus judi- « cialis, » ut docet Concilium Tridentinum supra relatum. Et idem proportionabiliter contingit in aliis sacramentis. Quare eorum Minister debet agere ex proposito, et determinare opus externum de se indifferens ad esse sacramentale.

Sed

Secundum argumentum. 31. Sed insistes (et sit secundum argumentum): nam stat bene, quod sacramentum habeat veram sacramenti rationem, licet Minister intendat non conferre sacramentum, sed intendat oppositum : ergo necessaria ex parte Ministri non est intentio, qua opus externum determinet ad esse sacramenti. Consequentia patet. Et antecedens suadetur : quoniam sacramentum potest habere in suscipiente effectum, quem Minister non intendat. Sic enim Calvinista baptizans non intendit producere in baptizato characterem ; cum plane sentiat ejusmodi rem esse Papistarum figmentum, ut vidimus disp. 5, dub. 1; similiter non intendit efficere gratiam inhærentem: siquidem aperte negat hominum justificationem fieri per hujusmodi formam, ut vidimus tract. 15, disp. 2, dub. 1 ; et tamen sacramentum baptismi a Calvinista ministratum causat vere gratiam, et imprimit characterem. Ergo similiter sacramentum potest sortiri veram sacramenti rationem, quamvis Minister non intendat conficere sacramentum: id enim paritatis ratio conficere videtur.

Confirmatio. Confirmatur : nam Episcopus solet non habere intentionem ordinandi excommunicatos, et non gaudentes titulo legitimo, ut ordinentur ; quin et habere solet intentionem prædictos non ordinandi : et nihilominus ubi rite illis externe ministrat opus ordinationis, vere ordinat, et sacramentum conficit, ipsosque ordinatos constituit : ergo ut Minister verum sacramentum conficiat, non eget intentione ipsum conficiendi; sed præter, et contra prædictam intentionem efficit verum sacramentum, si serio exterius adhibeat ejus materiam, et formam. Consequentia patet. Et major liquet experientia : nam Episcopi ante ordinationem disertis verbis protestari solent se nolle ordinare excommunicatos, et non habentes facultatem a suis prælatis : ergo carent intentione ordinandi homines ejusmodi. Minor etiam constat ex dispositione juris communiter recepta : nam canones præcipiunt prædictos ordinatos manere a suo ordine suspensos : quod vanum esset, nisi verum ordinem recepissent.

Respondetur argumento. Ad argumentum negamus antecedens. Et ad probationem, omittendo præmissas, negamus consequentiam ob satis notam disparitatis rationem : nam sacramentum semel factum, et applicatum non dependet ulterius ab intentione Ministri in communicando suum effectum. Unde si semel Calvinista conficit. et applicat verum baptismi sacramentum, impedire non valet, quod istum characterem, et gratiam producat in baptizato; quamvis ipse oppositum sentiat, atque intendat juxta præconceptam hæresim. Cæterum opus externum non habet esse sacramentum ex eo, quod opus externum sit, aut ex eo, quod jocose, aut serio fiat; cum totum hoc salvari queat absque sacramenti ratione, ut supra magis expendimus: sed prædictam rationem habet ex eo, quod fiat religiose juxta institutionem Christi, et intentionem Ecclesiæ : quocirca si Minister id non intendat, vel intentat oppositum minime conficitur sacramentum. Quæ disparitas potest amplius, et aliter explicari : nam Calvinista baptizans, licet non intendat formaliter, et explicite conferre baptizato gratiam, et characterem ; nihilominus id intendit virtualiter, et implicite, quatenus explicite vult simpliciter conficere sacramentum. Quoniam impossibile est velle absolute, et explicite causam, quin ibi implicite, et virtualiter intendatur ejus effectus. Unde quod in baptismo per ministerium Calvinistæ collatum conferatur gratia, et character, non contingit præter, aut contra omnem intentionem talis Ministri, sed fit simpliciter juxta eam. Opus autem exterius licet serio factum, præcisive tamen sumptum non est causa sacramenti, nec hujus rationem formaliter, aut virtualiter continet. Et ideo licet Minister intendat facere opus externum ut serio exequendum; adhuc tamen ex vi hujus non vult ullo modo sacramentum conficere. Quare si ulteriorem et altiorem intentionem non adhibeat, sistet præcise in opere externo ut mere naturali, et nullo influxu veram sacramenti rationem attinget.

Diluitur confirmatio. Ad confirmationem negamus minorem : nam si Episcopus, ubi ordinationem jam exercet, nullam intentionem haberet perficiendi in aliquibus (ut protestari antecedenter solet), sacramentum ordinationis ; illud minime conficeret, nec prædicti ordinati manerent, ut plane evincunt generalia motiva supra proposita. Sed tamen res aliter, et quidem communiter (ut putamus, et recta ratio postulat), contingit. Nam licet Episcopi cum ea protestatione procedant, illam tamen faciunt ad terrorem, ut procul recedant indigni. Sed ubi adhibita sufficienti diligentia, horum nullus apparet;

intendunt absolute conferre ordinationis sacramentum cunctis, quos præsentes habent,et ordinant: sive excommunicati sint, sive non,et habeant,vel non habeant a suis superioribus facultatem. Sic enim expedit se gerere ad impediendum innumeros succedentes scrupulos, qui ab opposito procedendi modo possent oriri. Et in hac communi, congruaque,ac præsumenda ordinatione fundatur dispositio juris ratam habentis ordinationem excommunicatorum, et similium, licet illos declarat ab ordinis exercitio suspensos.

Tertium argumentum. 32. Arguitur tertio : nam sacramenta valent ex opere operato : ergo non dependent ab intentione ministri : et consequenter valida erunt, quamvis præter, aut etiam, contra intentionem ministri fiant. Confirmatio. Confirmatur : quia sacramenta sunt formaliter in genere signi, ut statuimus disp. 1, dub. 1 ; sed cum aliquid deputatum est ad rationem signi ; ubi exterius profertur, aut exhibetur, habet veram signi rationem, nullo habito respectu ad intentionem proferentis, aut exhibentis : ergo hoc ipso, quod minister exhibeat opus externum, quod Deus deputavit ad esse signum, aut sacramentum, verum sacramentum aderit, quamvis minister id non intendat, sed oppositum.

Dissolvuntur. Respondetur hoc argumentum, et confirmationem probare, si quid valent, nullam omnino in ministro requiri intentionem pro sacramentorum valore : quod esse hæreticum constat ex supra dictis. Unde ad argumentum dicendum est, quod sacramenta semel facta valent, et proficiunt ex opere operato : sed tamen ut fiant, et habeant esse talia, dependent ab intentione ministri illa conficientis. Atque ideo nec valida erunt, nec simpliciter erunt, nisi minister intendat sacramenta conficere, saltem in confuso, sive ex proposito faciendi, quod facit Ecclesia, ut sæpius diximus. Ad confirmationem respondemus Deum non instituisse, aut deputasse, quod opus externum esset signum, aut sacramentum, nisi dependenter ab intentione ministri, quod tale opus proxime exequeretur ; sicut enim Deus ministro detulit efficere proxime sacramenta, sic etiam et determinare opus externum ad esse sacramentale. Unde si minister efficiat opus externum absque intentione agendi juxta Dei institutionem ; tale opus erit specie tenus, et in foro externo signum, aut sacramentum : non tamen in se, et coram Deo. Idque negare nequeunt Adversarii, cum doceant ad valorem sacramenti necessarium esse propositum ministri intendentis saltem serio exequi opus externum. Fiat ergo suppositio, quod prædictum opus exhibeatur absque prævia hac intentione : erit utique signum, et sacramentum quantum ad externam reputationem, non autem vere, et in se. Idem ergo dicendum in defectu intentionis a nobis assertæ. Quod magis constabit ex dicendis nu. sequenti.

33. Arguitur quarto : quia non magis requiritur intentio ex parte ministri, quam ex parte suscipientis : sed ut quis validum sacramentum recipiat, non eget intentione suscipiendi sacramentum : ergo pariter ut quis validnm sacramentum ministret, non eget intentione conficiendi formaliter sacramentum. Minor probatur : quia dormiens, ebrius, et amens potest valide baptizari, ut docet Innocentius III in cap. *Majores* de baptismo : et tamen in his non datur intentio recipiendi sacramentum ; cum nequeant simile propositum concipere ob defectum libertatis, ut ex se liquet. Quartum argumentum. Innocent. Tertius.

Dilutio. Respondemus majorem non esse undequaque veram : tum quia sicut agere est longe perfectius, quam recipere, sic plura requiruntur ex parte agentis, quam ex parte passi: unde mirum non esset expressiorem intentionem requiri ex parte ministri, quam ex parte suscipientis sacramentum. Tum etiam quia conficere sacramentum non pertinet ad hominem suscipientem, sed ad ministrantem : unde præcipua intentio ex hujus parte assignari debet. Tum etiam quia ex opposito fieret, quod sicut ebrius,aut etiam amens, aut dormiens potest recipere validum sacramentum, ut argumentum supponit ; sic etiam amens, vel dormiens, vel ebrius valeret verum sacramentum conficere , et ministrare ; quod falsum est, communique sententiæ contrarium. Id vero satis declarat non eandem esse rationem de ministro, et de subjecto sacramentorum. Sed tamen pro qualitate materiæ, omittendo majorem, negamus minorem. Ad cujus probationem dicendum est tunc præcise valere baptismum ebrio, amenti, et dormienti collatum, quando in eo præcessit voluntas illud suscipiendi, et revocata non fuit, sed virtualiter

tualiter mansit. Et in his terminis procedit determinatio Innocentii, ut ex textu liquet. Unde non sequitur, quod validus baptismus suscipi queat independenter ab omni suscipientis intentione,et libertate : sed solum quod suscipi valeat sine libertate, et intentione formaliter, atque in se, concurrentibus tamen his, ut in causa, et virtualiter permanentibus, sive moraliter non revocatis. Id namque sufficere ad agendum libere, et ex intentione, ex eo liquet, quod peccatum grave committi sine libertate,et intentione non valet : et tamen homicidium commissum ab ebrio, aut amente, qui cum esset sui compos, illud præviderat, et voluerat,est formaliter per se homicidium, et grave peccatum : sufficit ergo libertas, et voluntarium in causa non revocata ad agendum libere, et cum intentione, ut fuse tradidimus tract. 13, disp. 5, dub. 6.

oc-ur tio. Et si hinc colligas pariter dicendum esse, quod ebrius, dormiens, aut amens possit conficere valida sacramenta ; siquidem potuit antecedenter habere intentionem illa conficiendi, eamque virtualiter conservare, atque ex eadem ad conficiendum sacramenta procedere : consequens autem proxime a nobis rejectum fuit tanquam absurdum, et communi sententiæ contrarium. Id, inquam, si colligatur, neganda est sequela absolute : non quidem (ut aliquis existimare minus recte posset), ob defectum intentionis in similibus ministris ; vel quia libertas, et propositum in causa, ubi datur, non sufficiat ad peragendum valide sacramenta. Sufficere namque vel ex eo certo constat, quod sacerdos, qui animo celebrandi accedit ad altare, et mente distractus, et sine advertentia verba consecrationis profert, validum conficit sacramentum, ut omnes docent : et tamen solum habet libertatem virtualiter, et in causa, non autem formaliter, et in se : quippe posterior hic libertatis, et intentionis modus non adest absque formali advertentia. Quod igitur ebrius, aut dormiens nequeat valida sacramenta conficere, et ministrare, non ab illa radice provenit, sed ab alia longe diversa, nempe ex eo, quod verba, in quibus consistunt formæ sacramentorum, debent esse verba humana, et habere significationem manifestando conceptum loquentis : ea autem verba, quæ profert ebrius, vel dormiens, verba humana non sunt, nec ullum loquentis conceptum repræsentant : unde prædicta verba non sunt formaliter verba, nec possunt per modum formæ sacramentum constituere. Sicut ob eandem rationem verba in ebrietate, aut somnio prolata nequeunt esse formaliter votum, aut professio, aut juramentum ; quin nec esse possunt blasphemia, contumelia, aut convicium, licet sono tenus talia videantur : unde cordati nec his offenduntur, nec pluris ea faciunt, quam si a psittaco proferrentur. Ab hac igitur radice, et non ex solius libertatis defectu promanat, quod dormiens, ebrius, et similes nequeant sacramenta conficere. Recolantur, quæ diximus loco cit. num. 107, et num. 119. Ex quibus haud obscure colligitur Nota. ratio differentiæ, ob quam dormiens, aut ebrius possit valide suscipere sacramenta, et tamen nequeat valida sacramenta conficere : quia licet ad utrumque munus tam ministrandi, quam suscipiendi requiratur libertas, et intentio ex illa orta, tamen sufficit ad utramque libertas, sive intentio virtualis, et in causa : quæ quidem salvari valet in dormiente, et ebrio. Unde ubi hæc adest, potest dormiens valide suscipere sacramenta, possetque etiam,quantum est ex vi hujus, valida sacramenta conficere. Cæterum ultra hanc intentionem verba humana requiruntur, quæ sacramentum per modum formæ constituant : quæ ubi proferuntur a dormiente, aut ebrio, verba humana non sunt, nec ad prædictum finem queunt deservire. Et quia adhibere formam pertinet non ad suscipientem, sed ad ministrum ; propterea minister dormiens, aut ebrius nequit verum sacramentum efficere, licet suscipiens ebrius, aut dormiens verum sacramentum recipere queat. Si autem reperiatur sacramentum, in quo idem suppositum debeat esse tam suscipiens, quam ministrans ; ex hoc ipso convincitur, quod sicut ebrius, aut dormiens nequit illud ministrare, sic etiam non possit ipsum suscipere. Et sic contingit in matrimonio.

34. Arguitur quinto : quia infideles possunt valide baptizare : ergo in ministro baptismi non est necessaria intentio faciendi, quod facit Ecclesia, ac perinde nec intentio, quæ respiciat opus externum ut sacramentum adhuc in confuso, et sub implicita conditione faciendi, quod facit Ecclesia. Probatur consequentia : nam infidelitas ministri potest specialiter con- Quintum argumentum.

sistere in errore non credendi dari Ecclesiam, vel credendi Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam, sed hanc extare apud Lutheranos. Unde baptizans posset procedere cum proposito faciendi, quod fecit Christus, non autem faciendi, quod facit Ecclesia, et multo minus quod Ecclesia Romana facit : in quo eventu non apparet, qua ratione minister concipiat propositum faciendi, quod facit Ecclesia.

Confirmatio. Confirmatur : quia in contractibus humanis, et rebus similibus non requiritur intentio ex parte ministri, sed solum ex parte agentis principalis : et ad ministrum solum pertinet operis executio : sed in sacramentis Christus est causa principalis, nos autem sumus ministri ; ergo si quæ intentio ad valorem sacramenti requiritur, hæc se tenet ex parte solius Christi, et ad nos ministros solum pertinet exequi opus externum, in idque dirigere, et applicare intentionem,

Diluitur argumentum. Ad argumentum respondetur concesso antecedenti (de quo agemus dub. sequenti) et negando consequentiam. Cujus probatio est nullius momenti : nam ex eo, quod aliqui infideles careant (juxta specialem errorem, cui hærent), intentione faciendi, quod facit Ecclesia : solum sequitur hos non posse verum baptismum conferre : sed non sequitur omnes infideles ita se habere, et consequenter quod non possint concipere propositum baptizandi, ut faciunt Christiani, et verum baptismum conferre. Oppositum enim haud obscure constat ex supra dictis numer. 17, et magis constabit ex dicendis dub. sequenti. Unde præmissus discursus non magis evincit, quam iste : *Aliquis homo non est albus : ergo nullus homo est albus.* Addendum tamen est, quod nec in ipsismet exemplis, quibus consequentiæ probatio promovetur, certum est prædictos infideles non posse concipere intentionem legitimam, et quanta sufficit ad valorem sacramenti. Nam qui baptizando intendit facere, quod fecit Christus, et non quod facit Ecclesia, errat quidem in apprehendendo illas dispositiones contrarias : sed si ita animo paratus sit, ut non recederet a baptizando juxta institutionem Christi, licet sciret hanc esse etiam Ecclesiæ intentionem, vult simpliciter, licet implicite, et in confuso, facere, quod facit Ecclesia : et sic conficit verum sacramentum baptismi. Et similiter se habet, qui vult baptizare, ut facit Ecclesia vera, non autem ut facit Ecclesia Romana : quia etsi erret putans hanc non esse veram Ecclesiam, si tamen paratus est baptizare, quamvis oppositum cognosceret, nempe eandem esse Ecclesiam veram, et Ecclesiam Romanam ; hoc ipso convincitur velle simpliciter quamvis in confuso, facere, quod facit Ecclesia : et consequenter valide baptizat. Aliter vero contingeret, si quis adeo obnixe, et obstinate adhæreret v. g, Synagogæ Genevensi, ut nullo modo vellet facere, quod facit vera Ecclesia, quamvis hanc cognosceret esse Romanam : quia hic caret simpliciter intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Ubi autem ambiguitas occurrit circa hujusmodi intentiones, et unius in alteram prævalentiam : valor sacramenti erit dubius, sicut et intentio. Quod minime contradicit nostræ assertioni per se, et simpliciter procedenti : præscindere namque expedit ab his accidentariis complicationibus. Videantur Soto in 4, distinct. 1, quæst, 5, art. 8, § *Circa hoc*, et § *Contra hoc, et* Suarez disp. 13, sect. 2. Soto. Suarez

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem satis constat ex dictis num. 30, in resp. ad 2 *confirm.* Sed addimus eo discursu ad summum probari, quod Christus potuerit ita instituere sacramenta, ut nullam haberent dependentiam ab intentione ministri ; sed solum ab ejus externo ministerio, et applicatione. Certum tamen est Christum potuisse aliter disponere, nempe, quod sacramenta dependerent ab intentione ministri volentis facere sacramentum, sive exequi opus externum juxta intentionem Ecclesiæ. Et ita Christum de facto instituisse constat ex communi sensu Ecclesiæ sic intelligentis sacramentorum institutionem, accedentibus etiam Conciliorum, et Pontificum decretis id non obscure explicantibus, et diffinientibus. Et plane potuit Christus instituere, ut sacramenta fierent independenter ab omni ministri intentione, ab illa etiam faciendi serio opus externum : quo non obstante ipsi Adversarii recognoscunt non ita de facto instituisse, sed voluisse potius, quod sacramenti valor ab hac saltem ultima intentione dependeret. Et hoc ipsum nos asserimus de intentione faciendi opus externum ut sacrum, sive prout illud facit Ecclesia.

Sextum argumentum. 35. Arguitur sexto (et potest esse replica contra immediatam responsionem), nam certum

certum est Christum potuisse ita instituere sacramenta, ut eorum valor non dependeret ab intentione ministri, ut a nobis conceditur, et plane evincitur exemplo independentiæ, quam sacramenta habent a ministri fide, atque bonitate: ergo præsumendum est Christum de facto ita instituisse. Probatur consequentia: quia supposita rei possibilitate, præsumere debemus Christum elegisse modum magis congruentem: sed congruentius foret sacramenta in sui valore non dependere ab intentione ministri: ergo præsumendum est Christum de facto ita instituisse. Probatur minor: tum quia exclusa illa dependentia magis eluceret solum Deum esse causam principalem sacramentorum, et hominem ministrum purum. Tum etiam quia in prædicto modo institutionis Christus amplius ostenderet suam virtutem, quæ nullo modo impediretur prava intentione ministri. Tum denique quia talis institutionis modus aptissimus foret ad pacandum animos suscipientium, et removendum innumeros scrupulos, qui circa valorem sacramentorum possunt ab hac parte oriri, cum suscipientes nequeant esse certi de intentione ministrorum utpote interiori, et occulta: quod inconveniens vivat opposita nobis sententia.

Respondetur hujus argumenti discursum invalidum prorsus esse in hac, et similibus rebus ex sola Dei voluntate dependentibus: certum namque est Deum pro sua libertate, et summa sapientia potuisse plura aliter disponere, quam disposuit: et quidem si aliter decrevisset, præsto illi forent fines congruentissimi ad talem institutionem. Sed tamen in prædictis oportet nos attendere non ad solam majorem, quam imaginamur, congruitatem; sed potius ad manifestationem divinæ voluntatis, quæ nobis innotescit per doctrinam Ecclesiæ, ut sæpius in hoc tractatu exemplis ostendimus, et exploratum est apud Theologos. Et ut plura omittamus, certum in præsenti materia est Deum potuisse ita instituere sacramenta, quod eorum valor nullo modo dependeret ab ulla ministri intentione, ab illa etiam, qua intendit serio agere: idque si disponeret congruum esset, aptissimumque ad removendum prorsus omnes scrupulos; cum dubitari etiam queat circa ministri intentionem in serio agendo. Et tamen Deus de facto non ita disposuit; et quod non disposuerit, constat ex doctrina Ecclesiæ, quam proposuimus § 1, et cui obluctari nostri Adversarii non audent. Unde liquet argumentum desumptum a sola rei possibilitate, et apprehensa quadam majori congruitate nihil in hac causa valere.

Magis expenditur. Juxta quam doctrinam, concesso antecedenti negamus consequentiam: cujus probationem nullius momenti esse satis constat ex immediate dictis. Sed dispelli ulterius potest omittendo majorem, et negando minorem: nam attentis omnibus congruentius longe fuit Deum instituisse, quod sacramentorum valor dependentiam haberet ex proposito ministri intendentis facere opus externum ut sacrum saltem in confuso, et sub implicita conditione faciendi, quod facit Ecclesia. Sic enim magis elucet sacramentorum dignitas, quæ non sunt opera mere externa, aut naturalia, sed quid sacrum: et ut talia debent terminare intentionem. Apparet etiam major ministri dignitas, qui agit ut homo, nempe ex proposito, et deliberatione in ordine ad effectum proprium principalis agentis; qui effectus non est opus mere externum, sed sacramentum. Deniqne liquet Deum rationabiliter elegisse homines in sacramentorum ministros: nam si horum intentio non esset congrua, pariter potuisset disponere, quod sacramenta fierent fortuito, et per causas quaslibet, comprehendendo etiam irrationabilia bruta. Contrariæ autem minoris probationes non urgent. Non quidem prima: quia semper salvatur solum Deum esse causam principalem sacramentorum, et gratiæ in eisdem productæ: quamvis minister, sive instrumentum agat ex intentione: et ad commendationem divinæ sapientiæ pertinet, quod si instrumentum est rationale, agat modo rationali, se scilicet subjiciendo agenti principali, et agendo in ordine ad proprium ejus finem: qui in præsenti non est opus mere externum, sed sacramentum. Nec etiam secunda: nam ex suppositione, quod Christus voluerit ostendere suam virtutem agendo per homines tanquam per instrumenta rationalia, ibi consequenter voluit effectum suæ virtutis posse impediri per pravam intentionem ministri: quod minime diminuit vires prædictæ virtutis, sed manifestat Christum agere non solum fortiter, sed etiam suaviter; accommodando scilicet suum influxum conditioni instrumentorum, quibus utitur.

Nec id negare queunt Adversarii palam concedentes impediri effectum virtutis Christi, si minister nolit serio agere. Ultima tandem non urget : quoniam ad removendum circa ista scrupulos sufficit certitudo moralis, et juxta conditionem naturæ. Quæ certitudo concipi merito debet, ubi cernimus sacramenta serio ministrari : cum nullum positivum motivum occurrat, ut inique sentiamus de intentione ministri. Habere autem certitudinem metaphysicam, quæ fundet repugnantiam oppositi, est supra conditionem nostram, et irrationabiliter ab aliquibus scrupulosis desideratur. Plane talem certitudinem non habemus de intentione ministri in agendo serio ; nec illam in sacramento pœnitentiæ habemus de eo, quod minister sit baptizatus, et valide ordinatus, sine quibus illius sacramenti valor non subsistit : nec denique illam habemus de baptismo in prima infantia recepto; nec denique de sexcentis aliis, in quibus scrupulosi delirant, et quæ Deus pro sua omnipotentia vitare potuit sanctificando homines sine istis dependentiis. Sed tamen aliter, et utique sapientissime disposuit. Qui autem nimis scrupulose aliam securitatem intentant, philautii profecto sunt, et divinam providentiam tacite corrigunt, et cuperent emendari. Sufficit itaque nobis habere, ut nostri conditio exigit, certitudinem moralem : quæ adest circa ministri intentionem, ubi nullum rationabile, et positivum motivum ad oppositum occurrit.

Observatio notanda.

§ IV.

Quæstiunculæ appendices, et earum decisio.

Prima difficultas remissive.

36. Superest, ut dubia quædam, quæ circa præmissam resolutionem possunt occurrere, resolvamus. Et primum dubitari potest, an ministri intentio, quam pro valore sacramentorum adeo necessariam diximus, sit eorum pars, pertineatque ad eorum constitutionem. Sed quæstionem hanc ex professo versavimus supra disp. 2, dub. 7, ubi negative respondimus, et rejecimus sententiam Lugonis, satis in hac re singularem. Unde nihil est, quo circa istam materiam morari debeamus, sed lectorem ad eum locum remittimus.

Alia quæstio.

37. Deinde dubitari potest, an deficiente ex parte ministri legitima intentione, quam ad valorem sacramenti necessariam esse tam severe statuimus, suppleat Deus illius defectum, conferendo scilicet sine sacramento effectum sacramenti, ita videlicet ut si minister v. g. baptizans vel ex malitia, vel ex incuria non habeat intentionem requisitam, Deus pro sua misericordia conferat puero gratiam justificantem sine vero baptismo? et si Sacerdos absolvens non habeat intentionem requisitam ad valorem sacramenti pœnitentiæ; pœnitens qui rite, et bene dispositus accedit, consequatur ex misericordia Dei gratiam remittentem peccatum? Hanc difficultatem attigit D. Thom. tum aliis locis, tum præcipue in præs. art. 8 ad 3, ubi ait : « Circa hoc est duplex « opinio. Quidam enim dicunt quod requi- « ritur mentalis intentio in ministro, quæ « si desit, non perficitur sacramentnm : » (estque modo sententia communis, et certissima, quam § præced. statuimus) : « sed « hunc defectum in pueris, qui non habent « intentionem accedendi ad sacramentum, « supplet Christus, qui interius baptizat; « in adultis autem, qui intendunt sacra- « mentum suscipere, supplet illum defec- « tum fides, et devotio. Sed hoc satis posset « dici quantum ad ultimum effectum, qui « est justificatio a peccato. Sed quantum « ad effectum, qui est res, et sacramentum, « scilicet quantum ad characterem, non « videtur, quod per devotionem acceden- « tis possit suppleri : quia character nun- « quam imprimitur, nisi per sacramen- « tum. » Ex quibus liquet S. Doctorem in ea fuisse sententia, quod ubi deficit in ministro legitima intentio, non producitur, nec imprimitur character, nec Deus quantum ad hunc effectum supplet intentionem ministri. Et idem convincitur Div. Thomam sensisse de gratia peculiari sacramentali, quæ unicuique sacramento specialiter correspondet, juxta ejusdem doctrinam superius traditam disp. 4, dub. 9. Et quidem merito, et valde consequenter ita sentit : quoniam effectus propriissimus sacramenti, cujusmodi sunt character, et gratia sacramentalis, non producitur nisi per sacramentum : sed ubi deficit in ministro legitima intentio, sacramentum non conficitur, ut constat ex dictis: ergo deficiente prædicta intentione, non producitur character, et gratia sacramentalis. Nec majus fundamentum habemus ad dicendum, quod deficiente intentione ministri supplet Deus producendo gratiam sacramentalem, et characterem.

Proposita a Tho[...]

characterem, quam ad asserendum, quod deficiente tali intentione, supplet Deus efficiendo se solo sacramentum independenter ab intentione ministri: quod tamen omnes reprobant. Idem itaque de productione characteris, et sacramentalis gratiæ dicendum est. Sed quantum ad alium effectum sacramentorum, qui est gratia communis, et sanctificans, videtur Div. Thomam in partem affirmativam aperte inclinare, ut liquet ex illis verbis : « Sed hoc satis posset « dici quantum ad ultimum effectum, qui « est justificatio a peccato. » Et de hoc effectu procedit quæstio.

Igitur Deum in tali casu supplere defectum ministri, et sacramenti, dando misericorditer gratiam, docuerunt Div. Bonaventura in 4, distinct. 6, in 2 part. artic. 3, quæst. 1 ad 5, Durandus quæst. 2, numer. 2, Gabriel quæst. 1, artic. 3, dub. 2, Alensis 4 part. quæst. 2, membr. 3, § 1, ad 4, Sylvester verbo *baptismus* 1, quæst. 5, et verbo *baptismus* 6, quæst. 3, Zanardus in Direct. part. 2, *de baptismo*, capit. 4, Valencia tomo 4, disp. 3, puncto 3, Summa confessorum, Angelus, Paludanns, Viguerius, Vivaldus, Molfesius, et alii apud Leandrum tract. 2, disp. 4, quæst. 25, et apud Pradum quæst. 64, dub. 7, § 6. Quin Div. Thomas id haud obscure significavit tum verbis supra relatis, tum in 4, distinct. 24, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 3 ad 2, ubi loquens de illo, qui cum non esset vere baptizatus, ad Episcopatum promoveretur, inquit : « Sed tamen pie credi potest, quod « quantum ad ultimos effectus sacramen- « torum Summus Sacerdos (*nempe Christus*) « suppleret defectus, etc. » Fundamentum prædictæ sententiæ est: quia de divina misericordia præsumi debet, quod non permittat æternam damnationem infantis ob malitiam, et defectum intentionis in ministrante baptismum: ergo hujus defectum supplet conferendo infanti gratiam communem justificantem. Et idem præsumi debet, ubi adultus legitime dispositus accedit ad sacramentum pœnitentiæ, et ob malitiam ministri intendentis non absolvere non consequitur sacramentalem absolutionem : sic enim accedens facit, quod in se est : et Deus facienti, quod est in se, non denegat gratiam, ut est vulgare apud Theologos proloquium.

Cæterum licet concederemus Deum in aliquo casu singulari supplere intentionem ministri conferendo effectum sacramenti invalide collati (quod præcise admittendum foret, ubi prædicta divina dispositio per revelationem probatissimam innotesceret) : nihilominus admittere non possumus sententiam proxime relatam in ea universalitate, et uniformitate, cum qua procedit: sed tanquam certissimum tenendum est, quod ubi sacramentum est nullum ob defectum intentionis in ministro, Deus non supplet prædictum defectum causando gratiam ; sed perinde se habet, ac si nullum sacramentum applicatum fuisset, vel homo non accessisset ad sacramentum. Sic sentiunt plures, et graviores Theologi, Soto in 4, Soto. distiq. 5, art. 8, Capreolus, Caietanus, et Cajetan. Henriq. Tabiena, quos refert, et sequitur Henriquez Sylvius. Diana. lib. 1, cap. 10. num. 3, Sylvius, Naldus, Homobonus, et Heredias, quos refert, et sequitur Diana 3, part. tract. 4, resol. 17, Cabrera quæst. 64, art. 8, disp. 1, num. Cabrera. Suarez 65, Suarez disput. 3, sect. 2, Vasquez disp. Vazq. 138, c. 4, Bonacina disp. 1, quæst. 3, punct. Bonac. 2, § 3, Sayrus, Vega, Estius, Tabiena, Armilla, quos refert, et sequitur Leander Sayrus. Leand. Prado. tract. 2, disp. 4, quæst. 25, Prado in præs. dub. 7, § 6, n. 78, Gonet disp. 7, art. 2, § 5, Gonet. Aversa quæst. 64, sect. 3, ad 3, Dicastillo Aversa. Dicastil. disp. 3, dub. 5, nu. 53, et 59, et alii communiter. Quam sententiam aperte docet D. Probatur ex D. Th. Thomas quodlib. 6, art. 4, ubi ait : « Manifestum est, quod in pueris nondum « habentibus usum rationis non potest esse « motus fidei, et dilectionis, aut propositum « suscipiendi baptismum. Et ideo non pos- « sunt salvari, nisi per baptismum aquæ, « vel per baptismum sanguinis, si propter « Christum occidantur. » Neutrum autem horum contingit, ubi baptismus puero collatus ob defectum intentionis in ministro nullus est: ergo tunc Deus non supplet defectum baptismi communicando gratiam : alias puer salvari posset independenter ab utroque baptismo tam fluminis, quam sanguinis, contra id, quod tam perspicue asserit D. Thomas. Et in 4, dist. 4, quæst. 3, artic. 3, quæstiunc. 2 ad 3, inquit : « Quamvis puerorum ætas sit magis mise- « rabilis; tamen oportet, si salvari debeant, « quod in eis aliqua causa salutis sit. Et « quia per proprium motum liberi arbitrii « salvari non possunt; oportet, quod per « sacramentum Baptismi salventur. » Ubi autem vel per malitiam, vel per incuriam ministri non datur intentio baptizan-

di, non confertur puero sacramentum Baptismi: ergo puer in tali suppositione salvari non valet : atque ideo ex sententia D. Thomæ non consequitur gratiam, supplente Deo defectum sacramenti, et ministri. Et similia tradit S. Doctor in hac 3 part. quæst. 68, art. 1, et quæst, 73, art. 3, et alibi.

Fulcitur ratione. Fundamentum solidissimum hujus veritatis stat in generali illa regula proposita Joan. 3. Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ex illa namque liquido constat neminem consequi gratiam, qua valeat in regnum Dei introire, nisi suscipiat sacramentum baptismi in re, vel in voto : sed pueri sunt incapaces suscipiendi prædictum sacramentum in voto : cum illud ob defectum arbitrii concipere non valeant : ergo nec gratiam recipere, nec in regnum Dei introire queunt absque sacramento baptismi suscepto in re : atqui ubi deficit intentio ex parte ministri, non suscipiunt sacramentum baptismi in re, cum baptismus absque illa intentione datus verum sacramentum non sit, ut supra ostendimus : ergo minime affirmari valet, quod ubi deficit intentio ex parte ministri, Deus suppleat ejus defectum conferendo gratiam qua pueri consequantur salutem. Et hæc est generalis regula, secundum quam loqui oportet : et absurdissimum proinde censeremus aliquem, et in aliquo casu particulari ab illa extrahere, nisi præeunte securissima, et probatissima revelatione de opposito. Unde D. Fulgentius relatus D. Fulg. in cap. *Firmissime, de consecratione* dist. 4, inquit : « Firmissime tenendum est non « solum homines ratione utentes, verum « etiam parvulos, qui sive in uteris matrum « vivere incipiunt, et ibi moriuntur ; sive « jam de matribus nati sine sacramento « baptismi, quod datur in nomine Patris « etc. de hoc sæculo transeunt, sempiterno D. Aug. « igne puniendos. » Et D. Augustinus relatus in cap. *Nulla*, eodem tit. et dist. inquit : « Nulla præter baptismum salus pro« mittitur infantibus : quia infantes, si « per sacramentum, quod ad hoc est divi« nitus institutum, in credentium nume« rum non transeunt, in tenebris ma« nent. » Et idem S. Doctor epist. 28 *ad Hieronymum*, ait : « Quisquis dixerit, quod « in Christo vivificabuntur parvuli, qui « sine sacramenti ejus (*nempe baptismi*) « participatione de vita exeunt ; hic pro« fecto et contra Apostolicam prædicatio« nem venit, et totam condemnat Eccle« siam, ubi propterea cum baptizandis « parvulis festinatur, et curritur : quia « sine dubio creditur aliter eos in Christo « vivificari non posse. » Et profecto hoc asserere videntur, qui ubi parvulorum baptismus non est verum sacramentum ob defectum intentionis in ministro ; sentiunt illos nihilominus salvari, supplente Deo prædictum defectum, et communicante gratiam.

38. Confirmatur urgenter : quia sacramenta nostra important necessario materiam, formam et intentionem ministri, ut constat ex decretis relatis num. 13, sed deficiente debita materia, aut debita forma non perficitur sacramentum, nec Deus prædictum defectum supplet : ergo idem dicendum est, quando impeditur sacramenti valor ob carentiam debitæ intentionis in ministro. Patet consequentia : quia non occurrit ullum rationabile fundamentum, ut dicatur Deum supplere defectum debitæ intentionis conferendo gratiam ; et Deum non supplere defectum debitæ materiæ, aut debitæ formæ eandem gratiam causando. Porro dicere, quod Deus omnes hujusmodi defectus semper supplet, stultissimum apparet, et quod excludat necessitatem verorum sacramentorum ; siquidem eisdem impeditis ob quoslibet defectus occurrentes, adhuc præcipuus eorum effectus, nempe sanctificatio, confertur. Ad hæc : cum regula generalis sit baptismum esse sacramentum necessarium ad salutem (et idem proportionabiliter intelligi debet de sacramento Pœnitentiæ in ordine ad remittendum peccata gravia post baptismum commissa), nullum possumus sine temeritate ab hujusmodi regula excipere, nisi excitati certissima Dei revelatione, vel ducti aliquo urgentissimo fundamento. Nihil autem horum occurrit, ut dicamus pueros baptizatos sine debita intentione ministri consequi gratiam sanctificantem, supplente Deo ministri intentionem, et sacramenti influxum. Quod magis constabit diluendo motiva opposita, satis profecto levia in re tam gravi.

Et quod ad D. Thomam attinet, jam ostendimus, quod nostram resolutionem docuerit. Nec sibi, aut nobis opponitur in testimonio supra relato ex art. 8 hujus quæst. ibi namque agit de utroque baptismi effectu, nempe tam de gratia, quam de

charactere

charactere : et opinionem ibidem relatam non sustinet quantum ad characterem, sed solum quantum ad gratiam. Nec id approbat absolute, sed sub distinctione, nempe quantum ad adultos : quia cum hi capaces sint devotionis, et fidei, quæ per dilectionem operatur, possunt sic accedere ad sacramentum, quod licet hujus valor ex perversa intentione ministri impediatur, recipiant reipsa gratiam ; non quidem ex vi sacramenti, nec regulariter ex vi alicujus providentiæ miraculosæ, sed juxta propriam dispositionem, quæ cum sacramenti voto sufficit ad gratiam suscipiendam. Cæterum quantum ad parvulos prædictæ dispositionis, ac voti incapaces refert quidem D. Thomas eam sententiam ; illam tamen positive non approbat, sed prætermittit : reprobat autem aliis locis num. præcedent. relatis. Minus adhuc urget aliud testimonium ex 4 sentent. quia S. Doctor non sistit in illis verbis : « Tamen « pie credi potest, etc. » sed ulterius addit : « Et quod non permitteret hoc ita latere, « quod periculum Ecclesiæ imminere pos- « set. » Et hoc ultimum magis approbat, et quidem merito: nam cum ad validam Episcopi ordinationem prærequiratur character baptismalis, et hic numquam producatur sine vero sacramento baptismi, ut D. Thomas tam sæpe, et frequenter affirmat : minime occurreretur objecto inconvenienti, si diceretur Deum supplere defectum baptismi producendo gratiam: occurritur autem dicendo Deum non permissurum, quod defectus baptismi lateat cum imminenti Ecclesiæ periculo.

Cætera, quæ e ratione afferuntur, non magis premunt : quia sicut cum Dei misericordia cohæret, quod plures infantes nequeant proxime suscipere baptismum, et quod in æternum damnentur ; sic etiam cohæret, quod suscipiant baptismum invalidum, et eandem damnationem sustineant. Sufficit enim ad divinæ misericordiæ commendationem, quod remedia communia, et in communi pro omnibus instituerit : sed ad eam non spectat impedire cursum causarum naturalium, quæ non semel illis remediis obsistunt, ut ex professo explicuimus tract. 14, disp. 6, dub 2. Quod autem additur « Deum non denegare gratiam « facienti, quod est in se » non habet locum in parvulis, sed in adultis. Cæterum nec in adultis verificatur, nisi faciant, quod est in se, ex viribus gratiæ. Porro non faciunt hoc modo omne, quod est in se, nisi diligant Deum super omnia : quo pacto certam sibi reddunt gratiam justificantem. Videantur, quæ diximus tract. citat. disp. 4, dubio 7, ubi illud axioma explicuimus refellendo absurdas quasdam ejus acceptiones. In summa, ut emergentes objectiunculæ præcidantur, præ oculis habere oportet neminem damnari nisi justissime, ob peccatum scilicet vel originale, vel actuale, et ut inquit D. Thomas 2, 2, quæst. 2, artic. 5 ad 1, « auxilium Dei qui- D. Tho.
« buscumque divinitus datur, misericorditer « datur : quibus autem non datur, ex justi- « tia non datur in pœnam præcedentis « peccati saltem originalis, ut dicit Augus- « tinus. » Et in 4, dist. 6, quæst 1, artic. 1, docet pueros in maternis uteris existentes « non esse capaces remedii, per quod se- « cundum legem communem participes « passionis Christi efficiantur, a quo est « remissio peccatorum : quia non possunt « subjici operationi ministrorum Ecclesiæ, « per quos talia remedia ministrantur. » Et idem proportionabiliter contingit, ubi subjiciuntur ministris, sed perversis, et non intendentibus baptizare. Sed hæc sunt per accidens respectu providentiæ disponentis in communi remedia.

39. Ex præmissa autem doctrina oritur tertium dubium, an scilicet legitimæ ministri intentioni, quam ad valorem sacramenti necessariam esse diximus, obsit error circa personam, cui sacramentum confertur, ut contingit, quando putat aliquis se baptizare puerum, et illi imponit nomen Joannis, et tamen est puella ; aut res e contra contingat. In quo casu tanquam certum præmittendum est, quod si minister haberet intentionem sic determinatam ad unum subjectum, ut excluderet omne aliud, aut haberet circa aliud intentionem contrariam : v. g. si statueret : *Volo baptizare hunc, qui est Joannes, filius Petri, et nolo alium, vel alterum baptizare*, tunc stante errore circa personam, non conficeret sacramentum. Id recipitur ab omnibus, et facile constat ex doctrina hactenus tradita: quoniam ad valorem sacramenti requiritur intentio ministri volentis sacramentum perficere, et conferre : sed in præmisso casu minister non habet intentionem baptizandi nisi Joannem filium Petri, quin habet intentionem contrariam non bapti-

Tertia quæstio.

Suppositio.

zandi aliam personam : ergo si persona alia per errorem substituatur, non conficitur sacramentum. Sed difficultas procedit per se, et attendendo præcise ad errorem circa personam præcisive ab aliis intentionibus quasi reflexis. Et in hoc sensu Hostiensis, Rosella, Angelus, et alii apud Bonacinam, et Leandrum statim referendos censent sacramentum esse nullum, quorum fundamentum est : quoniam error causat involuntarium, et excludit intentionem circa personam : ergo qui baptizat puellam putans esse puerum, non conficit sacramentum. Et confirmatur : quia in matrimonio error circa personam reddit nullum sacramentum : si enim quis contrahat cum Maria, quam putat esse Agnetem, non fit verum matrimonium, ut docet sententia communis : ergo idem proportionabiliter contingit in cæteris sacramentis.

Aliquorum placitum.

Vera tamen sicut et communis est sententia contraria, quæ docet errorem ministri circa personam non impedire per se loquendo sacramenti valorem. Ita Sotus in 4, dist. 1, quæst. 5, artic. 8, Victoria quæst. 34, Sylvester verbo *Baptismus* 3, quæst. 5, Suarez disput. 13, sect. 4, Bonacina disput. 2, quæst. 2, punct. 4, Gonet disput. 6, artic. 2, num. 56, Henriquez, Vasquez, Tabiena, Toletus, Sayrus, Reginaldus, et alii, quos refert, et sequitur Leander tract. 2, disp. 4, q. 27. Ratio est : quoniam licet minister sacramentorum aliquando erret materialiter, et speculative circa personam suscipientem sacramentum ; nihilominus practice, et formaliter non errat, quippe actualiter, atque exercite suam intentionem dirigit, et applicat ad personam, quam habet præsentem : et sic per se loquendo se gerit tam circa personam, quam circa materiam, nisi stulte agat, vel nisi urgens aliquod motivum occurrat aliter se gerendi : sed ubi stat intentio absoluta baptizandi, vel absolvendi personam præsentem, nihil præjudicare potest error materialis circa determinatam personam ; cum talis error non excludat intentionem absolutam ; ergo error ministri circa personam non tollit per se loquendo veritatem sacramenti. Et sic præsumi debet, et in dubio communiter judicari. Unde corruit motivum contrarium : nam cum ernore materiali circa determinatam personam stat optime intentio absoluta circa personam præsentem, quæcumque illa sit : et ideo talis error nec inducit simpliciter involuntarium, nec præjudicat sacramento. Sicut Isaac errabat circa personam Jacob, quem putabat Esau, ut legitur Genes. 27, et tamen benedictio rata fuit : quia Isaac voluit absolute benedicere. Ad confirmationem concesso antecedenti neganda est consequentia ob satis notam disparitatem : quoniam Matrimonium est pro materiali quidam contractus consistens in mutua traditione corporum in individuo : quare error circa personam est contra æqualitatem contractus, et subinde substantialis, et præjudicans talis sacramenti valori. Eo vel maxime, quod cum bonitas conjugis sit respectiva ad alterum, merito conjuges suam intentionem alligant ad determinatam personam : quocirca si hæc variatur, tollitur intentio contrahentium, et impeditur matrimonium. In hoc itaque sacramento rationabiliter limitatur regula illa communis. In cæteris autem cessat hoc motivum : quia minister dirigit absolute suam intentionem ad personam, quam præsentem habet, et de materiali omnino se habet, ut persona baptizetur, absolvatur, etc. quod sit masculus, vel fæmina, Petrus, vel Joannes, vel Maria.

Legitima resolutio. Soto. Victor. Sylvest. Suarez Bonac. Gonet, Leand. Diruuntur opposita fundamenta.

40 Quarta difficultas, quæ occurrit, est circa intentionem ex parte modi : nam licet ex dictis habeamus, quod sit ejus objectum, nempe facere, quod facit Ecclesia : sive hoc magis, aut minus explicite, vel in confuso terminet volitionem : dubitari tamen potest de modo, quem intentio debeat habere in se ipsa ; cum esse queat *habitualis*, vel *actualis*; *conditionalis*, vel *absoluta* ; *in se* vel *in causa*. Circa quas conditiones aliqui plurimum divagantur. Sed rem ipsam, supposita doctrina superius tradita, pressius diffinire valemus. Pro quo observandum est intentionem aliam esse *actualem*, et aliam *habitualem*. Actualis dicitur, qua quis aliquid actu vult, ut ipsi termini satis declarant. Et dividitur in *formalem*, et *virtualem*. Intentio actualis formalis est, quæ habet esse formaliter in se ipsa, ut cum quis elicit, et continuat hunc actum, *Volo*. Quod vero sit intentio *actualis virtualis* dupliciter contingere potest. Uno modo, cum intentio actualis formalis non est interrupta per actum contrarium, sed dirigit actus subsequentes, manetque in illis tanquam in effectum : quo pacto finis intentio manet actualiter virtualiter

Quart[a] quæsti[o]. Multi[plex in]tentio[nis] divisio.

virtualiter in electione mediorum. Et hac ratione qui domi habuit intentionem celebrandi, et hoc animo domo egreditur, Ecclesiam ingreditur, sacras vestes induit, et verba consecrationis profert ; licet non recordetur primæ intentionis, illam retinet virtualiter, et in effectu. Altero modo contingit intentio virtualis, quando scilicet etsi prior intentio interrumpatur, repetitur tamen in confuso, et in communi, et ab ea ita in communi concepta imperantur aliqui actus : unde comparantur per modum objecti respectu repetitionum sequentium, et hac ratione dicitur virtualiter permanere, ut fusius explicuimus tract. 11, disp. 4, num. 41, et tract. 14, disp. 5 num. 57. Ex quibus patet, quid sit intentio præcise *habitualis*, illa nimirum, quæ actualis non est, nec existit formaliter, aut virtualiter ; sed fuit aliquando, modo tamen non habet esse in se, nec in effectu, nec saltem in communi, aut in confuso repetitur. Et observandum est, quod tempore D. Thomæ omnis intentio, quæ non erat actualis formalis, vocabatur *habitualis*, licet actualis virtualis foret, ut constat ex D. Bonavent. in 2, dist. 41, art. 1, quæst. 3 ad 6, et ex D. Thom. in præs. art. 8 ad 3, et cum Cajetano observavimus tract. 11, disp. 5, num. 37.

41. His suppositis tenendum est ad valorem sacramenti non sufficere in Ministro intentionem habitualem ; sufficere autem omnem intentionem actualem, sive sit formalis, sive solum virtualis ; et sive hæc virtualis sit talis per veram permanentiam in effectu, sive per solam repetitionem in communi, aut in confuso. Prima resolutionis pars est communis inter Theologos, ut testantur Prado quæst. 64, dub. 8, num. 16, Leander tract. 1, disp. 4, quæst. 17, et N. Franciscus tract. 1, cap. 7, puncto 4, num. 42. Probatur auctoritate, et ratione Div. Thomæ in præs. art. 8, quoniam intentio Ministri requiritur, ut determinet materiam, et formam, atque in sacramentum influat : intentio autem mere habitualis nec determinat, nec influit ; sed perinde ad influendum se habet, ac si nunquam fuisset, et eo modo, quo permanere dicitur, pure concomitanter se habet : ergo ad valide conficiendum sacramentum non sufficit in Ministro intentio præcise habitualis. Unde S. Doctor loco cit. observat ea, in quibus sacramenta consistunt, esse de se indifferentes ad plures fines. « Et ideo « oportet, quod determinentur ad unum, « id est, ad sacramentalem effectum per « intentionem abluentis, » (aut conficientis alia sacramenta). « Et hæc intentio « exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicit : Ego te baptizo in nomine Patris etc. » Constat autem intentionem mere habitualem non influere, non determinare, non exprimere ; sed concomitanter se habere, et tanquam si non esset, nec fuisset. Ex his a contrario sensu probatur altera pars, nempe necessariam esse in Ministro intentionem actualem, : hæc enim contra habitualem distinguitur : quare si habitualis non sufficit, actualis profecto requiritur. Cæterum non requiri intentionem actualem formalem, sed sufficere virtualem quocumque modo ex superius explicatis, ostenditur : tum quia intentio virtualis sufficit ad vere influendum in alios effectus, ut liquet tam in bonis, quam in malis, et tam in physicis, quam in moralibus : ergo pariter sufficit ad influendum in sacramenta, determinando scilicet eorum materiam, et formam juxta superius dicta § 2. Tum etiam quia Christus instituit sacramenta, ut ministrari queant modo convenienti, et humano : sed facultatem humanam superat, quod Minister habeat intentionem actualem formalem, quoties sacramenta ministrat : ergo ad valorem sacramentorum juxta institutionem Christi non requiritur in Ministro intentio actualis formalis, sed sufficit intentio virtualis, quæ formalem supponat uno ex modis supra relatis. Fundamentum ex D. Thom.

Unde Div. Thomas loco cit. in resp. ad 3, inquit : « Dicendum, quod licet ille, qui « aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem sa« cramenti : puta cum sacerdos accedens ad « baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si « postea in ipso exercitio actus cogitatio « ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum. « Quamvis studiose curare debeat sacramenti Minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate : quin « præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, se- D. Tho.

« cundam illud Ps. 39 : Cor meum dereliquit me. » Hæc D. Thom. in quibus observanda sunt.

Explicatio, et defensio D. Doctoris. Primum aliquos offendisse in illis verbis : « Licet non habeat actualem intentionem; « habitualem, quæ sufficit ad perfectionem « sacramenti ; » quasi D. Thom. senserit

Nota 1. contra communem sententiam, quam proxime statuimus. Sed D. Doctorem per intentionem actualem significavisse intentionem actualem formalem, et per intentionem habitualem significavisse intentionem actualem virtualem, constat evidenter ex verbis, quæ immediate subjungit. « Puta cum accedens ad baptizandum in« tendit facere circa baptizandum, quod fa« cit Ecclesia. Unde si postea in ipso exer« citio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur « ex virtute primæ intentionis perficitur « sacramentum. » Ubi manifestum est sermonem facere de intentione actuali virtuali a nobis assserta. Quam vocavit habitualem, ut morem gereret illius temporis usui, secundum quem omnis intentio, quæ non erat actualis formalis, sive existens in se ipsa, vocabatur habitualis, ut obser-

Nugnus. Joannes Nicolai. vavimus num. præc. Unde Nugnus ad prædictum art. difficult. unica ad 2, observat quosdam codices habere in margine, *alias virtualis*, Quin in aliquibus exemplaribus anni 1540, non *habitualis*, sed *virtualis* legebatur. Et ita scripsisse D. Thom. censet Joannes Nicolai ad titulum de baptismo cap. 1, § 8, sed propter abbreviatos characteres ly *habitualis* pro *virtualis* incuria transcribentium mutatum fuisse. Quod et nobis

Nota 2. verosimile satis apparet. Secundum, quod S. Doctor merito addiderit : « Quamvis « studiose curare debeat, ut etiam actualem « intentionem adhibeat, » nempe formalem attendendo, et intendendo in actu : quamvis enim hæc attentio necessaria non sit ad sacramenti valorem, decet tamen ejus sanctitatem : quare minister, qui peragendo sacramenta voluntarie distrahitur, peccat proculdubio magis, aut minus juxta qualitatem materiæ, et distractionis gravitatem. Tertium : quod cum D. Thom. monet

Nota 3. ad habendam attentionem et intentionem actualem formalem ; non est accipiendus de intentione quasi reflexa, et in actu signato, quam quidam scrupulosi ita concipiunt, et inculcant, *Volo attendere, intendo facere sacramentum etc.* quibus reflexionibus magis impediuntur : sed loquitur de attentione, et intentione directis, et exercitis, quatenus Minister attendat ad negotium, quod peragitur, contrectando reverenter materiam, proferendo distincte formam, et circumspecte se gerendo in cunctis, quæ res adeo gravis exposcit. Hoc enim est optimum attentionis, et intentionis genus, quod consulit D. Thom. in locis relatis, ut recte explicat Cajetanus.

Illatio refellenda. 42. Si quis autem ex præmissa communi resolutione circa sufficientiam intentionis virtualis colligat validum sacramentum conficere illum, qui eo die, quo natus est infans, habuit intentionem illum baptizandi, et elapsis pluribus annis ipsum absque alia, aut repetita intentione baptizat : idemque contingere in similibus eventibus. Negabimus plane sequelam : tum quia li-

Henriquez. cet ita docuerit Henriquez lib. 1, cap. 10, num. 2, illam tamen sententiam minime admittunt alii Doctores. Tum etiam (et hoc motivo convincimur), quoniam ad valorem sacramenti non sufficit intentio habitualis, sed requiritur actualis intentio saltem virtualis, ut cum communi sententia statuimus num. præced. atqui in prædicto casu Minister non haberet intentionem ullam actualem adhuc virtualem, sed solum intentionem habitualem : ergo non conficeret sacramentum. Probatur minor ; quia nequit salvari intentio virtualis, nisi quatenus prior intentio formalis, quæ processit, permanet in aliquo sui effectu, utpote in actibus subsequentibus ex eadem derivatis, vel quatenus repetitur saltem in communi, et in confuso per alios actus respicientes illam ut objectum : sed fit suppositio, quod in tali casu prima intentio non mansit in aliquo effectu, nec repetita fuit : ergo Minister in tali casu, cum baptizaret, aut ministraret alia sacramenta, non haberet ullam intentionem actualem adhuc virtualem, sed solum habitualem. Videatur

Prado. Prado quæst. 64, dub. 8, a num. 19, ubi cum Soto, Castro Palao, Lugone, Bernal, Leandro et aliis hanc nostram resolutionem tuetur dicens sententiam oppositam

Filliutius. esse omnino falsam. Et Filliutius tract. 1, num. 77, dixerat, quod oppositum nemo non censeret absurdum.

Consectarium. Et hinc incidenter colligimus primo contra Suarium, Lugonem et alios, quod si Sacerdos in principio anni v. g. intendat applicare sacrificia pro aliquo defuncto, et amplius non recordetur hujus intentionis, nec

nec illam repetat ; talis intentio non sufficit ad satisfaciendum pro obligatione (si occurrit), eleemosynæ, aut cappellaniæ. Quoniam applicatio sacrificii pro defuncto est actio humana, non minus ac ministratio sacramenti ; atque ideo debet procedere ex deliberata intentione : quod minime salvatur, nisi prima illa intentio maneat saltem virtualiter, ut in applicationem influere possit : ergo ubi fit suppositio, quod nullo modo manet vel in se, vel aliquo effectu, vel in actibus eam repetentibus, minime sufficit ad applicationem subsequentium sacrificiorum, nec ad satisfaciendum obligationi talia sacrificia applicandi. Quod
zq. ad. do. etiam censent Vazquez disp. 138, cap. 6, num. 74, Granados controv. 3, tract. 5, disp. 4, sect 2, num. 14, Prado dub. 8, a num. 28, et alii. Colligimus e contra secundo, quod ut quis valide suscipiat baptismum, sufficit aliquando habuisse intentionem illum recipiendi, licet postea per plures annos ejus non recordetur, dummodo non habuerit intentionem contrariam. Sic sentiunt communiter Doctores, et colligitur ex Concilio Arausicano 1, cap. 12, ubi dicitur ad suscipendum sacramenta sufficere consensum præteritum. Et in cap. *Majores de baptismo* dicitur : « Tunc characte« rem sacramentalis imprimit operatio, « quando obicem contrariæ voluntatis non « invenerit. » Quæ omnia salvantur in præmissa suppositione. Et ratio disparitatis inter intentionem Ministri, et intentionem suscipientis est, quod licet ex parte utriusque requiratur ; nihilominus intentio ex parte Ministri est causa sacramenti, et in ipsum influit ; quod minime præstare valet nisi actu sit vel formaliter, vel saltem virtualiter. Cæterum intentio ex parte suscipientis non est causa sacramenti, sed conditio : et ideo sufficit aliquando fuisse, et non esse retractatam. Accedit subjectum suscipiens non esse agens, sed passum, cui sufficit non resistere, aut non ponere obicem : Minister vero est agens, et debet operari humano modo ; quod facere nequit absque
a. intentione actuali formali, vel virtuali. Et hæc dicimus in illis sacramentis, in quibus suscipiens, est mere suscipiens et passum. Sed in eis, in quibus est etiam minister, ut in matrimonio, aut in quibus actus suscipientis intrant sacramentum, illudve constituunt, ut in pœnitentia ; limitari debet doctrina proxime tradita ; occurrit namque oppositum motivum, ut ex se liquet.

43. Sed veniamus jam ad alios intentionis modos num 40 insinuatos. Et tenendum est cum communi sententia intentionem ministri pro valore sacramenti requisitam debere esse absolutam, vel taliter conditionatam, ut immediate transeat in absolutam. Sic docent communiter Theologi, et ostenditur : quoniam intentio ministri debet esse efficax, ut quæ actu infert, et causat sacramentum : sola autem voluntas illa est efficax, quæ vel absoluta simpliciter est, vel taliter conditionata, ut statim transeat in absolutam. Pro cujus majori luce observare oportet conditionem, sub qua minister vult conferre sacramentum, vel esse de præsenti, vel de præterito, vel de futuro. Et quidem si conditio est de præsenti, vel de præterito, et res ita se habet, vel fuit, sicut exprimitur in conditione ; perficitur sacramentum : quia voluntas conditionata posita conditione transit statim in absolutam. Oppositum autem et propter oppositam rationem continget, ubi res, quæ in conditionem trahitur, non est, nec fuit. Cæterum ubi conditio est de futuro, generaliter opponitur substantiæ sacramenti, et illud reddit invalidum : quia pendente adhuc conditione, non adest de præsenti intentio ministri absoluta, sine qua non fit sacramentum, ut supra ostendimus. Idque verum est, licet conditio sit necessario eventura, v. g. ortus solis : nam minister suspendit intentionem usque ad eventum : sacramenti autem valor nequit manere sub hac suspensione : dependet enim a materia, et forma, et intentione absoluta ministri simul concurrentibus. Et quod postea eveniat conditio, nihil refert : nam quod ab initio nullum est, tractu temporis non convalescit. Quod est per se loquendo verum in sacramentis : sed an aliquam limitationem admittat in speciali sacramento matrimonii, in proprium locum remittendum est. Quid porro dicemus, ubi quis accommodaret suam intentionem ad conditionem præsentem de eventu tamen futuro, ut si quis baptizaret hoc modo, *Ego te baptizo etc. si Deus scit te perseveraturum in gratia ?* Coninckus in præs. art. 8, dub. 2, concl. 4, censet sacramentum esse simpliciter invalidum. Suarez disp. 13, sect. 3, putat esse dubium, et sub certa intentione repetendum. Sed existimamus in prædicto casu idem dici debere,

Alia resolutionis pars.

Incidens dubium.

Coninck.

Suarez.

ac ubi adhibita conditio est de præsenti, vel de præterito : quia non trahitur proprie in conditionem eventus futurus, utputa perseverantia; sed Dei scientia, vel scientiæ carentia de tali eventu, et harum unum existit, et est necessario præsens. Quare si adest scientia, ut in conditione exprimitur, baptismus tenet; sin autem, invalidum est. Sed quia prædicta conditio nos latet : propterea tale sacramentum esset in foro externo dubium, et reiterari deberet, ut Suarius affirmat. Quidquid autem sit de valore; nunquam licet has conditiones apponere, nisi cogente necessitate. De quo, et aliis minutioribus circa præmissa occurrentibus consulendi sunt Theologi morales.

[Propria solutio.]

44. Tandem dicendum succedebat de intentione interpretativa, et in causa. Sed ad id non obscure constat ex supra dictis num. 33. Juxta quæ tenendum est, quod quidquid non impedit rationem voluntarii, nec impedit officium intentionis ex parte ministri : quippe ad hoc desideratur, ut minister agat voluntarie, et humano modo. Et quia voluntarium vel interpretative, vel in causa sufficit ad salvandum rationem voluntarii absolute : propterea intentio interpretativa, et in causa censenda est sufficiens ad valorem sacramenti. Unde, quantum est ex vi hujus ebrius, et dormiens possent valide sacramenta conficere, si præhabuissent ante sommum, et ebrietatem intentionem conficiendi sacramenta, et illam aliquomodo conservassent. Sed quod absolute in eo statu existentes sacramenta conficere non valeant, provenit ex alia radice loco citato assignata, nempe verba, quæ in eo statu proferunt, non esse humana, atque ideo nec esse formam sacramentorum. Nec inde sequitur idem dicendum esse de verbis, quæ minister alio distractus profert sine attentione. Adest namque satis notabilis differentia : quia verba aliunde habent, quod sint verba, aliunde vero quod voluntarie proferantur. Illud enim primum participant ab intellectu, a quo habent significationem; posterius autem habent a voluntate. Et primum illud non tollitur per distractionem : quippe ista non efficit, quod loquens non intelligat ea, quæ dicit, licet cum respectu ad alia, circa quæ magis rapitur. Unde verba prolata ab homine sui compote, licet distracto, verba humana sunt, et sufficientia de se, ut sint forma sacramenti. Porro talia verba ab homine distracto prolata, esto, non essent voluntaria in se ob defectum attentionis actualis, possunt tamen esse voluntaria, et libera in causa, ut si quis a principio voluit attendere, ut sæpe contingit in recitatione officii divini. Unde minister, qui similem attendendi intentionem habuit, licet distrahatur, profert verba humana, et ad valorem sacramenti sufficientia. In ebrio autem, et dormiente, quamvis posset alias salvari voluntaria prolatio verborum ob præhabitam intentionem; nihilominus salvari non potest, quod verba prolata sint vere verba : quia cum intellectus tunc sit ligatus, non intelligit; et consequenter nec loquitur, nec per verba significat. Legantur quæ diximus tract. 13, disp. 5, dub. 6, § 4, per totum, et præsertim num. 111.

[Altera difficultas.]

[Observatio notanda.]

DUBIUM III.

Utrum peccatores, et infideles queant ministrare valide sacramenta ?

Quid requiratur in sacramentorum ministro cum ex parte status, cum ex parte intentionis, vidimus in duobus dubiis præcedentibus : et nunc videndum succedit, quid requiratur ex parte bonitatis, et fidei. Potest autem hoc requisitum referri vel ad ministrationem ut præcise validam, vel ad ministrationem non solum ut validam, sed ut licitam, et decentem. Et quia hoc posterius plura importat, seorsim, et ad sequens dubium duximus remittendum. De priori autem agit D. Thomas in articul. 5 hujus quæst. ubi inquirit: « Utrum per « malos ministros sacramenta conferri « possint :» et art. 9, ubi inquirit: «Utrum « fides ministri sit de necessitate sacra- « menti ? Pro cujus majori luce oportet distinguere inter sacramentum validum, et inter effectum sacramenti : quippe non raro contingit sacramentum tenere, esseque ratum in se, et nihilominus non inducere effectum, sive sanctificationem in suscipiente ob indispositionem istius. Dubium itaque præsens in id præcipue excitatur, ut investigemus an sacramenta, quæ ministrant peccatores, et infideles, sint revera sacramenta quantum ad valorem in se; quidquid fuerit de effectu talium sacramentorum : quamvis, ubi opportuerit, aliquid circa hoc ultimum per modum consectarii

[D. Tho.]

[Specialis difficultatis punctus.]

consectarii adjiciemus. Et quamvis resolutio proponenda videatur esse communis ; tamen majoris distinctionis, et claritatis gratia, illam per partes trademus, sicut et fecit D. Thomas locis relatis. Quia vero difficilius apparet infideles ministrare posse sacramenta, quam peccatores : ideo a facilioribus inchoando.

§ I.

Proponitur conclusio catholica quantum ad peccatores.

rima nclu-sio. 45. Dicendum est primo peccatores posse ministrare valide sacramenta : atque ideo vera sacramenta posse perfici, et conferri per malos ministros sive occultos, sive publicos, dummodo cætera in id requisita (de quibus in superioribus,) concurrant. Hæc conclusio est immediate de fide ob diffinitionem Ecclesiæ sic decernentis : nam in onci-ium nstan-ense. Concilio Constantiensi sess. 8, damnavit articulum 4 Joannis Wiclephi, qui erat ejusmodi : « Si Episcopus, vel sacerdos est « in peccato mortali, non ordinat, non « conficit, non consecrat, non baptizat. » Quam condemnationem approbavit Marti- rtin. V. nus V, in sess 43 ejusdem Concilii. Deinde ncil. dent. Ecclesia in Concilio Trident. sess. 7, can. 12, statuit : « Si quis dixerit ministrum in « peccato mortali existentem, modo omnia « essentialia, quæ ad sacramentum confi- « ciendum, aut conferendum pertinent, « servaverit, non conficere, aut conferre « sacramentum ; anathema sit.» Idem jam pridem, et semper docuerunt SS. Patres, quorum aliquos infra dabimus num. 46, et Bern. 53. Unde Div. Bernardus serm. 66, in *Cant.* non dubitavit hæreticos illos dicere, qui dicebant : « Peccatores sunt Apostolici, « Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac « per hoc nec dandis, nec recipiendis « idonei sacramentis.»

inda-ntum. Ratio a priori hujus veritatis alia non est, quam Dei voluntas ita disponentis : nam certum est Deum potuisse statuere sacramenta, quorum minister foret peccator, esse invalida, ut hæretici asserunt ; et quod essent valida, ut nos affirmamus. Quod autem non primum illud, sed hoc ultimum statuerit, constat ex perpetua, justa et certissima Ecclesiæ traditione. Et quamvis Divus Augustinus lib. unico *de baptismo* cap. 11, observaverit hanc veritatem non posse probari ex sola sacra Scriptura : nihilominus haud obscure, nec improbabiliter colligitur ex aliquibus ejus locis, in quibus hominum justificatio non refertur ad ministros, nec ad eorum dispositionem, sed ad Deum principaliter operantem, ut ad Rom. 8 : *Deus est, qui justificat*, et 1, ad ad Rom. 8. Corinth. 3: *Quid igitur est Apollo, quid vero* 1. ad Cor. 8. *Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit : sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat Deus.* Et Joan. 1 : *Hic est, qui baptizat.* Joan. 1. Quæ verba sic expendit ipse Divus Augus- D. Aug. tinus tract. 6, *in Joann.* « Quid ergo per « columbam didicit (*Joannes scilicet Baptista*) ne mendax postea inveniatur « (quod avertat a nobis Deus opinari) nisi « quandam proprietatem in Christo talem « futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi, sive injusti, non « tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi, « super quem descendit columba, de quo « dictum est : Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Petrus baptizat, hic est qui « baptizat : Paulus baptizat, hic est qui « baptizat : Judas baptizat, hic est qui baptizat. Nam si pro diversitate meritorum « baptisma sanctum est : quia diversa sunt « merita, diversa erunt baptismata : et « tanto quisque aliquid melius putatur « accipere, quanto a meliore videtur accepisse. Ipsi sancti (intelligite fratres) boni « pertinentes ad columbam, pertinentes ad « sortem civitatis illius Jerusalem, ipsi « boni in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus : Novit Dominus, qui sunt ejus ; diversarum gratiarum sunt, non omnes « paria merita habent. Sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores. Quare « ergo si unus ab illo v. g. justo, sancto « baptizetur ; alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ; unum « tamen et par, et æquale est, quod acceperunt, nisi quia hic est, qui baptizat ?

46. Præsuppositæ autem hujusmodi ins- Congruentiæ ratio. titutionis divinæ congruentissimam rationem, et omnium optimam expendit Div. Tho. in hac quæst. art. 5, quoniam causa principalis tum sacramentorum, tum effectuum in eisdem productorum est solus Deus ; minister vero solum est causa instrumentalis, ut constat ex dictis disp.

præced. dub. 1, et 2; atqui effectus non assimilatur instrumento, sed solum causæ principali; quippe instrumentum non agit per propriam formam, sed per virtutem principalis agentis : ergo ad causandum sacramenta sancta, et eorum effectus, necessaria non est sanctitas, aut gratia ex parte ministri : et consequenter licet hic peccator sit, potest valide sacramenta ministrare. «Accedit instrumento (*inquit S. Doctor*) in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id, quod exigitur ad rationem instrumenti : sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum vel infirmum : et sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea.» (D. Tho.)

(Exempla.) Quem discursum hausit D. Thomas (ut facere solet, et est in eo summe laudabile) ex Patribus ipso antiquioribus, qui prædictum motivum aliis atque aliis similitudinibus declarant. D. August. tract. 5, *in Joan.* « Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? Non contaminatur donum Christi, quia per illum purus fluvius transit, et venit ad fertilem terram. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans; sed tamen hortis plurimum fructum affert.» Et lib. 3, contra Cresconium: « Nihil refert, aut lotis, vel illotis manibus semen jaciatur, ut fructum ferat : nihil refert, quod lumen solis per cœnosa diffundatur, ut splendeat.» D. Gregor. Nazianzenus orat. 40, quæ est de baptismo : « Nihil refert, an sigillum sit ferreum, vel aureum, ut in cera figuram imprimat : ita nihilo magis refert, quod Deus per bonum, vel malum ministrum dona suæ gratiæ largiatur. » Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum: « Sicut cerea fax sibi quidem detrimentum præstat accensa, aliis tamen, unde sibi damnum aversat, gratissimum lucis commodum effundit : sic malus minister pollutis manibus sacramenta porrigens eo sibi opere nocet, quod aliis eximio emolumento est.» Alia exempla occurrunt in Patribus. Sed addimus, quod sicut in naturalibus artifex utitur non solum instrumento animato, ut manu; sed etiam instrumento inanimato, ut malleo, et securi : sic in his supernaturalibus Deus utitur non solum ministris, aut instrumentis vivis, et sibi conjunctis per gratiam, et characterem, sed etiam instrumentis, sive ministris mortuis, et separatis a se per culpam. (D. Aug.) (D. Naz.) (Nicolaus Papa.)

47. Et quamvis plures alias rationes possemus expendere (nam quinque affert D. Thomas lib. 4, *contra gentes* cap. 77, et decem proponit Soto in 4, distinct. 4, quæst. 5, art. 5, et non paucas expendunt V. N. Thomas Waldensis (unde hauriunt Recentiores) initio tomi secundi per plura capita, Bellarminus lib. 1, *de sacramentis*, cap. 26, Sayrus libr. 2, capit. 6, quæst. unica, artic. 2, et 3, et alii) : nihilomus prætermittendas duximus : tum quia in re dogmatica sumus, quam præcipue, vel unice probat auctoritas : tum quia motivum a D. Thoma propositum, et aliorum Patrum suffragio firmum, sufficientissimum est. Sed prætermittere non oportet, quod Deus hac suavi dispositione nostræ infirmitati, et Ecclesiæ paci alte providerit : quoniam si ad sacramenti valorem requireretur sanctitas in ministro; cum ea communiter lateat, vix ulla in nobis foret securitas : quippe qui sicut essemus incerti de ministrorum statu, sic etiam de sacramentorum valore : unde quærere deberemus sanctiores, atque perfectiores : quod plane non fieret absque aliorum contemptu, et succedente inde invidia, et turbatione. Cui incommodo omnino credendum est Deum obviam ivisse statuendo sacramentorum valorem non dependere a sanctitate ministrorum; sed pravos etiam, et pessimos posse, cæteris concurrentibus, vera sacramenta peragere. Nec idem inconveniens potest quis objicere circa incertitudinem intentionis, quam dub. præced. diximus necessariam. Quoniam longe facilius est ministrum habere legitimam intentionem perficiendi sacramentum, quam sanctitatem; et ista profundius latet tam respectu ministri, quam cæterorum : quocirca tam alii possunt esse magis de intentione, quam de sanctitate securi : quippe intentionis defectus non provenit ex difficultate illam habendi ut in defectu sanctitatis contingit, sed ex mera malitia; quæ nisi certo constet, præsumi non debet, præsertim inter catholicos. Quod si minister sit infidelis, incuriæ, aut socordiæ suscipientis vertendum est, quod ipsum adierit : de quo in sequentibus. (D. Tho. Soto.) (N. Wald. Bellarm.) (Insinuatur alia congruentia.)

48. Ex præmissa vero assertione, et principiis pro illa propositis facile colligitur (Illatio quoad effectus.)

tur ministros peccatores efficere vera sacramenta non solum secundum substantiam, sed etiam quoad effectum gratiæ, aut characteris in aliis ; et quidem tantum esset, si per justos, et sanctos sacramenta ministrarentur, Ratio est ; quoniam sacramenta, ubi existunt, causant in suscipiente recte disposito suos effectus ex opere operato, et quasi naturaliter, sive necessario : sed sacramenta per malos ministros applicata sunt, cæteris concurrentibus, valida quoad substantiam ut constat ex supra dictis : ergo producunt suum effectum gratiæ, aut characteris in omni suscipiente recte disposito : cumque sacramenta sive per bonos, sive per malos ministros applicata, sint ejusdem rationis, et valoris, sequitur sacramentum, quod minister peccator applicat, efficere eundem effectum et tantum, qualis, et quatenus foret, si idem sacramentum per justum, et sanctum ministrum applicaretur. Et confirmatur ab inconvenienti, quia si daretur major gratia per sacramentum a meliori ministro applicatum ; possemus spem circa istum majorem profectum in homine ponere ; et haberemus occasionem dicendi, *Ego sum Pauli, ego vero Cephæ, ego autem Apollo ;* et falsum foret, quod *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, contra doctrinam Apostoli num. 45 relatam : ergo ne in id inconveniens recidamus, fateri oportet sacramentum a ministro applicatum causare non solum gratiam, sed etiam tantum, et talem gratiæ effectum, qualis, et quantus causaretur applicatus a ministro sanctissimo. Et in hac doctrina perpetuus est Div. Augustinus, et præsertim libr. 3, *contra Cresconium*, cap. 6, ubi affirmat baptismum a malo datum non solum non esse malum ; sed et quod non est melior baptismus, qui per meliorem datur. Et libr. 4, contra eundem cap. 16, inculcat baptismum, et alia sacramenta valere ex opere Christi operato, non ex dignitate ministri. *D. August.*

Observatio notanda. Cum qua tamen doctrina recte cohæret licitum esse quærere pro administratione sacramentorum meliorem ministrum ; quia sua devotione, et meritis potest deservire ad aliquid impetrandum, utputa bonum aliquem motum pro dispositione suscipientis, vel remotionem insidiarum diaboli, et similia : sicut et ad hæc non parum conferre solent personæ devotæ assistentes : commune quippe est sanctos suis orationibus cæteros adjuvare aliquid impetrando. Sed quicumque ille effectus sit, non est effectus sacramenti, nec confertur ex vi illius, aut ex opere operato, sed prævie tantum, aut concomitanter se habet. Quam doctrinam optime tradit Div. Thomas in hac quæst. artic. 1 ad 2, his verbis : « Dicendum, quod orationes, quæ dicuntur « in sacramentorum collatione, proponuntur Deo non ex parte singularis personæ, « sed ex parte totius Ecclesiæ, cujus preces « sunt apud Deum exaudibiles ; secundum « illud Matth. 18: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quam petierint, fiet illis a Patre meo. Nihil tamen prohibet, quin devotio viri justi ad « hoc aliquid operetur. Illud tamen, quod « est sacramenti effectus, non impetratur « oratione Ecclesiæ, vel ministri, sed ex « merito passionis Christi, cujus virtus « operatur in sacramentis, sicut dictum « est quæst. 62, artic. 5. Unde effectus sacramenti non datur melior per meliorem « ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum « per devotionem ministri. Nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum a Deo. » Recolantur superius dicta disput. 4, dub. 1, ubi explicuimus, qualiter sacramenta nostra causent suos effectus ex opere operato. *D. Tho.*

Errores contra nostram resolutionem. 49. Contra nostram assertionem plures senserunt hæretici : Cresconius dicens baptismum datum a quocumque peccatore nullius fructus esse : quem impugnat Div. Augustin. libr. 2, contra ipsum capit. 82 ; Donatistæ, qui eodem motivo ducti asserebant baptizatos a manifestis peccatoribus debere rebaptizari, ut refert, et refellit D. Augustin. lib. 2 contra epist. Parmeniani, cap. 10, et alibi sæpe. Circa tempus etiam D. Bernardi fuerunt alii hæretici, qui idem asseruerunt cum extensione ad cætera sacramenta. Et de Albigensibus idem refert Div. Antoninus 4. part. theologali. titul. 11, cap. 7. §, 5. Et malum sacerdotem non consecrare dixerunt Waldenses, seu Pauperes de Lugduno. apud eundem Antoninum loco cit. § 2. Wiclephus autem ultra progressus dogmatizavit omnes, quos Deus prævidet non perseveraturos, sive fore malos in fine vitæ, esse suspensos, et invalide baptizare, atque efficere invalide cætera sacramenta, ut colligitur ex V. N. Waldensi. tom. 2, cap. 14. Ex hære- *Donatistæ. Albig. Wiclep.*

Anabapt. ticis denique temporis nostri, aut sæculi præcedentis solos Anabaptistas ita sensisse tradit Vazquez disp. 137, cap. 1, num. 15. Sed fuisse etiam alios non obscure constat ex his, quæ scribunt Hossius *in confess.* cap. 2, Ruardus art. 1, Lindanus cap. 2, et alii. In cujus hæresis favorem aliqui ejusdem patroni referebant Div. Augustinum lib. 3, *de baptismo* cap. 18, ubi loquens de malis ministris asserit, quod *remissionem peccatorum non dabant*. Sed cum S. Doctor tam expresse, et tam frequenter egerit pro sententia catholica, ut constat ex supra dictis; inique in dubium trahitur ejus sententia. Non igitur eo loco agit de remissione, quæ est effectus sacramenti, sed quæ solet esse effectus impetrationis per gemitus, et orationes Ecclesiæ, ut non obscure constat ex his, quæ subjungit: *Quæ per orationes sanctorum, id est, columbæ gemitus datur, quicumque baptizat, si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur.* Et eandem sententiam habet in illo opere lib. 4, cap. 4, lib, 5, cap. 20, cum duobus seq. et lib. 6, cap. 1, et 3. Quæ est omnino consona doctrinæ D. Thomæ relatæ num. præcedenti.

Argumentum Donatistarum. Arguitur tamen primo objectione Donatistis familiari : nam immundus mundare non posset : sed peccator est spiritualiter immundus : ergo nequit alios spiritualiter mundare : mundaret autem, si conficere posset valida sacramenta, siquidem horum effectus est mundare suscipientes, ut num. præced. deducebamus : ergo mali, et peccatores nequeunt vera sacramenta conficere. Cætera constant. Et major primi syllogismi, in qua poterat esse difficultas, probatur ex Ecclesiast. cap. 24, vers. 4, *Ab immundo quis mundabitur ?* et vers. 30 : *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit, lavatio illius ?* Fieri ergo nequit, quod immundus aliquem mundet. (Eccles. 34.)

Confirmatio. Confirmatur : nam illi tantum ministri possunt ministrando sacramenta sanctificare alios, et peccata remittere, qui habent Spiritum Sanctum : sed peccatores non habent Spiritum Sanctum : ergo peccatores nequeunt ministrare sacramenta, et hoc modo communicare aliis gratiam remittentem peccata. Consequentia patet. Et minor est certa: quoniam Spiritus Sanctus nos inhabitat nisi per gratiam, et charitatem, juxta illud 1 Joann. 4 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo :* peccatores autem non habent gratiam, et charitatem, ut ex terminis liquet. Major denique ostenditur : nam Christus non omnibus dedit potestatem dimittendi peccata, sed illis tantum quibus Spiritum Sanctum communicavit, ut constat ex ejus verbis Joann. 20 : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo illi tantum ministri possunt ministrando sacramenta dimittere peccata, qui habent Spiritum Sanctum. Sicut enim, quia Christus eo loco loquebatur cum hominibus viatoribus, colligitur hos tantum esse ministros ordinarios sacramentorum, ut supra ponderavimus dub. 1, sic etiam quia loquebatur cum hominibus, quibus dabat Spiritum Sanctum, infertur eos tantum esse sacramentorum ministros, qui habent Spiritum Sanctum. (Joan. 4. / Joan. 20.)

50. Ad argumentum respondetur, quod licet immundus nequeat puritatem, et munditiam causare virtute propria, sive per modum agentis principalis ; potest tamen eam perfectionem causare per modum instrumenti, atque in virtute agentis principalis talem perfectionem continentis. Et hoc modo minister, cum immundus in se sit, potest sanctitatem, et puritatem causare in aliis. Unde satisfit inquisitioni Ecclesiastici in prioribus verbis : *Ab immundo quis mundabitur ?* ut magis explicat D. Thomas art. 5 ad 1, dicendo, « quod ministri Ecclesiæ neque a peccatis mundant homines « ad sacramenta accedentes, neque gratiam « conferunt sua virtute ; sed hoc facit « Christus sua potestate per eos, sicut per « quædam instrumenta. Et ideo effectus « consequitur in suscipientibus sacramenta, « non secundum similitudinem ministro« rum, sed secundum configurationem ad « Christum. » Et ad id declarandum apta sunt exempla num. 46 proposita, præsertim medici, qui cum in se infirmus sit, causat per artem sanitatem in alio ; et lucis, quæ diffusa per loca cœnosa, illuminat. Circa alterum Ecclesiastici testimonium, monebat D. Augustinus in lib. 2, *contra Cresconium* cap. 17, suscipiendos esse codices antiquos, et præsertim Græcos ; ne forte verba aliter conscripta, ac Donatistæ opponebant, alium sensum haberent. Et plane ita contingit legenti : nam locus non mutilus, ut objicebatur a Donatistis, sed integer est hujusmodi : « Qui baptizatur a « mortuo, et iterum tangit eum, quid pro« ficit lavatio illius ? » Ubi litteraliter significatur, quod si quis juxta legem lavetur (Solvitur argumentum. / D. Tho. / D. Aug.)

tur ab immunditia ex contactu cadaveris humani, et mox iterum illud tangat, non prodest sibi illa lotio. Unde consequenter moraliter significatur nihil prodesse illum, qui modo abluitur a peccatis, et statim illa committit, ut exponit D. Gregorius lib. 9, epist. 39. Sed neuter sensus favet Donastistarum errori, ut ex se liquet.

Ad confirmationem dicendum est cum D. Chrysostomo homil. 85, *in Joann. Spiritus Sancti* vocabulo quandoque significari non personam Spiritus Sancti, aut gratiam sanctificantem, per quam inhabitat in justos ; sed potestatem spiritualem, et gratiam gratis datam, quæ sit Spiritus Sancti effectus. Ut igitur minister ministret valide sacramenta, sufficit habere Spiritum Sanctum in hac ultima acceptione. Unde distinguendo in hoc sensu præmissas, negamus absolute consequentiam, ut quæ ex illis in sensu prædicto minime colligatur. Ad probationem autem majoris, quatenus huic doctrinæ potest opponi, respondemus Christum dicendo : *Accipite Spiritum Sanctum, etc.* significasse hoc vocabulo tam gratiam sanctificantem (ut efficaciter colligitur ex Concilio Trident. sess. 22, can. 4) quam potestatem spiritualem, et utramque in ordine ad sacramentum ; sed tamen aliter, et aliter : nam gratiam sanctificantem significavit, ut debito modo, et tanquam viva ejus membra ministraret sacramenta : potestatem autem spiritualem significavit, ut possent absolute, et valide, licet essent membra mortua, sacramenta conficere. Desumiturque ista responsio ex D. Thom. artic. 5, qui cum simili difficultati occurreret, respondit : « Ad secundum di- « cendum, quod per charitatem membra « Christi uniuntur suo capiti, ut ab eo vitam « recipiant ; quia ut dicitur 1, Joan. 3 : Qui « non diligit, manet in morte. Potest autem « aliquis operari per instrumentum carens « vita, et a se separatum quantum ad cor- « poris unionem, dummodo sit conjunctum « per quandam motionem : aliter enim « operatur artifex per manum, et aliter per « securim. Sic igitur Christus operatur in « sacramentis et per bonos tanquam per « membra viventia, et per malos tanquam « per instrumenta carentia vita. » Et cum simili proportione Spiritus Sanctus est in ministris tanquam in templo vivo, et per eos ut instrumenta viva operatur : at etiam communicatur secundum quid, et incomplete, sive quantum ad potestatem, et motionem, ministris malis, quibus utitur tanquam instrumentis mortuis.

51. Arguitur secundo : quoniam ad valorem sacramentorum non minus requiritur debitus minister, quam debita materia, et debita forma : sed peccator non est debitus sacramentorum minister : ergo peccator nequit ministrare valide sacramenta. Consequentia probatur continuando eandem similitudinem : nam absque debita materia, et debita forma non conficitur sacramentum : ergo nec fieri valet absque debito ministro. Minor autem ostenditur ex illo Levit. 21 : *Homo de semine suo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Quod a fortiori intelligendum est de macula peccati. Peccator igitur non est debitus sacramentorum minister. **Aliud argumentum.** **Levit. 21**

Ad hoc argumentum respondet optime D. Thom. in solut. ad 3, his verbis : « Di- « cendum, quod aliquid est debitum in sa- « cramento esse dupliciter. Uno modo sicut « existens de necessitate sacramenti : quod « quidem si desit, non perficitur sacramen- « tum : sicut si desit debita forma, vel de- « bita materia. Alio modo est aliquid debi- « tum esse in sacramento secundum quan- « dam decentiam : et hoc modo debitum « est ut ministri sacramentorum sint « boni. » Unde a contrario sensu infertur, quod si bonitas ministri est debita sacramentis, non de necessitate, sed secundum decentiam (ad quam hortatur locus Levitici); quamvis minister sit in peccato, possit sacramenta conficere valide, etsi indecenter. Quod declaratur ipso exemplo in contrarium proposito : nam in ipsa materia sacramentorum distinguendum est duplex illud debitum. Verbi causa debitum est de necessitate pro sacramento Eucharistiæ, quod materia calicis sit verum vinum de uvis : debitum etiam est secundum decentiam, quod tale vinum non sit aliqualiter corruptum, nec sordidum, nec multæ aquæ mixtum. Sed tamen quod vinum non sit illud, quod esse debet secundum decentiam, minime impedit valorem sacramenti, ubi primum debitum observatur. Unde contingere solet vinum talis dispositionis esse, quod consecratio, et sacramentum valide fiant, observando primum debitum : et tamen in usu talis materiæ committatur grave peccatum ob violationem secundi. Sic ergo quod pec- **Responsio ex D. Tho.**

cator non sit debitus sacramentorum minister ultimo modo, minime impedit illum esse ministrum debitum absolute, et quantum ad sacramentorum valorem.

Alterum argumentum. 52. Arguitur tertio : nam ut minister valide conficiat sacramenta, requiritur ministri actionem esse, et procedere a Deo, sicut ab speciali motore ; siquidem instrumentum debet moveri ab agente principali ad attingendum ejus effectum : sed actio ministri existentis in peccato, qua tentaret sacramentum conficere, nequit esse a Deo sicut a principali motore : ergo minister peccator nequit conficere valida sacramenta. Probatur minor : quia talis actio est grave peccatum, et sacrilegium, ut patet in sacerdote peccatore consecrante, et absolvente : sed actio peccaminosa nequit esse specialiter a Deo : ergo prædicta ministri actio nequit procedere a Deo sicut ab speciali motore.

Ostenditur argumenti debilitas. Aliqui circa solutionem hujus argumenti plura hoc loco dicunt, quæ censemus non necessaria : nam ejusmodi illud non est, ut plura poscat, cum ab omni parte dehiscat, ut constabit manifestando graves ejus defectus. In primis enim non oppugnat nostram assertionem statuentem in genere peccatores posse ministrare sacramenta; sed ad summum evincit peccatorem aliquem, et aliqua actione non posse aliquod sacramentum conficere : id vero etsi concederetur, non everteret assertionem. Demus namque aliquem esse in statu peccati, quod tamen ignoret: poteret utique bona fide ministrare, et elicere actiones ministerii, quæ peccaminosæ non sint, sed moraliter honestæ, ad quas Deus specialiter concurrat: dicere enim omnes peccatoris actiones esse peccaminosas, aut peccatorem non posse elicere ullam operationem moraliter bonam absurdissimum est, et a nobis ex professo rejectum tract. 14, disp. 2, dub. 2. Sed demus ulterius ministrum esse peccatorem, et sui status conscium: adhuc nihilominus fieri valet, quod non peccet ministrando sacramenta: nam fieri potest, quod non ministret ex officio, aut secundum specialem consecrationem, ut contingit, cum laicus baptizat in casu necessitatis: non enim in hoc peccat, aut elicit aliquas operationes sacrilegas, ut cum communi sententia dicemus num. 65. Fieri itaque potest, quod minister sit peccator, et tamen ministerium sit moraliter bonum, ad quod proinde possit Deus specialiter concurrere. Ergo ex communi conceptu peccatoris minime sequitur, quod nequeat vera sacramenta conficere : quod et nos statuimus, et deberet argumentum evertere. Sed demus denique ministrum esse peccatorem, et in ipso ministerio peccare ; adhuc tamen non probatur sacramenta, quæ conficit, esse nulla : quippe id colligi non valet ex ipso habituali peccati statu, ut proxime vidimus. Nec inferri valet ex ipsa actione peccaminosa, ad quam Deus concurrere specialiter nequeat : nam ut totam difficultatem in objicientes regeramus, homo justus solet conficere, aut ministrare sacramenta actione venialiter peccaminosa, sive solet (et in idem recidit) peccare venialiter in ministrando sacramenta vel ob negligentiam, et indevotionem, vel propter omissionem alicujus circumstantiæ non gravis. Fiat ergo propositum argumentum : minister nequit conficere sacramentum validum, quin Deus ad hujusmodi operationem specialiter moveat, et concurrat : Deus autem non potest specialiter movere, et concurrere ad ullam operationem peccaminosam : ergo quotiescumque minister justus peccat venialiter (et casus est satis frequens) in conficiendo, aut ministrando sacramentum, Deus minime movet, et concurrit specialiter : et consequenter quotiescumque minister peccat venialiter in ministrando, nullum verum conficitur sacramentum. Id autem est plane absurdum, et nec ab ipsis hæreticis assertum. Liquet itaque argumentum excessive concludere, et suam prodere falsitatem.

So[lutio] ar[gu]me[nti]. Legitimam autem ejus solutionem adhibuimus tract. 17, disp. 5, dub. 2, § 5, per totum. Summa vero ejus est absolutionem, aut consecrationem sacerdotis peccatoris absolventis, aut consecrantis, multipliciter accipi, nempe vel pro mutationibus passivis, quibus tolluntur peccata, aut conficitur Eucharistia ; vel pro actionibus principalibus, et immediate attingentibus prædictos effectus; vel denique pro actionibus præviis se tenentibus ex parte instrumenti, quod concurrit ad peragendum illos effectus. Si itaque absolutio, et consecratio sumantur pro passivis mutationibus, certum est nullam habere malitiam moralem, sed esse proprium, et specialissimum effectum Dei, ad quem dubio procul ipse specialiter potest concurrere, concurritque. Si autem sumantur pro actionibus principalibus, et immediate attingentibus:

tingentibus ; idem pariter dicendum est : tum quia prædictæ actiones non sunt in ministro, sed in termino, aut passo. Tum quia minister illas non elicit principaliter, sed elevatus, motus, et applicatus a Deo. Tum quia prædictæ actiones sunt entitative supernaturales, sicut et termini, quos attingunt. Tum denique quia non sunt formaliter liberæ, licet libertatem circa aliud in ministro præsupponant. Si denique sumantur pro actionibus præviis se tenentibus ex parte ministri, et procedentibus ab illo sicut ab agente principali, ut sunt v. g. intentio ministrandi, applicatio ad ministrandum, contrectatio materiæ, prolatio formæ etc. istæ quidem actiones possunt esse, et aliquando sunt peccaminosæ vel mortaliter, vel venialiter Sed ad prædictas actiones non requiritur specialis Dei concursus, aut influentia ; cum a ministro principaliter, et naturaliter sint. Unde ex eo, quod Deus nequeat specialiter concurrere in actionem peccaminosam, minime sequitur ministrum peccatorem non posse esse ministrum, aut instrumentum conficiendi valida sacramenta : quippe malitia unice stat in actionibus præviis, quas ipse principaliter elicit, et ad quas se applicat : his autem suppositis, Deus specialiter concurrit ad actiones principales, attingentes immediate effectum, movetque ministrum, aut instrumentum ad id ipsum : sed in prædictis actionibus, et earum effectu nulla reperitur malitia quæ speciali Dei causalitati obluctetur. Et quamvis contra hanc doctrinam, possint formari aliquæ replicæ, illas diluimus loco cit. quem repetat lector, ne nos eadem hic repetamus.

§ II.

Alia assertio catholica statuitur quoad infideles.

53. Dicendum est secundo infideles posse ministrare valide sacramenta ; ac subinde vera, et valida sacramenta posse confici per ministros infideles, si cætera concurrant. Hæc conclusio est immediate de fide ob claras, et repetitas Ecclesiæ diffinitiones : sic enim olim statuit in plenario totius orbis Concilio, ut refert D. August. lib. 1, *de baptismo* cap 7. Et quamvis non declaret, quodnam illud fuerit; tamen haud obscure constat fuisse Nicænum, tum ex his, quæ ipse S. Doct. tradit lib. 2, cap. 9, tum quia D. Hieronym. in fine *Dialogi contra Luciferianos* testatur Synodum Nicænum suscepisse omnes hæreticos in suo gradu, hoc est, baptizatos, ut baptizatos, ordinatos ut ordinatos etc. exceptis Paulianistis, qui non observabant formam baptismi, ut constat ex can. 19 ejusdem Concilii. Deinde Concilium Florentinum in compendio, aut decreto fidei diffinivit baptismum datum a Judæis, Paganis, Hæreticis, Schismaticis, validum esse. Et Tridentinum sess. 7, can, 4, statuit : « Si quis dixerit baptismum, qui « etiam datur ab hæreticis in nomine Pa- « tris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum inten « tione faciendi, quod facit Ecclesia, non « esse verum baptismum ; anathema sit. » Et similiter decreverunt Concilium Carthaginense 1, can, 1, et Arelatense 1, can. 9. Eandem etiam veritatem diffinierunt Summi Pontifices. Stephanus in epist. *ad Africanos*, Siricius epist. 1, *ad Himarium* cap 1, Innocentius 1, epist. 22, *ad Episcopos Macedoniæ*, c. 5, Leo Magnus epist. 77, *ad Nicetam* cap. 7, Gregorius Magnus lib. 2, epist. 61, Anastasius Secundus in epistola *ad Anastasium Imperatorem*, et alii. Ex quibus plures antiqui canones extant, ut puta 23, 24, 30, 44, 45 et 51, *de consecratione* dist. 4. Quamvis autem in his specialis mentio fiat de baptismo ; tamen doctrina generalior est, quippe habens eandem rationem, ut in conficiendo Eucharistiam, Confirmationem, et alia liquet. Unde sic docent Patres, et Theologi, quos supervacaneum est recensere.

Concilium Nicænum. D. Aug. D. Hier. Concil. Florent. Carthagi. Arelat I. Stephan. Papa. Siricius Papa. Innoc. I. D. Leo. D. Greg. Anasta2.

Proprium, et unicum hujus veritatis fundamentum est Dei voluntas, qui sicut potuit disponere, quod sacramenta data ab infidelibus essent nulla ; sic etiam disponere potuit, quod essent valida. Et hoc ultimum disposuisse certo constat ex perpetua, et constanti Ecclesiæ traditione. Unde S. Stephanus Romanus Pontifex in epist. supra citata, ubi primum hæc controversia excitata fuit, concedentibus aliquibus baptizatos ab hæreticis fore rebaptizandos, ut hanc novitatem compesceret, scripsit : « Nihil innovandnm, nisi quod traditum « est. » Et D. Augustinus lib. 2, *de baptismo*, cap. 9 ejusdem controversiæ, meminit, et subdit : « Consuetudinis robore tenebatur « orbis terrarum, et hæc sola opponebatur « inducere volentibus novitatem. » Et Vincentius Lyrinensis in aureo illo contra no-

Fundamentum. Stephan. Papa. D. Aug. Vincentius Lyrinensis.

vitates *Commonitorio* cap.9, testatur in hunc modum : « Venerabilis memoriæ Agripi- « nus Carthaginensis Episcopus primus « omnium mortalium contra universalis « Ecclesiæ regulam, contra divinum cano- « nem, contra morem, et instituta majorum « rebaptizandum esse censebat, » eum scilicet, qui fuerat ab hæreticis baptizatus. Et alia similia Patrum testimonia circa istam antiquissimam Ecclesiæ traditionem referunt V. N. Waldensis ab initio tomi 2, per plura capita, Bellarminus libro 1, *de sacramentis* cap 26, Sotus in 4, dist. 1, quæst. 5, artic. 5 et 9, Vazquez disput. 137, a cap. 2, Cabrera in præs. art. 9, a num. 14, usque ad 24, et alii.

N. Wald. Soto. Bellarm. Vazq. Cabrera.

Congruentiæ rationes ex D. Thom.

54. Quod autem præmissa Dei dispositio congrua fuerit, declarat optime D. Thom. in hac q. art. 9, duabus congruentissimis rationibus. Primam sic proponit in corp. « Dicendum, quod quia minister in sacra- « mentis instrumentaliter operatur ; non « agit in virtute propria, sed in virtute « Christi. Sicut autem pertinet ad propriam « virtutem hominis charitas, ita et fides. « Unde sicut non requiritur ad perfectio- « nem sacramenti, quod Minister sit in « charitate, sed possunt etiam peccatores « sacramentum conferre, ut supra dictum « est cart. 5. » (et nos ostendimus toto § præced.) « ita non requiritur ad perfectio- « nem sacramenti fides ejus : sed infidelis « potest verum sacramentum præbere, « dummodo cætera adsint, quæ sunt de ne- « cessitate sacramenti. » Itaque veritas, et perfectio effectus non attenditur per conformitatem ad instrumentum, sed per similitudinem, aut ordinem ad causam principalem : unde nihil refert, quod instrumentum sit bonum, aut malum, vivum, aut mortuum, fidelem, aut infidelem, (quæ pertinent ad propriam ejus virtutem in se): refert autem plurimum et omnino quod intrumentum subordinetur agenti principali potenti inducere effectum, et quod ad id participet ejus virtutem, atque motionem. Unde sicut ob hanc rationem Minister, licet careat gratia, et charitate, potest per subordinationem ad Deum vera sacramenta conficere, ut supra ostendimus ; sic etiam dicendum est de ministro, qui caret fide, ut eadem ratio convincit. Quæ amplius explicari, et fulciri valent exemplis propositis num. 46.

Secundam rationem proponit D. Thom. in respons. ad 3, eamque possumus ad hanc formam reducere: nam aliqui ministri infideles habent potestatem conficiendi sacramenta: ergo idem de aliis infidelibus proportionabiliter dicendum est. Antecedens ostenditur: quia sunt aliqui infideles, utputa hæretici, qui receperunt characterem, sive potestatem spiritualem ordinis ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ : sed hujusmodi potestas non amittitur per infidelitatem, vel per aliud quodlibet peccatum ; siquidem character est qualitas adeo indelebilis, ut conservetur post hanc vitam in ipsis etiam damnatis, juxta superius dicta disp. 5, dub. 4 ; ergo aliqui infideles habent potestatem conficiendi sacramenta. Unde consequentia facile probatur cum distributione accommoda : nam alii etiam infideles solent habere similem potestatem, ut Episcopus consecratus, licet incidat in hæresim, ad ordinandum, et confirmandum. Et generaliter omnes homines habent potestatem, ut baptismum conficiant. Nam etsi hujusmodi potestas non fundetur in impressione characteris; fundatur tamen in generali institutione divina, quam non decet Deum revocare ob infidelitatis peccatum: sicut nec juridictione privat reges ob infidelitatem, et apostasiam. Sed quia Div. Thomas in ea responsione, alia notatione digna inserit, illam transcribemus: « Dicendum, quod potestas ministran- « di sacramenta pertinet ad spiritualem « characterem, qui indelebilis est, ut ex « supra dictis patet. Et ideo per hoc, quod « aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel ex- « communicatur, vel etiam degradatur, non « amittit potestatem conferendi sacramen- « tum, sed licentiam utendi hac potestate. « Et ideo sacramentum quidem confert, « sed tamen peccat conferendo : et simili- « ter ille qui ab illo accipit sacramentum. « Et sic non percipit rem sacramenti, nisi « forte per ignorantiam excusetur. »

55. Ex qua doctrina colligitur, quod licet peccatores queant non solum conficere vera sacramenta, sed etiam communicare sacramentorum effectum, nempe gratiam, ut num. 48, deduximus: nihilominus infideles, licet vera sacramenta conficiant, tamen communiter, et per se loquendo non communicant mediantibus sacramentis gratiam sanctificantem, qua suscipientes justificantur. Et ratio est, quam Div. Thom. proponit : nam licet sacramenta sint valida et propterea

Cons tariu

erea de se sufficientia ad inducendum prædictum effectum; nihilominus Ecclesia graviter prohibet susceptionem sacramentorum ab infidelibus, ne scilicet cum eis communicemus: unde qui scienter sacramenta recipit ab infidelibus, peccat graviter, et ponit obicem gratiæ, quam sacramenta de se conferrent: quare sacramenta ab infidelibus applicata, etsi rata, et valida in se, effectum sanctificandi suscipientes non habent. In quo sensu exponendi sunt (et bene nota) aliqui Patres, dum asserunt sacramenta hæreticorum, et infidelium non esse vera sacramenta. Solemus enim verum appellare, quod habet operationem, et effectum suæ naturæ, atque institutioni conformes; secus si illis careat: sicut verum pastorem appellamus, qui bene pascit; non autem qui inique, licet substantialiter, et quoad potestatem verus pastor sit. Unde D. Thomas infra quæst. 83, art. 7, summa profunditate, et brevitate docuit extra Ecclesiam non esse verum sacrificium veritate fructus, licet sit verum veritate sacramenti. Et D. Hieronymus in cap. 4, *ad Ephes.* in eodem sensu negat hæreticos habere vera baptismata: quia baptismus, quem conferunt adultis, hos non abluit propter participationem in hæresi.

Diximus, *communiter, et per se loquendo, et quantum ad effectum gratiæ justificantis.* Quia per accidens fieri valet, ut adultus recipiens sacramentum ab infidelibus recipiat etiam sacramenti fructum: fieri etiam potest ut non peccet in suscipiendo, nec subinde ponat obicem sacramento: idque contingeret vel casu, quod adultus ignoraret prohibitionem Ecclesiæ, ut docet D. Thom. *in calce testimonii relati*; vel in casu, quod urgeretur gravissima necessitate suscipiendi v. g. baptismum, nullo alio occurrente ministro. Et hæc procedunt in adultis: nam quod ad infantes, et sui non compotes pertinet, si infidelis illis ministraret sacramenta; et hæc valida essent, et suum fructum in suscipientibus ederent; cum nihil in eis reperirent, quod ei obsisteret. Denique sacramenta, de se imprimentia characterem illum etiam imprimunt suscipientibus, licet ab infidelibus ministrata: quia licet suscipientes peccent in communicando cum hujusmodi ministris; tamen peccatum non opponitur characteri: qui sicut in conservari compatitur cum quolibet peccato, sic et in fieri.

56 Oppositam sententiam docuit Agrippinus Episcopus Carthaginensis, ut supra ex Lyrinensi vidimus, docuit etiam S. Cyprianus. ut constat ex ejus epist. 70, quin et in epist. 73 testatur sic statuisse septuaginta, et unum Episcopos in Concilio congregatos. Et hoc ipsum tenuisse plures Episcopos Asiæ constat ex epistola Dionysii Alexandrini *apud Eusebium* lib. 7 *Historiæ*, cap. 6. Plane sic sensisse Magnum Basilium liquet ex ejus epistola canonica ad Amphilochium can. 1, ubi affirmat hæreticorum nullum esse baptismum, sed omnino iterandum esse. Et can. 47, indicat schismaticos debere rebaptizari; et se solitum eos rebaptizare fatetur, optans ut id alii similiter præstarent, et ut Episcoporum Concilio id statueretur. Donatistæ autem prædictam sententiam omnino tenuerunt, ut constat ex D. Augustino in quinque libris, quos adversus illos scripsit. Quod post plura sæcula displicuisse non videtur Erasmo in præfatione ad S. Cyprianum. Sed interest discriminis, quod D. Basilius, et D. Cyprianus, et alii Episcopi catholici supra relati ita scripserunt ante diffinitionem Ecclesiæ universalis, atque ideo sine obstinatione, et citra hæresis maculam. Sed Donatistæ, et cum eis postea sentientes, uti forte sentit Erasmus, nequeunt hanc protendere excusationem, cum hæc veritas jam fuerit ab Ecclesia diffinita: et ideo sunt formaliter hæretici. Pro quibus tamen.

Sententia contraria. Agripin. D. Cypri. D. Basil. Erasm

Arguitur primo: nam S. Cyprianus cum sanctissimus juxta et doctissimns fuerit, palam docuit, et firmiter defendit hæreticorum baptismum nullum esse, et debere omnino iterari, testaturque id statutum fuisse a Patribus in tribus Synodis Africanis a se coactis, et in pleniore etiam Africæ, et Numidiæ Concilio. Et hic eximius Doctor, cum scivisset Stephanum Romanum Pontificem prædictorum Africanorum Conventuum sanctiones, primæ Sedis auctoritate cum reprobasse; ipse contra eum plenam quærelarum epistolam 74 *ad Pompeium* scripsit. Incredibile autem apparet virum adeo magnum tam firmiter hanc sententiam propugnasse, nisi illa certa, aut saltem probabilis foret. Sic igitur asserendum est. Et plane id ipsum alii Patres satis aperte docuerunt: nam ut modo omittamus Basilium, de quo proxime, Div. Athanasius serm. 3, *contra Arianos* inquit: « Cui, « quæso, non plane vanum, et inutile fuerit

Primum argumentum. D. Atha.

« baptisma, quod ab illis datur, cum id non « nisi specie sit, et inane simulacrum ? « Non recte sentientes, nec sanam fidem « tenentes, inutilem possident aquam. » Et S. Leo epist. 75, asseruit per impietatem Dioscori « omne sacramentorum lumen extinctum esse in Ecclesiæ Alexandrina. » Et similia occurrunt in aliis Patribus.

S. Leo.

Solvitur. Respondetur aliquos hæreticos non observasse debitam materiam, et debitam formam sacramentorum:et de his verissime asserunt Patres, quod non ministraverint vera sacramenta,sed inutile quid,et vanum: et in hoc sensu loquitur Athanasius. Aliqui autem, licet hæretici utebantur materia, et forma debitis: et hi peragebant vera, et de se salubria sacramenta, ut diffinivit Ecclesia. Et quod Cyprianus, et quidem alii oppositum senserint, fuit error materialis. Nec illorum deceptio debet nos premere ; sed docere potius nostræ intelligentiæ, et conditionis defectum, qui eo perduxit sapientissimum Cyprianum, pro suo judicio propugnando videatur modestiæ, et debitæ in Apostolicum Thronum observantiæ limites transilivisse; servata nihilominus charitate cum Ecclesia Catholica, ut profitetur epist. 73. Sed excessum illum vel ante mortem correxit, ut indicat Div. Augustin, epist. 48, et lib. 2, *de baptismo*, cap. 4, vel per charitatem, et insignem martyrii passionem demum purgavit. Et utramque responsionis partem docet optime Div. Thomas art. 9 ad 2, his verbis : « Dicendum, quod hæreticorum quidam in « collatione sacramentorum formam Eccle« siæ non servant : et tales neque sacra« mentum conferunt, neque rem sacra« menti. Quidam vero servant Ecclesiæ « formam : et tales conferunt quidem sa« cramentum, sed non rem sacramenti. Et « hoc dico, si sunt manifeste ab Ecclesia « præcisi : quia ex hoc ipso, qnod aliquis « accipit sacramentnm ab eis peccat ; et « per hoc impeditur, ne effectum sacra« menti consequatur. Unde Augustinus « dicit in lib. de fide ad Petrum : Firmis« sine tene, et nullatenus dubites extra Ec« clesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non re« dierint, baptismo cumulari perniciem. Et « per hunc modum dicit Leo Papa in sede « Alexandrina omne sacramentorum lu« men esse extinctum, scilicet quantum ad « rem sacramenti, non autem quantum ad « ipsum sacramentum. Cyprianus autem « nullo modo sacramentum conferre hæ« reticos posse credebat : sed in hoc ejus « sententia non tenetur. Unde Augustinus « dicit martyrem Cyprianum, qui apud « hæreticos, vel schismaticos datum bap« tismum nolebat agnoscere, tanta merita « usque ad triumphum martyrii secuta « sunt; ut charitatis, qua excellebat, luce, « obumbratio illa fugeretur, et si quid pur« gandum erat, passionis falce tolleretur. »

D. Aug.

D. Tho.

Secundum argumentum. 57. Arguitur secundo: nam in cap. *Secundum* dist. 19, refertur Anastasium Secundum percussum propterea fuisse a Deo, quod in epist. *ad Anastasium Imperatorem* sustinuerit ordinationes factas ab Acacio hæretico, aut schismatico : signum ergo est ordinationes, et alias sacramentorum administrationes factas ab hæreticis esse nullas coram Deo. Et in cap. *Quod quidam* 1, quæst. 5, dicitur, quod Episcopus degradatus non habet potestatem conferendi Sacros Ordines, licet facultatem baptizandi non amiserit. Et in cap. *Datbertum*, et in cap. *Per illicitum* 1, quæst. 7, refertur Urbanum Secundum, et Damasum ex integro reiterasse ordinationem factam ab hæreticis: censuerunt igitur horum sacramenta esse nulla. Et in cap. *Propter* dist. 19, dicitur statutum fuisse, quod ordinati a Maximo Cynico nullum gradum clericatus obtinerent. Et ut alios canones similis sententiæ omittamus, in cap. *Schisma* 24, quæst. 1, asseritur non esse corpus Christi, quod schismaticus conficit. Ergo Patres antiqui in ea erant sententia, ut sacramenta ab hæreticis, schismaticis, et aliis infidelibus peracta nullius esse valoris reputarent.

Responsio. Ad omnes istos canones satis erat in communi respondere uno ex modis superius assignatis: nam vel loquuntur de hæreticis,aut schismaticis,qui non ministrant sacramenta in materia, et forma essentialiter requisitis: et talia sacramenta esse prorsus nulla omnino concedimus. Vel loquuntur de hæreticis, et schismaticis, qui materiam, et formam debitas observant : et in hoc sensu sacramenta ab illis applicata dicuntur nulla, non quidem quantum ad valorem in se, sed quantum ad rem, et fructum sacramenti, ut explicuimus num. 55. Descendendo tamen ad objecta capita in singulari, respondemus ad primum Gratianum in eo decipi, et deceptionis causam sumpsisse ex cap. seq. ubi dicitur Anastasium voluisseocculte Acacium revocare

care; cum tamen Acacius obiisset tempore Felicis Tertii, cui successit Gelasius, et Gelasio Anastasius. Unde liquet historiam esse confictam. Ad secundum respondetur illa verba, aut sententiam non esse D. Augustini, de cujus mente videtur Gratianus dubius, sed ipsius Gratiani: nam Augustinus perpetuus fuit in asserendo valorem sacramentorum ab hæreticis, et impiis applicatorum. In quo sensu, et de re præsenti ait lib. 5 *de baptismo contra Donatistas*, cap. 15 : « Multa contra jus dantur, « nec tamen ideo vel nulla, vel non data « dicuntur. » Ad tertium dicendum hæreticos, de quibus agunt Urbanus, et Damasus non fuisse valide ordinatos : quare nec ipsi potuerunt valide conferre sacramentum ordinationis; sed necessum fuit istam repeti. Ad quartum respondetur eodem modo : præsertim cum ille Maximus non fuerit Episcopus, sed tentaverit sine auctoritate ordinare. Ad ultimum dicimus Pelagium Papam, cujus est illa sententia, non negare veritatem corporis in sacramento, quod schismaticus conficit; sed negare veritatem corporis Christi ut conjuncti corpori mystico: nam schismaticus non consecrat, non offert, non sumit Christi corpus cum unitate ad mysticum corpus Ecclesiæ, quam potius dividit. Liquet hic sensus ex verbis subjunctis · « Nec enim divisum esse « Christum poterit quisquam sine Apostoli « reprobatione confingere. Unam, quæ « Christi corpus est, constat esse Ecclesiam, « quæ in duo, vel plura membra dividi non « potest. »

[Ter]tium [ar]gu[me]ntum. 58. Arguitur tertio : quoniam tam sacramenta, quam potestas illa conficiendi pertinent ad Ecclesiam : sed hæretici, et alii infideles ad Ecclesiam non pertinent, nec apud illos est vera Ecclesia : ergo hæretici, et alii infideles nequeunt vera sacramenta conficere. Quod argumentum potest multipliciter confirmari. Primo quidem : nam expulsus ab aliqua communitate nequit ejus officia valide dispensare, aut distribuere : sed hæretici sunt expulsi a communitate Ecclesiæ : ergo nequeunt dispensare valide illius sacramenta, præsertim imprimentia characterem : per hunc enim deputatur quis ad officium intra Ecclesiam. Secundo : quia Christus influit in sacramenta, et eorum effectus per ministros tanquam per membra eidem ut capiti subordinata : sed hæretici, et infideles non sunt membra Christi : ergo homines ejusmodi nequeunt conficere sacramenta. Tertio : quoniam sacramenta hauriunt suum esse, et virtutem ex passione Christi : sed infideles non continuantur, et uniuntur passioni Christi per fidem propriam, qua carent, nec per fidem Ecclesiæ, a qua sunt separati : ergo idem quod prius. Quarto : quia ad conficiendum valide sacramenta requiritur intentio ministri, ut ostendimus dub. præced. sed infidelis nequit habere intentionem requisitam : ut enim docet D. Augustin. in Ps. 31 : *Fides dirigit intentionem*, et infidelis non habet fidem : nequit ergo infidelis conficere sacramentum.

Occurritur argumento. Ad argumentum respondetur sacramenta, et potestatem illa ministrandi pertinere ad Ecclesiam in hoc sensu, quod propter Ecclesiam instituta sunt, et ad bonum ejus ordinantur, atque in eadem habent simpliciter suum fructum. Infideles autem licet non pertineant actu ad Ecclesiam, pertinent tamen in potentia : nam illi aggregari possunt : quod sufficit ut possint etiam valida sacramenta ministrare subordinando Ecclesiæ suam intentionem. Quo pacto, ut recte observavit Cajetanus, agunt non ut membra ab Ecclesia omnino præcisa, sed ut eidem aliquomodo continuata per intentionem ex sua specie rectam, et qualem Ecclesia poscit. Dum enim infideles volunt facere, quod facit Ecclesia (et aliter sacramenta non operabuntur), eidem Ecclesiæ uniuntur, si non in essendo, et simpliciter ; tamen in agendo, et secundum quid. Et dubium non est nullam esse repugnantiam in eo, quod Deus voluerit, disposueritque infideles esse ministros, qui possint valida sacramenta conficere ; cum Deus queat uti quibusvis instrumentis : sic autem voluisse, et decrevisse constat ex ipsa doctrina Ecclesiæ sacramenta infidelium rata habentis, ut supra demonstravimus.

Diluitur prima confirmatio. Ex quibus patet ad primam confirmationem : nam cum potestas ministrandi sacramenta non sit principaliter ab Ecclesia, sed a Deo : quantumvis Ecclesia hæreticos a sua communitate expellat, ipsosque conetur suspendere, et degradare : nequit nihilominus ab eis auferre potestatem conficiendi valide sacramenta, quam ex Deo habent. Idque magis perspicuum fiet attendenti potestatem conficiendi sacramenta

(si unicum baptismum excipiamus), fundari in peculiaribus characteribus, esseque ab illis inseparabilem. Character autem inest animæ indelebiliter, nec per Ecclesiam tolli queit. Unde licet hæretici excludantur a communitate Ecclesiæ, secum tamen characterem deferunt, et subinde potestatem retinent absolutam conficiendi valide sacramenta. Pro baptismo autem non requiritur essentialiter character in ministro : sed tamen propter generalem hujus sacramenti necessitatem voluit Deus, quod sicut ejus materia est omnis aqua naturalis, sic ejus minister sit omnis homo ; atque in id tribuit omnibus hominibus potestatem. Qua proinde privare nequit Ecclesia hæreticos, et alios a se exclusos.

Solvitur secunda. 59. Ad secundam confirmationem dicendum est, quod licet Christus per ministros infideles non influat tanquam per membra, influit tamen per eos sicut per instrumenta : quippe non est de communi instrumenti ratione esse conjunctum agenti principali, sed ad eo moveri. Potest etiam dici (et in idem redit) infideles non esse Christi membra viventia, et in actu ; esse tamen membra mortua, et in potentia : quod sufficit, ut ab illo moveantur saltem secundum quid in ordine ad sacramenti valorem. Ut enim inquit D. Thomas art. 5 ad 2, « potest aliquid operari instrumentum « carens vita, et a se separatum quantum « ad corporis unionem, dummodo sit con- « junctum per quandam motionem : aliter « enim operatur artifex per manum, et « aliter per securim. Sic igitur Christus « operatur in sacramentis et per bonos « tanquam per membra viventia, et per « malos tanquam per instrumenta caren- « tia vita. » Et idem dicendum proportionabiliter est de operatione per ministros fideles et infideles. Ex quibus etiam patet ad tertiam: nam licet infideles non continuentur passioni Christi, possunt tamen esse instrumenta ad producendum effectum talis passionis, nempe sacramenta : nihil enim vetat illud, quod non est effectus passionis, participare ex eadem aliquam virtutem, aut motionem ad attingendum illius effectum. Accedit, quod licet infideles non continuentur passioni Christi per fidem vel propriam, vel Ecclesiæ, quam in se habeant ; continuantur tamen aliquo modo per fidem communem Ecclesiæ, cui in ministrando sacramenta subordinare se debent ; aliter nihil efficient, ut diximus dub. præced. et magis constabit ex immediate dicendis.

D.Thom. — Satisfit tertiæ.

Respondetur quartæ. Ad quartam, et ultimam respondetur negando minorem : quam non evincit probatio eidem inserta: nam licet fides dirigat intentionem, ut opus sit in se salutare, et conducens ad supernaturalem operantis finem (quod et non amplius asseruit D. Augustinus) : necessaria tamen non est ad bene utcumque moraliter operandum, ut tradit D. Thom. 2, 2, quæst. 10, artic, 4 ad 2. Et intentio hujus posterioris generis sufficit ad conficiendum valide sacramenta, intendendo scilicet in communi, et in confuso facere, quod facit Ecclesia : qui actus tam subjective, quam objective pro explicito objecti est actus naturalis, et non supponens necessario directionem fidei : atque ideo potest in infidelibus reperiri. Quod optime declarat D. Thomas artic. 9 ad 1, his verbis : « Potest contingere, quod aliquis « patiatur defectum fidei circa aliquid, et « non circa veritatem sacramenti, quod « exhibet : puta si aliquis credat jurare « esse in omni casu illicitum ; et tamen « credat baptismum efficaciam habere ad « salutem. Et sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramen- « tum. Si vero patiatur fidei defectum circa « ipsum sacramentum, quod exhibet, licet « credat per id, quod agitur exterius nul- « lum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia catholica « intendit per hujusmodi, quæ exterius « aguntur, præbere sacramentum. Unde « non obstante infidelitate potest intendere « facere id, quod facit Ecclesia, licet æsti- « met id nihil esse. Et talis intentio suffi- « cit ad sacramentum : quia sicut supra « dictum est, minister sacramenti agit in « persona totius Ecclesiæ : ex cujus fide « suppletur id, quod deest fidei ministri. » Hæc S. Doctor, ex quibus dilui facile possunt leviores aliæ objectiunculæ. Videantur superius dicta nu. 34.

D.Tho. — Idem.

DUBIUM IV.

Utrum ministrans sacramenta in peccato peccet mortaliter?

Hactenus diximus de requisitis in ministro, ut valide conficiat sacramenta : nunc dicendum est de necessariis, ut ea

conficiendo

conficiendo non peccet. Et primo loco supponimus debere adhibere materiam, et formam a Christo institutas, observare sacras Ecclesiæ cæremonias, nihilque substantiale, vel accidentale invertere ab eo, quod Ecclesia sancta præscribit : quælibet namque circa hæc immutatio est peccatum, vel grave vel leve prudentis arbitrio judicandum juxta qualitatem, et quantitatem materiæ. De qua suppositione, quæ communis est, videri possunt N. Franciscus tract. 1, cap. 7, punct. 9, a num. 69, et alii Auctores ab ipso relati. Quod autem modo discutiendum immediate occurrit, est, an ad licitam sacramentorum administrationem requiratur status gratiæ in ministro, ita ut peccator ministrans sacramenta ex hoc ipso mortaliter peccet. Quod enim per se loquendo committat aliquod peccatum, docet sententia communis, et ipsa materiæ sanctitas evincit, sicut ex dicendis evidenter constabit.

60. Ut autem congruam propositæ difficultatis resolutionem cum majori distinctione, et claritate proponamus, observandum est duo esse in sacramentis genera ministrorum : quidam enim sunt ministri deputati, et speciali charactere consecrati ad conficiendum sacramenta, uti certum est requiri pro quinque sacramentis Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ unctionis, et Ordinis : ita namque nemo conficere potest, nisi qui ad id habet specialem sacerdotii characterem, quo pro his muneribus consecratur. Quidam vero sunt ministri aliquorum sacramentorum, nullam habentes ad id consecrationem, sed extrinsecam quandam, et communem deputationem, uti omnes homines se habent ad conficiendum, aut celebrandum duo præcise sacramenta a relatis distincta, nempe baptismum, et matrimonium. Rursus priores illi ministri habentes ad conficiendum sacramenta specialem consecrationem possunt dupliciter ad illa concurrere : primo modo ex officio, et quasi per se : secundo modo non ex officio, sed ex necessitate, et quasi per accidens. Quæ distinctio vix, aut nullo modo locum habet nisi in baptismo : quem dupliciter potest sacerdos ministrare, nempe vel solemniter, et per se, vel in casu necessitatis, et per accidens, et velut si sacerdos non esset : cætera namque sacramenta, cum de se petant consecrationem in ministro, nequeunt ab illo effici nisi ut consecrato, et per se, sicut ex dicendis magis constabit. His vero suppositis, sequitur.

§ I.

Dubii decisio quantum ad ministros consecratos, et solemniter ministrantes.

Prima conclusio. — D. Tho. — Cajetan. Nugnus. Sylvius. Cabrera. Prado. Gonet. Labat. Conten. N. Fran. N. Phil. Soto. Ledesm. Victor. Joan. a Cruce. Sylvest. Henriq. Sayrus. Bonacin. Leand. Suares. Vasques. Lugo. Dicastil.

61. Dicendum primo est ministrum sacramentorum existentem in statu peccati, si sit consecratus, et solemniter, aut ex officio ministret, peccare mortaliter. Hæc conclusio est communis inter Theologos. Sic enim docent D. Thom. in præs. art. 1, dicens : « Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, et Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint), consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. » Cajetanus, et Nugnus ad eundem art. Cabrera disp. 1, § 2, Prado dub. 4, § 3, Sylvius quæst. 1, concl. 1, Gonet disp. 6, art. 4, Labat disp. 1, dub. 7, § 3, Contenson dissert. 1, cap. 2, speculat. 3, in secunda conditione, N. Franciscus tract. 1, cap. 7, punct. 10, concl. 1, N. Philippus disp. 8, dub. 6, Sotus in 4, dist. 1, quæst. 5, artic. 6, Martinus de Ledesma ibidem, Petrus de Ledesma *de sacramentis in gen.* cap. 6, concl. 6, Victoria *in Summa* § *de contritione*, num. 112, Joann. a Cruce quæst. 4, dub. 3, concl. 1, et alii Thomistæ. Idem etiam tuentur Sylvester, Paludanus, Ricardus, Durandus, Gabriel, et alii, quos refert, et sequitur Henriquez lib. 1, cap. 29, Sayrus, Reginaldus, Pitigianus, Vivaldus, Angles, Caremota, Pesantius, et alii, quos refert Bonacina disp. 1, quæst. 3, punct. 2, § 1, Granados, Hurtado, Filliucius, Torreblanca, Ochagavia, Layman, Villalobos, Vega, Moure, Turrianus, quos refert, et sequitur Leander trac. 1, disp. 4, quæst. 8, Suarez disp. 16, sect. 3, Vazquez disp. 136, Valencia disp. 3, quæst. 5, punct. 3, Lugo disp. 8 num. 146, Dicastillo disp. 3, dub. 10, et alii, quod prolixum esset referre.

Fundamentum ab auctoritate. D. Aug.

Probatur primo ex sacra Scriptura adjuncta communi Patrum expositione : nam D. August. lib. 4, *de Trinit.* cap. 14, ut

probet sacrificium non posse rite, sive licite offerri, *nisi per sacerdotem sanctum, et justum* expendit sequentia testimonia, Exodi 21 : *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos.* Et Levitici 21 : *Incensum, et panes offerunt Deo, et ideo sancti erunt Deo suo.* Et cap. 22 : *Omnis, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* D. Hieronym. epist. *ad Fabiolam*, et D. Gregorius in 2, par. *Pastoralis* epist. 2, et 3, ad idem propositum expendunt illud Exodi 21 : *Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offeret hostias Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Et D. Tho. in præs. artic. 6, affert illud Levitici 19 : *Sancti eritis, quoniam ergo sanctus sum.* Et Ecclesiastici 10 : *Secundum judicem populi, sic ei ministri ejus.* Quæ præcepta vel explicant legem naturalem tractandi sancte sancta ; vel Sacri Doctores illa expendentes procedunt a paritate legis scriptæ, ut probent ministros sacrificii, et sacramentorum novæ legis debere esse sanctos : alias dicendum foret Sacros Doctores non recte pro isto proposito illis usos fuisse ; quod dicere non decet. Unde refellendus omnino est Vazquez, qui loco cit. cap. 2 ait, in fine hæc scripturæ testimonia nihil concludere ; quia loquuntur de immunditiis carnalibus, seu legalibus, ; et modo ab his puritas non requiritur, ut ministri sacramenta nostra sine peccato ministrent. Refellendus, inquam, est : tum quia minus reverenter se gerit erga Doctores Sacros, qui eis testimoniis usi fuerunt, ut probarent necessitatem sanctitatis in ministris legis gratiæ. Tum quia non intellexit energiam argumenti ab illis locis desumpti : si enim peccatum mortale erat accedere ad ministrandum sacramenta, et ad celebrandum sacrificia veteris legis cum immunditia carnali ; multo magis peccatum erit, si quis ut minister conficiat sacramenta nostra in statu peccati : quippe sacramenta nostra sunt longe nobiliora præ antiquis, et status peccati est longe turpior, quam quælibet immunditia carnalis.

Exodi 21. Levit. 21 et 22. D. Hier. D. Greg. D. Thom. Levit. 19. Eccles. 10. Rejicitur Vasq.

62. Confirmatur primo ex doctrina Summorum Pontificum : nam Nicolaus 1, *ad consulta Bulgarorum* tit. 11, cap. 5, et habetur in cap. ultimo 15, quæst. 8, inquit : « Mali bona administrando, se tantummodo « lædunt. » Et agebat de Sacerdote peccatore conficiente Eucharistiam. Gelasius Papa relatus in cap. *sacrosancta* 1, quæst. 1, ait : « Quomodo ad divini mysterii conse- « crationem cœlestis spiritus invocatus ad- « veniet, si Sacerdos, qui eum adesse de- « precatur, criminosis plenus actionibus, « comprobatur? » Ubi non negat consecrationem fieri, sed exaggerat gravitatem peccati Sacerdotis indigne consecrantis, quæ tanta est, ut de se tantum bonum impediret. Et Gregor. relatus in cap. Necesse 1, quæst. 1, inquit : « Necesse est, ut esse « munda studeat manus, quæ diluere sor- « des curat, ne tacta quæque deterius in- « quinet, si sordida ipsa stercoris lutum « tenet. » In quibus asserit necessitatem spiritualis puritatis in ministro. Et Gregorius IX, in cap. ultimo *de temporibus ordinationum*, loquens de Sacerdotibus peccatoribus, statuit, ne post pœnitentiam impediantur a ministrando, sed subjungit : « quod si non pœnituerint, monendi sunt, « et sub interminatione divini judicii ob- « testandi, ut in testimonium suæ damna- « tionis in susceptis etiam ordinibus non « ministrent. » Hæc autem divini judicii obtestatio manifeste supponit culpam gravem in indigne ministrante. Et idem Pontifex in cap. ult. *de cohabitatione clericorum, et mulierum* docet clericos concubinarios, quorum crimen non est notorium, non esse vitandos in divinis officiis ; addit tamen : « Et si quemlibet pro mortali peccato « quoad se ipsum constet esse suspensum. » Ubi satis aperte declarat quodlibet peccatum mortale esse impedimentum ad munia hujusmodi licite peragenda, et suspendere coram Deo ab eorum administratione. Et licet Vazquez labefactare studuerit alia testimonia, his tamen duobus decretis Gregorii IX convincitur, ut fateatur rem evincere. Aliqua vero, quæ contra illa opponuntur a Lugone, recte diluit Prado dub. cit. a num. 29.

Fulcitur. Nicol. Papa. Gelas. Papa. Greg. Papa. Greg. IX.

Confirmatur secundo ex Patribus frequenter, et satis perspicue hanc veritatem asserentibns : nam antiquissimus Dionysius Areopagita, immediatus Apostolorum discipulus, ad collegam Timotheum sic loquitur : *Ipsos reverendissimos Præsules Pontificio jure monebis, munde ut munda contingant.* Et epist. 8, *ad Demophilum* circa medium inquit : « *Nefas est ea, quæ justa sunt non secundum dignitatem, meritaque exequi.* Et infra : « *Ut mihi quidem videtur, audax nimium hujusmodi est, qui non veretur ea,* quæ

Munit ampli. D. Dio

quæ sunt divina, præter meritum exequi. Quæ verba satis manifestant se non esse mere commonitoria, sed declaratoria obligatio-
ug. nis, et gravis præcepti. Div. Augustinus id ipsum clarissime docet lib. 2, *contra Parmen.* cap. 12, ubi ait : « Omnia sacramenta « cum obsint indigne tractantibus, prosunt « tamen per eos digne sumentibus. » Et per indigne tractare significat illa ministrare in peccato, ut satis ibidem se declarat. Et enarrat. Ps. 103, ad illa verba : *Qui tegit aquis superiora ejus*, inquit : « Videant, quam rationem sint reddituri co- « ram Deo, qui sanctis non sancte utuntur. » Quæ et alia ex S. Doctore referuntur in cap. *Omnia*, cap. *Per Isaiam*, cap. *Prophetavit* 1,
ib. quæst. 1. D. Ambrosius lib. *de dignit. Sacerd.* cap. 2, inquit : « Nihil est in hoc sæculo « excelsius Sacerdotibus, si quod sumus « professione, actione potius, quam nomine « demonstremus, ut nomen congruat actio- « ni : ne sit nomen inane, et crimen im- « mane ; ne sit honor sublimis, et vita de- « formis ; ne sit deifica professio, et illicita « actio. » Quibus satis declarat turpissimum esse, si Sacerdotes absque sanctitate exer-
is. ceant munera officii. D. Chrysost. lib. *de Sacerdotio* ait : « Deus ipse ordinem hujus- « modi disposuit : idcirco necesse est Sa- « cerdotem sic esse purum, ut si in cælis « ipsis collocatus inter cœlestes illas virtu- « tes medius staret : terribilia namque, « atque horribilia sunt, quæ administrat. » Ubi propter magnitudinem ministerii exigit in ministro sanctitatem. Alia testimonia omittimus, quia præmissa sunt adeo sufficientia, ut Suarius disp. cit. § *ultimo reddenda est*, tot non relatis merito dixerit : « Quod in Ecclesia sit hoc præceptum » (nempe ut peccatores non ministrent ex officio sacramenta) « dubitari non potest, « ut constat ex decretis, et testimoniis ad- « ductis. » Sed quod adsit etiam præceptum naturale divinum, ratio D. Thom. infra expendenda satis ostendet.

Confirmatur tertio ; nam cum Hieronymus Llamas 1, part. sui methodi, cap. 1, § 5, et part. 2, § 12, docuisset contrariam nostræ assertioni sententiam, statuens non esse peccatum mortale, quod ministri existentes in peccato conficiant sacramenta præter Eucharistiam, et quod ipsam Eucharistiam aliis ministrent : Sacrum Inquisitionis Tribunal præcepit prædictam sententiam deleri, ut constat ex indice librorum expurgatorum edito anno 1640. Et licet aliqui significaverint Sacrum Tribunal reprobasse prædictam doctrinam præcise ut omnino improbabilem, quod indicat Leander disp. 10, quæst. 9, nihilominus Leand,
Prado ubi sup. n. 34, testatur damnatam Prado.
fuisse ut improbabilem, temerariam, et periculosam. Sed quidquid fuerit de qualitate censuræ. inde tamen urgenter fulcitur motivum ab auctoritate hactenus propositum : quoniam Sacrum Tribunal nulla ex prædictis notis infamem diceret eam sententiam, nec illi adhiberet spongiam, nisi videret eam obluctari communi Ecclesiæ doctrinæ satis expressæ in sacris canonibus, et in testimoniis Patrum, et in communi Scholasticorum doctrina. Ergo suo decreto satis probavit solidissimum esse nostræ assertionis fundamentum ab auctoritate desumptum. Quod observamus contra aliquos Recentiores, qui cum nobiscum assertionem teneant: nihil tamen eis offerimus, in quo rimas non videant, et minorem firmitatem non causentur, ut nihil tandem
habeamus firmum. Videatur Petrus de Le- Ledesm.
desma loco supra cit. qui antecedenter ad illud inquisitionis decretum palam dixerat eam sententiam esse improbabilem. Et
Suarez ubi proxime asserens, quod « de Suarez.
« hoc præcepto dubitari non potest. » Et Vasq.
Vazquez disp. cit. cap. 1, num. 1, ubi ait : « Constans, et indubitata apud Scholasticos « sententia est quemlibet ministrum sacra- « menti consecratum, qui in statu peccati « mortalis sacramentum conficit, peccare « mortaliter. » Quod saltem accipiendum est de ministro consecrato, et agente ex officio, ut in assertione statuimus : nam si ex officio non agat, non id plane docet constans, et indubitata Scholasticorum sententia tenet, ut infra constabit.

63. Secundo probatur conclusio ratione Ratio ex
D. Thom. in præs. art. 6, quam possumus D. Tho.
ad istam formam reducere : nam gravis inordinatio in materia gravi est peccatum grave, sive mortale : sed ministrum consecratum conficere ex officio, sive solemniter sacramenta in statu peccati est gravis inordinatio in materia gravi : ergo quod minister consecratus ita ministret, est peccatum mortale. Consequentia patet. Et major est certa, et nota lumine naturali : tum quia omnis inordinatio creaturæ rationalis est quædam perversitas, quæ non contingit absque malitia : ergo est aliquod

peccatum : ergo inordinatio gravis est peccatum grave, sive mortale. Tum etiam quia unusquisque peccat in agendo, ex hoc ipso, quod operatur, non secundum quod oportet, et dictat recta ratio, ut docet Aristot, lib. 2, *Ethic.* cap. 3; sed ubi quis committit gravem inordinationem in materia gravi, operatur non secundum quod oportet, et dictat recta ratio : ergo sic operando peccat, et peccat graviter, nempe secundum gravitatem inordinationis. Minor denique probatur : nam gravis inordinatio, et in materia gravissima est, quod minister Dei, et Christi in ordine ad terminum sanctum sit turpis, et peccator ; siquidem in re gravissima operatur non secundum quod oportet, et recta ratio dictat : quippe ista præscribit, ut minister habeat conformitatem cum principali agente, et cum ministerio, quod agit. Sed minister consecratus, et agens ex officio agit tanquam minister Dei, et Christi in ordine ad terminum sanctum, cujusmodi est sacramentum. Ergo ubi sic ministrans est turpis, et peccator, committit inordationem gravem, et in materia gravissima.

Aristot.

Explicatur.

Declaratur hoc amplius : quoniam qui agit ut minister Dei, et Christi, et in ordine ad effectum ejus proprium, debet agere cum conformitate ad Deum, et Christum, et ad ipsum effectum, quem attingit. Sed existens in peccato nequit agere cum hujusmodi conformitate. Ergo hoc ipso agit contra debitum rationis. Cumque violatio hujus debiti sit in materia gravissima, nequit non ita agens graviter peccare. Utraque consequentia recte infertur ex præmissis. Et minor etiam constat : quia Deus, et Christus sunt causæ principales, et sanctæ; et effectus principalis est sacramentum etiam sanctum : existens autem in peccato, et subinde sanctitate carens cum nullo horum conformitatem habet : ergo existens in peccato nequit cum prædicta conformitate operari. Major denique, in qua poterat esse difficultas, probatur tum testimoniis Scripturæ id palam significantibus : nam de ministris Dei in antiqua lege dicitur Levit. 19: *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.* Et de ministris Dei in novo testamento dicit Apostol. 1, ad Corinth. 4 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, et 2, ad Corinth. 3: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, et cap. sequent. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.* In quibus satis aperte significatur eum, qui agit ut minister Dei, et exequitur istud officium, debere habere ad ipsum conformitatem, et configurationem in sanctitate. Tum etiam a sensu opposito, et exemplo ab ipsis naturalibus ducto : quoniam si quis ageret ut legatus Regis Hispaniæ, et ministerium grave tractaret, deberet agere cum conformitate ad regiam majestatem, quam repræsentat : unde si turpis, vilis, et indecorus ad id procederet, graviter offenderet regem, atque in ejus majestatem, et proprium ministerium delinqueret, ut patet ex communi, et naturali hominum apprehensione : qui enim ita se gereret, manifestaret ex vi modi agendi vilem etiam esse personam, quam repræsentat, juxta illud Ecclesiast. 10 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* Ergo pariter agens ut minister Dei (sicut agit omnis minister consecratus, et ex officio ministrans), debet agere cum conformitate ad Deum et Christum, et ad ministerium, quod exhibet : et si aliter procedat, peccat graviter contra majestatem Dei, et Christi, et contra proprium ministerium.

Levit. 19.

1 Ad Corinth. 4.
2 Ad Corinth. 3 et 4.

Eccles. 10.

Ad hæc : non minus requiritur sanctitas ex parte ministri, quam puritas ex parte vasorum ministerio Dei deservientium : sed si quis in prædicto ministerio exhiberet vasa sordida, et turpia, graviter in Deum peccaret : ergo sic etiam peccat, cum se exhibet ministrum in sordido, et turpi peccati statu. Quæ similitudo potest magis in hunc modum expendi : nam sacramenta sunt sacra sanctitate intrinseca, quam continent ; vasa autem solum sunt sacra sanctitate extrinseca, et quantum ad deputationem : sed si minister Dei tractaret vasa sacra manibus sordidis, et obscænis, peccaret graviter : ergo non minus peccat tractando sacramenta cum majori immunditia, qualis est turpitudo, et status peccati : sic enim opponitur impuritas interior sanctitati intrinsecæ sacramentorum, sicut impuritas externa sanctitati extrinsecæ, et deputativæ vasorum. Ex quo D. Thomæ discursu ut hactenus explicato satis liquet obligationem de qua agimus, oriri non solum ex jure positivo, et Ecclesiastico, ut constat ex dictis a num. 61. Sed ex jure etiam naturali : nam supposita supernaturali sacramentorum institutione, ipsa ratio naturalis dictat, quod ea

Declaratur amplius.

ea ex officio ministrans sit sanctus, sive conformis tam agenti principali, quam ministerio.

Nec- ex Tho. 64. Nec refert, si præmisso discursui opponas bonitatem ministri solum requiri secundum decentiam, ut docet D. Thom. art. 5 ad 3, illis verbis : « Alio modo est « aliquid debitum esse in sacramento se- « cundum quandam decentiam : et hoc « modo debitum est, ut ministri sacramen- « torum sint boni. » Constat autem, quod defectus ejus, quod præcise debetur secundum decentiam, non est peccatum mortale, ut patet in actibus virtutum procedentibus ab homine peccatore : decebat namque tales actus sanctitati conjungi ; quin propterea peccator eos eliciens graviter peccet. Ergo præmissus discursus minime evincit ministrum consecratum, et agentem ex officio, si in peccato sit, grave peccatum committere. Confirmatur primo: quia non minor puritas, aut dispositio requiritur ex parte recipientis, quam ex parte ministrantis sacramenta : sed in suscipiente sacramenta non requiritur status gratiæ, ut patet in eo, qui cum sola attritione recipit sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi : ergo pariter ad ministrandum sacramenta non requiritur talis status : atque ideo quod peccator illa ex officio ministret, non est peccatum mortale. Confirmatur secundo : quoniam omnis ministrans sacramenta agit ex officio, et ut minister Dei : sed durum nimis est dicere, quod omnes ministrantes in peccato peccent mortaliter ; alias nunquam excusaret necessitas applicandi sacramentum : ergo præmissus discursus excessive probat, et falsum, si quid valeret, evincit.

Non, inquam, hæc referunt : nam ad objectionem respondetur actionem, qua minister agens ex officio conficit sacramentum, dupliciter posse considerari. Uno modo ut mera confectio sacramenti est, sive quatenus importat vim ponendi simpliciter effectum : et hoc modo solum ex decentia est, quod procedat a ministro sancto, non autem ex substantia, aut essentia : quippe positis materia, forma, et intentione ministri, fit absolute sacramentum : et in hoc sensu loquitur D. Thomas loco cit. ut supra explicuimus num. 51. Alio modo consideratur illa confectio ut est actio moralis, atque ut procedit a ministro agente formaliter ut ministro, et ex officio, sive solemniter : et hoc modo non solum est decentia, sed debitum simpliciter, quod talis actio procedat a ministro sancto : quia nisi ita procedat, committitur gravis inordinatio, et subinde grave peccatum. Unde idem D. Thom. qui prius dixerat confectioni sacramentorum debitum ex decentia esse, quod eorum ministri sint boni ; recognovit in art. seq. debitum esse simpliciter tali actioni in esse moris, quod a ministro bono procedat. « Et ideo, *inquit*, non est dubium, quin mali exhibentes se ministros « Dei, et Ecclesiæ in dispensatione sacra- « mentorum, peccant. » Et infra : « Conse- « quens est, quod tale peccatum ex genere « suo sit mortale. » Quæ responsio facile declaratur exemplo vasorum, et rerum ad sacramenta concurrentium : nam pro valore absoluto sacramentorum solum debetur debito decentiæ, quod pura sint ; constaret enim baptismus, etsi quis sordido vase, et aqua fœtida baptizaret. Sed tamen pro rectitudine morali actionis baptizantis debitum per se communiter est, quod quis utatur vase, et aqua puris : unde oppositum quid adhibere est per se (id est seclusa urgenti necessitate) grave peccatum. Sic ergo dicendum est de sanctitate ministri.

Ad primam confirmationem neganda est major, vel ea, et minori omissis, neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est : tum quod sicut agere est nobilius, quam recipere, vel pati ; sic fieri potest, quod major sanctitas requiratur ex parte ministri agentis, quam ex parte subjecti recipientis sacramenta. Tum etiam quia aliqua sacramenta ordinantur per se ad primam suscipientium sanctificationem, ut patet in baptismo, et pœnitentia : unde non oportet, quod supponant in suscipientibus gratiam, sed aliam inferiorem dispositionem, ut est attritio. Ministrans vero sancta, sive sanctificans, alios debet esse sanctus ; licet ea sacramenta suscipiens sanctus non præsupponatur, aut sit. Et hinc magis apparet debilitas prædictæ confirmationis : nam quod aliquis cognoscens se esse in peccato cum sola attritione recipiat sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, nulla est inordinatio, nullum peccatum vel veniale : sed quod quis cognoscens se esse in peccato ministret solemniter, sive ex officio prædicta sacramenta, nequit non esse aliqua inordinatio, et culpa. Unde nullus ita desipit, aut indigne de sanctitate sacramento-

rum sentit, ut neget talem administrationem esse peccatum saltem veniale.

Satisfit secundæ. Ad secundam confirmationem respondetur, quod licet omnis, et in omni eventu ministrans sacramenta sit minister Christi; nihilominus non semper agit ut consecratus, et ex officio: sed agit ratione necessitatis. Quare necessitas ipsa illum forsan excusat, si non agat cum sanctitatis decentia, quam ministerium exposcit. Sicut quando legatus regis agit per se, et ex officio; oportet, quod omnino decenter agat, et conformiter ad majestatem, quam repræsentat: et per se loquendo peccaret, si non ita se gereret. Cæterum in repentino aliquo necessitatis casu non peccaret, si ad ministerium suum non cum omni apparatu, sed absque splendore solito, et debito procederet: quia licet tunc esset legatus regis, et negotia regis ageret: nihilominus magis procederet ad occurrendum necessitati, quam ad regiam majestatem repræsentandam. Sed pro perfectiori rei semel attactæ intelligentia.

§ II.

Resolutio difficultatis quantum ad ministros non consecratos, et quantum ad consecratos non solemniter agentes.

Secunda conclusio. 65. Dicendum est secundo ministros non consecratos, et ministros consecratos non solemniter, aut ex officio ministrantes, non peccare mortaliter, licet in statu peccati ministrent sacramenta. Ita D. Thomas in præs. art. 6 ad 3, ubi loquens de ministro consecrato existente in peccato mortali inquit: «In articulo tamen necessitatis non « peccaret baptizando, in casu, in quo « etiam posset laicus baptizare: sic enim « patet, quod non exhiberet se ministrum « Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem « patienti. » In quo testimonio supponit laicum in casu, in quo potest baptizare, non peccare, licet existat in peccato, cum baptizat: et hinc colligit, asseritque ministrum consecratum non peccare, quando in eodem casu, et cum eadem dispositione ministrat. Similia omnimo docet in 4, dist, 24, q. 1, artic. 3, quæstiunc. 5 ad 4. Unde sic sentiunt communiter Thomistæ, Cajetanus in præs. art. 6, explicans verba proxime relata, Nugnus difficult. 1, § *De hac re*, Cabrera disp. 1, § 4, num. 17, Sylvius quæsito 1, concl. 2, Prado dub. 4, § 5, n. 57, Labat disp. 1, dub. 6. § 3, concl. 2, Gonet disput. 6, art. 4, concl. 2, N. Fransciscus, et N. Philippus locis supra relatis, Sotus in 4, dist. 1, q. 5, artic. 6, Sylvester verbo *Baptismus* 3, q. 4, Joannes de la Cruz q. 4, dub. 3, concl. 1, Montesinos tom. 1, disp. 28, q. 4, nu. 62, et alii plures. Idem etiam tuentur Sayrus lib. 2, cap. 7, q. 1, art. 2, Sanchez lib. 2, *de matrim.* disp. 6, n. 4, Henriquez lib. 1, cap. 29, Suarez disp. 16, sect. 3, Scotus, Valencia, Filliucius, Layman, Granados, Becanus, et alii, quos refert, et sequitur Leander tract. 1, disp. 4, q. 5, Bonacina disp. 1, q. 3, punct. 2, Diana 3 p. tract. 4, resol. 10, Trullench lib. 1, cap. 3, dub. 3, Aversa in præs. sect. 4, § *Quarto hinc*, et alii communiter. Et hanc assertionem a fortiori tuentur alii Auctores referendi num. 71.

(D. Thom. — Cajetan. — Nugnus. — Cabrera. — Sylvius. — Prado. — Labat. — Gonet. — N. Fran. — N. Phil. — Soto. — Sylvest. — Joann a Cruce. — Montes. — Sayrus. — Sanchez — Henriq. — Suarez. — Leand. — Bonacin. — Diana. — Trullen. — Aversa.)

Ratio ex D. Tho. Probatur ratione D. Thomæ in verbis supra relatis: nam laicus existens in peccato mortali, si in casu necessitatis baptizat, non peccat mortaliter: ergo idem dicendum est de omni ministro non consecrato conficiente sacramenta: ergo similiter debet asseri de ministro consecrato, si non solemniter agat. Antecedens suadetur: quia laicus in casu necessitatis baptizans, licet re ipsa sit instrumentum Dei, et Christi, nihilominus nom agit ex officio, et tanquam minister eos specialiter repræsentans: quare ex eo, quod sine sanctitate, et ad ipsos correspondentia concurrat, nullam illis irrogat injuriam saltem gravem. Aliunde vero licet rem sanctam pollutus conficiat, tamen id facit obligatus gravi proximi necessitate: quare non majorem ab hac parte malitiam contrahit, quam si rem sacram attingeret, utputa hostiam consecratam, ut eam levaret a luto, vel illam defenderet ab infidelium conviitiis. Unde probatur prima consequentia: quoniam non aliter affirmamus ministrum non consecratum, licet in peccato existat, non peccare mortaliter in conficiendo sacramenta, nisi quia agit in casu necessitatis: in quo eventu concurrunt motiva eadem, quæ immediate proposuimus, ut facile consideranti constabit. Et hinc etiam patet consequentia secunda: nam ubi minister consecratus non agit solemniter, non agit ut consecratus, sed perinde ac si non consecratus, et mere laicus esset, ut patet in sacerdote baptizante in casu necessitatis: ergo non magis peccat, quam

quam laicus in statu peccati existens, in gravi necessitate baptizans.

Confirmatur: nam ideo minister consecratus peccat graviter, si existens in peccato mortali sacramenta solemniter conficiat, quia agit ut publicus Ecclesiæ minister, et ut gerens vices Christi: quippe hujusmodi repræsentatio exigit conformitatem, et decentiam. Hoc autem motivum locum non habet in laico baptizante in casu necessitatis: licet enim concurrat ut instrumentum Christi, tamen non habet ad id specialem consecrationem, et deputationem, nec dici potest publicus Ecclesiæ minister. Ergo quamvis in peccato existens baptizet, non propterea Christo, et Ecclesiæ irrogat injuriam. Et cum minister consecratus in simili casu baptizans eo modo, ac si esset laicus, se gerat: siquidem nec solemniter agit, nec consecratione utitur: sequitur idem de illo, ac de laico, sive alio ministro non consecrato dicendum esse. Quæ amplius declarantur exemplo: etenim si quis ex officio regi famuletur; oportet, quod ubi suum famulatum, et officium repræsentat, utatur speciali ornatu, aut insignibus, quæ indicent regiam domini majestatem: et aliter agens regem offenderet. Sed ut aliquis, qui regi non specialiter famulatur, eidem in aliquo casu accidentali serviat, prædictis insignibus, et cultu regio non eget. Et idem contingit in ipso regis famulo, si in aliquo extraordinario necessitatis eventu eidem ministret absque solitis insignibus: concurrit enim ac si specialis ejus famulus non esset. Sic ergo dicendum est de ministrante sacramenta, si minister non sit ad id specialiter deputatus; vel licet minister sit, si non agit ut minister, sed ut quivis alius ad subveniendum necessitati.

66. Nec momenti est, quod Vazquez opponit sacerdotem in casu necessitatis baptizantem non baptizare loco alterius ministri, sicut laicus baptizat loco sacerdotis: ergo consecratio sacerdotis in tali casu non se habet per accidens: atque ideo sacerdos peccabit mortaliter, si cum conscientia peccati gravis baptizet. Id, inquam, nihil valet: nam in primis dici posset sacerdotem baptizantem in casu necessitatis baptizare loco sui ipsius, aut alterius sacerdotis ut solemniter agentis. Sed absolute omisso antecedenti, negamus consequentiam. quæ non recte ex illo colligitur: quoniam non dicimus sacerdotem in peccato existentem non peccare, si in casu necessitatis baptizet, quia agat loco alterius; sed quia in tali casu laicus in peccato existens, et baptizans non peccaret: sacerdos autem ex eo, quod minister consecratus sit, minime impeditur agere, quod agit laicus, consecratione concomitanter, et per accidens se habente. Sicut minister regis in casu aliquo accidentali, et urgenti potest se ita gerere, ac si minister regis non esset. Unde si sacerdos peccator extra casum necessitatis non solemniter, sive non adhibitis cæremoniis baptizaret: proculdubio peccaret graviter, non solum quia omitteret solemnitatem ab Ecclesia præscriptam, sed quia irreverenter ageret ministrando in statu peccati: ubi enim urgens necessitas cessat, debet agere ex officio, et juxta propriam consecrationem. Et similiter peccaret graviter laicus, qui non stante illa necessitate baptizaret, licet in statu peccati non esset: tum quia ageret contra prohibitionem Ecclesiæ: tum quia minister per se, et ex directa intentione est minister consecratus; laicus autem solum est minister in casu gravis necessitatis, ut docet D. Thom. infra quæst. 67, art. 3, et 4.

67. Difficilius posset opponi ex præmissa doctrina duo inconvenientia sequi. Primum contrahentes matrimonium, si existant in peccato mortali, graviter peccare in mutuo conficiendo, et ministrando matrimonii sacramentum. Secundum sacerdotem existentem in statu peccati non peccare graviter, si absolvat moribundum gravi, urgentique periculo laborantem. Sequela quoad primam partem ostenditur: nam diximus laicum in casu gravis necessitatis baptizantem non peccare mortaliter, licet in peccato existat; quia gravis necessitas excusat, ne dicatur injuriam irrogare sacramento, et ejus auctori: atqui hujusmodi necessitas non occurrit in celebratione matrimonii: tum quia hujusmodi sacramentum non est necessarium ad salutem: tum quia non solet occurrere similis aliqua urgentia ipsum celebrandi: ergo contrahens in statu peccati ex hoc ipso graviter peccatur. Deinde sequela quoad secundam partem suadetur eodem fere motivo: nam ideo sacerdos peccator non peccat graviter, si baptizat in causa necessitatis, quia ipsa urgens necessitas deobligat ab adhibendo ulteriorem solemnitatem, et sanctitatis dispositionem: sed æqualis, et æqualiter instans

necessitas potest occurrere in moribundo, ut absolvatur: ergo sacerdos peccator tunc absolvens non pecat graviter.

Occurritur primæ. Sed respondetur nihil ad assertionem nostram consequi, quod vere inconveniens sit. Et ad primum, quod objicitur dicendum est omnes Doctores in eo convenire, quod contrahentes matrimonium in statu peccati peccant mortaliter, quatenus suscipientes sunt: quia ponunt obicem gratiæ per illud sacramentum causandæ. An autem peccent mortaliter, quatenus mutuo ministrant, non ita convenit inter omnes. Nam Petrus de Ledesma, Navarrus, Basilius Pontius, Vazquez, Lugo, et Hurtado apud Leand. disp. 4, quæst. 7, affirmant celebrantes matrimonium in statu peccati peccare graviter. Quod nobis probabilissimum videtur, et apprime conforme sacramenti dignitati, et non obscure (licet in genere) significatur a D. Thom, nam postquam dixit peccatorem baptizantem in casu gravis necessitatis non peccare, ut constat ex verbis relati num. 65, statim subjunxit: « Secus « est autem in aliis sacramentis, quæ non « sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus. » Cum igitur matrimonium sacramentum necessitatis non sit; videtur, quod ex sententia S. Doctoris mortaliter peccent contrahentes in statu peccati. Et ratio haud incongrua etiam suffragatur: quia ex una parte non reperiuntur alii ministri proximiores prædicti sacramenti, quam ipsi celebrantes: aliunde vero tale sacramentum sanctum est, et gratiæ productivum, ut fides docet: ergo contrahentes in statu peccati gravem inordinationem committunt, injuriam irrogando tam ipsi sacramento, quam Christo ejus institutori.

Probabilis aliquorum sententia.

Probabilior dicendi modus. 68. Nihilominus probabilius censemus, quod ita celebrantes (secluso contemptu) non peccant graviter: quoniam non agunt ex officio, sive speciali consecratione, nec ad id munus aliquam gratiam specialem recipiunt: et subinde cum proprie loquendo non se exhibeant ministros Christi, et Ecclesiæ; nullam, aut saltem non gravem offensam illis inferunt, licet in peccato contrahant. Quod vero efficiant rem sacram, ipsum scilicet sacramentum; non evincit grave peccatum: quia hujus malitia non consistit in efficiendo rem aliquam sacram in statu peccati, sed in efficiendo ex officio, et ministerio ob defectum conformitatis ad Christum principalem agentem: plura namque supernaturalia, et de se dignissima faciunt peccatores utputa actus virtutum; quæ quia non faciunt nomine Christi, et secundum specialem deputationem, ideo non peccant. Unde quod ministri sacramentorum, si in peccato ministrent, peccent graviter, non desumitur ex parte effectus, sive termini absolute considerati, sed ex eodem sumpto cum habitudine ad ministrum consecratum, et agentem ex speciali deputatione. Quod in celebrantibus matrimonium non reperitur. Et quod non dentur alii ministri proximiores, nihil refert: quia valde differunt esse ministrum sacramenti proximum, et esse ministrum ex speciali consecratione, et deputatione. Id vero, quod ex Div. Thom. expendimus, non urget: nam referenda sunt ad ministrum consecratum, de quo eo loco specialiter agebat; licet aliquid de laico baptizante dixerit, ut magis satisfaceret argumento. Quare universaliter tenendum est ministrum non consecratum non peccare mortaliter, licet ad conficiendum sacramentum in statu peccati concurrat. Quæ propositio, licet videatur valde universalis; tamen ad sola duo sacramenta restringitur, baptismum scilicet, et matrimonium; pro aliis namque ministris consecratio desideratur. Et prædicta propositio accipienda est per se, et quantum est ex vi concursus ministri existentis in peccato. Alias namque fieri potest, ut is peccet, si agat contra aliud præceptum, ut patet in laico baptizante extra casum necessitatis: nam licet in statu gratiæ existat, peccat tamen graviter, agendo ad minus contra prohibitionem Ecclesiæ. De quo suo loco dicemus. Præsentem vero, quam magis probamus, resolutionem docent plures, et graviores Theologi, ex Thomistis Paludanus, Lopez, et Martinus de Ledesma, quos refert, et sequitur Sanchez lib. 2, *de matrimonio*, disp. 6, num. 3, Prado dub. 4, §. 6, num. 69, Gonet ubi supra num. 102, Sayrus lib. 2, cap. 7, art. 5, Villalobos tom. 1, tract. 4, difficult. 4, num. 5, Suarez disp. 16, sect. 4, Granados tract. 5, disp. 5, num. 6, Diana 3, part. tract. 4, resolut. 199, Leander tract. 1, disp. 4, quæst. 7, et alii apud istos.

Nota.

Paludan. Ledesm. Prado. Sanchez. Sayrus. Villalob. Suarez. Granad. Leand.

Observatio notanda. Ubi incidenter observandum est, quod juxta priorem sententiam contrahentes in peccato committunt duo peccata mortalia, unum in quantum indigne conficiunt sacramentum; et aliud, in quantum indigne illud

illud recipiunt : sicut proportionabiliter contingit in sacerdote peccatore conficiente, atque suscipiente Eucharistiam. Sed in secunda sententia non committit nisi unum peccatum suscipiendi illud sacramentum indigne. In utraque autem opinione satisfaciet præcepto confessionis dicendo se in statu peccati matrimonium contraxisse : quia ibi implicatur, et satis explicatur omnis inordinatio tam activa, quam passiva in eo celebrando reperta. Sed non satisfaceret juxta priorem sententiam discurrendo, qui diceret se recepisse aliquod sacramentum in statu peccati : quia hoc modo non declararet malitiam peccati commissi in conficiendo matrimonii sacramentum, ut illa sententia tenet. At in nostra, et communiori ob oppositam rationem id necessarium non est.

69. Ad secundum inconveniens respondemus Vazquium, Coninckum, Lugonem, et alios, quos dabimus num. 74, in ea esse sententia, quod sacerdos peccator, si absolvat in gravi alicujus moribundi necessitate, non peccat graviter. Potest enim periculum adeo urgere, ut non relinquat sacerdoti locum ad eliciendum contritionem : unde non peccabit si ante illam, et statum gratiæ absolvat moribundum, illique succurrat, ne sine remedio pereat. In quam sententiam palam inclinat N. Franciscus tra. I, cap. 7, puncto 10, num. 93. Et juxta illam inconveniens objectum tale non est : sed perinde se habet sacerdos peccator in gravi necessitate absolvens, ac idem sacerdos in gravi necessitate baptizans.

Sed prædictam opinionem censemus falsam, ut quæ non attendat ad distinctionem inter ministrum non consecratum, et ministrum consecratum, quæ tamen omnino servanda est, ut in præmissis assertionibus statuimus. Et sic etiam censent Nugnus in hoc. art. difficult. 1, concl. 4, Cabrera disp. 1, § 4, num. 20, Ruyz dub. 1, Prado dub. 4, num. 71, Gonet disp. 6, art. 4, nu. 104, et Suarez disp. 16, sect. 4, § *Atque hinc*, (ubi ita continuat) « aperte sequitur, peccare « graviter sacerdotem, qui sacramentum « pœnitentiæ ministrat in peccato mortali, « etiam si suscipiens sit in quacumque ne« cessitate : quia semper ille actus est pro« prius ordinis sacerdotis, et necessitas « suscipientis est impertinens ad excusan« dum, ut recte probat argumentum supra « factum, et omnes Theologi uno ore fa« tentur. Atque idem majori ratione dicen« dum est de ministrante extremam unctio« nem, confirmationem, aut ordinem : quia « sunt sacramenta minoris necessitatis, et « proprii actus ordinis sacerdotalis, aut « Episcopalis consecrationis etc. » Et probatur hæc resolutio primo ex Div. Thom. D.Thom. qui illam aperte docet in præs. art. 6 ad 3, his verbis : « Dicendum, quod ille, qui est « in peccato mortali, non est perplexus « simpliciter si ex officio ei incumbat sacra« menta dispensare, » (quod ad solum ministrum consecratum pertinet) « quia « potest pœnitere de peccato, et licite mi« nistrare. Non est autem inconveniens, « quod sit perplexus supposito quodam : « scilicet quod velit remanere in peccato. « In articulo tamen necessitatis non pecca« ret baptizando, in casu, in quo posset « etiam laicus baptizare : sic enim patet, « quod non exhiberet se ministrum Eccle« siæ, sed subveniret necessitatem patienti. « Secus est autem in aliis sacramentis, quæ « non sunt tantæ necessitatis, sicut baptis« mus. » Probatur secundo ratione : nam quod aliquis existens in peccato mortali exhibeat se ministrum Christo, et Ecclesiæ, est gravis inordinatio, et subinde grave peccatum, ut satis constat ex dictis § 1. Sed sacerdos quotiescumque absolvit, exhibet se ministrum Christi, et Ecclesiæ ; siquidem absolutio est actus proprius ordinationis, sive consecrationis, qua homo in specialem Christi, et Ecclesiæ ministrum deputatur : ergo si sacerdos existat in statu peccati, nequit unquam absolvere, quin mortaliter peccet.

Unde liquet præsentem urgentis necessitatis excusationem (quæ est unicum fundamentum sententiæ contrariæ facile subruendum), nullius momenti esse. Tum quia occurrat, vel non occurrat necessitas ; semper sacerdos absolvit ut minister ex speciali consecratione : atque ideo debet se exhibere conformem sanctitati Christi principalis agentis : et si opposito modo se gerat, injuriam irrogat illi. Tum etiam quia sacerdos in casu proposito potest occurrere utrique obligationi, et misericordiæ in subveniendo egenti per absolutionem, et Religionis in ministrando sacramentum decenter, sive in statu gratiæ ; siquidem potest elicere contritionem : ergo nisi ita se gerat, peccat graviter : et si est perplexus, id provenit (ut optime obser- Diruitur motivum oppositum.

vavit Div. Thom.) ex suppositione sibi libera, *quod vult remanere in peccato.* Tum præterea quia ipse moribundus tenetur elicere contritionem, et quamvis necessitas sit urgens, et tempus brevissimum, peccat graviter, si contritionem non eliciat : ergo necessitatis urgentia, et temporis brevitas multo minus excusare possunt, aut debent sacerdotem, si non se disponat per contritionem ad absolvendum. Tum denique quia sacramentum pœnitentiæ non est ita moribundo necessarium, ut illius defectum supplere nequeat eliciendo contritionem : unde Deus non concessit laico potestatem absolvendi in illo articulo, sicut concessit potestatem baptizandi : ergo urgentis necessitatis titulo non excusatur sacerdos, si cum conscientia peccati absolvat. Sacerdos igitur, qui recognoscat se esse in peccato, et contritionem non elicere, moneat saltem moribundum ad contritionem eliciendam, et se non ingerat ad indecentem, et sacrilegam absolutionem. Ex quibus satis constat tam ad motiva contrariæ opinionis, quam ad inconveniens, pro quo diluendo ista expendimus : liquet enim disparitas inter sacerdotem baptizantem, et sacerdotem absolventem in casu necessitatis. Sacerdos enim in casu necessitatis baptizans, non agit ex officio, sed perinde ac si sacerdos non esset, sed laicus : unde licet in peccato existat non irrogat injuriam sacramento, nec ejus auctori, ut a numer. 65, explicuimus. Cæterum sacerdos in nullo eventu potest absolvere, nisi ut sacerdos, et utens formaliter sua consecratione : quare si in peccato absolvat, gravem inordinationem, atque ideo peccatum grave committit.

Additio observanda. 70. Ad perfectiorem autem præmissæ resolutionis intelligentiam addere oportet necessarium non esse, quod minister consecratus existens in peccato, ut licite administret sacramenta (si Eucharistiam excipiamus), debeat præmittere confessionem. Adrian. Oppositum docuerunt Adrianus in 4, quæstio. 3, de confessione, et quidam alii apud Vazquium ubi supra capit. 1. Sed nostra (quæ communis est) resolutio probatur : quia nullum datur præceptum positivum divinum, vel humanum ad id obligans : et ad debitam sacramentorum administrationem sufficit status gratiæ, quam consequitur contritio, quæ est confessio in voto. Non sufficit tamen ad prædictam licitam administrationem sola attritio cognita, ut minus recte docuerunt aliqui apud Nugnum in præsent. difficul. 3, quoniam attritio, licet supernaturalis sit, absque sacramento pœnitentiæ in re suscepto non justificat : unde talis attritio cognita non sufficit, ut minister consecratus, si supponatur in statu peccati, possit licite conficere sacramenta. Relinquitur ergo, quod attritio sufficiat contritio probabiliter existimata, sive quod quis judicet probabiliter se contritum ; quamvis in re contritus non sit : nam cum homo nequeat certo cognoscere se esse in statu gratiæ, si attritio, vel alia honesta affectio reputata moraliter contritio non sufficeret ; sequeretur hominem qui peccavit, non posse ministrare sacramentum pœnitentiæ, nisi præmissa confessione : quod esse falsum proxime ostendimus. Sufficit itaque, quod minister, licet supponatur peccasse, accedat ad ministrandum cum contritione, quæ vel in re talis sit, vel talis probabiliter judicetur. Et hoc est commune Theologorum judicium apud Suarez disput. 16, sectione 3, vers. *Sed quæret aliquis,* Vazquez disput. 136, capit. 1, Pradum dub. 4, § 5, numer. 48, et Leandrum disput. 4, quæst. 10. Suare Vasq Prad Lean

§ III.

Referuntur sententiæ nostris assertionibus contrariæ, et convelluntur earum motiva.

71. Contra primam assertionem nostram sentiunt Llamas relatus numer. 62, Ludovicus a Sancto Joanne quæst. 8, *de pœnitentia*, art. 4, dub. 1, difficult. 2. Et idem docuit Henricus quodlibeto 6, quæst. 30, et docuisse videtur Martinus de Ledesma 1, parte 4, quæst. 5, articulo 6. Et omnes hi Auctores sentiunt sacerdotem existentem in peccato mortali posse sine novo gravi peccato ministrare alia sacramenta præter Eucharistiam, etiam extra casum necessitatis, dummodo facile non inveniatur alius sacerdos, qui ministret loco illius. Et hanc sententiam esse probabilem conantur defendere Marcus Vidal *in arca Theologiæ moralis, de ministro sacramenti,* inquisitione unica num. 69, et 75. Crousers *in regulam S. Francisci* cap. 7, lect. 21, et Christophorus a S. Joseph tom. 2 *receptarum opin.* dub. 18, *de sacramentis.* Sed illorum conatus prævalere minime potest contra solidissimum sacræ Inquisitionis decretum, Prim sente tia co trari Llama Ludo de Joan Henri Vida Crous Chris a S. Josep

decretum, cujus meminimus nu. 62, et contra communissimam Theologorum sententiam, decretis Ecclesiæ, et Patrum doctrinæ inhærentem. Unde prædictorum Recentiorum audaciam reprimunt Diana p. 6, tract. 6, *miscell.* resolut. 53, et part. 10, tract. 16, resolut. 27, Prado dub. 4, § 2, num. 15, et Leander disp. 4, quæst. 9.

Arguunt primo prædictæ sententiæ Auctores : quia nullum datur præceptum, quod expresse prohibeat, ut minister consecrans existens in statu peccati ministret sacramentum, ut concedit Navarrus *de pœnitentia.* dist. 6, nu. 10, in hanc sententiam multum inclinans : ergo minister consecratus in statu peccati ministrans non agit contra aliquod præceptum , atque ideo non peccat. Confirmatur : quoniam qui sacramentum administrat in peccato, non ponit obicem gratiæ, quam sacramentum producit in suscipiente digne : quod vero ipse non percipiat fructum ex ipsa administratione, non probat eum peccare : alias peccator peccaret eliciendo quodcumque opus bonum, ex quo non percipit fructum : quod est error Lutheri reprobatus in Concilio Tridentin. sess. 6, cap. 11 et can. 25; ergo per hoc, quod minister consecratus conficiat in statu peccati sacramenta, non peccat.

Ad argumentum respondetur negando antecedens : oppositum enim satis constat ex dict. n. 62 et 65, et Navarri judicio opponendum est judicium Suarii asserentis non solum dari hujusmodi præceptum, sed quod de ejus in Ecclesia existentia dubitari non potest, ut num. 62, expendimus. Ad confirmationem respondemus jam satis in superioribus ostensam fuisse radicem, ex qua provenit, quod ministrans ex officio sacramenta, si in peccato existat, graviter peccat, nempe quia se exhibet publicum Christi, et Ecclesiæ ministrum in ordine ad rem gravissimam, cujusmodi est sacramentum : atque ideo debet sancte se gerere in tali administratione, et cum conformitate ad Christum, cujus vices agit, et ad res sacras, quas exequitur : quod plane minime facit, quando existens in peccato ministrat: et subinde violando prædictum debitum, et inordinate agendo graviter peccat. Hoc vero motivum minime occurrit in peccatore eliciente virtutum opera : quia illa non elicit ut Christi minister, sed proprio nomine, nec ad id habet specialem aliquam consecrationem : quare illa eliciendo non peccat, sed magis ad justitiam disponitur. Quam differentiam optime assignavit D. Thom. in hoc artic. 6 in resp. ad 1, his verbis : « Dicendum, quod opera charitatis « non sunt aliqua consecratione sanctificata : sed ipsa pertinent ad justitiæ sanctitatem, sicut quædam justitiæ partes. « Et ideo homo, qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit justus, « amplius sanctificatur : si vero sit peccator, per hoc ad justitiam disponitur. Sed « sacramenta in se ipsis sanctificationem « quandam habent per mysticam consecrationem: et ideo præexigitur in ministro sanctitas justitiæ, ut congruat suo « ministerio. Et ideo incongrue agit, et « peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat. » D. Tho.

72. Arguitur secundo : quia minister non consecratus, aut ministrans non ex officio non peccat graviter, licet in statu peccati ministret, ut in secunda assertione statuimus : ergo idem dicendum est de ministro consecrato, et ministrante ex officio, quamvis existens in peccato ministret. Probatur consequentia : nam obligatio, si quæ est, ministrandi sacramenta in gratia, debet oriri ex ipsa sanctitate sacramentorum, et Christi principalis agentis, et ex reverentia illis debita : sed hanc non minus exhibere debet minister non consecratus, quam consecratus ; siquidem uterque rem sanctam ministrat, et agit in virtute Christi principaliter agentis : ergo si minister non consecratus non peccat graviter, licet sacramenta in statu peccati ministret, ut concedimus ; sequitur idem dicendum esse de ministro consecrato ministrante in statu peccati. Secundum argumentum.

Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cujus probationem satis constat ex dictis num. 65 et 66, nam fundamentum asserendi grave peccatum in ministro consecrato, atque ex officio, aut solemniter ministrante si in peccato ministret, stat in eo, quod consecratus, atque ex officio agens exhibet se publicum Christi, et Ecclesiæ ministrum, in ordine ad rem sanctissimam, nempe sacramentum : quare gravem Christo, Ecclesiæ, et sacramentis injuriam irrogat, nisi sancte agat, et per conformitatem ad illa. Hoc autem motivum non occurrit in ministro non consecrato, et in consecrato ex officio non agente : quia Solutio.

licet rem sanctam attingant, non tamen ex officio, et se exhibendo Christi ministros, sed solum per accidens, et ut subveniant necessitati : unde non agunt contra reverentiam Christo, et sacramentis debitam, ut recte significavit D. Thom. in resp. ad 3, illis verbis : « Minister consecratus in « articulo necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus « baptizare : sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. » Quæ differentia facile declaratur exemplo ejus, qui ex peculiari officio servit regi ; si namque obsequium exhibeat absque cultu, et insignibus ministerio proportionatus, regem offendit : et illius, qui non est specialis regis famulus : hic enim licet in aliquo casu per accidens regi sine illo cultu serviat, in regem non peccat : et idem contingeret in propriissimo regis famulo, si in urgenti aliqua necessitate ipsi subveniret, non quidem ut famulus, sed ut alius quivis.

D. Tho.

Tertium argumentum.

73. Sed insistes (et sit tertium argumentum) : nam si præmissa a nobis doctrina vera est, sequeretur eum, qui suscepit sacramentum, et characterem confirmationis, si existens in peccato mortali fidem publice, et coram tyranno confiteatur, peccare mortaliter : consequens est falsum, et contra communem apprehensionem : nemo enim est, qui censeat hunc magis peccare, quam alius in eadem hypothesi, qui confirmatus non sit : ergo præmissa a nobis doctrina vera non est, corruitque fundamentum assertionis. Sequela probatur : nam confirmatus confitetur publice, et coram tyranno fidem ut minister Christi, habens pro hoc munere specialem consecrationem, sive characterem, cui debentur auxilia specialia, juxta superius dicta disp. 4, dub. 9; hæc autem est ratio, ob quam dicimus ministrum consecratum, et ministrantem ex officio peccare mortaliter, si in statu peccati ministret : ergo si verum affirmamus, dicere debemus confirmatum in casu proposito graviter peccare. Confirmatur : quia ex eadem radice inferretur diaconum, subdiaconum, et omnes clericos minorum ordinum peccare graviter, si sua ministeria exerceant in statu peccati ; siquidem sunt ministri Christi, agentes ea munia ex speciali consecratione. Consequens autem apparet falsum, et nimis durum.

Confirmatio.

Respondetur ad replicam, sive argumentum negando sequelam. Ad cujus probationem dicendum est nos non probare ministrum consecratum, et ex officio ministrantem peccare mortaliter, si in peccato ministret, ex eo præcise, quod minister sit, et publice agat, sed quia conficit sacramentum, rem scilicet gravissimam, et sanctam, in qua debet splendere sanctitas tam agentis principalis, quam ministri, ut ministri. Et rursus non probamus ministrum graviter in ea suppositione peccare, ex eo præcise, quod rem gravissimam, et sanctam efficiat, sed quia ob specialem consecrationem agit eam ut publicus Christi, et Ecclesiæ minister. Requiritur itaque ad completam malitiam peccati gravis in eo casu committendi utriusque requisiti concursus, nempe et quod minister sit consecratus, atque ex officio ministrans ; et quod efficiat sacramentum, aut saltem sacramenti partem. Et quodlibet horum deficiat, non adest fundamentum sufficiens, ut dicamus ministrum graviter peccare : quia nec adest motivum fundandi gravem inordinationem, ob quam diximus ministrum consecratum graviter delinquere si ex officio, sive solemniter sacramentum in statu peccati conficiat. Confirmatus autem licet habeat consecrationem, sive characterem ad confitendum publice, et tanquam Christi minister ejus fidem ; nihilominus hac sua confessione nullum sacramentum efficit, nec aliquid simile grave, aut sacrum, in quo operando, si existit in statu peccati, gravem aliquam irreverentiam, aut inordinationem committat. Quare non peccat, licet fidem in eo statu confiteatur, sed magis *per hoc ad justitiam disponitur*, ut de peccatoribus elicientibus virtutum opera inquit D. Thom. num. 71, relatus. Et hinc etiam patet ad confirmationem. Negamus enim sequelam (quantum est ex vi motivi, aut fundamenti hactenus a nobis propositi): quia diaconus, subdiaconus, et alii clerici minores nullum conficiunt suis ministeriis sacramentum, aut sacramenti partem. Et ideo licet agant ex officio, sive speciali consecratione; nihilominus ex vi hujus non peccant graviter ministrando in statu peccati. An vero attentis omnibus sit ita asserendum, infra num. 77, constabit.

Disp... lunt...

D. T...

74. Contra secundam nostrarum conclusionum sentiunt Navarrus *de pœnitentia* distinct. 5, cap. 1, § *Sacerdos*, Petrus de Ledesma *de matrimonio* quæst. 42, articul 3, ad

Secu... sen... ti... con... r... Nav... Led...

ad ultimum, Vazquez disput. 136, cap. 3, Basilius Pontius libro 1, *de matrimonio*, cap. 8, num. 11, Lugo disput. 8, section 9, num. 150, Castro Palao tom. 4, tract. 18, disput. unica, punct. 5, Ochagavia quæst. 19, num. 6, Hurtado disput. 4, difficult. 9, Bernal disp. 17, section. 6, § 1 et alii. Qui non constituunt differentiam inter ministrum non consecratum, et consecratum, nec inter ministrum consecratum agentem solemniter, et consecratum non solemniter agentem, quantum ad obligationem existendi in statu justitiæ, ut ministrent sacramenta : sed generaliter docent omnes cujuscumque conditionis ministros per se loquendo peccare mortaliter, si sacramenta in statu peccati ministrent. Excipiunt tamen casum per accidens urgentis alicujus necessitatis, in quo eorum plures docent non peccare mortaliter ministrum ministrantem in peccato, licet consecratus sit, ut vidimus num. 67, et eorum motivum quantum ad hanc exceptionem diluimus num. 68. Unicum autem, aut præcipuum hujus opinionis fundamentum est : quoniam omnis minister sacramentorum, si valide illa ministrat, agit ut minister Christi, et ex institutione Dei : ergo minister hujusmodi se exhibet in conficiendo sacramenta ut ministrum Christi : ad id autem requiritur sanctitas, et conformitas cum principali agenti : ergo qui illam non habet, sed est in peccato, peccat mortaliter conficiendo sacramenta. Confirmatur : quia reverentia in hac materia debita est non propter ministrum, sed propter sacramentum : sed sacramentum est idem a quocumque ministretur, ut patet in baptismo : ergo sive minister sit consecratus, aut non, et sive sit homo, aut fœmina; peccat graviter per se loquendo, si in statu peccati ministret.

Sed hæc, et similia, quæ pro hac opinione possent expendi, satis convulsa fuerunt in superioribus, ubi explicuimus notabilem differentiam inter eum, qui agit ut minister consecratus, et ex officio, et illum, qui vel consecratus non est, vel licet consecratus sit, agit tamen non ut consecratus. Prioris namque irreligiositas redundat in agentis principalis injuriam, quia minister se exhibet ejus ministrum, et ex modo agendi manifestat agentem principalem non esse sanctum : quod in posteriori aliter contingit ob oppositam rationem. Quare ad argumentum respondetur, quod licet omnis ministrans sacramenta sit re ipsa minister Christi juxta institutionem Dei : nihilominus solus minister consecratus, et ex consecratione agens agit formaliter ut proprius Christi minister secundum specialem pro suo ministerio consecrationem : alter vero, qui vel consecratus non est, vel ex consecratione non influit, non concurrit formaliter, et per se ut minister, sed solum per accidens ob sacramenti necessitatem in alio. Unde quod hic ultimus minister non sit sanctus, nec est gravis inordinatio, nec affert principali agenti specialem injuriam: quippe qui ita ministrat, ut tamen non se exhibeat formaliter, et per se Christi ministrum : sicut regis legatus non cuncta agit ut legatus regis, sed ea tantum, ad quæ per se destinatur, et ideo si in aliis minus graviter se gerat, non propterea regem graviter offendit. Ex quibus patet ad confirmationem : nam quod minister sacramentorum debeat esse sanctus, non fundatur præcise in reverentia sacramentis debita, sed etiam, aut magis in ipsa repræsentatione ministri agentis per modum ministri Christi, et Dei : quare ad regulandum gravitatem inordinationis in ministrando sine sanctitate, attendere debemus non solum ad sacramentum, quod fit, sed etiam ad ministrum, qui facit, sive ad sacramentum non absolute sumptum, sed cum respectu ad ministrum. Et ideo licet sacramentum sit entitative idem in specie ; tamen cum fit solemniter, sive a ministro consecrato ut consecrato; petit fieri magis reverenter, sive cum sanctitate ex parte ministri. Quod debitum non urget, quando minister non concurrit formaliter ut minister, sed per accidens, et non repræsentando specialiter suum ministerium, et in eo sanctitatem principaliter agentis.

§ IV.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

75. Hactenus diximus de principali actione, quam sacramentorum ministri exercent, nempe conficere sacramenta. Superest, ut dicamus de aliis actionibus, quæ hujusmodi terminum non attingunt, sed vel ipsum concernunt, vel ad ipsum disponunt, unde petunt sancte, et reverenter fieri : uti se habent ministratio Eucharistiæ, confectio sacri olei, et chrismatis, exer- Extensio ad alias difficultates.

citium ordinum inferiorum ad sacerdotium, et similia : de quibus agunt communiter Doctores in præsenti. Videndum itaque est, utrum ministrer habeat gravem obligationem exercendi hujusmodi actiones in statu gratiæ, ita quod si existens in peccato ad eas concurrat, peccat mortaliter. Quod enim opposito modo se gerens peccet saltem venialiter magis, aut minus graviter intra venialis latitudinem, omnes supponunt, et quidem merito : quia cum omnia hujusmodi sancta, et sacra sint, debent sancte, et religiose tractari ; unde oppositus modus nequit non esse inordinatus, et malitiam aliquam importare. Est itaque difficultas circa quantitatem peccati : potest tamen haud obscure resolvi juxta doctrinam superius traditam.

Duo notabilia. Sed prius oportet ei addere duo satis certa. Primum, quod ubi certo, aut valde probabiliter non constat de præcepto, non est facile inducenda obligatio sub peccato mortali : est enim hæc obligatio valde gravis, et subinde exigens notabile fundamentum ut asseratur. Secundum, quod ministrare sacramenta est proprie loquendo conficere sacramenta ; et similiter proprie loquendo ille solus dicitur minister sacramentorum, qui sacramenta conficit. Quare licet detur aliquod præceptum circa sacramentorum administrationem, et ministrum, non debet facile extendi ad actiones, et personas, quæ non conficiunt sacramentum ; licet illa aliqualiter, vel aliquod aliud sacrum attingant. Sed tamen ubi præceptum positivum non adest, attendere oportebit ad qualitatem materiæ, ut ex ejus gravitate dijudicemus gravitatem inordinationis. Et plane ubi occurrat vel contemptus, vel scandalum notabile ; ex hoc ipso committeretur grave peccatum, sicut in aliis generaliter contingit. Cæterum ab his ut accidentalibus in præsenti abstrahendum est, considerando præcise inordinationem repertam in eo, quod quis existens in statu peccati exerceat actiones sacras, de quibus agimus. His, quæ generalia sunt ad omnes casus statim referendos, præsuppositis.

Dubium I circa prædicationem Evangelii. 76. Dubitari potest primo, utrum prædicare Evangelium in statu peccati sit peccatum mortale ? Affirmant Paludanus in 4, dist. 19, quæst. 3, art. 3, Angelus verbo *Prædicator*, Cajetanus 2, 2, quæst. 181, art. 1, et in præs. art. 6, § *Hanc doctrinam*, et alii. Et quod plus est sic docuisse videtur D. Thom. in 4, dist. 19, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 2 ad 4, his verbis : « Eorum, « qui docent Sacram Scripturam, est idem « finis, et eorum, qui Sacram Scriptu- « ram ediderunt. Unde cum ad hoc ordi- « netur Scripturæ editio, ut ad vitam æter- « nam homo perveniat, ut patet Joann. « 10, quicumque impedit finem doctrinæ « docendo peccat. Impedit autem, qui Sacram « Scripturam in peccato docet : quia ore « profitetur se nosse Deum factis autem « negat. » Et probatur ratione : quia prædicare Evangelium est actus ordinis, si non ex jure divino, saltem ex præcepto Ecclesiæ prohibentis laicos prædicare, ut patet in cap. *sicut in uno, de hæreticis* : ergo qui in statu peccati mortalis prædicat Evangelium, committit inordinationem contra dignitatem ordinis : quod est sacrilegium, atque ideo ex genere suo peccatum grave.

Aliquorum opinio. Palud. Angel. Cajet. D. Th.

Vera sententia. Sed communis, et vera sententia est prædicantem in statu peccati per se loquendo (hoc est secluso scandalo ob notorietatem peccati publici) non peccare mortaliter. In quam sententiam descendit tandem Cajetanus in summa, verbo *Prædicatorum peccata*. Et suadetur tum quia prædicans nullum conficit sacramentum. Tum quia nullum extat præceptum id prohibens. Tum quia materia non est adeo gravis, ut inferat grave peccatum ex objecto : alias non minus graviter peccaret, qui Sacram Scripturam, aut Theologiam scriptis, et commentariis doceret existens in peccato mortali. Tum denique quia peccatoris oculti prædicatio potest esse fructuosa, ut optime notavit Soto : sicut pictor potest pingere imaginem maxime excitantem ad devotionem, licet ipse maximus peccator sit. Nec D. Thom. contrarium docuit, sed solum peccare : ad quod sufficit culpa aliqua venialis, et levissima propter aliqualem inordinationem actionis. Nec oppositum fundamentum aliquid evincit : nam licet concederemus prædicationem Evangelii esse actum ordinis, non inde colligeretur intentum : nam actus ordinis, qui non conficit sacramentum (uti se habet prædicatio), non sic exposcit statum gratiæ in subjecto, quod illum exercere in statu peccati sit grave peccatum, ut infra videbimus. Sed re vera prædicatio non est actus ordinis : quamvis enim Ecclesia justis de causis eam laicis prohibuerit tum capit. citato, tum in Concilio Lateranensi sub

Cajetan.

sub Leone X, sess. 10, tamen id non est interdictum jure divino ; quin et Ecclesia potest oppositum disponere, ut proportionabiliter disposuit indulgendo, quod Religiosi Societatis Jesu nullis sacris ordinibus insigniti, sed cum sola prima tonsura queant verbum Dei populis prædicare, ut constat ex Bulla Gregorii XIII, incipiente, *Vigore*, 20 Februarii, anni 1584, apud Suarium tom. 4, *de religione*, lib. 9, cap. 1, et Cherubinum tom. 3, bulla 95. Addimus plura esse, quæ non possunt nisi a clericis saltem decenter fieri : et tamen quod a peccatoribus fiant, non est grave peccatum, ut patet in excommunicatione, absolutione, a censuris, concessione indulgentiarum, benedictione sacrarum vestium, et in similibus : in quibus exequendis non peccant graviter clerici, licet exequantur in statu peccati, ut tenet communis sententia. Idem itaque dicendum est de prædicatione Evangelii, licet debeat a clerico fieri.

77. Secundo dubitari potest, an diaconus, et subdiaconus peccent mortaliter, si existentes in peccato ministrent solemniter in altari? Et affirmant B. Albertus, D. Antoninus, Sylvester, et Navarras, quos refert, et sequitur Prado dub. 4, § 7, num. 88, Sylvius quæst. 1, concl. 5, Cabrera disp. 1, § 6, Gonet disp. 6, art. 4, num. 110, Joannes de Medina *cod. de pœnitentia*, tract. 1, quæst. 6, Sayrus lib. 2, cap. 7, quæst. 2, Labat disp. 1, dub. 7, § 3, illatione 2, et alii. Quod probant primo ex Apostolo 1, ad Timotheum 3, dicente, *Diaconos similiter pudicos etc. Et sic ministrent nullum crimen habentes :* si ergo cum crimine, aut conscientia gravis peccati ministrent, peccant graviter. Secundo ex Gregorio IX, loco relato num. 92, ubi agens de omnibus clericis peccatoribus occultis docet « obtestandos « sub interminatione divini judicii, ut in « testimonium suæ damnationis in susceptis ordinibus non ministrent : » si ergo tales ministrent incurrunt interminationem divini juducii, quod absque gravi culpa non contingit. Tertio quia prædicti exercent suum ministerium ex speciali consecratione, et quamvis non conficiant sacramentum : exequuntur nihilominus actiones sacramentales, proxime respicientes sacramentum Eucharistiæ : ergo gravem inordinationem committunt, si ministrent in peccato.

Sed probabiliorem censemus sententiam contrariam, quæ id negat. Ita ex Thomistis Soto in 4, distinct. 1, quæst. 5, art. 6, § *Quocirca*, Serra, art. 6, dub. 1, Ruyz dub. 3, concl. 2, Victoria, et Martinus de Ledesma, quos refert, et sequitur Granados controvers. 3, tract. 5, disput, 5, num. 7, N. Franscicus, cap. 7, punct. 11, num. 104, et alii. Idem etiam docent Suarez disp. 16, sect. 3, Vazquez disp. 136, cap. 4, Valencia disput. 9, punct. 4, Villalobos tom. 1, tract. 4, difficult. 10, num. 7, Diana part. 3. tract. 4. resolut. 195, cum seq. Coninkus in præs. dub. 1, num. 38, Aversa, section. 4, § *Sed in universum*, Mascarenhas disput. 3, capit. 9, num. 154, Dicastillo disput. 3, dub. 10, num. 217, Bonacina, Bernal, et alii apud istos. Fundamentum est : quoniam prædicti ministri exercendo solemniter ea ministeria nullum sacramentum conficiunt : unde omnia, quæ vel ab auctoritate, vel ex ratione supra § 1, expendimus, istos ministros non tangunt. Quare ad dijudicandum, an et qualiter peccent, attendere oportet ad irreverentiam, quam in ministrando committunt. Hæc autem tanta non apparet, ut fundet grave peccatum. Accedit non esse adstruendam obligationem sub peccato mortali, nisi occurrat certum præceptum, aut grave, et æquivaleus motivum. Quæ in præsenti casu non adesse constat facile solvendo contraria. Nam ad primum respondetur ea Apostoli verba non continere præceptum grave, sed consilium : idque ex eo liquet, quod non loquitur præcise de ministerio diaconi in altari, sed in aliis etiam functionibus ; in quibus tamen omnes concedunt non peccare mortaliter, licet in peccato ministret. Ad secundum respondetur ea verba Gregorii non continere novam legem positivam, sed explicare naturalem, et accipienda esse cum distributione accommoda ad ministros, et ad qualitatem ministerii ; siquidem ad omnes clericos referuntur : quare respectu sacerdotis declarant gravem obligationem non ministrandi in peccato, eisque in prædicto sensu usi fuimus num. relato. Cæterum sicut certum est, quod in clericis minorum ordinum non inducunt gravem obligationem, ut omnes concedunt ; sic etiam nec in diacono, et subdiacono : commune quippe illis, et istis est quod licet agant ex officio, et consecratione, concurrantque ad actiones sacramentales, nihilominus non conficiunt sacramenta. Unde patet ad

Probabilior opinio.

Soto. Serra. Ruyz. Victor. Ledesm. Granad. N. Fran. Suarez. Vazq. Valenc. Villalob. Diana. Coninck. Aversa. Dicastil.

Diluuntur opposita.

tertiam : concesso namque antecedenti, neganda est consequentia : absolute namque in eo, quod peccator serviat in altari, et in ordine ad Eucharistiam, non occurit irreverentia admodum gravis, quæ inducat mortale peccatum : nec malum adeo ingens affirmari debet absque ingenti fundamento.

Explicatur D. Thom. 78. Majus negotium facessere nobis posset testimonium D. Thomæ in 4, distinct. 24, quæst. 1, artic.3, questiunc. 5, in corp. ubi ait : « Dicendum, quod lex præcipit, ut « homo juste ea, quæ, sunt justa, exequa« tur. Et ideo quicumque homo, quod sibi « competit ex Ordine, facit indigne, quod « justum est, injuste exequitur, et contra « præceptum legis facit, ac per hoc morta« liter peccat. Quicumque autem cum pec« cato mortali aliquod sacrum officium per« trectat, non est dubium, quin indigne il« lud faciat : unde patet, quod mortaliter « peccat. » Et eodem modo loquitur in responsionibus argumentorum, et præcipue ad quartum. Diaconus autem, et subdiaconus, qui existentes in statu peccati mortalis exercent sua ministeria serviendo in altari, exequuntur injuste, et indigne suum ministerium, ad quod ex ordine deputantur : ergo ex mente D.Thom. peccant mortaliter : et non possumus oppositum statuere, nisi agendo contra manifestam ejus sententiam.

Sed ipsa tam universalis Div. Thomæ resolutio nos docet accipiendam non fore cum perfecta distributione ad singula Ordinum ministeria : alias qui existens in statu peccati exequeretur ministerium aut officium cujuscumque Ordinis inferioris, peccaret mortaliter : quod tamen communiter negant vel illi Auctores, contra quos agimus, ut num. seq. videbimus. Sicut igitur incredibile est Div. Thomam sensisse Ostiarium v. g. peccare graviter, si existens in peccato exerceat suum ministerium reserando, quæ sub clavibus Ecclesiæ recluduntur, et Acolytum peccare mortaliter, si existens in peccato ministret urceolum : sic etiam non est credendum, quod eo loco docuerit diaconum, et subdiaconum peccatores committere grave peccatum, dum sua ministeria exequuntur : quippe S. Doctoris motivum, et verba generalia sunt, et non magis determinant diaconum, et subdiaconum, quam alios ministros consecratos. Sensus itaque est peccatum ejus, qui in peccato existens exequitur actum proprii ordinis, esse ex genere suo mortale, sive grave, quia importat aliquam irreverentiam Dei. Sed intra prædictum genus potest dari materia gravis, et levis juxta quantitatem irreverentiæ. Et quia exercere actum ordinis sacerdotalis consecrando, absolvendo etc. in statu peccati importat irreverentiam notabilem, ut § 1 ostendimus ; ideo in hujusmodi administratione committitur peccatum mortale. In eo autem, quod existens in peccato mortali exerceat actus diaconatus, et subdiaconatus, non committitur notabilis irreverentia, ut diximus num. præcedenti, et propterea peccatum commissum in tali administratione mortale non est. Sicut etiam furtum ex genere suo est grave peccatum ; et tamen furtum unius pomi tale non est. Et in hoc sensu loquitur D. Thomas. Cujus et auctoritas, et motivum probant diaconum, et subdiaconum in peccato ministrantes peccare saltem venialiter : quod immerito, et contra communem sententiam negat Vazquez disp. 136, cap.4, n.46, a suis etiam impugnatus, ut videri potest in Bernal disp. 7, sect. 7, num. 155. Reji turVa[...]

79. Ex qua resolutione a fortiori colligitur clericos minorum ordinum exercentes in statu peccati sua ministeria non peccare mortaliter. Hæc est communis sententia, quam docent Auctores nu. 77, pro utroque dicendi modo relati. Quam probat Sylvius loco cit. concl. 6, quia non constat tales ordines esse sacramenta. Sed probatur melius, quia licet sacramenta sint, et ministri speciali consecratione agant suas functiones : nihilominus nec conficiunt sacramenta, nec propinqui sunt sacramento altaris : unde illorum officia sunt quid imperfectum in genere sacri ministerii. Quare nulla occurrit gravis inordinatio, aut irreverentia in eo, quod in statu peccati ministrent. Aliunde vero non occurrit præceptum positivum id sub culpa mortali prohibens. Unde etiam sequitur omnes prædictos clericos tangentes pro suo munere res sacras, ut vestes, corporalia, vasa, calicem, et hujusmodi, non peccare mortaliter, licet in peccato sint. Quoniam tactus hujusmodi non est exercitium ordinis, nec confectio alicujus sacramenti. Aliude vero nimis scrupulosum foret ponere circa hæc tam gravem obligationem, ut recte observant Camerota cap. 2, dub. 1, Sayrus lib. 2, cap. 7, q. 2 art. 1, Sotus, Suarez, et Valencia, quos refert, et sequitur

Comn ne cc secta um ci alios nistr[...] Camer Sayru Sotus

tur Dicastillo disput. 3, dub. 10, num. 217.

80. Tertio dubitari potest, an Episcopus existens in peccato, quando conficit chrisma, quod est materia confirmationis, et benedicit oleum, quod est materia Extremæ unctionis, peccet mortaliter? Affirmant Lugo disp. 8, sect, 9, num. 156, Gonet disp 6, art. 4, Labat disp. 1, dub. 7, § 3, corollario 1, N. Philippus disput. 8, dub. 6, in resp. ad 2, et alii. Moventur . quia licet per hujusmodi consecrationem, et benedictionem non fiant sacramenta Confirmationis, et Extremæ unctionis; incipiunt tamen fieri; siquidem sit materia proxime apta ad prædicta sacramenta: ergo prædictæ actiones tanquam sacramentales, et valde sanctæ exigunt sanctitatem in ministro. Petunt etiam fieri ex consecratione in summo gradu ordinis, qui est Episcopatus: et aliunde exerceri solent, et debent cum magna solemnitate. Unde nequit non esse magna inordinatio, et culpa, quod Episcopus eas functiones exerceat in statu peccati.

Sed magis probamus negativam sententiam, quam defendunt Villalobos, Suarez, Granados et Bernal, quos, refert, et sequitur N. Franciscus loco cit. n. 101, Coninckus, Heredia et Diana, quos refert, et sequitur Aversa in præs. sect. 4, § *Sed in universum.* Dicastillo ubi supra num. 217, et alii. Fundamentum est, quod hactenus proposuimus. nempe Episcopum conficientem chrisma, et benedicentem oleum non conficere aliquod sacramentum, aut sacramenti partem: chrisma namque, et oleum non sunt materia proxima confirmationis, et extremæ unctionis, sed solum remota (proxima enim in ipsa actuali unctione consistit): ergo licet conficiens ex officio sacramentum in statu peccati peccet mortaliter, non tamen Episcopus eas functiones exercens: et quæ pro priori illo casu expendimus, hunc secundum non comprehendunt. Quare recurrere oportet ad materiæ gravitatem, quæ tanta non apparet, ut fundet peccatum mortale, ut de ministeriis ordinum inferiorum ad sacerdotium supra diximus. Idque liquet diluendo motiva contraria: nam quod prædictæ functiones debeant fieri per ministrum consecratum, agentem secundum gradum supremum ordinis, et illas exequentem cum magna solemnitate, rem plane non evincit: nam actus absolvendi publice populos a censuris, et interdicto, solet ita fieri, et procedere ex eadem consecratione; et tamen peccatum mortale non est, quod quis ita absolvat existens in statu peccati. Probant autem, et satis urgenter evincunt prædicta motiva Episcopum ita se gerentem committere peccatum veniale; et quidem satis notabile in sua linea. Hic vero observandum est decipi Dianam supra relatum, cum ultra limites progressus affirmat part. 8, tract. 6, resol. 67, Episcopum conferentem ordines minores in statu peccati non peccare mortaliter; eo quod ipsi clerici minorum ordinum non peccant graviter, licet suas functiones in prædicto statu exerceant, ut diximus num. præcedenti. Sed adest manifesta disparitas: nam clerici exercentes eas functiones nullum sacramentum conficiunt: Episcopus autem conferendo minores ordines conficit ex officio verum sacramentum, ut docet communissima, et verissima sententia: atque ideo si in peccato conferat prædictos ordines, peccat graviter, ut in prima conclusione statuimus. Nota contra Dianam

81. Colligitur autem a fortiori ex præmissa resolutione Episcopum in peccato existentem non peccare graviter exequendo alia munia præcedentibus inferiora, licet habeat pro illis specialem consecrationem, utputa conferendo primam tonsuram, benedicendo solemniter populum, et vestes sacras, consecrando templa, altaria, calices, et similia, proferendo sententiam contra Ecclesiasticos, excommunicando, absolvendo ab excommunicatione, concedendo indulgentias, conficiendo sacramentalia etc. Ita sentiunt communiter Doctores, et nominatim Suarez, Soto, Nugnus, et Bonacina, quos refert, et sequitur N. Franciscus loco cit. num. 105. Et facile ostenditur: tum quia nihil horum est verum sacramentum, nec sub prima assertione comprehenditur. Tum quia minor inordinatio, atque irreverentia occurrit in eo quod Episcopus existens in peccato has omnes functiones exerceat, quam in eo, quod consecret, ac benedicat chrisma, et oleum: cum ergo Episcopus existens in peccato mortali, et hæc conficiens non peccet mortaliter, ut num. præcedent. statuimus; sequitur idem a fortiori dicendum esse, quando præcise concurrit ad sacramentalia proxime relata. Consectarium. N. Fran.

82. Quarto dubitari potest, an qui exis-

Dubium quartum. tens in statu peccati sacramentum Eucharistiæ præconsecratum alteri ministrat, committat peccatum grave? Negant Nugnus in præs. art. 6, concl. 2, Petrus de Ledesma tract. 1, cap. 6. concl. 8, Martinus de Ledesma in 1, part. 4, quæst. 5, art. 6, dub. 3, Joannes a Cruce quæst. 4, dub. 3, N. Franciscus tract. 1, cap. 7, punct. 11, num. 100, pro eadem sententia referens Sylvium, et Cabreram. Idem etiam docent Henricus quodlib. 6, quæst. 30, Vazquez disput. 136, num. 38, Lugo disp. 8, sect. 9, num. 155, Bernal disp. 17, sect. 6, § 3, et alii, quos refert, et sequitur Diana 2, part. tract. 14, resolut.23. Quod probant primo, quia ministrans Eucharistiam præconsecratam non conficit sacramentum, nec causat gratiam in alio; sed præcise applicat sacramentum gratiæ causativum: ergo in hac nuda administratione cessant motiva, propter quæ D. Tho. et alii in præsent. artic. 6, affirmant peccatorem ministrantem, idest, conficientem sacramenta, peccare mortaliter. Secundo, nam ut peccator in ministerio sacramentorum peccet mortaliter, requiritur et quod consecratus sit, et quod exerceat actionem sacramentalem: sed hoc ultimum non salvatur in præsenti casu; quippe ministrans Eucharistiam prius confectam, nullam exercet actionem sacramentalem; siquidem solum defert, et applicat sacramentum præexistens: ergo quamvis illud ministret in peccato, non peccat mortaliter. Tertio, nam peccatores tangentes Christum in propria specie, cum erat in carne mortali, aut ulnis, ipsum, cum puer esset, deferentes non peccabant mortaliter: ergo non peccant mortaliter ministri peccatores Christum sub specie sacramenti deferentes, et communicantibus ministrantes: id enim paritatis ratio a fortiori convincit. Quarto, quia ex opposito fieret ministrum peccatorem, qui toto mane distribuit continuo communicantibus innumerabiles hostias, committere innumerabilia peccata mortalia, tot scilicet, quot sunt personæ, quibus Eucharistiam porrigit: consequens apparet durissimum, et incredibile: ergo sicut distribuendo pluribus non committit plura peccata mortalia, sic etiam non peccat mortaliter, si uni tantum distribuat.

Aliquorum sententia. — Nugnus. Uterque Ledesm. Joann. a Cruce. N. Fran. Henric. Vazq. Lugo. Bernal. Diana. — Plura hujus sententiæ motiva.

Probabilior resolutio. Affirmativam tamen sententiam omnino præferendam censemus, ut probabiliorem, et longe congruentiorem dignitati augustissimi sacramenti. Illam tuentur ex Thomistis Paludanus, et Soto in 4, dist. 13, quæst. 1, artic. 3, Sylvius in præs. quæsito 1, concl. 4, Cabrera disput. 1, § 5, (Quos duos minus recte allegavit N. Franciscus pro sententia contraria, cum teneant expresse nostram, addatque Cabrera illam esse « probabiliorem, et securiorem, et communiorem.) » Prado dub. 4, § 7, num. 78, Gonet disput. 6, artic. 4, num. 109, Contenson dissert. 1, cap. 2, in corollariis fol. 151, N. Philippus disput. 8, dub. 4, in 3 part. conclusionis, et alii. Idem etiam tuentur Ricardus in 4, dist. 13, artic. 1, quæst. 3, Sayrus lib. 2, cap, 7, quæst. 1, artic. 5, Suarez disput. 16, sect. 4, circa finem. Valencia, Coninckus, Filliutius, et Villalobos, quos refert Diana loco cit. Bonacina disput. 1, quæst. 3, puncto 2, § 1, Trullench lib. 1, cap. 3, dubio 3, num. Granados tractat. 5, disp. 5, num. 2, Castro Palao tom. 4, tract. 18, disput. unica, punct. 5, Reginaldus lib. 29, num. 56, Camerota cap. 2, dub. 3, et alii plures. Unde Discastillo disput. 3, dub. 10, num. 236, licet utramque sententiam problematice sustineat, fatetur tamen, quod pro nostra stant gravissimi Auctores, et quod illam docuisse videntur omnes Scholastici in 4, dist. 13. Probatur primo ex D. Thom. in præs. artic. 6, ubi ait: « Non est dubium, « quin mali exhibentes se ministros Dei, « et Ecclesia in dispensatione sacramen- « torum peccent.» Constat autem, quod sacerdos ministrans Eucharistiam præconsacratam propriissime se exhibet ministrum Dei, et Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum: siquidem dispensatio proprie dicta non solum dicitur de prima sacramenti confectione, sed etiam de distributione illius: quamvis intersit discriminis, quod alia sacramenta utpote consistentia in usu eadem actione fiunt, et dispensantur, sive applicantur; Eucharistia vero, quia est sacramentum permanens, potest fieri per unam actionem, et applicari, sive dispensari postea per aliam, dispensatione utique propriissime dicta. Ergo ex sententia D. Thomæ non est dubium, quod sacerdos malus, sive peccator exhibens se ministrum Dei, et Ecclesiæ in dispensando aliis sacramentum Eucharistiæ peccat. Quo autem peccati genere, statim explicat D.Thomas subjungendo: « Et quia « hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei,

Paludan. Soto. Sylvius. Cabrera. Prado. Gonet. Conten. N. Phil. Ricard. Sayrus. Suarez. Valenc. Bonacin. Trul. Granad. Cast.Pal. Reginal. Camer. — Probatur ex D.Tho.

« Dei,et contaminationem sacramentorum, « quantum est ex parte ipsius peccatoris « (licet sacramenta secundum se ipsa in- « contaminabilia sint), consequens est quod « tale peccatum ex genere suo sit mortale.»

Idem Confirmatur ex eodem S. Doctore in 4, dist. 24, quæst. 1, artic. 3, quæstiunc. 5 ad 4, ubi loquens de ministro peccatore inquit : « Quicumque exhibet se in aliquo actu ut « ministrum Ecclesiæ mortaliter peccat; « et toties mortaliter peccat, quoties hunc « actum facit : quia ut dicit Dionysius 1, « cap. cælestis hierarchiæ, immundis nec « symbola, idest, sacra signa tangere fas « est.Unde qui tangunt res sacras quasi suo « officio utentes, peccant mortaliter.Secus « autem esset, si in aliqua necessitate ali- « quid sacrum contingeret, vel exequere- « tur, in illo casu, in quo etiam laicis « liceret : sicut si baptizaret in articulo « necessitatis, vel si corpus Christi in ter- « ram projectum colligeret. » Unde manifestum est D. Thomam sentire, quod aliquis contactus rei sacræ ab indigno ministro factus est peccatum mortale; nullus autem contactus rei sacræ potest cum majori improportione contingere, quam ubi indignus minister distribuit Eucharistiam.

Ratio D. Thomæ. 83. Deinde probatur ratione D. Thomæ in his testimoniis, quam possumus ad hanc formam reducere : nam sicut inordinatio quælibet in eo,quod homo facit, est aliquod peccatum ; ita notabilis inordinatio in re gravissima debet esse grave, sive mortale peccatum : quo principio § 1, ostendimus ministrum consecratum, qui existens in peccato conficit ex officio aliquod sacramentum, peccare mortaliter. Sed quod sacerdos peccator ministret sacram Eucharistiam, est inordinatio notabilis in re gravissima : quippe si attendamus ad principium talis actionis est minister consecratus, agens ex officio, sive speciali consecratione, atque ideo se exhibens ut publicum Christi, et Ecclesiæ ministrum : si vero attendamus ad terminum, est res sanctissima, nempe corpus Christi in sacramento, quod licet ea actione non fiat, illam tamen vere terminat, et per eam vere applicatur, ac si per ipsam fieret, ut in aliis sacramentis contingit : si denique ipsam actionem consideremus, est vere sanctificativa, sive ordinata ad sanctificandum, si non per modum efficientiæ, saltem per modum proximæ applicationis. Ergo sacerdos, qui in peccato existens ministrat Eucharistiam, peccat mortaliter. Et huc advocanda sunt omnia testimonia relata num. 61 ; nam si peccatum grave erat non solum conficere, sed et tractare sacramenta carnalia veteris legis cum immunditia carnis ; multo magis grave peccatum est tractare cum spirituali peccati immunditia sacramentum divinissimum legis gratiæ, in quo est realiter ipse Christus gratiæ auctor. Et si quis ex hac doctrina colligat pariter peccaturum mortaliter sacerdotem qui sacramentum Eucharistiæ portat de loco in locum ; distinguendum est : nam si illud deferat solemniter, et processionaliter, inficias non ibimus ob summam improportionem, et inordinationem quam in hac actione apprehendimus : si vero non deferat solemniter, sed privatim, ut cum mutatur de sacrario in sacrarium ex rationabili causa; negamus consequentiam ob oppositam rationem, quia scilicet tunc non occurrit inordinatio gravis, sed magis materiæ parvitas : ad quam differentiam, et prudentem æstimationem in his moralibus attendendum est.

Motiva autem contraria non urgent : nam ad primum respondemus, quod licet in isto casu sacerdos non conficiat sacramentum ; tamen vere dispensat, et applicat sacramentum : unde committit eandem proportionabiliter inordinationem, ac si sacramentum conficeret, ut proxime ostendimus. Et plane incredibile apparet, quod major sanctitas requiratur in ministro ad ungendum infirmum,quam ad reficiendum viatico, in quo puritatis, et vitæ auctor realiter continetur. Ad secundum respondemus eodem modo, quod licet ministrans Eucharistiam non exerceat actionem sacramentalem efficiendo sacramentum ; efficit nihilominus ex officio, et juxta consecrationem peculiarem, actionem sacramentalem dispensandi, et applicandi sacramentum. Ad tertium omisso antecedenti,negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est,quod peccatores tangentes,aut deferentes ulnis Jesum in carne mortali, id non præstabant ex officio, sive speciali consecratione, nec talis delatio erat actio per se ordinata ad sanctificationem aliorum : quare non se exhibebant ut ministros acturos cum conformitate ad Christum, nec ullam ex vi contactus, aut delationis com- Convelluntur motiva contraria

mittebant inordinationem. Oppositum autem omnino contingit in sacerdote ministrante Eucharistiam : quippe ab una parte agit ex officio, sive speciali consecratione ; et ab alia parte dispensatio sacramenti est actio sanctificativa per modum applicationis : unde ista peragens in peccato gravem inordinationem inducit, et graviter peccat. Et debilitas hujus motivi manifestatur ab excessu, quo probat : nam peccatores non solum contingebant corporaliter, sed etiam recipiebant corporaliter Christum in suis domibus, absque gravi peccato : et subinde producta similitudine peccatores poterunt non solum tangere, sed recipere sacramentaliter Christum, sine gravi nova culpa : id vero dicere est hæresis manifesta. Rationem autem differentiæ insinuat optime
Tho. D. Thomas infra quæst. 80, art. 4 ad 1, his verbis : « Dicendum, quod Christus in « propria specie apparens non exhibebat « se tangendum hominibus in signum spi- « ritualis unionis ad ipsum : sicut exhibe- « tur sumendus in hoc sacramento. Et « ideo peccatores eum in propria specie « tangentes non incurrebant crimen fal- « sitatis circa divina, sicut peccatores « sumentes hoc sacramentum, etc. » Ad probationem ultimam concedimus sequelam cum Bonacina, Possevino, Conincko, et aliis, quos refert et sequitur Prado ubi supra num. 84. Et consequentis doctrinam non magis duram, non magis incredibilem videmus, quam dicere (et est sententia communis), quod Episcopus, qui innumerabilibus ministrat in peccato sacramentum ordinis, committat innumerabilia peccata: sicut enim in qualibet ordinatione perficitur sacramentum, et est per accidens, quod succedat alia ; sic etiam in qualibet secularium communione perficit sacerdos actionem dispensandi Eucharistiam, et est per accidens (ipsi tamen voluntarium), quod ulterius in dispensando procedat

elli- ali- rum trina rig. ana And. 84. Unde a fortiori colligimus falsam omnino esse sententiam Emmanuelis Rodriguez *in Summa* cap. 44, num. 23, Diana 1 part. tract. 7, resolut. 43, N. Andreæ tract. 10, cap. 1, puncto 14, num. 182, et aliorum asserentium sacerdotem, qui in statu peccati excipit confessiones multorum successive, et absque notabili interruptione, non committere nisi unicum peccatum in genere moris : et consequenter satisfacere postea præcepto, et integritati confessionis, si dicat se administrasse sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali. Id, inquam, falsum prorsus reputamus, permisso etiam contra doctrinam proxime traditam, quod sacerdos peccator ministrans plures successive, et absque notabili discontinuatione sacramentum Eucharistiæ, non committat nisi unum peccatum in genere moris, et satisfaciat pro Confessione dicendo se Eucharistiam in peccato ministrasse, ut docet Nota.
idem Emmanuel *in Summa verbo Missa* cap. 249, et valde probabile reputat Trullench lib. 1, cap. 3, dub. 3, et nos esse probabile non negamus. Nam concurrentibus pluribus simul, vel successive immediate ad suscipiendum sacram communionem, ministratio Eucharistiæ censetur moraliter unum convivium, et una integra sacramenti distributio : ubi si ministrans in peccato existat, tota deformitas, sive inordinatio consistit in eo, quod ministret in peccato ; et de materiali, et peraccidens in ordine ad prudentem æstimationem se habere videtur, quod ministret uni, vel duobus, vel pluribus, ubi ad idem convivium accedunt : unde probabile apparet, quod sacerdos ita ministrans non committat nisi unum numero moraliter peccatum, quamvis actiones ministrandi sint entitative plures. Cæterum in casu, quo sacerdos existens in peccato absolvit successive plures, dantur plures simpliciter actiones distinctæ non solum in esse entis, sed etiam in genere moris: quippe conficiuntur plura numero sacramenta omnino completa, quæ non majorem unitatem habent in esse moris ad constituendum unum peccatum, quam plures fornicationes successive cum eadem commissæ : quare sicut istas agens committit plura simpliciter peccata, sic etiam ille, qui plures præstat absolutiones sacrilegas : et uterque consequenter debet illorum, et harum numerum explicare in confessione. Oppositum autem consectarium, et ob oppositum motivum probabile potest, ut proxime diximus sustineri circa sacerdotem, qui cum peccator sit, multis successive ministrat Eucharistiam : quamvis nos ut magis consequentem magis etiam probemus opinionem num. præced. relatam.

85. Quinto dubitari potest, utrum sacer- Dubium
dos existens in peccato peccet mortaliter, quintum.
si in hoc statu incipiat audire confessionem ? Et quidem si intentionem habeat conficiendi

conficiendi sacramentum, sive absolvendi in prædicto statu, manifestum est, quod peccat, ut constat ex doctrina tradita § 1. Unde dubium referendum est ad illum, qui ita incipit audire confessionem in eo statu, quod tamen habet propositum eliciendi contritionem priusquam absolvat: vel saltem ad illum, qui præscindendo ab una, et altera intentione, audit confessionem in peccato, et ante absolutionem conteritur.

Aliquorum placitum. Ludovic. de Ponte. Coriol. Suarez. In quo sensu affirmative respondent Ludovicus de Ponte tom. 4, de *Christiana perfectra.* 5, cap. 3, et Coriolanus de *casibus reservatis* 1 p. sect. 2, art. 1, n. 21, et in eandem sententiam inclinat Suarez tom. 4, in 3 p. disp. 18, sect. 1. Et potest ex eo suaderi, quod confessio est pars sacramenti pœnitentiæ; ergo sicut sacerdos in peccato ministrans peccat mortaliter conficiendo prædictum sacramentum, ita etiam concurrendo ad hanc ejus partem.

Melior resolutio. Sed supposito, quod sacerdos non prævideat, nec amplectatur periculum absolvendi in peccato, et quod ante absolutionem conteratur; probabilius censemus non peccare mortaliter, licet non solum incipiat audire, sed audiat integram confessionem. Quod *Enriq. Angles. Lugo. N. Fran.* etiam docent Enriquez lib. 6, cap. 18, Angles quæst ult. *de ministro sacrament.* artic. 5, post. 2, conclus. Lugo in præs. disput. 8, sect. 9, numer. 158, *de pœnitentia* disput. 21, num. 69, N. Franciscus tract. 1, cap. 7, punct. 11, numer, 107, et alii. Probatur: quia secluso, ut præmisimus, alio periculo, sufficit ad vitandnm novum peccatum, quod minister sit in gratia, quando perficit sacramentum, et confert gratiam: atqui sacerdos non perficit sacramentum pœnitentiæ, nec confert gratiam, quando audit confessionem, sed quando absolvit: ergo non peccat mortaliter, licet tempore, quo audit confessionem non sit in gratia, si contritionem eliciat, et gratiam habeat ante absolutionem. Per quod simul diluitur oppositum fundamentum: nam licet confessio sit pars sacramenti pœnitentiæ: nihilominus ad sacerdotem non pertinet illa pars; sed alia, quæ est absolutio, in qua perficitur sacramentum: et ideo sufficit, si vel gratiam habeat, priusquam absolvat. Et eodem motivo ducimur, ut censeamus non peccare mortaliter sacerdotem, qui in statu peccati imponit pœnitenti satisfactionem, dummodo contritionem, et gratiam ante absolutionem habeat: quidquid in contrarium dicat Leander tract. *de pœnit.* disputat. 11, quæstio. 117, nam licet (quod ille opponit), sacerdos cum imponit satisfactionem, incipiat proferre sententiam, et agere per modum judicis, et ministri Dei: nihilominus non conficit sacramentum, nec communicat gratiam, nisi in actu absolutionis: sufficit itaque simpliciter, quod cum absolvit sit in gratia, licet antecedenter, et quoad alios actus minus principales fuerit in statu peccati. Sed cavendum omnino est, ut a principio monuimus, ne sacerdos se exponat periculo non habendi contritionem, et gratiam pro tempore absolutionis: quod periculum vix aut nullo modo evadet, qui cum advertentia vult se esse in peccato toto tempore, quo confessionem audit, et satisfactionem imponit. Et hoc sentiebat Suarez loc. citato. Alia dubiola minoris momenti omittimus, quorum decisionem lector facile colliget ex præmissis. *Corollarium contra Leandrum.*

DUBIUM V.

Utrum sacramentorum minister peccet illa indignis ministrando?

Hoc dubium est velut præcedentis appendix, pertinens ad perfectam eorum notitiam, quæ minister sacramentorum debet observare, ne peccet in eorum dispensatione: quippe pro isto fine attendere oportet ad dispositionem non solum ministrantis, sed et suscipientis. Ut autem cum majori claritate ad id, quod aliqualem difficultatem habet, procedamus.

§ I.

Præmittuntur magis communia.

86. Et inchoando ab ipsis tituli terminis *indignorum* vocabulo non significamus eos, qui sunt incapaces suscipiendi valide sacramenta: manifestum est enim his non posse sacramenta conferri, et gravissimum peccatum esse, si minister conaretur ad hujusmodi collationem, ut si Episcopus vellet ordinare non baptizatum, et sacerdos vellet absolvere non contritum, nec attritum: quippe non plus facerent, nec minus peccarent, quam si intenderent baptizare in vino loco aquæ, aut consecrare in aqua loco vini. Indignorum itaque nomine signi-

ficantur in præsenti, qui cum capaces sint suscipiendi sacramenta, nihilominus propter peccatum sunt indispositi ad recipiendum gratiam, quæ est fructus, et effectus sacramenti ; et hi incomplexo vocabulo dicuntur *peccatores*. Et necessarium est, ut dubium locum habeat, hanc indispositionem esse ministro notam : si enim illam simpliciter ignoret, perinde se habet respectu illius, ac si non esset : quia ignorantia simpliciter talis causat involuntarium.

Deinde peccatores alii sunt publici, alii occulti. Et quod quis sit peccator publicus, contingit tripliciter : primo, quando de illius peccato constat in judicio, vel per ipsius delinquentis confessionem, vel per depositionem testium sufficientium, vel per sententiam judicis : et hic dicitur peccator publicus jure. Secundo, quando delictum commissum est coram multis, ut nulla tergiversatione celari queat : et hic dicitur peccator publicus facto. Tertio, quando delictum est publicum fama, quæ scilicet orta sit ex sufficientibus indiciis, notaque majori parti communitatis, aut oppidi, in qua peccator habitat. De quibus publicitatis, aut notorietatis modis videri possunt Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 2, § *Ambiguitas*, Sanchez lib. 8, *de matrimonio* cap. 34, Trullench in bulla lib. 1, § 7, cap. 6, dub. 6, Prado infra q. 80, dub. 8, § 1, et alii. Quando autem nullo ex prædictis modis peccatum innotescit ; homo, licet re ipsa peccaverit, et sit in statu peccati, non dicitur peccator publicus, sed occultus. Tam vero peccator publicus, quam occultus possunt dupliciter accedere ad petendum sacramenta, nempe vel publice, sive coram multitudine, et communitate ; vel occulte videlicet coram ipso ministro, aut paucis aliis.

Juxta præmissas itaque distinctiones procedit proposita difficultas, quæ in eo præcipue vertitur, an minister peccet graviter, ubi sacramentum dispensat ei, quem cognoscit esse indignum, sive accedere sine dispositione requisita ad gratiam sacramenti. Et supponimus ministrum habere hujusmodi notitiam extra confessionem : si enim in confessionis sacramento illam acquirat, minime potest accedentem ad aliud sacramentum v. g. Eucharistiam, repellere : tum propter sigillum : tum ne confessio reddatur odiosa, et homines retrahantur ab illa. Et ita observant communiter Doctores, Henriquez lib. 1, cap. 30, num. 5, Sanchez lib. 3, *de matrimonio*, disp. 16, num. 15, N. Franciscus cap. 7, punct. 9, num. 73. Alia itaque via oportet delictum suscepturi sacramentum esse cognitum a ministro. Et in hoc sensu procedit dubium.

Henriq. Sanchez N. Fran.

87. Et supponimus in genere ministrum per se loquendo teneri sub obligatione peccati mortalis non ministrare sacramenta indignis. In qua suppositione sub hac præcisione facta convenit plane inter omnes Auctores, quos viderimus. Et ita expresse docet D. Thom. infra quæst. 68, art. 4, *agens de baptismo*, et quæst. 80, artic. 6, *agens de Eucharistia*. Proponit autem priori loco tres rationes optimas, quæ (etsi pro baptismo formatæ) cæteris sacramentis applicari facile queunt : quare integrum locum transcribemus. « Dicendum, quod aliquis « potest dici peccator dupliciter. Uno modo « propter maculam, et reatum præteritum. « Et sic peccatoribus est sacramentum bap- « tismi conferendum : quia est ad hoc spe- « cialiter institutum, ut per ipsum pecca- « torum sordes mundentur, secundum illud « ad Ephes. 5: *Mundans eam* (scilicet Ec- « clesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Alio « modo potest dici aliquis peccator ex vo- « luntate peccandi, et proposito perma- « nendi in peccato. Et sic peccatoribus non « est sacramentum baptismi conferendum. « Primo quidem, quia per baptismum ho- « mines Christo incorporantur, secundum « illud ad Galat. 3: *Quicumque in Christo « baptizati estis, Christum induistis*. Quan- « diu autem aliquis habet voluntatem « peccandi, non potest esse Christo con- « junctus, secundum illud 2, ad Corinth. 6: « *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* « Unde et Augustin. dicit in lib. de pœnit. « quod nullus suæ voluntatis arbiter cons- « titutus potest novam vitam inchoare, « nisi eum veteris vitæ pœniteat. Secun- « do, quia in operibus Christi, et Ecclesiæ « nihil debet fieri frustra. Frustra autem « est, quod non pertingit ad finem, ad « quem est ordinatum. Nullus autem ha- « bens voluntatem peccandi, simul potest « a peccato mundari, ad quod ordinatur « baptismus : quia hoc esset ponere contra- « dictoria esse simul. Tertio, quia in sa- « cramentalibus signis non debet esse « aliqua falsitas. Est autem signum falsum.

Per se loquendo illicitum est ministrare sacramenta indignis. D. Tho.

« sum, cui res significata non respondet. « Ex hoc autem, quod quis lavandum se « præbet per baptismum, significatur, « quod se disponat ad interiorem ablutio- « nem. Quod non contingit de eo, qui habet « propositum persistendi in peccato. Unde « manifestum est, quod talibus sacramen- « tum baptismi non est conferendum. »

ora- ea- i sup- sitio. Confirmantur hæc S. Doctoris motiva attendendo ad duo generalia capita, quæ in hujusmodi sacramentorum administratione occurrunt. Primum ex debito charitatis erga proximum : obligamur enim non cooperari peccato alterius, sed illud potius impedire, ubi commode fieri potest : quamvis autem qui indignus existens petit sibi ministrari sacramenta, sit jam determinatus ad peccaminosam eorum susceptionem; adhuc tamen potest minister impedire executionem, et consummationem talis operis: ergo per se loquendo, et ubi commode fieri potest, ad id obligatur debito charitatis : atque ideo per se loquendo qui indignis ministrat, graviter peccat. Secundum ex debito religionis: committitur enim ministris dispensatio sacramentorum, ut illam sancte, religiose, et fideliter exequantur, juxta modum scilicet, quem ipsa dignitas sacramentorum exposcit, ut merito possimus dicere cum Apostolo 1, *ad Corinth.* 4 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Infideliter autem agit minister, qui scienter præbet sacramenta indigno contra reverentiam eisdem, eorumque auctori debitam. Et agere convincitur contra illud Christi mandatum Matth. 7 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Est ergo per se loquendo peccatum grave, quod minister sacramenta dispenset indignis. Unde simul liquet obligationem non ita ministrandi minime egere alio præcepto positivo, sed oriri ex ipsa rerum natura, supposita sacramentorum institutione.

Ad Corinth. 4. — Matth. 7.

Quid agere debeat minister, ut non ministret indignis.

88. Liquet etiam, quod etsi onerosum appareat, et inconvenientibus obnoxium ministrum inquirere de aliorum vita, et dispositione ; tenetur nihilominus sufficientem circa id diligentiam adhibere, quantum conditio sacramenti administrandi postulat juxta prudentum arbitrium. Aliter enim cæco modo procederet in ministrando sancta, et minus fideliter ageret. Sed tamen diversa sufficit inquisitio, et notitia pro sacramentorum diversitate, ut congruentius suis locis ostendi solet. Nam in Ordine (et idem proportionabiliter contingit in matrimonio, quod non sacerdos assistens, sed ipsi contrahentes ministrant), inquiritur de vita, moribus, et impedimentis. In baptismo inquirendum est de sufficienti notitia fidei, et de aliis dispositionibus juxta conditionem personæ baptizandæ. Et similiter fit in confirmatione. In pœnitentia autem inquiritur de peccatis, de dolore, de restitutione rei ablatæ, de proposito emendationis, et aliis hujusmodi. Quod etiam in Extrema unctione contingit adjuncto simul mortis articulo. Sed quod ad Eucharistiam attinet, si quis illam petat, potest minister eam ministrare, si prudenter judicat petentem non esse in peccato mortali : quam dispositionem debet in eo præsumere, quando sibi de opposito non constat : quia nemo præsumitur malus, nisi constet esse ; et quilibet præsumitur bonus, nisi certo constet malum esse. Quæ omnia tractanda sunt modo prudentiali, et humano : hic enim congruit cognitioni, et providentiæ ministri : et altior notitia, sive discussio odiosa foret, semperque obnoxia tam deceptioni, quam scrupulis. Unde juxta præmissum procedendi modum non raro continget, quod ipsa sacramenti petitio a tali persona, cum tali modo sit sufficiens ministro signum bonæ dispositionis in petente ; aliquando autem petitio a tali persona, et cum tali modo inducat vehementem suspicionem circa dispositionis defectum, et opus sit ulteriorem diligentiam adhibere.

Sacramenta debent non ministrari publico peccatori.

89. Ex præmissa autem communi suppositione facile, et per se consequitur ministrum teneri non ministrare sacramenta publico peccatori, sive ille petat publice, sive occulte. Sic docent communiter Auctores. Vivaldus *de sacram. in genere* cap. 10, concl. 1, Camerota *de Eucharistia* cap. 10, dub. 5, Bonacina disput. 1, quæst. 4, punct. 4, Pitigianus dist. 9, quæst. 1, artic. 5, N. Franciscus cap. , punct. 9, num. 72, Lugo disput. 8, sect. 11, Dicastillo disput. 3, dub. 12, num. 272 et alii. Et probatur eisdem motivis, quæ proposuimus num. 87, quin opus sit alia expendere : nam minister per se loquendo debet non ministrare sacramenta indignis : publicus autem peccator est publice indignus,

Vivald. Camer. Bonacin. Pitigian. N. Fran. Lugo. Dicastil.

ut ex terminis constat. Et quod publice, vel cum aliqua infamia repellatur, non est inconveniens ; cum ejus indignitas publica etiam sit, et in ejus culpam vergi debeat. Ubi autem occulte petit ; facilius adhuc admoneri, reprehendi, et rejici valet. Et idem censendum esse de eo, qui publice suspectus est de gravi crimine, ita ut vehemens suspicio inducat moralem certitudinem, affirmant Emmanuel Rodriguez *in Summa* cap. 68, conclus. 2, Suarez *de Eucharistia* disput. 66, sect. 6, Dicastillo ubi proxime, Possevinus *de administrat. sacrament.* cap. 5, num. 13, et alii. Ratio est : quia moralis illa certitudo ex vehementi suspicione procedens æquivalet notitiæ physicæ : quare constituit ministrum in eadem obligatione non ministrandi cum periculo moraliter certo agendi infideliter, dando sacramenta indignis. Videndus est D. Cyprianus lib. 1, epist. 10, ubi circa hæc consultus respondit : « Pro dilectione « tua consulendum me existimasti, quid « mihi videatur de histrionibus, et mago « illo, qui apud vos constitutus adhuc in « artis suæ dedecore perseverat, an talibus « sacra Communio cum cæteris Christianis « debeat dari ? Puto, nec majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere « ut pudor, et honor Ecclesiæ tam turpi, « et infami contagione fœdetur. » Hæc S. Doctor, idem dicturus de publicis meretricibus et usurariis, et similibus.

Sequitur similiter ex eadem suppositione ministrum obligari per se loquendo ad non dispensandum sacramenta peccatori occulto illa petenti, quando occulte petit. Quoniam minister tenetur per se non administrare indigno : cognoscit autem certo, quamvis particulari notitia, hunc petentem esse indignum : ergo tenetur ad non ministrandum illi sacramenta. Et quod occultus sit, nihil refert : quia etiam repulsa est occulta, nullum inducens scandalum, nullam illi afferens infamiam, sed magis commodum: quia dum refellitur, corrigitur, admoneturque de majori salutis studio. Et ita docent Enriquez, Filliucius, Coninckus, et alii plures, quos refert, et sequitur Bonacina ubi proxime num. 4, N. Franciscus loco cit. num. 73, Suarez disp. 64, sect. 4, circa finem, Mascarenhas tract. 1, cap. 10, num. 160 et alii communiter. Hanc suppositionem limitabat Soto in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 6, ad ministrum voluntarium, qui scilicet ex officio non tenetur sacramenta ministrare : pastorem namque censebat non posse, aut debere privare subditum sacramentis, quamvis particulari, et occulta sententia cognitam habeat ejus indignitatem : quippe privata scientia, atque auctoritate, inauditaque parte, spoliare non debet subditum jure, quod habet petendi a pastore sacramenta. Sed minime recedendum est a communi aliorum sententia : quoniam quod minister non debeat ministrare indignis, est per se loquendo in universum verum, et verificandum, nisi grave aliquod, et urgens motivum ad oppositum occurrat. At non est ejusmodi, quod Soto repræsentat : quia pastor optime potest, nulla interposita judiciali forma, subditum commonefacere, manifestando secreto secretam ejus indignitatem : ubi nullum scandalum, nulla infamia inducitur, sed totum negotium transigitur in occulto. Porro non denegat subdito aliquid vere proficuum : quia licet sacramenta de se utilissima sint, damnum tamen plurimum afferunt suscipientibus indigne. Ligatur itaque pastor in hoc casu, sicut et per se loquendo in aliis, duplici illo debito supra relato, nempe et charitatis erga proximum, impediendi novam ejus culpam, ubi facile potest ; et religionis erga sacramenta, impediendi sacrilegam eorum susceptionem.

Hæc sunt in præsenti difficultate magis communia, juxta quæ patet ad plures casus occurrentes. Major autem difficultas occurrit circa alium casum, nempe ubi occulte indignus petit publice sacramenta, vel cum aliis concurrit ad eorum susceptionem. Verbi causa, Joannes minister certo, licet occulte, cognoscit Petrum habere concubinam, vel retinere injuste aliena bona, ob quæ crimina est re ipsa indignus suscipiendi sacramentum Eucharistiæ : sed tamen Petrus quantum ad communem, et publicam famam censetur bonus, aut saltem non censetur malus. Inquiritur an ubi Joannes publice ministrat Eucharistiam, et Petrus publice accedit ad eam suscipiendam ; queat, aut debeat Joannes eam illi ministrare, an vero possit illum repellere, et aliqua via communionem ei denegare ? Et idem proportionabiliter potest contingere circa dispensationem aliorum sacramentorum, ut cum Episcopus confert publice Confirmationem, aut ordines, et occulta, certa tamen scientia cognoscit hunc, aut

Punctum speciale difficultatis

aut illum esse indignum, sive indispositum ad fructum eorum sacramentorum.

§ II.

Specialior difficultas resolvitur.

90. Dicendum est ministrum licite posse ministrare sacramenta peccatori occulto publice petenti : et consequenter obligari ad hujusmodi administrationem. Hæc secunda assertionis pars facile constat ex prima : quia minister debet vitare, ubi licite potest, infamiam proximi, quæ profecto immineret, ubi publice accedens ad sacramenta, ab illorum participatione arceretur : ergo si minister licite potest, debet utique sacramenta non denegare. Utramque autem docet D. Thom. infra quæst. 80, artic. 6, ubi ait : « Circa peccatores distinguendum est : quidam enim sunt occulti, quidam vero manifesti, etc. Manifestis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari, etc. Si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari. » Et in 4, dist. 9, quæst. 1, artic. 5, quæstiunc. 1, inquit : « Si sacerdos sciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petat, per confessionem, vel alio quolibet modo distinguendum est : quia aut peccatum est occultum, aut manifestum. Si est occultum, aut exigit in occulto, aut in manifesto. Si in occulto debet ei denegare, et monere, ne in publico petat. Si autem in manifesto petat, debet ei dare. » Et idem communiter docent tam Thomistæ, quam alii Theologi. Sotus in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 6, Cajetanus infra quæst. 80, art. 6, ubi Nugnus difficult. 1, Prado dub. 8, Sylvester verbo *Eucharistia* 3, num. 37, Armilla eodem verbo 22 et 27, Navarrus cap. 21, num. 55, Rodriguez *in summa* cap 68, concl. 4, Sanchez libr. 3, *de matrimonio*, disput. 16, Suarez disput. 18, section 2, Vazquez infra disput. 209, cap. 3, Camerota *de Eucharistia* dub. 16, Angles quæst. 2, artic. 4, concl. 1, Valencia tom. 4, disput. 6, quæst. 8, punct. 3, Aversa in præsent. sect. 10, § Tertio ex quibusdam, Lugo disput. 8, section. 10, Mascarenhas disput. 3, capit. 10, concl. 4, Pitigianus, Possevinus, Bartholom. a S. Angelo, Henriquez, et alii, quos refert, et sequitur Dicastillo disput. 3, dub. 12, num. 275.

Quamvis autem assertio hæc sit adeo communis, mirum est quantum studii adhibuerint Recentiores in diruendo communia ejus, et antiqua fundamenta, præsertim illa, quæ proponuntur a D. Thom. Ipsi vero alia comminiscuntur, quæ mutuo (sic enim digladiantur) flocci pendent : ut tandem nullum denique certum pro assertione certa relinquatur motivum, et sic tandem ejus certitudo nutat, et cassum eat. Sed nos e contra non alia, quam Div. Thomæ fundamenta, ubique solidissima, proponemus. Probatur ergo primo ex facto, atque exemplo Christi Domini, qui evidenter cognoscebat Judam proditorem esse indignum Eucharistia, et habere diabolum in corde : quo non obstante, non negavit illi Eucharistiam in nocte cœnæ; quia peccatum ejus erat occultum, et Eucharistia omnibus publice ministrabatur : ergo hoc exemplo possunt ministri administrare Eucharistiam, et alia sacramenta peccatori occulto publice petenti. Quod motivum proponit Div. Thom. infra quæst. 81, art. 2, in corp. his verbis : « Quia Christus nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum peccatorem sine accusatore, et evidenti probatione, ab aliorum communione separaret : ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi. Et ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, quod Judas cum aliis discipulis corpus Domini, et sanguinem suscepit, ut dicit Dionys. lib. Eccles. hierarch. et Augustinus super Joann. » Et in resp. ad 2 addit : « Dicendum, quod Christo nota erat Judæ iniquitas sicut Deo : non autem sibi nota per modum, quo hominibus innotescit. Et ideo Christus Judam non repulit a communione : ut daretur exemplum tales peccatores occultos non esse ab aliis Sacerdotibus expellendos. » (Ratio fundamentalis ex D. Th.)

Occurrunt aliqui Recentiores, et negant Christum in cœna dedisse Judæ Eucharistiam : quod prius dixerat Div. Hilarius con. 30. super Matth. cujus meminit Div. Thom. loco citat. in resp. ad 1. Sed in hoc refellendo non immoramur : quia ultra tres Sacros Doctores nempe Dionys. Augustinum, et Thomam jam relatos, sic docent Origines, Cyprianus, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, Beda, (Præcluduntur effugia D. Hilar.)

Cyrillus Hierosolym. Petrus Damian. et alii passim, ut merito dixerit Aversa infra quæst. 81 (et apud illum quæst. 9, section 1), hanc esse communem sententiam Sacrorum Doctorum, Expositorum, et Theologorum, quod Christus Judæ dederit Eucharistiæ sacramentum. Unde Ecclesia canit in sequentia Missæ corporis Christi : *Turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.* Et idem habetur in corp. Juris cap. *Christus* 1 quæst. 1, ex Div. Augustino et cap. *Sacra* de consecratione distinct. 2, ex eodem Augustino, et cap. *Si sacerdos* de officio Ordinarii ex Eugenio Papa. Nec amplius circa hoc nunc immoramur, quia illud ex professo ostendemus tract. seq. disput. 1 prooemiali, cap. 3, a num. 68.

Communis Patrum sententia.

Refellitur Vazq.

Aliter occurrit Vazquez disput. 217, cap. 3, dicens Judam esse apud Apostolos detectum ante Eucharistiæ institutionem, et dispensationem : et consequenter Christum dedisse illud sacramentum peccatori publico. Quod confirmat ex S. Leone Papa serm. 3, *de passionne*, ubi ad Judam ita loquitur : « Illa saltem te a præcipitio tuo « sacramenta revocassent, quæ in paschali « cœna jam de perfidia tua signa divinæ « scientiæ detectus acceperas. » Ex quo, inquit Vazquez, nequit argumentum trahi ad alios ministros : nam Christo uti omnium Domino, et gratiæ auctori multa fuerunt licita, quæ sunt nobis interdicta. Sed hæc responsio non solum est contra mentem Div. Thomæ sed etiam contra apertam sententiam Eugenii Papæ capit. cit. *Si sacerdos*, et aliorum, qui ex una parte supponunt Judam fuisse adhuc peccatorem occultum, et ex alia parte deducunt ab exemplo Christi, quod non debeamus sacramenta peccatori occulto publice denegare. Et quod Turrianus, et alii juniores audent dicere Eugenium loquutum fuisse non diffiniendo, sed ut privatum Doctorem ; satis manifestat, quam levibus ipsi ducantur motivis, qui ad similes obligantur angustias. Dictum autem S. Leonis nihil prædictæ evasioni favet : solum namque significat Judam detectum jam fuisse apud Christum, et ipsum Judam id probe potuisse advertere per signa divinæ scientiæ.

Alia D. Thom. ratio.

91 Secundo probatur ratione D. Thomæ in testimoniis relatis : quoniam si minister denegaret sacramenta peccatori occulto illa publice petenti, infamaret proximum ; siquidem manifestaret, et publicum faceret occultum ejus delictum : sed minister non habet ad id auctoritatem : ergo minister non potest denegare sacramenta peccatori occulto illa publice petenti. Quod magis confirmat idem loco citato his verbis. « Quilibet Christianus « habet jus in perceptionem Eucharistiæ, « nisi illud per peccatum mortale amittat: « unde cum in facie Ecclesiæ non constet « istum amisisse jus suum, non oportet ei « in facie Ecclesiæ denegari : alias daretur « facultas malis sacerdotibus pro suo li- « bito punire maxima pœna, quos vellent. »

Ob tion su

Non approbat Suarez hoc fundamentum, sed contra illud opponit, quod in prædicto casu vel infamandus est proximus, vel sacramentum conferendum est indigno cum gravi injuria Christi ; quod est malum gravius, quam primum illud : quare cum ex duobus malis minus sit eligendum ; non apparet inconveniens, quod minister deneget sacramenta peccatori, licet ex hac negatione sequatur ejus infamia. Unde confirmatio etiam corruere videtur ; quia, ut arguit Suarez, peccator vel occultus, vel publicus nullum habet jus petendi prædictum sacramentum ; cum potius sit illo indignus : ergo minister, qui cognoscit occultum petentis impedimentum, non agit contra aliquod petentis jus, nec illi refert injuriam. Unde si quæ infamia ex denegatione sacramenti, ex manifestatione criminis occulti sequeretur ; non esset referenda in ministrum, sed in peccatorem, qui indigne petendo se his incommodis exponit. Sicut Episcopus, addit Lugo, potest negare beneficium, et ordinationem ei, quem certo licet secreto cognoscit esse indignum : et sibi imputare debet aliqualem infamiam inde resultantem, qui cum esset indignus, accessit ad petendum.

D lu D.

Sed hæc non diruunt propositum fundamentum, sed a Div. Thom. prævisa fuerunt. Unde loco citat. ex hac 3 part. in respons. ad 2, occurrit objectioni factæ his verbis : « Dicendum, quod licet pejus sit « peccatori occulto peccare mortaliter su- « mendo Corpus Christi, quam infamari : « tamen Sacerdoti ministranti corpus « Christi pejus est peccare mortaliter infa- « mando injuste peccatorem occultum, « quam quod ille mortaliter peccet : quia « nullus debet peccatum mortale committere,

« tere, ut alium liberet a peccato. Unde « Augustin. dicit in lib. quæst. super Ge- « nes. Periculosissime admittitur hæc « compensatio, ut nos faciamus aliquid « mali, ne alius gravius malum faciat. » Et loco citat. ex 4 sent. in resp. ad 1, inquit: « Potius deberet eligere medicus « medicinam esse mortiferam infirmo, « quam sibi, si alterum oporteret. Et simi- « liter sacerdos potius deberet eligere, « quod peccator assumat ad perditionem « suam, quam quod ipse deneget in perdi- « tionem propriam in scandalizando, et « peccatum occultum revelando. » Et ad 3, addit : « Secundum Innocentium Ter- « tium cum nemo debeat unum mortale « committere, ut proximus aliud non com- « mittat : eligendum est potius sacerdoti « non prodere peccatorem, quam ut ille « non peccet. » Quod vero confirmationi objicitur dilutum fuerat a Div. Thom. in verbis supra relatis : « Cum in facie Eccle- « siæ non constet istum amisisse jus suum, « non oportet ei in facie Ecclesiæ denegari, « etc. » Itaque duplex jus in homine dis- tingui debet ad petendum Eucharistiam : aliud in foro conscientiæ coram Deo ; est hoc est jus citra omne peccatum tam occultum, quam publicum : aliud autem est jus petendi in foro exteriori, sive in facie Ecclesiæ ; et hoc jus non excludit omne peccatum tam publicum, quam occultum, sed solum peccatum publicum : quoniam quilibet Christianus ex hoc, quod baptizatus est, habet jus ad communionem cum aliis fidelibus, nisi adsit causa manifesta, ob quam privetur. Unde peccator occultus, licet careat priori jure, habet tamen hoc posterius. Quare si sacerdos ei publice petenti Eucharistiam, eam denegaret; ageret contra prædictum jus publicum, et illi irrogaret injuriam. Exemplum autem a Lugone propositum non est ad rem : quia ordinatio, et beneficium non conferuntur, nec conferri debent, nisi prævio examine tam publico, quam secreto : et rursus non omnibus Christianis debentur : unde qui illa poscit se exponit periculo, ut admittatur, vel repellatur secundum conditiones tam publicas, quam occultas. Et ita Episcopus, qui propter notitiam delicti, aut impedimenti occulti ipsum non admittit ad ordinationem, vel beneficium, nullum eidem injuriam infert, sed agit, ut debet. Cæterum omnis Christianus habet jus in foro externo ad sacram communionem, nisi malus sit in foro externo: et nemo censetur malus, nisi probetur : quia nisi probetur, est in legitima suæ famæ possessione. Quare injuste faceret minister, qui hunc in facie Ecclesiæ a communione repelleret.

92. Insistunt tamen Recentiores : quia totum istud negotium tractamus facta præcise comparatione ad commodum, et incommodum tam ministri, quam suscipientis, et nullo habito respectu ad reverentiam sacramenti, et ad injuriam, quæ illi irrogatur : cum tamen ad hæc potissimum attendere deberemus. Nam malum ab intrinseco est cooperari alicui ad irreverentiam sacramenti, qualis intervenit in communione sacrilega : sed minister illam porrigens peccatori occulto, ad illam cooperatur : ergo malum ab intrinseco est ministrum dispensare sacramentum peccatori occulto : ergo sive petat secreto, sive publice et sive sequatur proximi, infamia, sive non, tenetur non ministrare illi sacramentum. Confirmatur : quia non minus indecens, atque injuriosum est sacramento illud mittere in cor peccatoris sordidum, et pollutum, quam in sterquilinium, aut ignem : sed si minister cognosceret peccatorem occultum publice petentem in animo habere, ut Eucharistiam projiceret in sterquilinium, aut ignem, teneretur communionem denegare : ergo ad idem tenetur, cum cognoscit petentem projecturum illam foro intermo in cor pravum, et peccatis pollutum. Ad hæc : pro tuendo vitam, vel famam innocentis possumus manifestare crimen volentis illi inferre injuriam ; quamvis inde sequatur infamia, si alio modo non potest injuria innocentis vitari : ergo pariter ad vitandam injuriam, quæ Eucharistiæ per sacrilegam communionem fit, potest minister repellere peccatorem occultum publice petentem ; licet inde subeat infamiam ; cum alio moda illa irreverentia vitari non possit. Si autem potest licite, ad id utique tenetur. Ergo fundamentum desumptum ex titulo non lædendi famam proximi nihil valet. Objectio Confirmatio. Augmentum difficultatis.

Respondetur falso supponi, quod in præmisso Div. Thomæ discursu non habeatur respectus, sive attentio ad sacramenti irreverentiam, et Dei injuriam : nam fit plane, ubi agitur de peccato occulti pecca- Occurritur objectioni.

toris publice accedentis, quod a prædictis irreverentia, et injuria nequit præscindere. Sed tamen dicimus ministrum non debere vitare gravissimum istud malum, aliud in infamatione proximi, juxta illud, quod Div. Thomas supra relatus expendit ex Div. Augustino : « Periculosissime « admittitur hæc compensatio, ut nos fa« ciamus aliquid mali, ne alius gravius « malum faciat. » Unde ad objectionem in forma, concessa majori, negamus minorem : nam sacerdos dispensans sacramentum peccatori occulto publice petenti, nullo modo cooperatur sacramenti receptioni ; quatenus sacrilega, et mala est ; sed quatenus objective bona est, potest bene exerceri. Ut autem peccatum illud non impediat, causam rationabilem habet, nempe non posse illud impedire absque peccato proprio lædendi famam proximi ad cujus conservationem ipse cujus publicum, sive in foro externo habet, ut supra diximus. Quæ doctrina confirmari, et explicari potest tum exemplo supra posito Christi Domini præbentis Eucharistiam Judæ, qui graviter peccaturus erat in susceptione illius, quin propterea Christus cooperatus fuerit ad tale peccatum : obtulit namque rem de se sanctam, et quæ sancte percipi potuit : et Christus non tenebatur peccatum illud vitare. Tum exemplo mulieris celebrantis matrimonium cum eo, quem certo scit esse in statu peccati : si enim ad mulieris famam vel bonum aliquod magnum talis celebratio referat, nullum est peccatum, quod celebret, et sacramentum ministret indigno (sunt enim hujus sacramenti ipsi contrahentes ministri), quia dat operam rei de se honestæ, et quæ bene ab alio, si vult, celebrari potest : nec tenetur alterius peccatum, et sacramenti injuriam vitare cum magno dispendio suo. Tum exemplo populi, qui ut sacrum in die festo audiat, potest rogare, obligare, et inducere proprium pastorem ad celebrandum, et communicandum, quamvis sacerdos peccator sit : quia populus petit rem de se licitam, et quæ sancte exerceri valet, ut
Suarez. expendit Suarez disput. 18, sect. 2, et alii communiter admittunt. Sic igitur quamvis sacerdos publice ministret Eucharistiam illi, quem secreto scit esse peccatorem, minime tamen cooperatur ad ejus peccatum ; sed permittit, aut non vitat id, ad quod vitandum non tenetur.

93. Ad confirmationem, quam multum urget Lugo, respondemus nutare in omnibus propositionibus, quibus constat. Nam in primis major est falsa : quippe majus longe peccatum est suscipere Eucharistiam cum intentione illam projiciendi in ignem, aut sterquilinium, quam suscipere illam corde per peccatum polluto, ut egregie declarat, et probat D. Thom. infra quæst. 80, art, 5, in corp. ubi ait : « Per accidens « unum peccatum est gravius alio ex parte « peccantis : puta peccatum, quod est ex « ignorantia, vel infirmitate est levius « peccato, quod est ex contemptu, vel ex « certa scientia. Et eadem ratio est de aliis « circumstantiis. Et secundum hoc istud « peccatum (*recipiendi Eucharistiam in« digne*) in quibusdam potest esse gravius: « sicut in his, qui ex actuali contemptu, « cum conscientia peccati ad hoc sacramen« tum accedunt : quibusdam vero minus « grave, puta in his, qui ex quodam timore, « ne deprendantur in peccato, cum cons« cientia peccati ad hoc sacramentum ac« cedunt. » In resp. vero ad 3, addit : « Dicendum, quod ille, qui projiceret hoc « sacramentum in lutum, multo gravius « peccaret, quam ille, qui cum conscientia « peccati mortalis ad hoc sacramentum « accedit Primo quidem, qui ille hoc face« ret ex intentione injuriam faciendi huic « sacramento : quod non intendit peccator « indigne corpus Christi accipiens. Secundo « quia homo peccator est capax gratiæ : « unde etiam est magis aptus ad susci« piendum hoc sacramentum, quam quæ« cunque irrationalis creatura. Unde ma« xime inordinate uteretur hoc sacramento, « qui projiceret ipsum canibus ad mandu« candum, vel qui projiceret in lutum « conculcandum. » Hæc liquido manifestant propositionis ad oppositum assumptæ falsitatem.

Sed veniamus ad minorem, quam si quis negaret, non timeremus facile a Lugone probandam. Quod enim sacerdos ministrans sciat peccatum suscipientis fore majus, aut gravius, aut alterius ordinis ob magis expresse intentam Dei, et sacramenti injuriam ; minime videtur evincere, quod obligetur inde ad sacramentum non ministrandum : nec dici posset cooperari ad tale crimen. Ipse namque dat operam rei objective, et de se sanctæ, quam alter sancte percipere queat. Et quod iste illa in pessimos

nos fines sit abusurus, est præter intenionem sacerdotis: et aliunde latet in foro xterno, cui se accommodare minister debet, um publice agit, ne proximum injuste ama privet, manifestando occultum, et ravissimum ejus crimen. Et plane si miistro ex denegatione publica sacramenti n prædicto casu immineret certum mortis ericulum; a nemine credimus obligandum itare proximi peccatum, et sacramenti njuriam cum tanto sui dispendio. Cur gitur obligabitur, ubi succedit notabilis ccedentis infamia, quæ eo major erit, quo ravius tentat delictum? Hanc itaque viam ui arriperet, haud facile de falsitate conrinceretur.

Concedimus tamen minorem, ut tandem eniamus ad consequentiam, quam neganus. Ratio autem disparitatis desumitur x D. Thom. locis proxime relatis: quoiam qui accedit suscepturus Eucharistiam um intentione (quam certo, licet occulte ognoscat minister) illam conculcandi, vel lla abutendi ad maleficia, intendit positive inhonorationem sacramenti, illamque ggreditur: quare debet tanquam injustus ggressor cum publica etiam infamia (si liter nequit vitari) repelli. Cæterum qui b solum peccatum occultum accedit inligne, non accedit cum hac intentione, nec ult positive sacramentum inhonorare, ed magis vellet oppositum: ducitur enim x quodam timore falso, ne in peccato leprehendatur, retenta nihilominus fide, t aliquali reverentia (licet insufficienti), rga sacramentum: peccat tamen, quia ion præstat cultum, quem potest, et debet, ligne sumendo. Quod peccatum non tam st inhonoratio sacramenti, quam negatio ionoris debiti. Sicut qui ponit Eucharistiam n corporali valde sordido, non est contuneliosus positive, sicut qui eam projicit in terquilinium ad conculcandum; licet pecet non adhibendo cultum debitum sacranento. Quare cum in prædicto casu non nterveniat positiva sacramenti inhonoratio, nec animus in suscipiente illam iggrediendi, sed peccatum quoddam ex infirmitate humana; non tenetur minister illud evitare, negando publice sacramentum, et infamando proximum; sed magis huic incommodo consulere exercendo rem de se honestam, et permittendo, aut non vitando proximi culpam. Juxta quam doctrinam excluditur etiam difficultatis augmentum: nam qui clam tentat inferre innocenti grave damnum, est injustus aggressor; et ideo impediendus est etiam cum manifestatione delicti, et suæ famæ detrimento. Inde vero solum trahitur argumentum, ut repelli queat peccator occultus, qui positive aggreditur sacramenti inhonorationem, ut proxime concessimus. Sed trahi non debet ad illum, qui suscipiendo indigne peccat ex fragilitate, et humano timore, ut frequentius, et quasi per se contingit. *Evacuatur difficultatis additio.*

94. Tertium assertionis fundamentum proponit D. Thomas loco supra citato ex 4 sent. in ratione quarta: nam si sacerdos negaret sacramentum peccatori occulto publice accedenti, et petenti; daret scandalum: sed sacerdos debet non dare scandalum: ergo sacerdos debet non negare sacramentum peccatori occulto publice petenti. *Alterum D. Tho. motivum*

Suarez, Vazquez, Lugo, et quique Recentiores hoc motivum spernunt quasi nihil probans: nam si scandali vocabulo significatur scandalum vere, et proprie dictum, nempe occasio ruinæ spiritualis in aliis; istud profecto non sequeretur, sed magis correctio: quia cæteri viderent hunc, aut illum ob sua crimina communione privari. Si vero scandali nomine significemus populi admirationem, et aliquam turbationem: hoc incommodum tanti faciendum non est, ut ob id permitti debeat irreverentia sacramenti: præsertim cum aliis mediis possit hujusmodi scandalo obviari. *Juniorum occursus.*

95. Sed fundamentum D. Thomæ a prædicto inconvenienti desumptum esse solidissimum ostenditur primo ex doctrina hactenus tradita: nam sicut qui crimina occulta, quæ secreto ab uno, aut altero sciuntur, manifestat coram multitudine contra ordinem justitiæ, et charitatis, dat scandalum propriissime dictum, sive occasionem, ut alii similiter faciant, et peccent: sic etiam sacerdos, qui occultum peccatorem coram multitudine infamaret negando ipsi sacramenta, et detegendo miserabilem ejus statum, non posset non dare scandalum, quippe qui præberet aliis exemplum, et occasionem similiter faciendi cum proximorum infamatione. Respondere autem hoc non esse scandalum proprie dictum, sed magis correctionem, cum cæteri viderent illum a communione repelli propter peccata; est manifesta petitio principii: quoniam cæteri non possent licite hunc propter peccata sacramento privari, nisi videndo *Proteritur.*

simul sacerdotem manifestare, et publica facere peccata occulta cum infamatione proximi : unde ansam, et occasionem arriperent revelandi occulta aliorum peccata. Ostenditur secundo, nam ille dat scandalum proprie dictum, qui ex modo se gerendi avocat, et deterret fideles etiam justos a participatione sacramentorum. Tali autem modo procederet minister, qui titulo reverentiæ erga sacramenta, negaret ipsa peccatori occulto publice petenti. Nam cæteri omnes etiam justi timere valerent similem repulsam, et infamiæ notam : fieri namque posset, et esset satis frequens ipsos commisisse aliqua crimina occulta, licet sacerdoti nota, ipsaque diluisse in sacramento confessionis, sed eorum emendationem non esse a sacerdote cognitam : unde ab eo ut alii indigni repellerentur. Ipsi itaque justi, et digni nollent ad sacramenta accedere cum tanto infamiæ periculo : quod aliter vitare non possent, nisi manifestando se confessos jam fuisse hæc, et illa crimina sacerdoti nota : atque ideo obligarentur ad aliam, et forte difficiliorem peccatorum confessionem. Quo quid absurdius? Quid magis deterrens a sacramentorum participatione? Cum potius ministri officium sit ad eorum usum, in quo est vita, et profectus noster, inducere. Si igitur sacerdos ob occulta crimina posset publice accedentes repellere, scandalum gigneret, sive spiritualem multorum ruinam.

Refelluntur amplius Juniores. Confirmatur : quia illa actio, quæ est causa, vel occasio plurimorum peccatorum, nequit non esse scandalosa cum proprietate : talis autem foret actio sacerdotis repellentis peccatores occultos, publice accedentes, a participatione sacramentorum : ergo sacerdos ita se gerens daret scandalum proprie dictum. Probatur minor discurrendo in hunc modum : demus fœminam nobilissimam conjugatam commisisse secretum adulterium soli sacerdoti, aut alteri notum : demus sacerdotem scire hanc istud crimen non diluisse per pœnitentiam, vel quia ille confessarius ejus est, vel quia probe cognoscit non esse alium in oppido confessarium. Accedat mulier publice cum aliis ad suscipiendum Eucharistiam : neget sacerdos sacramenti dispensationem : contendat illa se injuste eo sacramento privari : e contra opponat minister occultum crimen. Quæ non hinc damna, peccata, et seditiones orrientur? Si enim minister propalat crimen : ecce iram justam mariti, et consanguineorum, ecce imminentes cœdes, ecce manifestum discrimen fœminæ. Sequitur etiam aliarum fœminarum scandalum, tam inusitatum exemplar ad similem proclivitatem attendentium. Si vero minister non probat (et forte non poterit) delictum : ipse tanquam injustus, atque stultus sibylo publico exponitur cum administrationis ludibrio, et dignitatis dedecore. Et hæc omnia per se consequuntur actionem negandi sacramenta adulteræ occultæ, ubi publice accedit. Quæ, aut majora scandala etiam sequerentur, si sacerdos ob occultum peccatum negaret communionem personæ alicui, quæ apud omnes haberet famam insignis sanctitatis, et auctoritatis, ut facile consideranti constabit. Ne igitur suboriantur hujusmodi scandala, obligatur sacerdos non negare sacramenta peccatori occulto sibi noto, ubi publice ad illa suscipiendum accedit. Sicut etiam judex in foro externo debet non negare, quod pars petit secundum justitiam in foro externo; quamvis judici secundum particularem, et secretam notitiam constet oppositum.

Nec refert, si contra utrumque fundamentum opponas : quia non est faciendum contra præceptum Christi ad vitandum scandalum, vel infamiam alicujus : sed Dominus præcepit Matth. 7 : *Nolite sanctum dare canibus :* sed sancta, sive sacramenta dantur canibus, cum peccatoribus exhibentur : ergo nec ad tollendum scandalum, nec ad vitandum infamiam licet sacramenta peccatoribus conferre. Id, inquam, non refert, sed optime diluitur a D. Thom. infra quæst. 80, artic. 6 ad 1, his verbis : « Dicendum, quod sancta prohibentur dari « canibus, id est, peccatoribus manifestis. « Sed occulta non possunt publice puniri, « sed sunt divino judicio reservanda. » Et loco cit. ex 4, sent. in resp. ad 2, addit : « Dominus non prohibuit simpliciter dare, « sed voluntatem dandi dicens : Nolite « sanctum dare canibus. Sacerdos autem « casu proposito non dat propria sponte, « sed magis coactus, » ipsa scilicet imminentia scandali, et urgentia infamationis, ut supra expendimus.

§ III

§ III.

Incidentium quæstionum resolutio.

96. Contra præmissam assertionem non occurrunt vel sententiæ Auctorum, quas referamus, vel argumenta momenti, quæ superemus. Occurrunt tamen circa eandem materiam aliqua dubia, quæ oportet decidere. Et primo inquiritur, an qui publicus peccator est uno loco v. g. Romæ, et venit Salmanticam, ubi tanquam probus habetur, possit privari sacramentis ab eo sacerdote, qui bene noscat illum Romæ esse, et censeri publicum peccatorem. Affirmant Suarez disput. 67, sect. 5, concl. 3, Dicastillo disput. cit. dub. 12, num. 287, et alii : quia quolibet modo factum sit publicum uno loco, præsertim sententia judicis, peccator manet privatus jure ad suam famam ; unde revelans ejus crimen in alio loco non infert ei injuriam, nec contra justitiam agit, ut tradere solent Doctores in materia de restitutione : ergo ex eo, quod sacerdos huic in alio loco, ubi probus reputatur, nolit dispensare sacramenta, nullam injuriam, aut injustitiam committit. Et deinde ex tali facto non sequitur scandalum : quia sacerdos facile manifestare potest petentem esse publicum peccatorem, et subinde sacramentis indignum. Dicere autem, quod licet sacerdos in tali casu non agat contra justitiam, agit tamen contra charitatem ; non multi ponderis est : quoniam debitum charitatis solum obligat ad non manifestandum peccata proximi alibi publica sine rationabili causa : in hoc autem casu adesset justum motivum talis manifestationis tum ad vitandum injuriam sacramenti, tum ad excusandum novum promixi peccatum. Negant autem Sotus, et Nugnus locis supra relatis, Enriquez *de Eucharistia* cap. 57, Camerota cap. 10, disp. 15, et alii plures : quoniam peccator alibi publicus, si Salmanticæ probus censetur, comparatur Salmanticæ ut peccator occultus : sed peccatori occulto publice petenti nequit minister negare sacramenta, ut ostendimus § præced. ergo licet petens sit alibi publicus peccator, et id cognoscat sacerdos ; non debet aut potest eum sacramentis privari dum publice illa petit.

Utraque ista sententia est probabilis. Sed quæ præferri absolute debeat, pendet ex diversis principiis pertinentibus ad tractatus *de justitia*, et *de restitutione* : quæ hoc loco citra ordinem, et præter institutum expendere non oportet. Censemus tamen casum esse metaphysicum, et vix, aut nullo modo posse moraliter contingere. Nam esto, Petrus fuerit Romæ peccator publicus, famamque amiserit per juridicam sententiam : et sacerdos evidenter sciat id de præterito ita contigisse : nihilominus Petrus potuit resipiscere, et ad veram pœnitentiam converti toto, ac tanto tempore, quale ad remeandum Salmanticam requiritur ; et impossibile apparet, quod sacerdos, ubi Petrus se recte gerit, queat formare certum de opposita indispositione judicium. Quo vel solo motivo duceremur ad magis probandum secundam opinionem. Eo vel maxime, quod licet publicus peccator, ut digne petat v. g. Eucharistiam, debeat publice pœnitere, sive exhibere publica propriæ emendationis signa : hoc tamen requisitum non deficit in prædicto casu, nec sacerdotem latet. Nam quod Petrus Salmanticæ ita honeste vivat, ut meruerit bonus communiter reputari, vim habet testimonii publici de certa recipiscentia. Cum igitur ita se gerens sacramentum petit, digne petit, et subinde nequit sine injuria a sacerdote rebelli ob antiquum, et alibi publicum crimen. Quare absolute subscribimus secundæ sententiæ : nam, ut inquit D. Thom. loco cit. ex quæst. 80 : D. Tho.
« Post pœnitentiam, et reconciliationem,
« etiam publicis peccatoribus non est
« communio deneganda, præcipue in
« articulo mortis. Unde in Concilio Car-
« thaginensi (tertio scilicet, can. 35), legi-
« tur : Scenicis, atque histrionibus, cæte-
« risque hujusmodi personis, vel apostatis,
« conversis ad Deum, reconciliatio non
« negatur. »

97. Secundo inquiritur, an minister propter metum mortis, vel notabilis infamiæ possit dispensare sacramenta publico peccatori ? Respondetur affirmative cum Nugno infra quæst. 80, art. 6, difficult. 4, Suarez disp. 67, sect. 1, num. 1, cum seq. Bonacina disp. 1, quæst 6. punct. 4, num. 14, Dicastillo disp. 3, dub. 12, num. 292, et aliis. Probatur primo ex doctrina tradita § præced. quoniam sacerdos potest ministrare Eucharistiam occulto peccatori, atque ideo re ipsa indigno, si publice petat, ut scilicet vitet ejus infamiam, et alia scandala: ergo a fortiori propter vitandum proprium

Dubium secundum. Nugnus. Suarez. Bonacin. Dicastil. Resolutionis motiva.

damnum imminentis mortis, aut infamiæ potest ministrare sacramenta peccatori publico. Secundo, quia licet præceptum non præbendi sacramenta indignis videatur negativum, atque ideo semper, et pro semper obligare ; nihilominus in re est positivum obligans ad fidelem, et prudentem sacramentorum dispensationem : quare servandum est, ubi commode potest, secus autem cum notabili detrimento : ergo ubi occurrit notabile ministrantis damnum, non obligat : atque ideo sacerdos ob vehementem timorem mortis, aut infamiæ potest non negare sacramenta publico peccatori. Tertio, quia minister in tali casu ministrans agit rem de se sanctam, et quæ sancte suscipi potest : quod vero petens sit indignus, et injuste petat, ex ejus malitia provenit, quam vitare non debet minister cum notabili sui detrimento : quamobrem in prædicto casu non cooperatur alterius
Nota 1. culpæ, sed illam, ut potest, permittit. Duo tamen hic censemus observanda. Nam in primis præmissa resolutio, ejusque motiva præcipuum locum habent, ubi peccator publicus petit non publice, sed occulte. Ubi autem publice peteret, major cautio adhiberi deberet ad evitandum activum aliorum scandalum ex illa notorie indigna sacramentorum dispensatione : quam haud incongrue præstaret minister protestando, aut alia via significando se coactum agere ad vitandum damna sibi certo imminentia.
Nota 2. Deinde sive ministratio sit occulta, sive publica, attendere debet minister ad finem, ob quam peccator publicus illam poscit : nam si petit, et metum incutit in odium fidei, et ipsorum sacramentorum contemptum, atque irrisionem ; subire potius debet sacerdos mortem, et alia quælibet detrimenta, quam ad postulata descendere. Unde proposita resolutio procedit præcisive ab hac circumstantia, attendendo duntaxat ad conditionem publici peccatoris, qui potest petere ministrari sibi sacramenta ob alios fines, utputa asserendi aut conservandi honorem falso apprehensum in sacramentorum participatione.

Dubium tertium. 98. Tertio inquiritur, an peccatori occulto publice petenti Eucharistiam possit sacerdos ministrare hostiam non consecratam, ut sic ab una parte consulat petentis honori, et ab alia vitet ejus sacrilegium. Quod tunc magis sobrie, et cum minoribus inconvenientibus fieret, ubi peccator moneretur, et sciret antecedenter sibi ministrandam hostiam non consecratam ; et sacerdos ne circunstantes hanc adorarent, et ut omnis idololatria etiam materialis vitaretur, hostiam rite consecratam publice ostenderet adorandam, et post illam, sive a tergo haberet non consecratam, quam peccatori præberet. Posse ergo hostiam non consecratam (hoc, aut altero modo res disponatur), peccatori ministrari affirmant D. Bonavent. in 4, dist. 9, art. 2, quæst. 4, ad ultimum. Angles *de suscip. Eucharistiam* difficult. 4, Villalob. tract. 7, difficult. 38, num. 6. Ludovicus de S. Joan. tom. 1, quæst. 7, art. 4, difficult. 4, Javellus *in Philosophia Christiana* part. 5, tra. 4, cap. 60, Franciscus de Lugo, *de principiis Theolog. moral.* part. 2, cap. 6, quæst 7. Quod probant : quia in prædicto casu nulla occurrit gravis inordinatio. Non quidem periculum idololatriæ in ordinatione circunstantium tum quia non offerretur adoranda hostia non consecrata, sed consecrata. Tum quia fidelium adoratio non refertur ad hanc, aut illam hostiam a sacerdote expositam, sed ad Christum, in quacumque illarum sit. Dicere autem fictionem, aut simulationem in sacramentis perniciosam esse, non multum urget : quia negari non potest esse aliquando licitam ex rationabili causa : sic enim solet sacerdos fingere pœnitentem coram multis absolvere, ubi reperit ipsum indispositum, præmonendo tamen illum, quod non recitabit absolutionem, sed aliam deprecationem ad vitandum ejus infamiam. Cur ergo non licebit ad vitandum gravissima incommoda, quæ abstinenti a publica communione imminent porrigere hostiam non consecratam cum cautionibus, et circumstantiis supra insinuatis ?

Sed sententia negans est communis inter Theologos, paucis illis exceptis proxime relatis, ut testantur Dicastillo in tract. *de Eucharistia* disp. 9, dub. 21, Prado quæst. 80, dub. 8, § 5, num. 44, Castro Palao tom. 1, tract. 2, disp. 1, punct. 13, Aversa quæst. 80, sect. 5, § *Sed tamen*, et alii communiter. Probatur ex Div. Thom. quæst. cit. art. 6 ad. 2. ubi ait : « Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ ; quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idolatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive ipsum sumentem : quia

« quia ut Augustinus dicit : Nemo carnem « Christo manducet, nisi prius adoret. « Unde in Extravag. de celebrat. Missar. « cap. De homine (desumpta ex Innocentio « Tertio) dicitur : Licet is, qui pro sui « criminis conscientia reputat se indignum « peccat graviter, si se ingerat irreverenter « ad illud ; gravius tamen videtur offen- « dere qui fraudulenter illud præsumpsit « simulare. » Et idem docet in 4, dist. 9, quæst. 1, art. 5, quæst. 1 ad 4, ubi etiam expendit verba alterius Decretalis in simili casu : « Falsa sunt abjicienda remedia, « veris periculis graviora. » Merito autem dixit Div. Thomas : *Nullo modo debet dari*, ut sic evidentius excluderet omnem casum excogitabilem, et sive illud fiat inscio recipiente, sive cum ejus notitia ad evitandum infamiam apud alios. Probat autem Sanctus Doctor suam, et communem resolutionem duobus et satis solidis fundamentis, quæ possumus ad brevem formam reducere. Primum, quia nequit vitari periculum idololatriæ, aut adorandi rem indignam adoratione : sive enim hostia non consecrata exponatur, sive ponatur post tergum alterius, omnes adstantes adorant, quod communicanti porrigitur. Quia et sacerdos reverenter ministrans, et alter religiose suscipiens eum cultum externum adhibet qui soli vero sacramento debetur. Intervenit ergo ibidem idololatriæ saltem materialis, et sacrilega superstitio, illam causante sacerdote, ita nimirum disponente, atque ministrante. Et quamvis Vazquez disputat. 110, cap. 5, et disputat. 220, cap. 4, et aliqui post ipsum conati fuerint variis subterfugiis vim hujus motivi diruere ; nihil tamen effecerunt : quia ad summum vitant idololatriam formalem, non tamen materialem, et ex modo procedendi ex parte sacerdotis, ut proxime indicavimus. Secundum est, quia non licet adhibere fictionem perniciosam : talis autem est illa, qua sacerdos vel verbis, vel gestu, vel facto ipso affirmat esse Christum, et verum Deum, quod re vera non est, uti se gerit præbendo alteri publicam communionem in hostia non consecrata ; ergo illicitum est sacerdotem uti tali fictione. Quare vel debet negare simpliciter communionem peccatori, si sit publicus, ut ostendimus § 1, num. 89, vel debet dare veram communionem peccatori si sit occultus, et publice petat, ut statuimus § 2, per totum.

99. Quæ vero pro contraria sententia expendunt, levia sunt : nam ad primum jam ostendimus in prædicto casu non vitari omnino periculum idololatriæ in sacerdote ministrante, atque in suscipiente saltem ex vi modi agendi religiose erga hostiam non consecratam. Et quod dicitur adorationem non dirigi ad hostiam, sed ad Christum, in qualibet hostia sit ; ridiculum plane est : quia adorare etiam debemus non solum Christum, sed etiam ejus sacramentum, ubi exponitur vel in manu sacerdotis, vel in vase, vel in ore suscipientis : unde qui exponit, quod non est sacramentum, præbet de se occasionem idololatriæ, sive adorationis superstitiosæ, erga rem scilicet, cui non debetur. Quod ex genere non solum est malum, sed pejus quid, quam porrigere verum sacramentum publico peccatori : sicut deterius est sacerdotem fingere se celebrare verum Missæ sacrificium, quam in vero sacrificio communicare sacrilege. Dispelluntur opposita.

Ad secundum constat fictionem in prædicto casu esse perniciosam, atque ideo illicitam et vitandam. Disparitas autem inter hunc casum, et alterum sacerdotis fingentis absolutionem, ea est, quod fingere esse sacramentum, quod non est sacramentum, est quædam species mendacii, atque ideo quid illicitum. Sed occultare justis de causis, quod sacramentum non perficitur, quando adest justa ratio prædictæ occultationis, nullam importat deformitatem, aut malitiam. Et hoc modo se gerit sacerdos, qui cum non reperiat pœnitentem dispositum, nec impertiri illi valeat absolutionem, et aliunde teneatur, non manifestare proximi defectum ; illum occultat, non quidem fingendo esse, quod non est, sed dicendo aliquas orationes, quamvis adstantes putent absolutionem esse : habet enim sacerdos in prædicto casu justum motivum per mittendi deceptionem hujusmodi. Fingere itaque sacramentum non licet : sed licet dissimulare, et occultare defectum sacramenti. Quod recte declarat Prado loco cit. exemplo fucationis, qua fœminæ solent uti, et quam Div. Augustinus epist. 73, dixit non fieri sine peccato. Et tamen Angelicus Doctor 2, 2, quæst. 169, art. 2, inquit : D. Aug. D. Tho. « Sciendum, quod aliud est fingere pulchri- « tudinem non habitam ; et aliud occultare « turpitudinem ex aliqua causa provenien- « tem, puta ægritudine, vel aliquo hujus- « modi : hoc enim est licitum. » Sic ergo

inter prædictos casus distinguere oportet: nam unus importat fictionem rei non existentis, et alter meram occultationem latentis defectus, quæ ab aliis expedit non cognosci. An vero hinc colligatur, quod etsi sacerdos nequeat hostiam non consecratam ministrare loco consecratæ ; queat tamen in urgenti casu simulare se homini (prius de re monito) dare hostiam revera consecratam ; cum tamen illam occulte dimittat in pixide, et recondat in custodia ; non oportet nunc definire. Id probabile esse docent Henriquez lib. 8, cap. 33, num. 3, Joannes Sanctius in selectis disp. 35 num. 9, Diana part. 4, tract. 4, resolut. 47, et Leander tract. 7, disp. 7, quæst. 61. Et certe ab isto casu nequit trahi consequentia aut paritatis ratio ad præmissum : quia in isto solum intervenit occultatio quædam, aliquando licita, ut proxime dicebamus.

Alia difficultas remissive.

Henriq. Sanct. Leand. Diana.

Dubium quartum.

100. Quarto inquiritur, an quamvis per se loquendo illicitum sit dare sacramenta peccatori publico publice petenti, et etiam cuicumque vehementer suspecto, ut supra statuimus nu. 89, liceat tamen, ubi crimen est dubium, alicui ministrare sacramentum, et præsertim Eucharistiam, ut infamatus purget delictum ? Et plane sic olim erat in usu, ut constat ex Concilio Wormatiensi, can. 10, ubi statuitur, quod si Episcopo, aut Presbytero crimen aliquod imputatur, missam celebret, et hoc modo de crimine objecto innocentem se ostendat ; alioquin quinquennio ab ingressu Ecclesiæ arceatur. Et can. 15 ejusdem Concilii decernitur, ut si intra monasterium furtum aliquod fieri contigerit, et author ejus ignoretur, fratresque ab hoc delicto purgandi sint ; Missa celebretur, et ab Abbate, vel ab alio de mandato ipsius singuli fratres Eucharistiam sumant, et hæc verba dicant, *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* Qui canones habentur in Jure cap. *si Episcopus*, et cap. *Sæpe* 2, quæst. 5, et eorum meminit Div. Thom. infra quæst. 80, articulo 6, in argumento tertio. Idque ex natura rei, sive ab intrinseco non esse malum docuerunt Joannes Major, Adrianus, quibus subscribunt Vazquez disputatione 210, et aliqui Recentiores. Quia sicut illicitum non est a suspecto de crimine extorquere juramentum ; sic etiam non apparet illicitum obligare suspectum de crimine, ut suscipiat sacramentum : sicut enim præsumitur, quod talis magis recusabit jurare falsum, quam manifestare delictum : sic etiam præsumitur, quod magis recusabit sacramentum accipere, quam peccatum indigne revelare. Ubi nulla intervenit Dei tentatio, vel erga sacramentum irreverentia.

Concil. Worm.

D. Tho.

Vazq.

Sed quidquid fuerit de antiquorum usu, et quidquid sit, an administratio sacramenti ob talem finem sit ab intrinseco, secundum se, et objective peccaminosa : communis sententia est administrationem sacramentorum ex tali fine nunc non licere, ut docent ipse Vazquez proxime relatus, Soto in 4, distin. 12, quæst. 1, articulo 6 ad 3, Raphael a Torre 2,2, quæst. 97, articulo 4, disput. 2, conclusione 4, Prado infra quæst. 80, dubio 8, § 5, Suarez disput. 67, sectione 6, et alii communiter. Et probatur auctoritate simul, et motivis Div. Thom. infra quæst. 80, articul, 6 ad 3, ubi ait : « Dicen- « dum quod decreta illa (*quæ proxime recensuimus*), sunt abrogata per contraria « documenta Romanorum Pontificum. Dicit « enim Stephanus Papa : Ferri candentis, « vel aquæ ferventis examinatione confes- « sionem extorqueri a quolibet sacri canones « non concedunt. Spontanea enim confes- « sione, vel testium approbatione publicata « delicta commissa sunt regimini nostro in- « dicanda: occulta vero, et incognita illi sunt « relinquenda, qui solus novit corda filiorum « hominum. Et idem habetur extra de pur- « gationibus cap. *Ex tuarum.* In omnibus « enim talibus esse videtur Dei tentatio : « unde sine peccato fieri non possunt. Et « gravius videtur, si hoc sacramento (*scilicet « Eucharistiæ*) quod est institutum ad reme- « dium salutis, aliquis incurreret judicium « mortis. Unde nullo modo corpus Christi « debet dari alicui suspecto de crimine, « quasi ad examinationem. » Qui Div. Thomæ discursus reducitur ad hanc formam, et peculiari rei, quam versamus, applicatur : quoniam omnis actio, in qua tentatur Deus, est illicita : sed ministrare alicui sacramentum eo fine, ut fateatur crimen, vel purgetur a suspicione, est actio tentans Deum : ergo non licet sacramenta suspecto de aliquo crimine ob eum finem ministrare. Major constat ex allegatis Pontificum Romanorum decretis. Et minor etiam constat a paritate aliarum purgationum reprobatarum in jure : nam hæc, aut illa facere, quæ connexionem cum veritate non habent ex intentione veritatem investigandi, est formaliter, aut æquivalenter Dei

Dub[...] reso[...] tio[...]

Vas[...] Sot[...] Tor[...] Pra[...] Suar[...]

Prob[...] ex Tho[...]

Dei tentatio : ergo idem dicendum est de ministratione Eucharistiæ ob eundem finem.

Quæ autem pro contraria parte referebantur, non urgent. Nam illa decreta abrogata sunt tam per contraria decreta Romanorum Pontificum reprobantium in genere extravagantes illas probationes, quam per oppositam consuetudinem adeo jam radicatam, ut non liceat contra illam procedere. Unde in cap. *Ex tuarum, de purgatione canonica* dicitur : « Quia pere« grina indicia sunt inhibita, purgationem, « quam fecit, sufficere non putantes etc. » Nec mirum Concilium illud Wormatiense minus recte hæc disposuisse : quia Provinciale tantum fuit, et paucorum Episcoporum. Quod vero additur, ad summum probat applicationem sacramenti ad modum præcise cujusdam obtestationis, et juramenti, sive in testimonium innocentiæ, non esse ab intrinseco illicitum : quod permittimus. Sed tamen hoc ipsum expositum est non levi sacramentorum irreverentiæ, et multis sacrilegiis: præsertim ubi quis cogeretur Eucharistiam suscipere. Et certe de facto nullus minister, nullus prælatus habet auctoritatem ad ista. Damnandus tamen e contra non esset, qui sua sponte, et sine alterius coactione, vel mandato pro asserenda, et confirmanda sua innocentia sacramentum acciperet : cessant namque in eo casu objecta inconvenientia, et motiva. Unde scimus Gregorium Septimum Pontificem ita fecisse coram Henrico Quarto Imperatore in testimonium propriæ innocentiæ, quin et illum invitasse ad communicandum, et simile testimonium reddendum ; Henricum autem ausum non fuisse sacramentum accipere, ut ex Lamberto de rebus Germaniæ refert, Suar. loc. cit.

101. Quinto, et ultimo dubitari potest, an minister, qui indigno ministrat sacramentum, committat duo peccata specie distincta ? Et omnes fere Auctores in eo conveniunt talem ministrum non committere duo peccata (si duo committit), ex eo præcise, quod ex una parte cooperetur peccato suscipientis, et ex alia sacramentum indigne tractet : sicut plane hoc ultimum committeret, si Eucharistiam v. g. projiceret in lutum, vel conculcaret ; inferret enim et illi, et Deo specialiorem injuriam. Et primum illud probatur : quia per se loquendo, et ut communiter contingit, tota irreverentia, aut mala tractatio sacramenti ab illo ministro, qui illud dispensat indigno, consistit in eo, quod sacramentum confert indigno : hoc autem est inseparabile, et imprescindibile a cooperatione ad peccatum indigne suscipientis ; sed coincidit prorsus cum tali cooperatione : ergo si sacerdos in tali casu committit duo peccata, non ideo est, quia unum sit illicitæ cooperationis, et alterum indignæ tractationis : hæc enim, ut ostendimus, non sunt duo aliqua, sed indivisibiliter tum physice, quam moraliter unum. Unde prædicta via verificari non valet ministrum in tali casu committere duo peccata. Et ideo absolute dari in tali casu duo peccata negat Vazquez disp. 209, cap. 1. Et movetur tum ex præmisso fundamento: tum ex eo, quod malitia indigno ministrantis, et malitia indigne suscipientis est eadem specie malitia : ergo non relinquitur locus, ut dispensatio ministri sit ex aliquo capite peccatum specie diversum a peccato cooperandi indigne suscipienti : atque ideo minister in tali casu non committit duo peccata, sed unum. Utraque consequentia patet. Et antecedens probat Vazquez : quia tota malitia tam ministri, quam suscipientis in prædicto casu consistit in eo, quod impediant significationem sacramenti : quippe quod de se causat, et significat gratiam in eo productam ; et hoc effectu, atque significatione ipsum privant indigno ministrans, et indigne suscipiens : est ergo utriusque idem specie peccatum. Unde a fortiori infert prædictus auctor sacerdotem, cum sibi ministrat Eucharistiam, non committere nisi unum peccatum sacrilegæ communionis. Senten. Vasquii.

Sed longe verior, sicut et communior, est opposita sententia affirmans ministrum in tali casu committere duo peccata specie diversa : quam tuentur Soto in 4, dist. 12, q. 1, art. 6, § *Et ratio quare*. Suarez disp. 67, sect. 1, Lugo, disp. 8, sect. 12, num. 199, Prado quæst. 80, dub. 8, 3, et alii. Probatur destruendo simul oppositum Vazquii fundamentum : nam in primis, qui indigno ministrat, committit peccatum indignæ tractationis sacramenti, quod idem specie est cum peccato cooperandi cum indigne suscipiente, ut Vazquez probat: sed ulterius prædictus minister committit aliud peccatum specie distinctum: ergo commitit duo peccata specie diversa. Probatur minor : quia minister tenetur specialiter ex officio, sive Vera sententia. Sotus. Suarez. Lugo. Prado. Fundamentum.

consecratione distribuere recte et fideliter sacramenta; quippe non est eorum dominus, sed minister, et dispensator, ut supra arguebamus num. 87: ergo violat specialiter hujusmodi debitum, quando infideliter agit distribuendo indignis sacramenta: atque ideo committit peccatum specie distinctum ab eo, quod in cooperando indigne suscipienti consistit. Idque amplius declaratur ad hominem: nam Vazquio concedente, peccatum ministri ut cooperatoris est idem specie cum peccato indigne suscipientis: sed suscipiens non agit contra debitum fidelis dispensationis sacramentorum; siquidem ad suscipientem ut talem non pertinet dispensare sacramenta: ergo cum minister agat contra prædictum debitum, et in eo violando peccet: sequitur ministrum committere aliud peccatum specie diversum ab illo, quod committit simul cum indigne suscipiente, et in quantum eidem cooperatur in frustando sacramentum.

Solvitur motivum contrarium.

102. Unde patet ad oppositum fundamentum. Patet etiam statuendum esse oppositum consectarium, nempe sacerdotem, qui de manu sua (ut aliquando extra Missam contingit), accipit Eucharistiam indigne, committere duo peccata specie diversa: unum indignæ sumptionis, et alterum infidelis dispensationis: quia non solum peccat aliis infideliter dispensando, sed etiam sibi: abutitur enim facultate ministri. Sicut Pontifex non minus peccat dispensando sine causa secum in voto, quam si cum aliis sine causa in eadem materia dispensaret: violatur enim in utroque casu speciale debitum administrandi fideliter. Ex quo ulterius fit sacerdotem facta prædicta suppositione non satisfacere præcepto confessionis dicendo se extra Missam indigne communicasse; sed explicare debet, quod sibi ministraverit Eucharistiam: quia hoc ultimum non explicatur sufficienter per illud primum, et aliunde addit diversam specie malitiam.

Nota.

Sed qui indigne Missam celebravit, satisfacit dicendo se in peccato celebrasse: quia ibidem satis comprehenduntur, atque explicantur tria peccata ab indigne celebrante commissa, nempe conficiendi in peccato sacramentum, ministrandi infideliter sacramentum sibi indigno, et denique suscipiendi illud indigne, ut recte observavit Lugo loco cit. num. 202. Solent aliqui hoc loco agere de peccato ministri in dispensando sacramenta excommunicatis, et rem attigit N. Franciscus cap. 7, punct. 9, num. 74. Consideratio tamen est in præsenti non necessaria, sed pertinens per se ad materiam de censuris. Modo satis sit dicere, quod denuntiatis, et manifestis clerici percussoribus non possunt ministrari sacramenta, nisi prius absolvantur, aut verosimiliter præsumantur absoluti. Aliis vero non obligatur minister negare sacramenta ex vi censuræ; sed ex generali ratione, atque motivis supra traditis, quod indigne, aut indebite accedant. Videantur N. Cornejo in tract. *de excommunicat.* disp. 10, dub. 1, § 2, Vazquez in eodem tractatu dub. 2, num. 12, Bonacina *de censuris* disp. 2, quæst. 2, punct. 1, § 2, et alii.

Alia difficu... tas r... missiv...

N. Fr... N. Co... Vas... Bona...

DUBIUM VI.

An, et quomodo sacramenti minister causet gratiam in suscipiente sacramentum?

Post tam multa dicta de sacramentorum ministro, quæ requiruntur tam ad validam, quam ad licitam eorum dispensationem, unum tantum superesse videtur ad completam rei notitiam, nempe qualiter minister comparetur ad gratiam, quæ sacramenta producunt in suscipientibus. Et supponimus ministrum non esse causam principalem illius: hujusmodi namque influxum soli Deo convenire jam supra statuimus cum D. Thom. in notis ad articulum primum hujus quæstionis. De alio itaque modo inferiori concurrendi, nempe instrumentaliter, aut ministerialiter nunc sermo est. Qui influxus potest esse vel physicus præcise, vel moralis præcise, vel denique importare utrumque modum.

Supp... tio...

Deinde nota dupliciter dici aliquem sacramentorum ministrum primo: quia illa vere efficit, et applicat, ut contingit in omnibus sacramentis consistentibus in usu, ut in baptismo, confirmatione etc. fieri namque non valet, quod minister ea applicet, quin et efficiat. Alio modo dicitur quis minister sacramenti, non quia ipsum efficiat, sed quia præcise administrat, ut contingit in unico, et solo Eucharistiæ sacramento: quia cum permanens sit, potest per unum ministrum fieri, et applicari postea per alium. Præsens autem difficultas refertur ad ministrum efficientem sacramenta, qui proprie et absolute minister appellatur; non autem ad ministrum mere applicantem: quamvis et de isto aliquid incidenter dicere oporteat

Al...

oporteat. Denique advertendum est ministrum efficientem sacramenta, sive proprie dictum, de quo scilicet principaliter agimus, alium esse consecratum, sive operantem ex speciali characteris virtute, sicut se habet sacerdos ad absolvendum, et Episcopus ad confirmandum etc. alium vero non consecratum, sive agentem absque speciali deputatione, uti comparantur omnes homines ad baptizandum, sive sint viri, sive mulieres, et sicut concurrunt conjuges ad celebrandum matrimonium. Et quæstio, ut cum majori brevitate, et perspicuitate resolvatur, trahitur ad ministros consecratos. Quid vero de non consecratis dicendum sit, incidenter adnotabimus. Est itaque dubii sensus, an, et quomodo minister consecratus efficiens sacramenta influat in gratiam, quæ in sacramentorum susceptoribus producitur. Quæ difficultas, suppositis, quæ de sacramentorum causalitate diximus disp. 4, non plura exposcit. Et ideo juxta sensum immediate præmissum.

§ I.

Veritas aliquibus assertionibus explicatur.

103. Dicendum est primo ministrum sacramentorum vere influere in gratiam, quæ in suscipientibus sacramenta producitur. Hæc conclusio prout jacet, et præscindendo a qualitate concursus, est non solum communis inter Theologos, sed etiam de fide, ut specialiter observant Soto in 4, dist. 1, quæs. 5, art. 2, circa 2, concl. Cabrera in hac quæst. art. 1, disp. 3, Prado dub. 1, num. 6, Vazquez disp. 135, cap. 3, et alii. Probatur primo ex sacra Scriptura, quæ non minus, sed magis perspicue attribuit sacramentorum ministris influxum in gratiam, quam ipsis sacramentis: sed sacramenta nostra vere causant gratiam in subjectis, quibus applicantur: ergo idem de ministris sacramentorum dicendum est. Consequentia patet. Et minor constat ex dictis disp. 4, dub. 1, ubi ostendimus illam esse de fide. Major autem ostenditur manifestissimis Scripturæ testimoniis: nam Joan. 30, dixit Christus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Et Matth. 18: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis*. In quibus aperte significatur ministros sacramenti pœnitentiæ remittere peccata, et solvere a peccatis: quod non verificatur, nisi causent remissionem et solutionem: quæ remissio, et solutio fiunt formaliter per gratiam justificationis in suscipientibus tale sacramentum productam: quippe justificatio nostra non contingit absque justitia inhærente, et unicuique propria, ut fides docet, et ex professo ostendimus tract. 15, disput. 2, dub. 1: ergo Scriptura non minus, sed magis attribuit sacramentorum ministris influxum in gratiam, quam ipsis sacramentis. Eandem vim habent illa verba Christi Matth. ult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomie Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: nam significant ministros sacramenti baptismi abluere non solum exterius, sed etiam, et multo magis interius, a sordibus peccatorum: quæ interior ablutio per gratiam fit.

Probatur secundo ex Conciliis: nam in Constantiensi, in Bulla Martini V, inter alia, de quibus interrogari præcipitur suspectos de hæresi Wiclephi, hæc interrogatio continetur: « Utrum credant, quod « malus sacerdos cum debita forma, ma- « teria, et intentione faciendi, quod facit « Ecclesia vere consecret, vere baptizet, « vere absolvat etc. » Ubi notum est, non peti assensum circa veritatem actionum externarum consecrandi, baptizandi, et absolvendi, quæ ipso evidenti sensuum judicio discernuntur, et comprehenduntur; sed efferri ad illas actiones passive sumptas, sive ad effectum conversionis panis in corpus Christi, et liberationis a peccatis, sive infusionis gratiæ justificantis, quæ in baptismo, et pœnitentia contingit. Sentiebat ergo Concilium ministros sacramentorum vere efficere tales effectus. Et similiter docet Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 1, ubi ait: « Dominus autem sacramentum « Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum « a mortuis suscitatus insufflavit in disci- « pulos suos dicens: Accipite Spiritum « Sanctum, quorum remiseritis peccata, « remittuntur eis, et quorum retinueritis, « retenta sunt. Quo tam insigni facto, et « verbis tam perspicuis potestatem remit- « tendi, et retinendi peccata ad reconci- « liandum fideles post baptismum lapsos, « Apostolis, et eorum legitimis successori- « bus fuisse communicatam universorum « Patrum consensus semper intellexit. » Et cap. 6, docet « absolutionem sacerdotis « non esse nudum ministerium, vel an- Probatio ex Conciliis.

« nuntiandi Evangelium, vel declarandi « remissa esse peccata etc. » Et hanc doctrinam diffinit can. 3, et 9, et 10, et sess. 23, can. 1. Sacerdos igitur absolvens causat vere remissionem peccatorum in sacramento pœnitentiæ : quod minime verificari valet, quin vere causet gratiam, qua ea remissio formaliter fit.

Ratio fundamentalis.

104. Probatur tertio ratione theologica, ex omnibus allegatis testimoniis desumpta: quoniam si minister dispensans sacramenta non causaret vere effectum gratiæ, quæ in suscipientibus producitur; minime salvaretur veritas formarum sacramentorum, v. g. *Ego te baptizo, confirmo, absolvo etc.* consequens nequit sustineri : ergo fateri omnino necessarium est, quod minister vere causat gratiam in suscipientibus sacramenta. Sequela probatur : quia prædictæ formæ in proprietate sermonis significant ministrum abluere a peccatis, solvere a peccatis, dare robur ad confessionem, et defensionem fidei etc. unde ut prædictæ formæ verificentur, necessarium est rem ita se habere, quod minister vere abluat spiritualiter, vere solvat, vere confirmet : ergo nisi res ita se habeat, et minister causet gratiam, quæ præstat formaliter eos effectus, nequit salvari veritas formarum sacramentorum. Falsitas autem consequentis satis liquet : tum quia per se apparet absurdum, quod formæ a Christo institutæ sint falsæ : tum quia nostra sacramenta efficiunt, quod significant : quare si eorum significatio esset falsa, nullus foret illorum effectus.

Effugium.

Nec proderit dicere ad salvandum veritatem prædictarum formarum non requiri, quod minister vere causet prædictos effectus ; sed sufficere, quod concurrat ut applicans veram illorum causam, nempe sacramenta. Sic enim videmus vel in naturalibus verificari : nam si ego applicarem ignem ad comburendum Petrum, possem dicere : *Ego te comburo :* non quia actio combustiva a me procederet, vel quia vere efficerem ignem in passo, sed quia applicarem causam, a qua ille effectus procederet. Simili itaque ratione ut verificetur *Ego te baptizo, Ego te absolvo etc.* necessarium non est effectum gratiæ, qui ibi significatur, a me procedere, aut me in illum vere influere; sed sufficit, quod applicem sacramenta baptismi, et pœnitentiæ, quæ immediate, unice, et per se illos effectus attingant. Id, inquam, non satisfacit, sed refellitur primo : nam de eo, qui præcise concurrit applicando causam, non verificatur in rigore, et proprietate sermonis producere talis causæ effectum, sed solum secundum quid, et cum addito diminuente, nempe *applicative :* e contra autem verba sacramentorum (sicut et Scripturæ, Conciliorum, et Patrum) debent verificari cum omni proprietate, quam admittunt, et quæ non repugnat : cum igitur prædicta formarum verba admittant, quin petant juxta proprietatem sermonis, quod minister vere causet effectum, quo fit formalis ablutio, et solutio peccatorum : et ministrum ita concurrere minime repugnet (quippe nulla major repugnantia apparet in concursu ministri, quam in concursu sacramentorum), sequitur ad veritatem prædictarum formarum pertinere, quod minister vere influat in gratiam, quæ est effectus sacramentorum.. Refellitur secundo, et urgentius : nam ideo applicans ignem ad comburendum non influit vere in combustionem, quia non est causa ignis applicati ; unde ad prædictum effectum dumtaxat concurrit pure, et mere applicative. Cæterum sacramentorum minister vere conficit ipsa sacramenta tanquam Dei minister, et instrumentum : ex qua radice provenit necessariam esse intentionem ministri ad valorem sacramentorum in se ipsis, et pro priori ad effectum, ut late ostendimus dub. 2. Quare si sacramenta vere causant gratiam in suscipientibus, ut negari salva fide non potest; idem de ministro sacramentorum dicendum est : hic enim locum habet vulgare illud : Quod est causa causæ, est causa causati in eodem genere causæ. Quod motivum optime insinuavit D. Thom. in hac quæst. art. 1, in fine corporis, illis verbis : « Secundo autem modo (*nempe instrumentaliter*) homo « potest operari ad interiorem effectum « sacramenti, in quantum operatur per « modum ministri : nam eadem ratio est « ministri, et instrumenti: utriusque enim « actio exterius adhibetur ; sed sortitur « effectum interiorem ex virtute pricinpalis « agentis, quod est Deus. » Et in resp. ad ultim. addit : « Res inanimatæ non operantur aliquid ad interiorem effectum, « nisi instrumentaliter, ut dictum est. Et « similiter homines non operantur ad sacramentorum interiorem effectum, nisi « instrumentaliter. » In quo sensu concedit

Præcl ditu

D. T

cedit argumento, quod minister aliquid operatur ad interiorem effectum sacramenti, et non solus Deus.

105. Confirmatur : quoniam ministri consecrati, sive agentes ex officio, tales constituntur per characterem : sed character est quædam virtus instrumentalis ad attingendum effectus sacramentorum : ergo ministri consecrati, sive agentes ex officio constituuntur instrumenta in actu primo per characterem : ergo attingunt vere, licet instrumentaliter, effectus sacramentorum. Cætera constant. Et minor, in qua poterat esse difficultas, constat ex dictis disput. 5, dub.2, § 4, et traditur a Div. Thom. quæst. præced. artic. 2, in corp. ubi ait : « Character importat quandam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea, quæ sunt « divini cultus. Sciendum tamen, quod « hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est de « virtute, quæ est in sacramentis. Habere « enim sacramenti characterem competit « ministris Dei. Minister autem habet se « per modum instrumenti,ut Philoph.dicit « in 1, *Politic.* Et ideo sicut virtus, quæ « est in sacramentis, non est in genere per « se, sed per reductionem, eo quod est « quiddam fluens, et incompletum, ita « etiam character non proprie est in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis. » Et totum hujus confirmationis discursum docet idem S. Doctor in 4, dist. 8, quæst. 2, art. 3 ad 9, ubi ait : « Dicendum, quod quando aliquod opus perficitur pluribus instrumentis, virtus instrumentalis non est complete in uno, sed incomplete in utroque : « sicut manu, et penna scribitur. Et similiter contingit in proposito : quia « virtus instrumentalis ad faciendum « prædictam conversionem non tantum « est in verbo, vel in sacerdote, sed in « utroque incomplete : quia nec sacerdos sine verbo, nec verbum sine « sacerdote conficere potest. Et quia sacerdos est similor principali agenti, « quam verbum, quia gerit ejus figuram; « ideo simpliciter loquendo, sua virtus instrumentalis est major, et dignior : unde « etiam permanet,et ad multos hujusmodi « effectus se habet : virtus autem verbi « transit, et ad semel tantum est. Sed secundum quid est potentior virtus verbi,in « quantum effectui propinquior quasi signum ipsius: sicut etiam penna est scripturæ propinquior; sed manus scribenti. » Ex quibus liquet ad ministrum sacramentorum pertinere non solum sacramenta applicare, sed etiam sacramenta efficere, et simul cum sacramentis eorum effectus producere.

106. Dicendum est secundo ministrum sacramentorum efficere instrumentaliter physice in suscipientibus gratiam, quæ est sacramentorum effectus. Hanc conclusionem docent omnes Auctores, qui sacramentis nostris attribuunt physicum influxum in gratiam, quam causant : et eos dedimus disp. 4,dub. 4, num. 51. Probatur ratione : quia sicut sacramenta causant gratiam, ita et ministri causant gratiam, quæ est sacramentorum effectus : ergo sicut sacramenta causant physice instrumentaliter gratiam, ut ostendimus loco immediate citato ; sic etiam sacramentorum ministri causant physice gratiam, quæ est sacramentorum effectus. Antecedens constat ex assertione præcedenti. Et consequentia probatur : quoniam sicut non implicat sacramenta causare physice gratiam ; sic etiam non repugnat ministros eandem gratiam physice producere: et sicut ad dignitatem sacramentorum legis gratiæ pertinet, quod physice causent; sic etiam ad dignitatem ministrorum legis gratiæ spectat, quod physice efficiant : ergo idem tam de ministris, quam de sacramentis dicendum est. Secunda conclusio. Ratio.

Confirmatur : quia ut numero præced. vidimus ex Div. Thom. virtus instrumentaria data ad producendum sacramentorum effectus, non est solum in sacramentis, sed etiam in sacramentorum ministris : unde habet esse incomplete in sacramentis, et incomplete in ministris, complete vero in utrisque. Sed virtus, qua elevantur sacramenta nostra, est virtus physica ; unde sacramenta physice instrumentaliter producunt suos effectus,ut ostendimus loco citato: ergo pariter in ministris est aliqua virtus physica,per quam physice instrumentaliter producunt effectus sacramentorum. Quæ proportio magis explicatur similitudine, qua utitur D. Thomas ; nam ita respectu Dei principaliter producentis gratiam comparantur minister, et sacramentum, sicut respectu animæ principaliter causantis significationem scripturæ comparantur manus, et calamus : sed eodem motu moventur ab anima manus, et calamus ad Confirmatio.

scribendum : ergo eodem motu moventur minister, et sacramentum ad producendum gratiam : atque ideo sicut sacramentum physice elevatur, et physice instrumentaliter influit in gratiam, sic etiam de ministro dicendum est. Et plane nihil difficile in hac parte potest circa ministrum occurrere, quod non occurrat etiam in sacramento, et a nobis superatum non fuerit. Quare non oportet hæc amplius expendere.

Tertia conclusio. 107. Dicendum est tertio ministrum sacramentorum causare moraliter gratiam, quæ est sacramentorum effectus. Ita D. Tho. ut statim videbimus, Soto in 4, dist. 1, quæst. 5, art. 2, § *Hæc autem quæstio*, Prado quæst. 64, dub. 1, num. 11, Cabrera in præs. art. 1, disp. 5. Idem a fortiori tuentur omnes Auctores relati disp. 4, dub. 4, num. 67, qui sacramentis nostris negant influxum physicum in gratiam, deferentes illis præcise causalitatem moralem. Probatur ratione : quia ministro sacramenti attribuenda est causalitas, cujus est capax : sed minister sacramenti est capax influxus, seu causalitatis moralis in gratiam, quæ est sacramentorum effectus : ergo sacramenti minister influit moraliter in prædictam gratiam.

D. Tho. Soto. Prado. Cabrera

Objectiones. Ecce vero, insurgunt Recentiores, et inconsequentiæ evidentis, ut ipsi opponunt, nos arguunt, qui cum disp. 4, dub. 2, statuerimus, et ex professo docuerimus sacramenta non esse causas morales gratiæ, quæ in eis producitur, modo affirmamus sacramentorum ministros influere moraliter in prædictam gratiam. Inconsequentia autem ostenditur : tum quia quod gratia conferatur a ministris, clarius ex Scriptura colligitur, quam quod conferatur a sacramentis, ut supra insinuavimus, nu. 103 ; sed ut verificetur, quod gratia confertur a sacramentis, ut significatur in Scriptura, affirmamus necessarium esse, quod sacramenta influant non moraliter, sed physice, ut expendimus loco citato : ergo nisi inconsequenter agendo, non possumus affirmare ministros esse causas morales sacramentorum. Tum etiam quia minister, et sacramentum constituunt unum instrumentum completum, et elevantur, aguntque per eandem virtutem, ut diximus num. præced. sed sacramenta, ut affirmamus, non sunt instrumenta moralia, nec moraliter influunt : ergo inconsequenter dicimus ministros esse causas morales, et moraliter concurrere ad gratiam, quæ est effectus sacramentorum. Tum denique, nam quia minister, et sacramentum agunt eadem virtute, et influxu ; et sacramenta agunt physice ; probavimus ministrum influere physice in sacramentorum effectum : ergo si consequenter loquimur, inferre debemus, quod sicut sacramenta non agunt moraliter, ita etiam nec moraliter agit sacramentorum minister. Sed dum in uno retinemus similitudinem, eamque in alio deserimus, non levis inconsequentiæ convincimur.

108. Sed hæc opponentes ipsi irridendi sunt, qui nolunt, aut nesciunt distinguere inter instrumentum inanime, cujusmodi est aqua, vel oleum, vel similia, quibus constant sacramenta ; et inter instrumentum, aut ministrum ratione præditum, qualis est homo. Igitur quod sacramenta non sint causæ morales, saltem propria, merito a nobis statutum fuit : quia ubi non est capacitas ad rationem, et libertatem, nec est capacitas ad moralitatem, et influxum moralem proprie loquendo : sacramenta autem cum res inanimatæ sint, et pure externæ, non sunt capacia rationis, et libertatis, ac proinde nec moralitatis, aut influxus moralis, ut eo loco fusius expendimus. Cæterum alia ratio longe diversa de homine habenda est : qui sicut agit ratione, et libertate, sic etiam moraliter agit. Et sic fundatur absque ulla inconsequentia præsens conclusio : quoniam agens operans per intentionem, moraliter agit, et causat : sed minister sacramentorum agit per intentionem ; unde ejus intentio requiritur ad sacramentorum tum valorem in se, tum effectum in suscipiente, ut supra late ostendimus dub. 2 : ergo minister sacramentorum agit moraliter, et moraliter causat sacramentorum effectus. Confirmatur primo : nam agens liberum, et subjectum legibus est agens morale, et moraliter influens : constat autem evidenter ministrum sacramentorum agere libere, et cum subjectione ad leges : ergo minister sacramentorum est agens morale : atque ideo moraliter influit in eos effectus, quos tanquam minister attingit. Confirmatur secundo, et magis specialiter in aliquibus sacramentorum ministris : nam confessarius operatur ut judex, atque ideo moraliter. Sacerdos consecrat, et offert sacrificium : quæ sunt munia, et exercitia moralia. Conjuges celebrant

Satisfactio.

lebrant quendam contractum, et sic conficiunt matrimonii sacramentum : contractus autem est quid morale. Ergo negari nequit ministros sacramentorum esse causas morales, et moraliter causare eos effectus, quos respiciunt ut ministri.

e- ia sa- en- et im is- ex ho.

Quam differentiam inter sacramentum, et ejus ministrum facile discerent Recentiores ex D. Thom. in hac quæst. art. 8 ad 1, ubi inquit : « Dicendum, quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus : sed loco intentionis est motus, quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister), non solum movetur, sed etiam quodammodo movet se ipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti : ut scilicet intendat facere, quod facit Christus, et Ecclesia. » Et in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 1, ait : « Solus Deus remittit per se culpam. Et in virtute ejus agit instrumentaliter et baptismus ut instrumentum inanimatum, et sacerdos ut instrumentum animatum, quod dicitur servus, ut in 8, Ethicor. cap. 8, et ideo sacerdos agit ut minister. » Quod autem agit ut minister, et servus, libere, et moraliter agit. Est itaque minister sacramentorum instrumentum tam physicum, quam morale, et utroque modo influit in sacramentorum effectum : sicut etiam humanitas Christi utroque modo ad prædictum effectum concurrit : cum hac tamen differentia, quod humanitas Christi est instrumentum divinitati conjunctum, minister autem est instrumentum separatum.

itur ma ectio.

109. Ea vero, quæ a Recentioribus objiciuntur, levia sunt. Ad primum respondetur nos non probare sacramenta esse instrumenta physica ad producendum gratiam ex eo præcise, quod Scriptura doceat, aut significet sacramenta nostra esse veras gratiæ causas ; sed alio principio subsumpto, nempe sacramenta nostra non posse moraliter influere : inde namque legitime concluditur sacramenta nostra concurrere instrumentaliter physice ad prædictum effectum, ut evincitur sequenti discursu. Sacramenta causant vere gratiam, quæ in eorum usu producitur, ut esse de fide ostendimus disput. 4, dub. 1 ; sed sacramenta non causant moraliter gratiam, ut ibidem dub. 2 probavimus : ergo sacramenta instrumentaliter physice gratiam producunt. Præsertim cum in eo concurrendi genere nulla appareat repugnantia, ut constat ex ibidem dictis dubio 3, et 4. Hac igitur via probavimus sacramenta nostra esse instrumenta physica in producendo gratiam. Et eodem discursu facile probatur ministrum etiam concurrere instrumentaliter physice ad gratiam producendam : tum quia si hic concursus non repugnat in sacramentis, nec repugnabit in ministris : tum quia minister, et sacramentum constituunt unum instrumentum adæquatum, sicut manus, et calamus ; quare debent eodem motu applicari, et eodem causalitatis modo concurrere. Cæterum quod minister agit etiam moraliter, non eo discursu probamus, sed alio non minus efficaci, et evidenti, nempe quia minister est agens rationale, et operans ex intentione : quod et non amplius requiritur ad moraliter agendum, ut in omnibus aliis agentibus moralibus liquet. Porro nullam esse contradictionem in eo, quod idem instrumentum concurrat tam physice, quam moraliter, satis constat exemplo humanitatis Christi : aliudque exemplum statim proponemus.

Ad secundum concedimus majorem, et minorem, et negamus consequentiam : quia licet minister, et sacramentum constituant unum instrumentum physicum completum, et agant eadem virtute instrumentali completa physica ; nihilominus sacramentum solum est capax agendi physice, et ideo duntaxat physice agit. Sed minister est capax agendi tam physice, quam moraliter : ac subinde ultra concursum physicum sibi, et sacramento communem, habet etiam ulterius concursum moralem sibi proprium. Sicut si servus jussu domini arriperet gladium, quo hominem interficeret ; servus, et gladius causarent physice hominis occisionem, sed gladius solum concurreret physice, cum sit incapax libertatis, et moralitatis ; servus vero ab oppositam rationem concurreret non solum physice, sed etiam moraliter. Et hinc satis patet ad tertium : nam cum ex eo, quod minister, et sacramentum influant eodem concursu, et sacramenta influant physice, colligimus ministrum physice influere; optima quidem illatio est, supposito, quod non magis ministro, quam sacramento Solvitur secunda. Occurritur tertiæ.

physicus influxus repugnat, ut re vera minime repugnat. Sed si colligeretur, quod si sacramenta non agunt moraliter; nec minister moraliter influit; inepta plane foret consecutio: quia manifestum est ministrum esse capacem agendi moraliter, cujus contrarium in sacramentis supponitur: sicut certum est ministros se movere, agere libere, et operari ex intentione, et tamen nihil horum convenit sacramentis. Unde qui nobis inconsequentiam imponunt circa ista, minime callent unius, et alterius concursus proprietatem: et inde allucinantur.

Quarta conclusio. 110. Dicendum est quarto ministrum sacramentorum causare proxime, et immediate gratiam, quæ est illorum effectus. Hæc conclusio haud obscure colligitur ex præcedentibus, et legitimum illorum sensum exponit. Eam docent Sotus loco supra citato, Cajetanus in hac quæst. artic. 1, § *Adverte.* Cabera, disput. 5, numer. 7, Prado loco citato numer. 17, N. Franciscus cap. 7, punct. 1, numer. 7, Serra articulo 1, § *Est tamen,* dicens esse communem Thomistarum. Illam etiam docent Vazquez disput. 135, cap. 3, a numero 31, Bernal disput. 17, sect. 5, § 2, et alii. Ea quidem quantum ad concursum moralem facile ostenditur ex doctrina hactenus tradita: quoniam minister influit in gratiam, quæ est effectus sacramentorum, tanquam instrumentum morale, ut ostendimus a numer. 107; sed non est aliud instrumentum, quod mediet: ergo loquendo de influxu instrumentali morali, minister immediate, et proxime causat effectum sacramentorum. Consequentia patet. Et minor ostenditur: nam si quod aliud instrumentum mediaret inter ministrum, et sacramenti effectum, esset utique ipsum sacramentum: atqui sacramentum nec est instrumentum morale, nec moraliter influit, ut hic supponimus ex dictis disput. 4, dubio 2; ergo inter ministrum moraliter causantem, et sacramenti effectum non mediat aliquod instrumentum morale.

(Sotus. Cajetan. Cabrera. Prado. N. Fran. Serra. Vazq. Bernal.)

(Fundamentum.)

Sed loquendo etiam de instrumento physico, et proprio hujus concursus, id ipsum ostenditur: quoniam minister, et sacramentum non constituunt plura instrumenta physica, sed unum instrumentum completum cum aliquali subordinatione: sicut materia, et forma non sunt plura sacramenta, sed unum sacramentum completum cum subordinatione illarum partium inter se: ergo sicut totum sacramentum comprehendendo materiam, et formam influit physice immediate in suum effectum, qui est gratia: sic etiam totum instrumentum physicum comprehendendo sacramentum, et ministrum influit immediate, et proxime in prædictum effectum.

Confirmatio. Confirmatur, et declaratur amplius: nam illud est instrumentum physicum immediatum, in quo recipitur immediate virtus principalis agentis; siquidem instrumentum est id, quo agens principale operatur, et quod defert ejus imperium, sive virtutem usque ad effectum principaliter intentum: sed virtus principalis agentis, nempe Dei, recipitur immediate in ministris, ut patet in charactere, qui est virtus instrumentalis, et ministros intrinsece afficit, elevatque ad agendum, ut diximus disput. 5, dub. 2, et 3; unde tam sacramenta, quam sacramentorum effectus, ubi minister consecratus concurrit, pendent per se a charactere: ergo minister concurrit immediate, et proxime tanquam instrumentum physicum ad effectum sacramentorum. Explicatur ulterius: nam sicut id, quod nunc scribimus, non fit immediate a solo calamo sine manu, nec fit immediate a sola manu sine calamo; sed fit immediate ab utrisque ut constituentibus unum instrumentum physicum completum: ita gratia, quæ in sacramentorum usu producitur, non fit immediate a solo sacramento sine ministro, nec fit immediate a solo ministro sine sacramento; sed dependet immediate ab ambobus tanquam a constituentibus unum instrumentum completum, et totale, quod subinde influit uno influxu attingente indivisibiliter effectum. Et sic plane docet Div. Thom. in testimoniis relatis n. 105, quæ lector recolat, et in 4, *ad Annibald.* dist. 8, art. 5 ad 5, ubi inquit: « Dicendum, quod quando aliquod opus pluribus instrumentis perficitur, in quolibet eorum est virtus aliqua, licet imperfecte. Unde in sacerdote, et in verbo est virtus sicut in manu, et calamo. Sed quia sacerdos propinquior est principali agenti, ideo virtus ejus simpliciter dignior est, et permanentior, et ad plures effectus. Quia vero operi verbum propinquius est, secundum hoc dignius est. » (D. Thom.)

§ II.

§ II.

Referuntur sententiæ contrariæ.

111. Contra primam conclusionem solum referri possunt hæretici, qui sicut sacramentis, sic etiam eorum ministris negant veram causalitatem, sive influxum in gratiam. Sed eos jam dedimus disp. 4, dub. 1, num. 6, ubi eorum motiva, quæ ad rem præsentem facere possent, diluimus. Adhuc tamen potest contra prædictam assertionem opponi : nam minister dispensans sacramentum Eucharistiæ non causat vere gratiam, quæ confertur illud sacramentum suscipienti : ergo falsum est sacramentorum ministros vere causare gratiam, quæ est effectus sacramentorum. Probatur antecedens : tum quia ministrans Eucharistiam solum comparatur per modum conditionis applicantis causam : conditio autem non est vere causa, nec influit in effectum. Tum quia eodem modo ministrare possent laicus, et infans ; de quibus tamen dici non debet, quod causent gratiam in suscipiente Eucharistiam.

im ctio.

vitur. Respondetur, quod sicut ab ipso dubii limine prænotavimus, dupliciter potest aliquis dici minister sacramenti, nempe proprie, quando scilicet efficit, et applicat sacramentum, ut contingit in sex sacramentis consistentibus in usu : et improprie, et secundum quid, nempe cum aliquis sacramentum præconsecratum alicui applicat, ut accidit in sacramento Eucharistiæ, quod esse permanens habet. Assertio ergo nostra procedit in ministro proprie dicto, sive conficiente sacramentum : unde argumentum desumptum a ministro pure applicante nihil contra illam concludit. Concedimus namque ministrum applicantem Eucharistiam non causare vere gratiam in suscipientibus sacramentum. Quod de causalitate physica omnes concedunt : nullum enim habemus apparens motivum, ut dicamus Deum tunc elevare ministrum per impressionem physicæ qualitatis, præsertim ubi applicans est infans, vel laicus. Communior etiam sententia, cui subscribit Prado loco cit. num. 33, idem similiter negat de causalitate morali. Quam non requiri per se loquendo facile recognoscimus: nam licet applicans Eucharistiam ageret sine libertate, ut contingeret, si illam applicaret infans, vel amens ; idem nihilominus sacramenti effectus in suscipiente produceretur : agens autem sine libertate nequit moraliter influere : ergo per se loquendo non requiritur, quod ministrans Eucharistiam causet ejus effectum moraliter. Quo etiam motivo convincitur posse adultum, sive sacerdos sit, sive laicus, ministrare Eucharistiam, quin sit causa moralis effectus ejus in suscipiente : quia talis adultus posset ministrare sine intentione, ut talis effectus produceretur, immo et cum intentione contraria, nempe ut suscipienti non proficeret : et ita agens non potest dici causa moralis effectus subsecuti : quem tamen Eucharistia efficit in digne suscipiente, vel hac, vel illa intentione applicetur. Sed nihilominus censemus posse satis probabiliter dici, quod applicans Eucharistiam est in aliquo sensu causa moralis gratiæ in suscipiente productæ. Quoniam omnis cooperans ad aliquem finem ex intentione talis finis dicitur moralis ejus causa, ubi in executione ponitur : sic enim sæcularis adducens Confessarium ad ægrotum ex intentione, quod hic confiteatur peccata, et gratiam sacramenti recipiat, dicitur aliquomodo, nempe moraliter, causa salutis spiritualis illius : ergo pariter si ministrans sacramentum Eucharistiæ agat ex intentione, quod gratia, et refectio spiritualis in suscipiente causetur, potest dici causa moralis prædicti effectus. Qui concurrendi modus communis esse valet tam sacerdoti, quam sæculari, cum possint eadem intentione agere : sed locum non habet in agentibus sine intentione, ut supra diximus. Et ita sentit Lugo disp. 7, sect. 1, num. 10 et approbat N. Franciscus cap. 7, punct. 1, num. 12. Lugo. N. Fran

Nota.

112. Contra secundam assertionem sentiunt omnes Auctores negantes sacramenta nostra esse instrumenta physica ad producendum gratiam : quos dedimus disp. 4, dub. 4 ; num. 67; sentiunt etiam omnes Auctores negantes characterem esse veram potentiam, aut virtutem physicam, et posse physice influere : quorum meminimus disp. 5, dub. 2, num. 38. Nam omnia argumenta, quibus utuntur, ut probent repugnare, quod sacramenta producant physice gratiam, et quod minister elevetur per aliquam potentiam, aut virtutem physicam, eodem modo diriguntur ad excludendum influxum physicum ministrorum in gratiam, quæ est sacramentorum effectus.

Sed quia prædicta argumenta expendimus, et solvimus eisdem locis; nihil occurrit in præsenti, quod diluamus. Unum tamen repræsentari posset, nempe ministrum, et sacramentum multoties inter se distare, præsertim cum sacramentum non recipiatur in ministro, sed in suscipiente : ergo permisso, quod sacramentum influeret physice in gratiam, quæ ejus usu producitur; prædictus influxus non debet concedi ministro, ut scilicet simul cum sacramento concurrat physice ad producendum ejus effectum. Hoc tamen nihil est : nam sicut non obstante, quod materia, et forma sacramenti differant entitative, et distent similiter; constituunt nihilominus unum sacramentum, et participant unam significationem, quin et virtutem physicam ad agendum instrumentaliter, ut hoc argumentum supponit : sic etiam licet minister, et sacramentum eodem modo differant, et distent, possunt constituere unum instrumentum adæquatum ad producendum sacramentorum effectum : quare ex vi hujus minime repugnat physicus influxus ministri. Præsertim cum opus non sit eandem indivisibilem motionem, aut virtutem elevantem esse in ministro, et sacramento, sed incompletam in uno, et incompletam in alio, atque completam in utroque, ut significavit D. Thom. in testimoniis num. 105 et 110 relatis.

Secunda objectio. Diluitur.

113. Contra tertiam conclusionem non reperimus Auctorem, quem referamus. Opponi tamen potest : nam illa sola est causa moralis gratiæ in sacramento productæ, a qua saltem partialiter movetur Deus ad producendum talem gratiam, ut in aliis aliorum effectuum causis moralibus potest inductive ostendi : sed Deus nec partialiter movetur a persona ministri ad producendum gratiam, quæ in sacramentis datur : ergo minister non est causa moralis gratiæ in sacramentis productæ. Probatur minor : tum quia Deus ad producendum talem gratiam movetur a sacramentis : sed persona ministri est extra conceptum sacramentorum : ergo Deus ut producat gratiam in sacramentis, non movetur a ministro. Tum etiam quia si Deus ad producendum talem gratiam moveretur a ministro; quanto minister melior esset, tanto magis Deus moveretur ad producendum majorem gratiam : et pro inæqualitate meritorum in ministris foret inæqualitas gratiæ in sacramentis : consequens autem esse falsum liquet ex eo, quod in ministro non requiritur bonitas; sed existens in peccato mortali potest sicut et justus sacramenta perficere, ut constat ex supra dictis dub. 3, § 1: ergo Deus non movetur a ministro ad conferendum gratiam in sacramentis.

Tertia objectio.

Respondetur negando minorem. Ad cujus primam probationem, omissis majori, et minori, negamus consequentiam : nam ex eo, quod Deus moveatur a sacramentis, et extra horum essentiam sit ministri persona; minime sequitur Deum non moveri etiam a sacramentorum ministro ad producendum gratiam in sacramentis. Nam sicut non obstante, quod Christus sit extra essentiam sacramentorum, Deus movetur non solum a sacramentis, sed etiam, et magis principaliter a Christo; sic etiam de ministro Christi dispensante sacramenta dici debet. Et ratio est : quia minister non agit nomine proprio, sed Christi nomine, et tanquam ejus vicarius : quare sicut Christus est causa moralis principaliter movens, sic etiam minister est causa ministerialis movens moraliter sub Christo, in quantum ejus personam gerit. Diximus *omittendas* esse præmissas, non autem concedendas : quia sacramenta sicut non sunt causæ morales vere, et proprie ut diximus disp. 4, dub. 2, sic etiam non movent moraliter Deum, sed attingunt physice, et immediate effectum. Unde magis liquet præmissæ probationis debilitas. Ad secundam negamus sequelam quantum ad effectum sacramentorum ex opere operato : quoniam sicut ad productionem talis effectus non attenditur bonitas subjectiva ministri, sed solum quod agat nomine Christi, ipsumque repræsentet; et ideo peccator potest idem sacramentum efficere, et eandem gratiam communicare, quæ potest justus : sic etiam inæqualitas bonitatis, et meritorum in ministris non inducit inæqualitatem effectuum sacramentorum in suscipientibus illa, ut magis explicuimus loco citato, et tradit D. Augustin. lib. 3, *contra Cresconium* cap. 11, ubi affirmat « Baptisma Christi non esse nisi ejus, cujus « nomine datur, et ideo non fieri melius « cum per meliorem datur, nec deterius « per deteriorem. » Et dicimus « quantum « ad effectum sacramentorum ex opere « operato : » nam si sermo fiat de alio effectu,

Diruitur.

D. Aug.

effectu, qui communicetur per viam impetrationis; major bonitas ministri potest conducere ad commodum aliquod suscipienti consequendum, sicut etiam ad id conferre solet sanctitas, et devotio personarum assistentium, ut observavimus loco cit. num. 48 et magis expendunt Cabrera disp. 6, conclus. 2, Candidus disp. 16, art. 8, dub. 5, Suarez disp. 7, sect. 5, concl. 2 et alii.

114. Contra quartam, et ultimam conclusionem sentiunt Suarez quæst. 64, *in Comment.* art. 1, § *Secundo vera*, Granados tract. 5, disp. 2, num. 6, Aversa in præsenti quæst. sect. 2, Lugo disp. 8, sect. 1 et alii, qui negant sacramenti ministrum efficere proxime, et immediate effectum sacramenti; sed dicunt concurrere ad illum mediate, et remote, quatenus conficit sacramentum, a quo sicut ab instrumento proxime, et immediate efficitur gratia. Quod probant primo verbis Apostoli 1, ad Corinthios 3: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Et rursus: *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quæ ita expendit Div. Augustin. lib. 3, *contra litter. Petiliani*, cap. 54: « Ad ministrandum, ac dispensandum verbum, et sacramentum aliquid est; ad mundandum autem, et justificandum non est aliquid: quia hoc non operatur in interiori homine, nisi per quem creatus est totus homo, et qui manens Deus factus est homo. » Ergo minister non efficit saltem immediate interiorem effectum, qui est gratia communicata in sacramentis. Secundo, quia minister nequit agere, nisi per characterem: hic autem nequit proprie influere, cum sit merum signum: ergo idem quod prius. Tertio, quia ut minister dicatur vere absolvere, dare gratiam, et similia, sufficit, quod applicet sacramenta, a quibus isti effectus immediate procedunt: sicut medicus dans medicinam dicitur sanare, seu dare salutem, et dans venenum dicitur necare: superflue ergo affirmamus ministrum causare proxime, et immediate effectus sacramentorum.

Sed hæc parum urgent, et priusquam singula dissolvantur, regerenda sunt in opponentes: nam si quid probant, evincunt ministrum non esse vere causam gratiæ, quæ in sacramentis producitur; id vero non solum est contra communem Theologorum sententiam, sed etiam contra fidem, ut constat ex dictis a num. 103. Inferri autem ostenditur: nam sicut applicatio causæ ad effectum non est vera causalitas, aut influxus, sed mera conditio; sic etiam quod concurrit ut præcise applicans causam, non est vere causa ejus quod a causa applicata producitur: præmissa autem Adversariorum motiva in id tendunt, ut minister concurrat tanquam mere applicans causam, nempe sacramenta, a quibus gratia immediate fit: ergo probant ministrum non influere vere in gratiam, quæ est effectus sacramentorum. Et hoc supposito, ad primum respondemus, quod sicut illa testimonia non probant solum Deum esse causam gratiæ, quæ fit in sacramentis, excluso vero influxu sacramentorum in eam; sic etiam non probant Deum solum gratiam causare, exclusa vera causalitate ministri. Evincunt autem solum Deum esse causam principalem gratiæ: sed id sicut non impedit influxum instrumentarium sacramentorum, sic etiam nec concursum instrumentarium ministri. Ad secundum negatur minor: oppositum enim constat ex late dictis disput. 5, dub. 2. Ad tertium negatur antecedens: nam quod præcise applicat causam, non dicitur cum proprietate causare effectum illius, ut supra ostendimus num. 104, de ministris autem sacramentorum verificatur cum proprietate causare illorum effectus.

115. Ex quibus omnibus colligitur, quod licet assertiones nostræ specialiter processerint de ministro consecrato, ut a principio dubii observavimus; earum tamen doctrina applicanda sit ministro etiam non consecrato, sive sit laicus baptizans, sive conjuges contrahentes matrimonium. Oppositum hujus consectarii docuerunt Paludanus in 4, distinct. 1, quæst. 1, num. 85, et Capreolus ibidem quæst. 1, artic. 1, conclus. 4 et artic. 3 ad 2 et ad 20, Durand, conclus. 4. Quorum fundamentum erat, quod in ministro non consecrato non est major virtus ad causandum effectum sacramenti, quod applicat, quam in homine ad producendum ignem per alium ignem, quem applicat: ergo minister sacramentorum non consecratus nec proprie, nec immediate causat sacramentorum effectus, sed præcise comparatur per modum applicationis, conditionis, aut causæ, sine qua non.

Quid dicendum de ministro non consecrato? Paludan. Capreol.

Doctrina tamen superius tradita et hanc

Vera sententia. limitationem excludit, et communiter admittitur ab aliis Thomistis cum extensione ad omnes ministros, etiam si consecrati non sint. Quod probatur primo : quoniam minister non consecratus baptizans utitur eadem forma, *Ego te baptizo etc.* qua et minister consecratus : ergo sicut prædicta forma adhibita a ministro consecrato significat ipsum esse causam ablutionis spiritualis, quæ per gratiam fit ; sic etiam idem significat prædicta forma, cum adhibetur a ministro non consecrato : sed ad salvandam veritatem prædictæ formæ requiritur rem ita se habere ex parte effectus, sicut per illa verba significatur : ergo non solum minister consecratus, sed etiam non consecratus influit vere in gratiam, quæ est effectus sacramenti. Probatur secundo, quia Concilia, et specialiter Florentinum docent in communi sacramenta nostra constare materia, forma et ministro, comprehendentes hujus nomine et consecratum, et non consecratum : ergo sicut consecratus, ita etiam non consecratus est vere, et proprie minister : ergo si consecratus causat vere, et proprie effectum sacramenti, ut supra ostendimus, et illi Auctores non negant ; idem de ministro non consecrato dicendum est. Denique probatur, nam ideo minister consecratus influit vere, et per se in effectum sacramenti, quia efficit per se sacramentum, et hoc rursus efficit gratiam, quippe quod est causa causæ, est causa causati in eodem causæ genere : hoc autem motivum etiam militat in ministro non consecrato baptizante ; siquidem vere efficit sacramentum, et istud efficit gratiam : ergo minister non consecratus influit vere in gratiam, quæ est effectus sacramenti. Solvitur motivum contrarium. Ex quibus simul diluitur oppositum fundamentum : negamus namque, quod minister non consecratus non habeat majorem virtutem ad producendum gratiam, quam applicans ignem habeat ad comburendum : ut enim alia motiva differentiæ inter utrumque assignemus, applicans ignem, aut quid simile non efficit ignem applicatum, et subinde nec ejus effectum : sed minister non consecratus efficit sacramentum, atque ideo et effectum illius. Unde etiam oritur, quod applicans ignem nec instrumentaliter agat, minister vero sacramenti instrumentaliter influat : et ille non eget aliqua virtute elevante, hic autem elevatur per qualitatem supernaturalem fluidam sibi impressam.

Differentiæ observandæ inter ministrum consecratum et non consecratum. Sed quamvis hæc ita se habeant, et minister non consecratus, et minister consecratus conveniant in efficiendo vere (licet instrumentaliter) tam sacramentum, quam sacramenti effectum ; differunt nihilominus in duobus. Primo quod minister consecratus agit ex officio, sive speciali deputatione, ut ex ipsis terminis liquet : quod non habet minister non consecratus ; et ideo in præsentia consecrati ministrare non debet in eis sacramentis, quæ per ministrum consecratum fieri nequeunt, ut sunt omnia præter matrimonium. Secundo quod minister consecratus influit per potentiam physicam sibi permanenter impressam, videlicet per characterem, juxta superius dicta disp. 5, dub. 2; sed minister non consecratus hujusmodi potentiam, sive characterem non habet. Ex quo sequitur, quod motio transiens unum, et alterum ministrum elevans ad agendum instrumentaliter, est quasi connaturalis ministro consecrato, quippe cum in eo supponat virtutem elevabilem, et in actu primo ejusdem ordinis : sed respectum ministri non consecrati non habet prædictam connaturalitatem, cum nullam in illo virtutem supernaturalem elevabilem præsupponat.

DISPUTATIO VIII.

De subjecto suscipiente sacramenta.

Succedit, ut post ministrum de subjecto sacramentorum dicamus. Sed brevior aliis erit disputatio : quia cum in superioribus multa incidenter dicta sint de suscipientibus sacramenta, pauca specialia supersunt disceptationi obnoxia. Et hac forte de causa D. Thom. qui peculiarem quæstionem aperuit de sacramentorum ministro, nullam tamen instituit pro sacramentorum susceptoribus : potuit namque prudenter censere hæc esse quasi correlativa, et unum declarari per aliud. Et quod majorem admirationem meretur, Concil. Florentin. recensens illa, quæ sunt necessaria in sacramentis, numeravit quidem præter materiam et formam, ministrum ; sed tamen suscipientem nec nominavit : ex quo quis inferre tentaret subjectum suscipiens non esse in sacramentis necessarium ? Et plane loquendo in genere, et secundum communem rationem sacramenti legis gratiæ, ita Nota. res

res se habet : nam sacramentum Eucharistiæ habet esse verum, et completum, priusquam ab aliquo suscipiatur. Cæterum in aliis omnibus sacramentis oppositum contingit : quia consistunt in usu, et applicatione ad subjectum ut inductive potest ostendi. Quod igitur Concilium expresse non meminerit suscipientis, vel inde processit, quia suscipiens non requiritur generaliter ad valorem sacramentorum ; vel quia cum ageret de sacramentis suscipiendis, ibidem ipsum suscipientem comprehendit. Quin ipsa Eucharistia, licet habeat esse sacramentum antecedenter ad susceptionem ; ipso tamen consecrationis actu refertur ad suscipientem : consecratur enim, ut a sacerdote, et aliis suscipiatur. Unde merito in præmisso sensu supponi debet tam existentia, quam necessitas subjecti suscipientis sacramenta.

DUBIUM I.

Quod sit subjectum suscipiens sacramenta, et quas debeat habere conditiones?

Hæc omnia sub uno dubio comprehendimus, quia diffusas controversias non exigunt, et successive se inferre valent. Pro majori tamen luce recolendum est, quod juxta doctrinam in superioribus traditam ex parte sacramentorum potest considerari et eorum valor in se ipsis, et eorum fructus, qui est gratia : contingit namque sacramentum in se esse validum, et tamen defraudari effectu, sive fructu propter obicem repertum in suscipiente, ut constat ex dictis disp. 4, dub. 6. Deinde ex parte suscipientis considerari potest conditio sufficiens ad valorem sacramenti præcisive a fructu, et conditio necessaria ad recipiendum fructuose sacramenta, sive, et in idem redit, ad participandum gratiam, quæ est sacramentorum effectus : et pro primo communiter assignatur intentio sacramentum suscipiendi, pro secundo autem aliqua dispositio coaptans subjectum ad gratiam, vel gratiæ augmentnm, quæ per sacramenta communicantur. Hæc itaque omnia comprehendimus in titulo dubii, quod tamen per partes decidemus.

§ I.

Resolutio dubii quantum ad subjectum sacramenta suscipiens.

1. Dicendum est primo omnem, et solum hominem viatorem esse subjectum capax suscipiendi sacramenta, secundum præsentem Dei, et Christi institutionem. Hanc modificationem addidimus, ut præscindamus a controversiis non necessariis in ordine ad potentiam Dei absolutam, et alium rerum ordinem, et diversam sacramentorum conditionem : hæc enim consideratio tanquam superflua omittenda est. In præmisso itaque sensu assertio nostra est certissima, et communis inter Theologos, qui proinde illam magis præsupponunt, quam probant. Probatur tamen ipsa Christi institutione, de qua certo constat : nam Christus instituit sacramenta tanquam signa sensibilia ad remedium peccati, et ad causandam, et augendam gratiam, ut constat ex supra dictis cum D. Thom. quæst. 61, art. 1, et disp. 3 per totam : ergo omnis, et solus homo viator est subjectum capax suscipiendi sacramenta. Probatur consequentia quoad utramque partem : nam in primis omnis homo viator est capax per se loquendo, ut sibi applicetur remedium sensibile sacramentorum, et consequendi per sacramenta tum remissionem peccatorum, tum gratiam, et gratiæ augmentum : sicut enim omnis homo viator est capax consequendi salutem, sic etiam est capax mediorum ad prædictum finem, ut sunt omnia proxime relata. Deinde nullum subjectum, quod non fuerit homo viator, est capax vel remissionis peccati, vel gratiæ, et augmenti gratiæ, quæ sunt effectus proprii, in quos sacramenta ordinantur : ergo solus homo viator est subjectum capax suscipiendi sacramenta.

Prima conclusio. Fundamentum.

Quod magis declaratur discurrendo per omnia alia subjecta distincta ab homine viatore : nam certum est creaturas irrationales esse incapaces suscipiendi sacramenta: hæc quippe sunt signa practica gratiæ sanctificantis subjectum, et in usu sacramentorum productæ, ut constat ex dictis disput. 1, dub. 3 ; quare sicut creaturæ irrationales sunt incapaces veræ sanctificationis per gratiam, sic etiam et sacramentorum. Porro ex creaturis intellectivis

Urgens confirmatio.

Angeli non sunt capaces recipiendi sacramenta : tum quia hæc, cum corporalia sint, nequeunt substantiis spiritualibus applicari : tum quia eminentia naturæ angelicæ poscit ut perficiatur immediate a Deo, et non mediis rebus sensibilibus. Si enim non decuit in statu innocentiæ esse sacramenta, vel quod homo in eo statu perficeretur per media sensibilia, ut cum D. Thom. ostendimus disp. 3, dub. 1 et 2, multo minus congruit Angelos perfici per sacramenta. Exclusis igitur creaturis irrationabilibus, et etiam Angelis, sequitur solum hominem esse capacem sacramentorum. Atqui homo in statu vel gloriæ, vel æternæ damnationis nequit sacramenta suscipere : quippe in gloria nequit proficere, nec in inferno converti. Sequitur ergo de primo ad ultimum, quod solus homo viator sit subjectum capax suscipiendi sacramenta. Recolantur supra dicta disp. cit. dub. 6, ubi late ostendimus nulla sacramenta locum habere in statu beatitudinis : quod a fortiori evincit non fore in inferno, nec in purgatorio. Confirmatur amplius : nam juxta communem Dei providentiam, et præsentem Christi institutionem, illud præcise est subjectum capax suscipiendi sacramenta, in quo sacramenta consequi valent proprios fines, propter quos dicuntur necessaria, sive congrua, utputa instruendi sensibiliter, sanctificandi, augendi justitiam, avertendi a malo etc. ut late expendimus *in Comment.* ad art. 1, quæst. 61, a num. 5. Sed subjectum hujusmodi est solus homo viator : quippe creatura irrationalis incapax est tam instructionis circa divina, quam perfectionis spiritualis ; creatura autem pure intellectiva, nempe Angelus, his sensibilibus non subditur ; homo denique extra viam constitutus immobiliter se habet tam circa gratiam, et ejus augmentum, quam circa illorum carentiam. Ergo solus homo viator est subjectum capax suscipiendi sacramenta.

2. Contra prædictam assertionem non reperimus ullam vel Catholicorum, vel hæreticorum sententiam, quam referamus : quin nec occurrit ullius momenti difficultas, cui opus sit satisfacere. Quod enim aliqui opponunt apud Henriquez *lib.* 1, *cap.* 21, *nu.* 1, et *seq*, de equo bibente aquam baptismi, ex quo colligi videtur equum suscipere baptismi sacramentum ; ridiculum plane est : quia id non est bibere baptismum, sed materiam remotam ex qua fit. Magis apparenter opponi posset murem aliquando comedere hostiam consecratam : sacramentum autem Eucharistiæ consistit directe, et in recto in speciebus illis continentibus corpus Christi : unde consequens videtur brutum esse capax suscipiendi prædictum sacramentum. Sed neque istud ulla ratione colligitur : nam cum sacramentum sit signum practicum causativum gratiæ in subjecto, cui applicatur ; nequit suscipi ut sacramentum nisi a subjecto capaci talis effectus, et significationis : quod in brutis locum non habet. Quare etsi mus comedat hostiam, quæ re ipsa est sacramentum; nihilominus illam non recipit ut sacramentum,sed præcise ut quandam rem quantum ad species sensibiles naturalem : sicut etiam vas, vel sacrarium recipit prædictam hostiam, et tamen non recipit illam ut sacramentum, sive receptione, et applicatione sacramentali, ut optime tradit D. Thom. infra quæst. 80, art. 3 ad 5, his verbis : « Dicendum, quod etiam si mus, « vel canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quandiu species « illæ manent : hoc est, quandiu substantia « panis maneret : sicut etiam si projiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit « a peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis. Præsertim cum mus, « aut canis non tangat corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum « secundum species sacramentales. Quidam « autem dixerunt, quod statim cum sacramentum tangitur a mure, vel cane, « desinit ibi esse corpus Christi. Quod « etiam derogat veritati sacramenti, sicut « supra dictum est. Nec tamen dicendum « est, quod animal brutum sacramentaliter « corpus Christi manducat : sicut manducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam. « Et quia id, quod est per accidens, non « cadit in divisione alicujus generis : ideo « hic modus manducandi corpus Christi « non ponitur tertius præter sacramentalem, et spiritualem. »

Objectio et dilutio. D. Thom.

3. Secundo oppones : nam Angelus potest justificari a re sensibili. sive per rei sensibilis applicationem : ergo Angelus est subjectum capax suscipiendi sacramentum. Consequentia patet : nam si aqua applicetur Ange'o,

Alia objectio.

Angelo, et sua applicatione illum sanctificet, ut antecedens supponit; talis applicatio erit signum rei sacræ ut sanctificantis Angelum: signum autem rei sacræ ut sanctificantis est sacramentum, ut constat ex dictis disp. 1, dub. 3: ergo Angelus est capax recipiendi sacramentum. Antecedens vero suadetur: quoniam Angelus potest pati a re corporea, sive per rei corporeæ applicationem, ut patet in igne inferni torquente Angelos malos: ergo pariter Angelus potest recipere gratiam, et justificari dependenter
ir- io. ab applicatione rei sensibilis. Confirmatur: quia sacramentum Eucharistiæ dicitur
77. panis Angelorum, et multi in hoc sensu interpretantur illud Psalm. 77: *Panem Angelorum manducavit homo:* non apparet autem, qua ratione Eucharistia sit Angelorum panis, nisi illud sacramentum suscipiant saltem quoad fructum: ergo Angeli possunt suscipere sacramenta.

on- ur tio- Ad objectionem, omisso, aut etiam concesso antecedenti per respectum ad potentiam Dei absolutam, et in ordine ad aliam providentiam, negamus absolute consequentiam, quatenus opponitur nostræ assertioni, quæ procedit secundum præsentem Dei providantiam, et Christi institutionem. Nam de facto Angeli non habuerunt, nec habent suam justitiam, et justitiæ augmentum dependenter a rerum sensibilium applicatione, sed immediate a solo Deo: unde non sequitur, quod secundum præsentem providentiam sint subjecta sacramentorum capacia. Ad probationem autem antecedentis, quatenus huic doctrinæ opponi potest, respondemus assignando disparitatem: quoniam Angelorum perfectio, et justificatio contigit juxta dignitatem suæ naturæ, secundum quam sunt supra omnem naturam corpoream; et ideo fieri non debuit dependenter a rebus sensibilibus. Sed pœna Angelorum fit per depressionem naturæ angelicæ, ut communiter in aliis pœnis contingit: et ideo congruum fuit spiritus malos torqueri per alligationem, et subordinationem ad verum, et corporeum ignem inferni, ut eorum super-
ta ectu ius vi- iæ. bia magis contundatur. Diximus *omittendum, aut concedendum antecedens*, etc. ut a difficultate non necessaria præscinderemus. Sed re vera licet Angelus justificaretur dependenter a rebus corporeis sicut a conditione, aut etiam sicut ab instrumento divinæ virtutis: nihilominus prædictæ res respectu Angeli non haberet proprium munus sacramenti, saltem ejusdem rationis cum nostris. Quoniam nostra sacramenta causant gratiam in subjecto mediante sensibili ad ipsum applicatione, in qua, sive illorum usu ut plurimum eorum ratio consistit, ut constat ex supra dictis. Impossibilis autem est sensibilis applicatio rerum corporearum ad Angelum, nempe ob incapacitatem subjecti, quod insensibile est. Nec oppositum probari valet exemplo ignis inferni torquentis Angelos: nam prædictus ignis exerit quidem actionem sensibilem, non quidem circa ipsum Angelum in se, sed circa aliud passum corporeum: qua actione prævia supposita, elicit virtute divina actionem proprie instrumentalem, et spiritualem, qua Angelum ligat, et torquet: ubi manifestum est non intervenire applicationem sensibilem ignis ad Angelum, sed aliam subtiliorem, et altioris rationis, quam ex professo explicuimus tract. 13, disp. 18, dub. 2.

Ad confirmationem dicendum est locum illum ex Ps. 77, in sensu litterali, et historico significare Manna; quod dicitur panis Angelorum, non quia manducaretur ab Angelis, sed quia horum ministerio fiebat, aut mittebatur. Admisso autem etiam (ut decet), quod *panis Angelorum* vocabulo significetur Eucharistia; minime inde consequitur Angelos percipere illud sacramentum, aut ejus sacramenti fructum. Sed panis Angelorum dicitur Eucharistia ob alium sensum longe diversum, quem egregie declarat D. Thomas infra quæst. 80, art. 2, ubi in corpore observat, « quod dupliciter « contingit manducare spiritualiter ipsum « Christum. Uno modo prout in sua specie « consistit. Et hoc modo Angeli manducant « spiritualiter ipsum Christum, in quantum « ei uniuntur fruitione charitatis perfectæ, « et visione manifesta (quem panem expe- « ctamus in patria), non per fidem, sicut « nos ei hic unimur. Alio modo contingit « manducare spiritualiter ipsum Christum, « prout est sub speciebus hujus sacramenti « in quantum scilicet aliquis credit in « Christo cum desiderio sumendi hoc sacra- « mentum. Et hoc non solum est mandu- « care spiritualiter Christum, sed etiam « spiritualiter manducare hoc sacramen- « tum. Quod non competit Angelis. Et ideo « licet Angeli manducent spiritualiter « Christum: non tamen convenit eis spiri-

Occurritur confirmationi.

D Tho.

« tualiter manducare hoc sacramentum. » Qua doctrina supposita, docet in respons. ad 1 : « Sumptio Christi sub hoc sacramento « ordinatur sicut ad finem ad fruitionem « patriæ, qua Angeli eo fruuntur. Et quia « ea, quæ sunt ad finem, derivantur a fine: « inde est, quod ista manducatio Christi, « qua eum sumimus sub sacramento, « quodammodo derivatur ab illa mandu- « catione, qua Angeli fruuntur Christo in « patria. Et ideo dicitur homo manducare « panem Angelorum : quia primo, et princi- « paliter est Angelorum, qui eo fruuntur « in specie propria : secundario autem est « hominum, qui Christum sub sacramento « accipiunt. » Ex quibus liquet Angelos nec sacramenta iter, nec spiritualiter suscipere sacramentum Eucharistiæ per se ; sed manducare spiritualiter Christum in propria specie, qui propterea dum a nobis in specie sacramenti manducatur, dicitur panis Angelorum.

Altera objectio. 4. Oppones tertio : nam Christus fuit a primo conceptionis momento beatus, et tamen Christus suscepit sacramentum corporis sui, ut tradit D. Thom. infra quæst. 81, art. 1 ; ergo falsum est solum hominem viatorem esse subjectum capax suscipiendi sacramenta. Respondetur negando consequentiam (Dispellitur.) : quia Christus Dominus simul fuit beatus, et viator : unde quod sumpserit sacramentum, minime probat alios præter homines viatores posse de lege ordinaria, et secundum præsentem Christi institutionem sacramenta suscipere. Animadvertendum tamen est, quod licet Christus susceperit sacramentum Eucharistiæ ; non tamen in ordine ad gratiam propriam, vel ejus augmentum, sed in ordine ad alios effectus, (D. Tho.) ut optime observavit D. Thom. loco cit. in resp. ad 4, dicens, « quod effectus hujus « sacramenti est non solum augmentum « habitualis gratiæ, sed etiam quædam « actualis delectatio spiritualis dulcedinis. « Quamvis autem Christo gratia non fuerit « augmentata ex susceptione hujus sacra- « menti : habuit tamen quandam spiritua- « lem delectationem in nova institutione « hujus sacramenti. » Et post aliqua subjungit : « Ideo spiritualiter manducavit, « et similiter sacramentaliter, in quantum « corpus suum sub sacramento sumpsit. « Aliter tamen, quam cæteri sacramenta- « liter, et spiritualiter sumunt, qui aug- « mentum gratiæ suscipunt sub sacramen- « talibus signis, quibus indigent ad veritatis « perceptionem. » De quo suo loco diffusior sermo redibit.

Alia objectio. 5. Oppones quarto : nam res inanimatæ sunt capaces suscipiendi aliquam sanctificationem : ergo et suscipiendi sacramenta. Antecedens constat in sacramentalibus : nam aqua, panis, et similia per benedictionem, et orationes Ecclesiæ consequuntur aliquam sanctificationem. Consequentia probatur : quoniam de ratione sacramenti non est significare gratiam ut actu causatam, siquidem multoties fraudantur effectu hujusmodi ob indispositionem subjecti : sed sufficit, si significent gratiam ut causandam : sed quando sanctificantur res insensibiles, potest significari gratia ut causanda postea scilicet in homine, qui rebus illis sanctificatis religiose utatur : ergo in sanctificatione rerum insensibilium perficitur aliquod sacramentum : atque idéo tales res habent capacitatem illud suscipiendi. Sed hoc nihil est, diluiturque (Solvitur.) concesso antecedenti, et negando consequentiam : quia de ratione sacramenti proprie dicti est significare sanctitatem, non quamlibet, sed simpliciter dictam, quæ fit per gratiam habitualem in usu sacramenti productam, ut constat ex dictis disp. 1, per totam, et præcipue dub. 3. Unde ad consequentiæ probationem dicendum est, quod sanctificatio, seu benedictio sacramentalium non causat, nec significat gratiam sanctificantem in subjectis, quibus immediate applicatur, nempe in ipsis rebus insensibilibus. Nec rursus significat illam, ut infallibiliter, quantum est de se, producendam mediate in homine, qui sacramentalibus postea utitur : tum quia non datur promissio divina de productione gratiæ sanctificantis in usu sacramentalium : tum quia esto gratia aliqua tunc producatur, non fit immediate ex opere operato, sed ex opere operantis. Ex quibus satis liquet benedictionem, aut consecrationem rerum insensibilium nullo modo participare veram sacramenti rationem.

Limitatur, et explicatur assertio. 6. Pro legitima autem, et perfectiori assertionis intelligentia animadvertere oportet, quod cum in ea dicimus omnem, et solum hominem viatorem esse subjectum capax recipiendi sacramenta ; minime intendimus significare omnem hominem viatorem esse subjectum capax recipiendi omnia, et singula sacramenta, quasi in sensu

sensu distributivo universali : sed significamus præcise esse subjectum capax recipiendi sacramenta aliqua, ea scilicet, quæ singulis hominibus pro sua conditione correspondent : sunt enim aliqua sacramenta, quæ conditiones aliquas præter statum viæ in suscipientibus essentiatiter exigunt. Unde videmus, quod licet omnes homines viatores jam nati sint capaces suscipiendi aliqua sacramenta, ut puta baptismum, et confirmationem ; nihilominus non omnes possunt omnia sacramenta suscipere. Sic enim sacramenti ordinis non sunt capaces fœminæ, sed soli viri. Sacramenti matrimonii non sunt capaces infantes ob defectum rationis, quæ ad celebrandum contractum requiritur:nec ejus capaces sunt natura sua perpetuo impotentes, nec hermaphroditæ, in quibus sexus virilis non prævalet. Sacramentorum item pœnitentiæ, et extremæ unctionis non sunt capaces infantes, et perpetuo amentes, quia non habent ulla peccata actualia, quæ sunt materia remota prædictorum sacramentorum. Denique nec ipsius sacramenti baptismi capax est infans, licet perfecte conceptus, existens tamen simpliciter in ventre matris, sive nullam sui partem foras emittens : quia etsi talis infans queat dici homo viator, quin etsi intra ventrem matris ablui queat, nihilominus in sensu composito existendi simpliciter, sive omnibus modis intra uterum, nequit sacramentum baptismi suscipere : tum quia istud nequit illi sensibiliter applicari: tum quia oportet hominem esse natum sensibiliter in hanc lucem exteriorem, ut queat spiritualiter regenerari, Isid. juxta illud D. Isidori lib. 1, *de summo bono*, cap. 24, et refertur in can. 15, *de consecratione* distinct. 4 : « Qui in maternis uteris « sunt, ideo cum matre baptizari non « possunt, quia qui natus adhuc secundum « Adam non est, renasci secundum Chris- « tum non potest. » Et sic docent commu- Tho. niter Theologi cum D. Thom. infra quæst. 68, art. 11, aliquibus paucis, et recentibus exceptis. In præmisso itaque sensu accipienda est nostra, et communis conclusio scilicet omnem, et solum hominem viatorem esse subjectum capax recipiendi sacramenta, nempe aliqua saltem vage, et distributione confusa, quæ scilicet unicuique subjecto juxta variam illorum conditionem, atque exigentiam respondent. Quare ex præmissa assertione non statim colligendum est quemlibet hominem viatorem posse cuncta, et singula sacramenta recipere : oppositum enim constat ex dictis : sed esse subjectum capax suscipiendi sacramenta.

7. Ex his satis constat ad primam dubii partem. Sed ut decidamus secundam, quæ supra capacitatem subjecti investigat conditiones requisitas tum ad valorem sacramenti in se, tum ad fructum, sive effectum illius, observandum est prædictas conditiones reduci tum ad intentionem, sive consensum recipiendi sacramentum, tum ad dispositionem per aliquos actus honestos, et fini sacramenti proportionatos. Et primo loco dicemus de intentione, sive consensu ex parte subjecti. Aliæ dubii partes.

Et ut ab his, quæ certa sunt, et omnino recepta expediamur, supponimus infantes, et perpetuo amentes esse capaces aliquorum sacramentorum, et gratiæ per ipsa communicatæ, utputa baptismi, et confirmationis, et Eucharistiæ, aut etiam ordinis, ut quidam volunt : idque satis constat ex usu Ecclesiæ Catholicæ, quæ hujusmodi personas baptizat, et eisdem solebat olim Eucharistiam ministrare : unde satis convincitur tales personas ex institutione Christi esse prædictorum sacramentorum, et alicujus fructus illorum capaces. Supponimus etiam in prædictis personis non requiri consensum, vel intentionem, vel dispositionem actualem ad suscipiendum tum valide talia sacramenta, tum eorum fructum, seu gratiam. Contrariam huic suppositioni sententiam docuerunt Lutherus, et sequaces apud Bellarminum in lib. *de baptismo*, cap. 10, fingentes in infantibus, dum baptizantur, excitari divina virtute quosdam voluntarios motus, et præsertim fidei. Quinimo in ipsa Ecclesia Catholica moris est, ut sacerdos baptizaturus interroget infantem, an credat, an baptizari velit : quod vanum esset, nisi in infantibus requireretur aliquis consensus, sive intentio suscipiendi baptismum. Observanda pro dicendis.

Cæterum positio illa Lutheranorum procedit ex hæretica radice. quod justificatio non fit nisi per solam fidem apprehendentem, et credenti applicantem extrinsecam Christi justitiam : et quod sacramenta non justificant ex opere operato causando immediate gratiam sed objective tantum excitando fidem. Pessima tamen illa radix sæpius a nobis convulsa fuit tum in hoc tract. tum Error Lutheranus refellitur.

in tractatu 15, *de Justificatione*. Et plane commentitium est in infantibus pro suscipiendo baptismum anteverti rationis usum; et non minus in perpetuo amentibus, qui profecto tales non essent, si quandoque habuissent rationis lucem, ut ex ipsis terminis liquet. Quin si tales ratione aliqua uterentur in suscipiendo baptismum; magis peccarent, quam consequerentur justitiam, quippe qui clamant, refugiunt, et pro posse obluctantur, ne baptizentur. Tenendum itaque est nullum vel pro valore, vel pro fructu sacramenti requiri in infantibus, et amentibus consensum proprium, sed sufficere generalem Ecclesiæ intentionem : et hanc fuisse erga illos misericordem Christi institutionem ob summam sacramenti necessitatem. Nec oppositum probat interrogatio illa sacerdotis : tum quia illa non extorquet consensum, quem habeat infans, sed quem in sui favorem interpretamur habere : tum quia talis interrogatio est mera cæremonia ad valorem sacramenti non referens, ut patet cum parvuli non solemniter baptizantur, sed ad fines alias honestos deserviens. Nec etiam contrarium evinci valet exemplo ministri, in quo indispensabiliter requiritur intentio conferendi sacramentum, ut diximus disput. præced. dub. 2, nam alia longe ratio est de ministro, ac de subjecto sacramentorum : ille namque habet rationem agentis, et rem de se indifferentem trahentis ad propriam sacramenti rationem, quod absque ordinatione, sive intentione non sit, ut eo loco fuse ostendimus. Sed subjectum comparatur per modum passi : quod ut patiatur, et recipiat, non indiget intentione, ut ibidem diximus num 33. Exclusis igitur infantibus, et amentibus, videndum est an adulti egeant ulla intentione, et dispositione, ut sacramenta suscipiant.

§ II.

Decisio difficultatis quantum ad intentionem, seu consensum.

Secunda conclusio. 8. Dicendum est secundo ad valorem sacramentorum in adultis requiri, quod habeant intentionem, aut positivum consensum illa recipiendi, sive talis consensus sit expressus, et formalis, sive virtualis, et interpretativus. Ita D. Thom. (agens in specie de baptismo, sed motivo extendendo ad alia sacramenta) infra quæst. 68, artic. 7, ubi concludit : « Ex parte baptizati requiritur voluntas sive intentio suscipiendi sacramentum. » Et in resp. ad 2, ait : « Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. » Et in art. seq. 12, inquit : « Dicendum quod circa amentes, et furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet. Et de amentibus quantum ad baptismi susceptionem videtur esse idem judicium et de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ, ut supra dictum est. Alii vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt. Et tales sunt judicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia, et amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant. Alioquin si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. » Si autem baptismus esset in illis validus independenter ab eorum consensu, sive intentione; deberet ipsis ministrari tanquam ipsis proficuus, sicut ob prædictum motivum ministratur parvulis, et perpetuo amentibus. Sentit ergo S. Doctor ad valorem baptismi, et subinde cæterorum sacramentorum pro adultis necessarium esse, quod isti habeant intentionem, sive positivum consensum illa suscipiendi. Et sic docent ejus discipuli. Sotus in 4, dist. 4, quæst. 4, Paludanus ibidem quæst 2, Nugnus in præs. quæst. 64, artic 10, difficult. 2, concl. 1, Prado infra quæst. 68, dub. 5, num. 11, N. Franciscus cap. 8, punct. 1, concl. 2. Idem etiam docent alii Theologi D. Bonaventura, Alensis, Scotus, Durandus, et Adrianus apud Nugnum loco citato, Richardus, Gabriel, Marsilius, et Sylvester, quos refert, et sequitur Vazquez disp. 157, cap. 2, Suarez disp. 14, sect. 2, Coninckus quæst. 64, art. 8, dub. 5, Lugo disp. 9, nu. 115, Mascarenhas disput. 4, cap. 2, conclus. 2, Dicastillo disput. 3, dubio 14, conclus. 2, Aversa quæst. 64, sect 9, Bonacina disdisput. 1, quæst. 6, punct. 2, et alii plures.

(Margin: D. Thom. — Sotus. Palud. Nugnus. Prado. N. Fran. D. Bona. Alensis. Sylvest. Vazq. Suarez. Coninck. Lugo. Dicastil. Aversa. Bonac.)

Probatur primo ab auctoritate : nam in Concilio Carthaginensi 3, cap. 34, dicitur : Ægrotantes,

inda- ntum auc- itate. « Ægrotantes, si pro se respondere non « possunt, cum voluntatis eorum testimo- « nium hi, qui sui sunt, dixerint, bapti- « zentur. » Et in Concilio Arausicano 1, cap. 12, dicitur : « Obmutescens baptizari, « aut pœnitentiam accipere potest, si vo- « luntatis præteritæ testimonium aliorum « verbis habeat. » In quibus verbis aperte supponitur quod pro valore sacramentorum in adultis, necessarius sit horum consensus, sive tunc habeatur formaliter, sive prius habitus tunc conservetur virtualiter, aut interpretative. Deinde D. Augustinus lib.4, *de baptismo*, cap. 24, et refertur in cap. *Cum pro parvulis, de consecrat.* dist. 4, inquit : « Cum pro parvulis alii respon- « dent, ut impleatur erga eos celebratio « sacramenti, valet utique ad eorum con- « secrationem, quia ipsi pro se respondere « non possunt. At si pro eo, qui respondere « potest, alius respondeat, non itidem « valet. Ex qua regula illud Evangelii dic- « tum est, quod omnes, cum legitur, natu- « raliter monet, ætatem habet, ipse pro « se loquatur. Joan. 9. In quibus manifestum est S. Doctorem eum consensum requirere in adultis ad consecrationem, sive impressionem characteris, et valorem sacramenti, quem recognoscit non esse necessarium in parvulis, illum elicere, et manifestare non valentibus : qui consensus est proprius et actualis, ut ex se liquet. Idem etiam docet Innocentius III, in cap. *Majores, de baptismo, et ejus effectu*, ut congruentius expendimus infra num. 10. Denique in Rituali Romano Pauli V, in rubr. *de baptismo adultorum*, prohibetur « conferri baptismum ei, qui usum rationis « habuit ante amentiam, et nunquam « ostendit voluntatem baptismi, aut inten- « tionem, aut petitionem illius. » Quæ omnia satis declarant necessarium esse in adultis consensum, ut sacramenta valide suscipiant.

oncil. rthag. oncil. ausi- num. — . Aug. — in. III. — ituale oman.

Motiva con- gruentia. 9. Ratio a priori hujus veritatis non est alia, quam voluntas Dei, et institutio Christi de quibus sufficienter constat per relata testimonia, et per usum Ecclesiæ, quæ non ministrat sacramenta adultis, nisi consentiant, et petant. Sed præsuppositæ hujus divinæ dispositionis possunt congruentia motiva assignari. Nam suscipere sacramenta est militiam, seu vitam Christianam profiteri, unde novæ consurgunt in homine obligationes : sed hæc professio, et obligatio non datur absque actu humano, sive consensu ejus, qui tali statui se subdit, ut patet in professione religionis, militiæ, et similium : ergo ut adultus valide suscipiat sacramenta, debet in eorum susceptionem consentire, illamque intendere. Deinde adultus debet eodem modo se habere ad fidem, et ad fidei sacramenta, et protestationes : unde ipsum baptizari, aliave sacramenta suscipere est fidem Christianam visibiliter profiteri : atqui nemo credit, aut fidem suscipit, nisi volens ; cum credere essentialiter dependeat ab affectu voluntatis supplentis defectum evidentiæ in objecto: ergo nullus adultus valide suscipit sacramenta, nisi positive velit illa suscipere. Præterea adultus, qui contradicit susceptioni sacramentorum, minime illa recipit, ut fatentur omnes : sed adultus, qui nullum positivum consensum habet circa sacramentorum susceptionem, illi virtualiter contradicit, et repugnat : ergo ita se gerens non recipit valide sacramenta: atque ideo debet habere positivum suscipiendi consensum, ut ea valide recipiat. Probatur minor : quia omnis homo sui compos habet saltem virtualiter, et interpretative hanc voluntatem, ut nihil de ejus persona disponatur in rebus gravibus absque proprio, et positivo ipsius consensu, ut in omnibus aliis humanis, et moralibus liquet : ergo adultus, qui nullum positivum consensum habet circa sacramentorum susceptionem, illi virtualiter contradicit, et repugnat.

Ad hæc : si adultus absque ullo positivo consensu valide baptizaretur, et susciperet alia sacramenta ; fieret adultum sine positivo consensu fieri Christianum: unde ulterius fieret Ecclesiam posse illum compellere ad fidem, vitam, et mores Christianorum. Hoc autem est absurdissimum, ut censuit Innocentius in cap. citato, et liquet in aliis professionibus, et obligationibus, ad quas nemo cogitur nisi volens. Ergo minime potest admitti, quod adultus valide recipiat sacramenta, nisi consentiat positive in eorum susceptionem, et velit se subdere eis obligationibus, et oneribus, quæ ad validam sacramentorum susceptionem consequuntur. Quod enim aliqui respondent suscipientem valide sacramenta sine positivo consensu non esse cogendum ad vitam Christianam, quia non consensit : ridiculum plane apparet et inconsequenter

Confir matio — Præci- duntur effugia.

dictum : nam repugnantiam involvit aliquem esse intra Ecclesiam, et de jurisdictione Ecclesiæ, et tamen non posse per Ecclesiam compelli ad vitam Christianorum in ea usitatam. Quod vero alii significarunt prædictum posse obligari ad instar eorum, qui in infantia susceperunt baptismum ; non majorem probabilitatis speciem habet ob satis notam disparitatem assignatam a Divo Augustino in verbis numero præcedenti relatis : nam sicut pro parvulis respondet Ecclesia, ita adultus debet respondere pro se : unde in parvulis sufficit voluntas aliqua interpretativa, sive quam interpretamur ex eorum commodo in susceptione baptismi ; nec enim aliam habere possunt : sed adultus debet habere voluntatem actualem formalem, aut virtualem ; quia ejus est capax, et quam si non habeat, censetur repugnare his, quæ aguntur circa ejus personam in re gravi, qualem versamus, ut in aliis moralibus liquet.

ntentia secunda assertioni contraria.

10. Contrariam præmissæ assertioni sententiam docent Glossa in cap. *Solet de consecratione*, dist. 4, ubi asserit, quod licet intentio requiratur ex parte ministri, non tamen ex parte subjecti recipientis sacramentum : atque ideo si baptizans intendat baptizare qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipere sacramentum. Et alia Glossa in cap. *Majores de baptismo, et ejus effectu*, ubi tenet, quod si baptizatus ore consentire dicat, licet corde contradicat, et dissentiat, valide baptizatur. Sentit etiam contra eandem assertionem Cajetanus infra quæst. 68, artic. 7, affirmans sufficere, ut adultus valide suscipiat sacramentum, quod se habeat mere negative, sive neutraliter, licet nullam habeat intentionem, aut positivum consensum. Cajetano subscripsit Martinus de Ledesma 1, parte 4, quæst. 9, artic. 7. Quam sententiam problematice, et tanquam probabilem defendunt Serra quæst. 68, art. 7. Et Escobar de Mendoza lib. 8 *Theologiæ moralis*, sect. 2, cap 14. Notat etiam Prado loco supra citato, quod Nugnus licet nostram, sive Cajeteno oppositam, defendat, nihilominus solum tuetur etiam ut probabiliorem, denotans sibi contrariam esse probabilem. Id autem in Nugno minime reperimus, sed sequentia, (quæ habet post primam concl. pag. 246). « Unde improbabilis mihi videtur sententia Domini Cajetani, et sententia Glossæ « plus quam improbabilis, et stulta nimis, « etc. » Quidquid autem de censura fuerit.

Arguitur pro prædicta sententia ex cap. *Majores, de baptismo, et ejus effectu :* nam eo loco proponitur quæstio de suscipientibus characterem per applicationem baptismi, et refertur sententia aliquorum asserentium characterem imprimi etiam eis, qui inviti recipiunt baptismum. Sed Innocentius Tertius illam opinionem refellit quantum ad totaliter invitos, sive positive contradicentes, et quæstionem tandem resolvit his verbis : « Tunc ergo characterem « sacramentalis imprimit operatio, cum « obicem voluntatis contrariæ non invenit « obsistentem. » Hæc Summus Pontifex controversiam illam ex Cathedra decidens. Manifestum autem est in eo, qui negative, et neutraliter se habet, non reperiri obicem voluntatis contrariæ, siquidem nulla in eo voluntas reperitur, ut liquet ex terminis. Ergo adultus potest valide suscipere sacramentum, quamvis nullam habeat intentionem, sive consensum positivum illud suscipiendi. Unde sententia Cajetani videtur a Sede Apostolica diffinita. Argumentum.

Confirmatur primo ex D. Thom. in 4, dist. 6, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 3, ubi inquit : « Intentio, vel voluntas in baptizato non requiritur quasi causans deletionem culpæ originalis ; sed solum quasi « removens prohibens, scilicet contrariam « voluntatem. » Ergo quando non adest voluntas contraria, non requiritur intentio, vel voluntas, quæ illam excludat. Sed in eo, qui negative, et neutraliter se habet, non reperitur voluntas contraria. Ergo in eo non requiritur voluntas, aut intentio suscipiendi sacramentum. Sufficit itaque ad hujus valorem, quod subjectum negative se habeat, videlicet non repugnans, licet nec positive consentiat. Confirmatio 1.

Confirmatur secundo : nam quod non est de necessitate sacramenti in uno subjecto, non est de necessitate ejusdem sacramenti, in quocumque recipiatur : sed in parvulis nulla voluntas, nullusve positivus consensus requiritur ad valide suscipiendum sacramentum v. g. baptismi : quippe qui ex una parte non habet voluntatem propriam, et ex alia non egent essentialiter voluntate parentum, vel patrinorum, ut constat ex dictis n. 7 ; ergo nec in adultis requiritur intentio, aut positivus consensus, ut valide sacramenta recipiant. Confirmatio 2.

Confirmatur

Confirmatio 3. Confirmatur tertio : nam Concilium Florentinum in decreto Eugenii docet : « Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. » In quibus verbis nulla fit mentio intentionis ex parte subjecti suscipientis sacramentum. Hæc igitur non requiritur, ut sacramentum absolute subsistat : alioquin diminuta foret doctrina Concilii.

Respondetur argumento. 11. Sed hæc parum urgent. Nam ad argumentum respondetur Innocentium in eo cap. *Majores* satis aperte docere nostram, et communem sententiam, et locum præcludere contrariis Glossæ, et Cajetani expositionibus. Nam asserit: « Qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, neque rem, neque characterem suscipit sacramenti. » Subjungitque rationem : « Quia plus est contradicere, quam non consentire. » Ubi vel insufficienter procedit, vel necessario supponit, quod carentia consensus in adultis sufficit ad impediendum valorem sacramenti. Sed, quod plus est, Pontifex docet amentes, et dormientes, si ante amentiam, et somnum erant in opposita voluntate, non suscipere characterem, licet baptizentur. « Secus autem, *inquit*, si prius catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi. Unde tales in mortis articulo consuevit Ecclesia baptizare. » Quibus verbis manifeste significat in adultis prærequiri propositum baptismi, ut valide baptizentur. Cum ergo addit: « Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem, » minime significat voluntatem neutram, aut solam carentiam voluntatis contrariæ sufficere ad valorem sacramenti : sed per *obicem voluntatis contrariæ* significat tam voluntatem formaliter, et positive contrariam, quam voluntatem interpretative contrariam, qualis censetur carentia consensus in adultis pro his, quæ aguntur circa eorum personas in rebus gravibus, ut diximus num. 9. Ad quam carentiam, sive intentionis, et propositi defectum significandum usus est Pontifex nomine *voluntatis contrariæ:* nam agebat præcipue adversum illos, qui censebant posse quem valide baptizari, licet reniteretur. Et quod hæc fuerit ejus mens, constat satis evidenter ex sententiis proxime relatis, et totius canonis contextura.

Solvitur prima confirmatio. Ad primam confirmationem respondemus D. Thom. aperte docuisse nostram assertionem in ultimo scripto, sive in Summa, ut constat ex ejus testimoniis num. 8, relatis. Unde licet aliud ex aliis scriptis afferretur, per præmissa explicari, aut corrigi deberet. Sed quod objicitur, difficultate caret: quia sive intentio in adulto concurrat per modum causantis deletionem culpæ originalis, sive concurrat per modum removentis prohibens, nempe voluntatem contrariam ; S. Doctor aperte supponit talem intentionem, sive propositum requiri ad valorem baptismi in adulto, ut liquet ex eodem testimonio. Cujus legitimus sensus est talem intentionem sive voluntatem non concurrere active, sive in genere causæ efficientis ad delendum peccatum originale, sicut nec prædicto modo concurrit ad causandum gratiam, per quam illud peccatum formaliter excluditur. Sed nihilominus sicut ille motus concurrit dispositive excludendo oppositam voluntatem, et carentiam debitæ intentionis, sic etiam dispositive concurrit tam ad valorem, quam ad effectum sacramenti. Generaliter namque verum est, quod tradit S. Doctor 1, 2, quæst. 113, art. 3 : « Deus movet omnia secundum modum uniuscujusque : sicut in naturalibus videmus, quod aliter ab ipso moventur gravia, et aliter levia propter diversam naturam utriusque. Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo, qui habet usum liberi arbitrii, non sit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii : sed ita infundit donum gratiæ justificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui sunt hujus motionis capaces. » D. Tho. Quæ doctrina, ejusque motivum militant in omnibus ejusmodi ; quæ adultus recipit, si connaturaliter illa recipit, et assertionem nostram valide fulciunt, ut consideranti constabit.

Diluitur secunda. Ad secundam confirmationem respondetur distinguendo majorem : quæ si intelligatur de necessitate, aut carentia necessitatis ex parte ipsius rei, sive sacramenti, concedenda est : si vero intelligatur de necessitate, aut carentia necessitatis ex parte subjecti, negari debet : quia

plerumque contingit id, quod ex parte unius subjecti non requiritur, desiderari ex parte alterius ob diversas subjectorum dispositiones, aut modos se habendi. Et deinde concessa minori, negamus absolute consequentiam. Nam sicut parvulorum justificatio contingit absque omni eorum actuali dispositione, eo quod carent libero arbitrio; adultorum autem justificatio nunquam accidit sine libero eorum assensu, quia libero arbitrio gaudent, ut proxime vidimus ex Div. Thoma : sic etiam ex eo, quod parvuli suscipiant valide sacramenta absque ullo positivo eorum consensu; minime sequitur talem consensum non esse necessarium in adultis ad valorem sacramentorum : sed magis infertur oppositum. Quoniam parvuli sunt incapaces talis consensus, adulti vero sunt capaces illius : unde oportet, quod habeant diversam applicationem ad sacramenta : sicut ob idem motivum diverso modo justificantur.

urri- ter- æ. Ad tertiam dicendum est, quod sicut ex eo Eugenii decreto nemo colliget ad valorem sacramentorum non requiri subjectum, quamvis ejus non meminerit : ita etiam colligi non debet intentionem ex parte adulti suscipientis sacramentum minime requiri ad prædictum valorem, quamvis Pontifex talem intentionem expresse non recenseat. Ideo vero Eugenius nec subjecti suscipientis, nec intentionis ex parte subjecti mentionem fecit, quia tradebat generalem doctrinam circa requisita in omnibus, et singulis sacramentis. Non desideratur autem generaliter pro valore cujuscumque sacramenti subjectum, ut patet in sacramento Eucharistiæ, quod habet esse antecedenter ad omnem usum, sive ad subjectum applicationem. Similiter non requiritur ad sacramentorum valorem intentio ex parte omnium suscipientium, ut liquet cum sacramenta parvulis, et amentibus conferuntur. Hac itaque de causa Pontifex subjecti, et intentionis non meminit in eo loco. Sed tamen intentionem esse in adultis necessariam minime ab illo negatur, et aliunde constat ex testimoniis, et motivis propositis num. 8 et 9.

rtia clu-). 12. Dicendum est tertio ad valorem sacramentorum in adultis (suppositis aliis requisitis ex parte materiæ, formæ, et ministri) sufficere præmissam intentionem, sive consensum recipiendi sacramenta, qui revocatus non fuerit : et non requiri aliam dispositionem per actus fidei, pœnitentiæ, et similes; excepto tamen ab hac communi regula pœnitentiæ sacramento. Ratio hujus limitationis suo loco constabit, et modo illam insinuare sufficiat, nempe id esse peculiare in sacramento pœnitentiæ, ut actus, quo subjectum disponitur ad sacramenti fructum, sive effectum, sit etiam pars essentialis prædicti sacramenti; quæ proinde si desit, illius valor non subsistit : actus autem, quo pœnitens ad sacramenti fructum disponitur, non est sola intentio sacramentum suscipiendi, sed importat ulteriorem coaptationem ad justitiam per dolorem, propositum emendationis etc. : ergo ad valorem sacramenti pœnitentiæ non sufficit ex parte subjecti mera intentio suscipiendi tale sacrementum, sed requiritur alia, et altior dispositio. Posita autem hujusmodi limitatione, conclusio quoad alias partes est certa, et communis inter Theologos, ut testatur N. Franciscus loco cit. nu. 9, et idem communiter observant alii Theologi n. 8, relati. Fundamentum est ipsa Dei dispositio, et Christi institutio, de quibus certo constat per traditionem, et usum Ecclesiæ Catholicæ, quæ baptizatos, aut ordinatos ab infidelibus, et hæreticis, licet ipsi baptizati infideles, et hæretici sint (ubi supponuntur aliæ conditiones), non rebaptizat, nec reordinat, cum resipiscunt, et ad gremium ipsius Ecclesiæ veniunt : censet igitur sacramenta ipsis applicata fuisse valida, et characterem impressisse : et tamen tales homines in eo statu existentes nec habuerunt actum fidei, nec alias dispositiones, quæ fide diriguntur, sed meram, et puram intentionem suscipiendi talia sacramenta : ergo ut adulti suscipiant valide sacramenta, sufficit prædicta intentio præcisive ab alia ulteriori, et nobiliori dispositione.

Limitatnr. Assertionis fundamentum.

Confirmatio. Confirmatur : nam si ad valorem sacramentorum in adultis, præter intentionem illa suscipiendi requireretur ulterior aliqua dispositio per actum fidei, pœnitentiæ etc. sequeretur omne sacramentum adultorum quod esset validum, esse etiam fructuosum, sive actu causans effectum gratiæ, vel augmenti illius : consequens est falsum : ergo et antecedens : atque ideo concedere oportet ad valorem sacramenti in adultis sufficere salom intentionem, et non requiri aliam dispositionem. Utraque consequentia patet. Et sequela suadetur : nam ulterior

illa

illa dispositio per fidem, et pœnitentiam sufficit simul cum sacramento ad inducendum ejus fructum, ut inductive de facto constat : ergo si talis dispositio requiritur ad valorem sacramenti, sequitur omne sacramentum validum, esse etiam fructuosum. Falsitas autem consequentis ostenditur : quia valor sacramenti est distinctus, et separabilis ab ejus effectu, sive fructu, ut in aliis etiam causis tam naturalibus, quam moralibus contingit: ergo fieri potest, quod sacramentum sit in se validum, et nihilominus suum effectum principalem, nempe gratiam, vel ejus augmentum non inducat. Et sic supponunt communiter Theologi, dum inquirunt an sacramentum valide, et infructuose a principio receptum causet gratiam recedente fictione, ut et nos egimus supra disp. 4, dub. 6. Ergo non omne sacramentum in se validum causat eo ipso suum effectum. Potestque præmissus discursus magis confirmari (excludendo simul tacitam replicam) exemplo sacramenti pœnitentiæ : nam quia ad ejus valorem præter intentionem requiritur ulterior dispositio, quæ simul est prædicti sacramenti pars ; proptera tale sacramentum est regulariter, et per se loquendo, si validum, fructuosum; et vix, aut ægre declarari valet, quo modo tale sacramentum queat ficte suscipi, et ab effectu impediri, ut in proprio loco expendemus : ergo si ad valorem cæterorum sacramentorum requireretur præter intentionem similis dispositio ; idem etiam in aliis sacramentis contingeret. Id vero contradicit communi Theologorum judicio, et omnium apprehensioni, qui probe recognoscunt baptismum, matrimonium, et similia sacramenta recipi frequentissime valide, sed sine fructu gratiæ, et conjunctim ad statum peccati.

13. Ex utraque autem assertione facile colligemus aliqua consectaria. Primum peccare mortaliter adultum, qui sine intentione, et positivo consensu recipit aliqua sacramenta. Ratio constat evidenter ex dictis : quoniam grave peccatum est impedire valorem sacramentorum, et non minus quam impedire eorum fructum : sed ad valorem sacramentorum requiritur intentio ex parte subjecti suscipientis, ut constat ex dictis in secunda conclusione: ergo adultus sine intentione suscipiens impedit eorum valorem : ergo adultus ita se gerens peccat mortaliter. Accedit fictionem perversam in re gravissima esse gravem inordinationem, atque ideo peccatum mortale. Adultus autem, qui exterius suscipit nostra sacramenta absque intentione illa suscipiendi, perverse fingit in re gravissima. Unde D. Tho. quæst. 68, art. 7, in *Sed contra* inquit : « Secundum ritum Ecclesiæ baptizandi « profitentur se petere ab Ecclesia baptis- « mum, per quod profitentur suam inten- « tionem de susceptione sacramenti. » Et in corpore ait : « Per baptismum aliquis « moritur veteri vitæ peccati, et incipit « quandam vitæ novitatem, secundum illud « Rom. 6 : Consepulti sumus Christo per « baptismum in mortem, ut quomodo « Christus surrexit a mortuis per gloriam « Patris, ita et nos in novitate vitæ am- « bulemus. Et ideo sicut ad hoc, quod ho- « mo moriatur veteri vitæ, requiritur se- « cundum Augustinum in habente usum « liberi arbitrii voluntas, qua eum vete- « ris vitæ pœniteat, ita requiritur volun- « tas, qua intendat vitæ novitatem : cujus « principium est ipsa susceptio baptismi. » Quare fingere in materia adeo gravi suscipiendo sacramenta absque intentione illa suscipiendi, sive absque consensu in eorum valorem, nequit non esse maxima perversitas, et inordinatio. Quod nemo Catholicorum negat, et Caietanus ipse, (licet alias nobis contrarius) in titulo dubii supponit. Et hinc facile colliget lector ministrum etiam, qui certo cognoscit subjectum suscipiens sacramenta suscipere illa sine intentione, committere etiam per se loquendo grave peccatum : tum quia comcurrit ad peccatum alterius, tum quia non curat honorem debitum sacramentis. Diximus *per se loquendo* ob aliquas exeptiones, et limitationes, quæ circa id occurrere possunt, et constant ex dictis disp. præced. dub. 5, et huic etiam casui applicari queunt.

D. Tho.

Append.

Secundum corollarium.

14. Infertur secundo adultos, qui aliquando habuerunt intentionem, sive consensum positivum suscipiendi sacramenta, et nunquam id propositum retractarunt, posse etiam dormientes, et amentes valide suscipere talia sacramenta, si hæc eisdem applicentur. Ratio est: quoniam ex parte subjecti pro valore sacramentorum in adultis non aliud requiritur, quam homo viator cum intentione suscipiendi sacramenta, ut constat ex præmissis assertionibus: talis autem est homo dormiens, vel amens, qui prius habuit intentionem susci-

piendi sacramenta, eamque non retractavit; siquidem intentio non retractata perseverat moraliter, et inducit passionem, sive receptionem voluntariam : ergo adultus dormiens, vel amens, qui habuit intentionem, nunquam retractatam, suscipiendi sacramenta, valide illa suscipit in sensu composito somni, et amentiæ. Nec hic impediri debemus exemplo ministri, qui licet habuerit intentionem conferendi sacramenta; nihilominus dormiens, aut amens nequit illa valide ministrare. Nam ad hoc satis constat ex dictis disp. præced. dub. 2. n. 33, juxta quæ concedimus non minus requiri intentionem ex parte adultorum suscipientium sacramenta, quam ex parte ministrorum illa efficientium, et applicantium : concedimus etiam tam in ministris, quam in suscipientibus sufficere intentionem præcedentem, sive voluntarium in causa : unde, quantum est ex vi hujus, sicut subjectum dormiens, aut amens potest sacramenta valide suscipere, sic etiam minister dormiens, vel amens posset sacramenta valide ministrare. Sed ratio differentiæ ab alia radice desumitur, nempe sacramenta constare verbis humanis tanquam forma, ut vidimus disput. 2, dub. 1, et 2, et proferre talia verba pertinere ad ministrum : verba autem, quæ dormiens, et amens profert, non sunt verba humana : et ideo minister dormiens, vel amens nequit conficere sacramenta. Quod motivum non occurrit in subjecto, ad quod non aliud pertinet, quam voluntarie sacramenta suscipere : id autem dormiens, et amens potest habere ex voluntate præhabita. Si autem ex hac doctrina colligatur dormientes, et amentes posse suscipere sacramentum matrimonii, non autem illud celebrare, aut conficere; facile id concedemus jam ob præmissam disparitatem.

Differentia inter ministrum et suscipientem.

Tertium corollarium.

15. Infertur tertio simpliciter invitos, sive coactos non recipere valide sacramenta; invitos autem secundum quid, et metu ab extrinseco illato valide illa recipere. Prima consectarii pars constat ex dictis : nam ut adultus valide suscipiat sacramenta, debet volutarie illa recipere, sive ex positivo consensu illa suscipiendi, ut statuimus in assertione secunda : sed simpliciter invitus, sive coactus non ita se gerit; cum coactio absoluta excludat voluntarium ut patet in eo, qui resistens, et reclamans aquis violenter immergitur, aut aspergitur, ut baptizetur : ergo simpliciter coacti, et inviti non recipiunt valide sacramenta. Unde refellendæ omnino sunt tanquam improbabiles Glossæ illæ num. 10 relatæ oppositum tradentes : et illas deleri jussit Magister sacri Palatii jussu Gregorii XIII. Secunda vero corollarii pars constat ex generali doctrina, quod coactio secundum quid, aut metus ab extrinseco illatus non tollit rationem voluntarii simpliciter, ut liquet in eo, qui ad vitandum naufragium projicit merces in mare,et tradunt communiter Theologi cum D. Thom. 1, 2, quæst. 6, artic. 6; sed ad volorem sacramenti sufficit ex parte subjecti voluntarium simpliciter, sive quod adultus velit absolute suscipere sacramenta : ergo quod adulti inviti secundum quid, et metu ab extrinseco illato intendat sacramenta suscipere, non impedit eorum valorem. Et hoc modo processit decretum Concilii Toletani declarantis Judæos, qui hoc modo, obligante Sisebuto Hispaniæ Rege, baptizati fuerant, cogendos esse ad fidem, et religionem : vere namque voluerant baptizari, licet jussione et metu impellentibus. Et refertur in cap. *De Judæis* 56, dist. 45. Utramque autem consectarii partem egregie docuit D. Tho. in 4, dist. 6, quæst. 1. art. 2, quæstiunc. 3, his verbis : « Sciendum, quod non « requiritur in adulto voluntas absoluta « suscipiendi, quod Ecclesia confert : sed « sufficit voluntas conditionata, sicut est « in voluntariis mixtis, ut dicitur in 3, « Ethicor. cap. 2. Et ideo si sit coactio « efficiens, ita quod principium sit ex toto « extra, nil conferente vim passo, ut cum « aliquis reclamans immergitur : tunc talis nec sacramentum suscipit, nec rem « sacramenti. Si autem sit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ita quod « baptizatus potius eligat baptismum suscipere, quam talia pati; tunc suscipit « sacramentum, sed non rem sacramenti. » Ab hac tamen communi pro valore sacramentorum regula excipitur sacramentum matrimonii : quod ob naturam contractus, et gravia inconvenientia ex opposito consecutura disponit jus tam Canonicum, quam Civile non valere, si per injuriam, et coactionem metu mortis celebratur. De quo suo loco.

§ III.

§ III.

Quid sentiendum de dispositione ad effectum Sacramenti.

16. Dicendum est quarto, quod ut adultus recipiat in sacramentis primam gratiam (sive per se, ut contingit in sacramentis mortuorum, sive per accidens, ut quandoque contingit in sacramentis vivorum juxta doctrinam superius traditam disp. 4, dub. 7), non sufficit ex parte subjecti sola intentio recipiendi sacramentum, sed insuper requiritur aliqua dispositio actualis, saltem per actum fidei, et attritionis. Hæc conclusio est communis inter Theologos, pro qua videri possunt Petrus de Soto lectione 9, *de sacramentis in genere*, et lectione 7, *de Confessione*, Suarez in præs. disp. 7, sed. 4, Arauxo quæst. 62, art. 1, dub. 3 concl. 1, et 2, Aversa quæst. 64, sect. 8. § *Quinto videri potest*, et alii. Probatur primo : quia sacramenta nec per se, nec per accidens causant primam gratiam, nisi tollatur obex ad recipiendum hujusmodi effectum : sed obex ad prædictum effectum est non solum peccatum actuale, sed etiam peccatum habituale, quandiu non retractatur ; siquidem ubi homo illud non detestatur, censetur moraliter in eo voluntarie permanere : ergo ut adultus recipiat primam gratiam in sacramentis, debet habere aliquam dispositionem actualem, qua peccatum retractet, et detestetur : sed ad id non requiritur perfecta contritio; alias sacramenta nunquam primam gratiam producerent in adultis ; siquidem contritionem perfectam supponerent, quæ cum gratia connectitur : ergo debent ad minus habere motum attritionis, quæ sufficit ad removendum affectum in peccatum, et ut homo recedat a culpa, quam voluntarie commisit. Nec momenti erit, si dicatur hunc discursum probare ad summum in adulto, qui purgandus est a peccato personali, quod propria voluntate commisit, secus autem in adulto, qui præcise liberandus est a peccato originali, ut contingit in baptismo. Nam contra hanc suppositionem est, quod adultum habere tantum peccatum orginale est simpliciter impossibile in via D. Thom. quilibet enim adultus in primo instanti usus rationis tenetur se convertere in Deum ultimum finem dilectum super omnia : quod si faciat, consequitur gratiam antecedenter ad susceptionem baptismi : si vero omittat, peccat graviter peccato proprio personali : unde nullus adultus cum solo peccato originali reperitur, ut late ostendimus tract. 13, disput. 20 dub. 1, et 2. In aliorum etiam sententia casus non est moraliter contingens : quia adultus post primum illud instans nequit considerabili tempore perseverare in peccato originali, et sine conversione ad Deum, quin incidat in aliquod peccatum mortale personale. Qui autem nec hanc impossibilitatem moralem viderit, curabit aliter suadere communem assertionem.

17. Probatur secundo, et magis universaliter ratione D. Thomæ 1, 2, quæst. 113, art. 3, quæ probat in omni impii justificatione tam intra, quam extra sacramentum, et eleganter ab eo proponitur his verbis : « Justificatio impii fit Deo movente ad « justitiam : ipse enim est, qui justificat « impium, ut dicitur Rom. 3. Deus autem « movet omnia secundum modum uniuscujusque : sicut in naturalibus videmus, « quod aliter moventur ab ipso gravia, et « aliter levia propter diversam naturam « utriusque. Homo autem secundum pro« priam naturam habet, quod sit liberi « arbitrii. Et ideo in eo, qui habet usum « liberi arbitrii non fit motio a Deo ad « justitiam absque motu liberi arbitrii. Sed « ita infundit donum gratiæ justificantis, « quod etiam simul cum hoc movet libe« rum arbitrium ad donum gratiæ accep« tandum in his, qui sunt hujus motionis « capaces. » Ut plane sunt omnes adulti suscipientes sacramenta, et his mediis consequentes primam gratiam, sive donum justificationis. Nullus igitur adultus prædictam gratiam in sacramentis consequitur, nisi disponatur per aliquem motum honestum, et eidem gratiæ proportionatum. Et quamvis contra præmissum D. Thomæ discursum queant aliquæ objectiones formari, in eis diluendis non immoramur : quia huic rei dedimus operam ex professo tract. 15, disp. 3, dub. 1, § 1. Præmisso autem discursui consonat omnino Concilium Tridentinum sess. 6, nam cap. 6, recenset « modum præparationis impii ad « justitiam per varios virtutum actus. » Et deinde cap. 7, subjungit : « Hanc dis« positionem, seu præparationem justi« ficatio ipsa consequitur. » Et loquitur de

Aliud motivum.

D. Tho.

Concil. Trident.

justicatione facta etiam intra sacramentum: nam referens justificationis causas inquit ibidem: « Instrumentalis item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio. » Atque in præmisso sensu diffinit Can. 4: « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; nec posse dissentire, si velit sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit. » Hæc Concilium de omni justificatione adultorum.

Confirmatio. Confirmatur ex his, quæ fusius tradidimus tract. 14, disput. 3, dub. 4, § 1, et possumus nunc ad brevem formam reducere: quoniam gratia sanctificans exigit in subjecto aliquam dispositionem: ergo in adultis exigit dispositionem actualem: ergo adultus nec intra, nec extra sacramentum recipit primam gratiam sanctificantem, nisi dependenter ab aliqua dispositione actuali, qua præparetur, et coaptetur ad talem gratiam. Antecedens probatur: quia forma perfecta non commumunicatur subjecto, nisi dependenter ab hujus dispositione, ut inductive patet in naturalibus: sed gratia est forma perfectissima in supernaturali ordine, utpote quæ in eo habet rationem naturæ: ergo gratia sanctificans exigit in subjecto aliquam dispositionem. Prima vero consequentia recte colligitur ex antecedenti: quoniam unumquodque recipitur ad modum recipientis, et juxta conditionem illius: sed adultus est subjectum gaudens libero arbitrio, et capax dispositionis per actus proprios: ergo si gratia sanctificans exigit in adultis aliquam dispositionem, exigit utique dispositionem actualem per actus, sive motus liberi arbitrii. Unde secunda consequentia facile suadetur: nam præmissus discursus fundatur adæquate in conditionibus gratiæ sanctificantis, et adulti illam recipientis, proceditque independenter a sacramentis, et eorum usu: ergo si adultus eget aliqua dispositione ad suscipiendum gratiam, ea utique dispositione indiget tam intra, quam extra sacramentum. Nec hic impediri debemus exemplo parvulorum: tum quia nec parvuli justifi-

Præcluditur effugium.

cantur nisi dependenter ab aliqua dispositione ad gratiam, quam dispositionem præstant habitus virtutum gratiam comitantes, ut explicuimus tract. 15, disp. 3, dub. 3, num. 168. Tum quia parvuli non sunt capaces eliciendi actus proprios, atque ideo non debent per illos disponi, sed alio modo. Oppositum autem contingit in adultis ob oppositam rationem, ut proxime diximus. Unde non parvulis, sed adultis omnibus (cum ad justificationem tam intra, quam extra sacramentum invitantur), dicitur Ezech. 18: *Projicite iniquitates vestras et facite vobis cor novum.* Hierem. 3: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere.* Zachar. 1: *Convertimini ad me.* 1, Reg. 7: *Præparate corda vestra Domino.* Quæ vana essent, nisi ex parte adulti requireretur aliqua dispositio actualis ad suscipiendum gratiam justificationis. Videatur D. Thom. 1, 2, quæst. 112, art. 2, ubi ait: « Gratia dicitur dupliciter. Quandoque quidem ipsum habituale donum Dei: quandoque autem auxilium Dei moventis ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio: quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita. »

18. Non reperimus sententiam apud Catholicos, quam contra præmissam assertionem referamus. Et quamvis aliqua adversum illam possent argumenta formari, ea tamen diruimus locis supra relatis, ad quæ lectorem remittimus. Scotus autem in 4, dist. 14, quæst. 4, art. 9, significavit, quod licet adulti ad suscipiendum per se primam gratiam in sacramentis mortuorum, baptismo scilicet, et pœnitentia, debeant habere aliquam dispositionem actualem a nobis jam assignatam: nihilominus possunt per accidens recipere primam gratiam in aliis quinque vivorum sacramentis, licet non habeant prædictam dispositionem, sed accedant cum sola intentione, et bona fide existimantes se esse in statu gratiæ. Et idem docuerunt quidam Theologi, quorum suppresso nomine meminit Arauxo loco citato. Fundamentum erat, quod vel peccatum habituale non cognitum est obex sufficiens ad impediendum communicationem gratiæ sanctificantis, vel non? Si eligatur hoc ultimum; qui ad prædicta sacramenta accedit cum peccato mortali non cognito, nullum obicem ponit gratiæ: ergo cum sacramenta causent gratiam in non ponentibus

ponentibus obicem, plane sequitur accedentes cum intentione, et bona fide, licet nullam aliam habeant dispositionem, suscipere primam gratiam saltem per accidens in prædictis sacramentis. Si autem eligatur primum; fit nec attritionem sufficere ad suscipiendum gratiam; siquidem attritio sola non sufficit ad excludendum obicem peccati habitualis, sed requiritur perfecta contritio.

Sed prædictus dicendi modus nullam habet probabilitatis speciem: quia adultorum nemo justificatur absque cooperatione liberi arbitrii, et aliqua dispositione ejusdem ordinis cum gratia, ut satis constat ex supra dictis: sola autem bona fides existimandi se esse in statu gratiæ, non est cooperatio liberi arbitrii, nec dispositio aliqua ejusdem ordinis cum gratia, sed vel mera carentio judicii oppositi veri, vel aliquod judicium physice falsum: ergo talis fides minime sufficit ut adulti recipiant per accidens primam gratiam in sacramentis vivorum, sed insuper habere debent aliquam ulteriorem coaptationem per actus ejusdem ordinis cum gratia recipienda. Unde accedentes præcise cum ea bona fide non quidem peccant, sed nec gratiam consequuntur: et sic suscipiunt sacramentum informe, daturum tamen fructum suo tempore, scilicet ablato obice per convenientem postea adhibendam dispositionem, juxta doctrinam traditam disput. 4, dub. 6. Motivum vero pro contraria parte repræsentatum nihil evincit: nam ipsa carentia dispositionis actualis, et ejusdem ordinis cum gratia sanctificante est obex, ut sacramenta nequeant prædictam gratiam in adultis efficere: quippe quæ non reperiunt subjectum dispositum ad talem gratiam suscipiendam. Unde eligenda est prima dilemmatis pars: quia habituale peccatum non cognitum, nec retractatum gratiæ suscipiendæ præstat impedimentum. Et ad hujus partis impugnationem dicendum est, quod licet attritio non sit perfectissima peccati retractatio, et detestatio; est tamen sufficiens ad removendum affectum voluntatis ad peccatum, et ut homo non dicatur illius obicem apponere; cum ipsum potius aversetur licet non sub excellentisimo, quo posset, motivo: quem defectum supplet Deus misericorditer in nostris sacramentis.

na lu- 19. Dicendum est ultimo adultos, ut recipiant effectum proprium, et per se sacramentorum vivorum, nempe augmentum gratiæ, non indigere aliqua dispositione actuali, sed sufficere, quod habeant habitualem, nempe statum gratiæ. Sic docent D. Thomas statim referendus, et communiter Theologi. B. Albertus, Victoria, Sotus, Martinus, et Petrus de Ledesma, Nugnus, Arauxo, et Serra, quos refert, et sequitur Prado infra quæst. 79, dub. 11, num. 5, Scotus, Gabriel, Adrianus, Corduba, et alii, quos referunt, et imitantur Suarez disp. 63, sect. 3, Vazquez disp. 206, cap. 2, Lugo disp. 14, sect. 3, Aversa quæst. 79, sect. 5, et communiter Recentiores. Probatur primo: quia ut sacramentum Eucharistiæ causet suum principalem effectum augescendi gratiam in adultis non exigit necessario in eis actualem dispositionem per actus charitatis, devotionis, et similes; sed solum exposcit habitualem dispositionem, nempe statum gratiæ: ergo idem de aliis vivorum sacramentis dicendum est. Consequentia patet tum a paritate: quia non occurrit motivum, ut diversimode quantum ad hoc discurramus de sacramentis vivorum. Tum a fortiori: quia sacramentum Eucharistiæ est omnium excellentissimum, exigensque proinde majorem animi puritatem: ergo si istud, ut causet potissimum effectum, videlicet augmentum gratiæ, non indiget dispositione actuali ex parte suscipientis, idem de aliis dicendum est. Antecedens autem probatur primo ex Concilio Tridentino sess. 16, cap. 7, « de præparatione, « quæ adhibenda est, ut digne quis sacra- « mentum Eucharistiæ accipiat: » ubi Concilium agit de digna, et fructuosa hujus sacramenti susceptione, ne dicamus Concilium mancam, et imperfectam circa hoc doctrinam tradidisse. At Concilium non aliam dispositionem exigit, quam carentiam status peccati, sive statum gratiæ. « Ut nullus, *inquit*, conscius sibi peccati « mortalis, quantumvis sibi contritus videa- « tur, absque præmissa sacramentali con- « fessione ad sacram Eucharistiam accedere « debeat. » Ergo ex sententia Concilii carentia dispositionis actualis, quæ exercetur per actus virtutum, non impedit præcipuum hujus sacramenti effectum, nempe augmentum gratiæ. Probatur secundo idem antecedens ex Divo Thom. infra quæst. 79, art. 8, ubi ait: « Effectus hujus « sacramenti non solum est adeptio habi-

B. Alb. Prado. Scotus. Suarez. Vasq. Lugo. Aversa.

Ratio fundamentalis.

Concil. Trident.

D. Tho.

« tualis gratiæ, vel charitatis: sed etiam « quædam actualis refectio spiritualis dul- « cedinis. Quæ quidem impeditur, si ali- « quis accedat ad hoc sacramentum per « peccata venialia mente distractus. Non « autem tollitur augmentum habitualis « gratiæ, vel charitatis. » Et in resp. ad 1, addit: « Ille, qui cum actu venialis « peccati ad hoc sacramentum accedit, « habitualiter quidem manducat spiritua- « liter, sed non actualiter. Et ideo habi- « tualem effectum hujus sacramenti per- « cipit, non autem actualem. » In quibus perspicuum est S. Doctorem asserere carentiam dispositionis actualis, sive actualem indispositionem per distractionem, et peccata venialia impedire quidem quendam specialem Eucharistiæ effectum, nempe actualem refectionem spiritualis dulcedinis: sed tamen non impedire principalem, et quasi substantialem effectum prædicti sacramenti, videlicet augmentum habitualis gratiæ, et charitatis. Sentiebat igitur, quod ut Eucharistia causet præcipuum effectum, sibi et aliis sacramentis vivorum communem, non indiget ex parte suscipientis aliqua dispositione actuali, sed sola præparatione habituali consistente in statu gratiæ.

Aliud motivum. 20. Probatur secundo eadem assertio: quoniam omnia sacramenta nostra causant suum effectum, saltem primarium, et principalem in non ponentibus obicem tali effectui: sed qui in statu gratiæ accedit ad sacramenta vivorum, licet nullam ulteriorem dispositionem adhibeat, nullum ponit obicem primario, et principali talium sacramentorum effectui: ergo ita accedens accipit prædictum eorum sacramentorum effectum, nempe augmentum gratiæ. Consequentia est legitima, et major omnino certa. Minor autem probatur: quia ex una parte status gratiæ nequit esse obex, sed magis dispositio optima habitualis ad suscipiendum ejusdem gratiæ augmentum: et ex alia parte carentia devotionis, vel dispositionis, aut fervoris actualis non est obex cum augmento gratiæ incompossibilis; cum potius queat componi cum quolibet gratiæ gradu, ut patet post infusionem talis augmenti: ergo qui in statu gratiæ accedit ad sacramenta vivorum, licet aliam dispositionem non adhibeat, nullum ponit obicem effectui talium sacramentorum, nempe augmento gratiæ.

Confirmatur: nam si ille, qui existens in statu gratiæ, nullam tamen habens devotionem actualem, sed potius distractionem, et peccata venialia, accedit ad Eucharistiam, et alia sacramenta vivorum, poneret obicem effectui talium sacramentorum; profecto sic accedens peccaret mortaliter: consequens est improbabile, et contra omnium sententiam; siquidem accedens in statu gratiæ, digne simpliciter accedit: ergo antecedens est falsum: atque ideo fateri oportet sic accedentem non ponere obicem effectui primario, et principali prædictorum secramentorum; et consequenter recipere prædictum effectum, nempe augmentum gratiæ, Cætera constant. Et sequela ostenditur: quia ponere obicem primario effectui sacramentorum est gravis inordinatio contra reverentiam debitam sacramentis, relinquendo scilicet illa imperfecta, et sine principali fructu; quod importat mortalem malitiam: ergo qui ita accederet ad sacramenta vivorum, quod propter distractionem, vel ob carentiam debitæ dispositionis, poneret obicem effectui principali talium sacramentorum, peccaret mortaliter. Adde dici non posse, quod distractio, aut carentia devotionis in recipiendis vivorum sacramentis sit ex natura sua obex gratiæ, aut peccatum mortale. Sed si id de facto haberet, haberet utique ex sola Christi institutione. Præsumendum autem potius, et credendum est Christum id negotium humanæ fragilitati accommodasse: contra quam plane est, quod homo habeat attentionem, et devotionem actualem, quotiescumque recipit Eucharistiam, et alia vivorum sacramenta. Nullum itaque grave fundamentum occurrit asserendi talem obligationem, reclamante præsertim in oppositum communi Theologorum sententia.

21. Contrariam nihilominus nostræ assertioni doctrinam tuentur Cajetanus infra quæst. 79, art. 3, § *De tempore vero.* et Petrus de Soto lect. 12, *de Eucharistia.* Atque eidem sententiæ favent D. Antoninus 3 p. tit. 3, cap. 6, § 8, D. Bonaventura in 4, dist. 12, art. 2, quæst. 1, Durandus quæst. 4, num. 7, Sylvester verbo *Eucharistia in fine*, et alii. Quin etiam eidem favet D. Thomas in 4, dist. 12, art. 1, quæstiunc. 3, ubi plane docet contingere posse in susceptione Eucharistiæ, « quod aliquis augmentum gratiæ

« gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum peccati venialis ex hoc, quod imparatus accedit. » Sed cum S. Doctor nostram, et communem sententiam docuerit evidenter in summa, ut constat ex testimonio num. 19 relato; impediri non debemus prioribus ejus scriptis. Quamvis nec propositum testimonium alias multum urgeat : quippe non asserit per distractionem, indevotionem, aut peccata venialia impediri totum Eucharistiæ effectum; sed affirmat, quod « ad hoc, quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet, quod adsit actualis devotio. » Eucharistiam autem habere plene suum effectum est conferre non solum habitualis gratiæ augmentum, sed etiam actualem refectionem spiritualis dulcedinis : ad quem plenarium effectum fatemur requiri devotionem, sive dispositionem actualem; quamvis necessaria non sit ad solum principalem effectum augmenti gratiæ. Unde cum S. Doctor dicit, quod aliquis existens in gratia, et accedens ad Eucharstiam, « augmentum gratiæ non consequitur, » exponendus est non de quolibet augmento gratiæ, eo præsertim, quod sacramentum confert ex opere operato; sed de illo præcise augmento gratiæ, quod correspondere solet actibus devotionis, et charitatis in susceptione Eucharistiæ excitatis, et quod confertur ex opere operantis : hoc enim fructu defraudatur, qui distractus, et indevotus ad illam suscipiendam accedit.

Arguitur tamen pro prædicta sententia : quoniam ad suscipiendum principalem effectum Eucharistiæ, nempe augmentum gratiæ, non sufficit sola dispositio habitualis per statum gratiæ, sed insuper desideratur aliqua dispositio actualis : ergo idem de omnibus aliis sacramentis vivorum dicendum est. Consequentia patet a paritate, ut supra ponderavimus. Et antecedens, quamvis diversis mediis suaderi posset, duobus tamen et magis efficacibus probatur a Cajetano. Primo quidem, quia sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum cibi, et potus, juxta illud Joan. 6 : *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus :* unde oportet tale sacramentum nutrire, et augere spiritualiter ad instar nutrimenti : sed nec cibus, nec potus nutrit, et auget absque aliquo actu vitali ex parte comedentis, et bibentis : ergo Eucharistia non confert augmentum spirituale habitualis gratiæ sine aliquo actu vitali suscipientis sacramentum : ergo ut talem effectum communicet, supponit necessario in subjecto aliquam dispositionem actualem. Secundo, quia si status gratiæ independenter ab alia actuali dispositione sufficeret ad consequendum augmentum gratiæ in Eucharistia; sequeretur sacerdotes in statu gratiæ quotidie celebrantes in infinitum augere gratiam : ex quo ulterius fieret tales sacerdotes esse valde perfectos, et subinde elicere actus tam internos, quam externos excellentis charitatis; ut enim inquit D. Gregorius homil. 30, *in Evang.* « Amor Dei non est otiosus, sed operatur magna, si est. » At oppositum consequentis liquet haud obscura experientia : dantur enim plurimi sacerdotes celebrantes in statu gratiæ, quos tamen videmus tepidos, languidos, imperfectos, et otiosos in exercitio virtutum : et hujus defectus non aliam congruentiorem rationem assignare valemus, quam quod sine actuali devotione, seu dispositione celebrent; et subinde in singulis communionibus non assequantur augmentum gratiæ, quo ad excellentem charitatem, et perfectionem possent alioquin perduci. Falsum igitur est, quod ad suscipiendum principalem Eucharistiæ effectum, nempe augmentum gratiæ sufficiat habitualis dispositio per statum gratiæ independenter ab alia actuali dispositione, et fervore. (D. Greg.)

22. Respondetur huic argumento negando antecedens. Ad cujus primam probationem, omissis præmissis, negamus absolute consequentiam. Et debilitas hujus probationis liquet ex eo, quod pueri, et amentes baptizati, si suscipiant Eucharistiam, consequuntur principalem ejus effectum, nempe aliquod gratiæ augmentum, quod prædictum sacramentum confert per modum nutrimenti spiritualis : et nihilominus tales non habent ullam dispositionem actualem : ergo ex eo, quod Eucharistiam conferat adultis augmentum gratiæ per modum nutrimenti, non convicitur debere in eisdem præsupponere aliquam actualem dispositionem. Liquet ulterius eadem debilitas ex eo, quod si adultus egeret aliqua actione vitali, sive dispositione actuali ad consequendum gratiæ augmentum per Eucharistiæ cibum; talem actionem deberet potissimum exercere circa ip- (Solutio.)

sum cibum, sive sacramentum : id enim probat, si quid probat, analogia ad nutrimentum, et augmentum corporalia, ut consideranti constabit : sed id necessarium non esse constat in eo, qui cum actuali, et fervida dilectione Dei in se ipso reciperet sacramentum, absque ulla attentione, aut dilectione directa ad sacramentum in se, vel ad Christum prout in sacramento : hunc enim consequi ex sacramento augmentum gratiæ nec Cajetanus, nec alius quis sanæ mentis negabit : non igitur oportet, quod circa hæc servemus adæquatam correspondentiam ad ea, quæ in nutritione, et augmento corporalibus contingunt. Et ratio disparitatis est, quod cum in naturalibus nutrimentum sit in se mortuum ; nutritio debet fieri per actionem viventis circa alimentum : unde nutritio, et augmentum in corporalibus non absque prædicta actione contingunt. Sed Eucharistia, sive cibus spiritualis continet vitam, et nutritio consistit in actione spirituali nutrimenti circa alimentum, causando scilicet gratiam ex se, sive ex opere operato, quocirca non ita requiritur actio ex parte sumentis, ut optime significavit D. Thomas infra q. 73, artic. 3 ad 2, illis verbis : « Hæc est differentia inter alimentum corporale, et spirituale, « quod alimentum corporale convertitur in « substantiam ejus, qui nutritur. Sed alimentum spirituale convertit hominem « in se ipsum, secundum illud, quod « Augustinus dicit in lib. Confess. quod « quasi audivit vocem Christi dicentis sibi : « Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ ; sed tu mutaberis in me. » Dato tamen, quod aliqua operatio vitalis ex parte sumentis hunc spiritualem cibum requireretur ; hæc sufficienter salvatur tum in actione vitali sumendi ipsum sacramentum, tum in intentione ipsum suscipiendi, de qua diximus § præced.

Nota.

D. Tho.

Secunda etiam antecedentis probatio multipliciter convellitur. Primo regerendo ipsam in opponentem, qui dubitare non potest plurimos esse sacerdotes, qui celebrant cum devotione, sive dispositione actuali, et qui subinde consequuntur aliquod gratiæ augmentum : et tamen in eis non videmus extraordinariam aliquam perfectionem, aut signa excellentis charitatis : ergo ex eo, quod similia non occurrant in celebrantibus absque dispositione, et fervore actualibus, minime includi potest, quod non suscipiant ex opere operato aliquod gratiæ augmentum. Secundo ex eo, quod in celebrantibus distracte, et absque devotione actuali, producitur quidem aliquod augmentum gratiæ, sed valde minimum : superveniunt etiam in his plurima peccata venialia, quæ licet non entitatem, fervorem tamen charitatis diminuunt : unde mirum non est, si tales non exerant excellentia virtutum opera. Tertio, nam si aliquis effectus insignis illius cumuli gratiæ, quæ per tot communiones acquiritur, assignari deberet; hic plane haud obscure relucet in vitando peccata mortalia per longum tempus, et in perseverando in gratia : quem effectum plane assequuntur aliqui sacerdotes ex frequenti, licet non ita devota, hujus sacramenti sumptione. Accedit denique magnam illam gratiam, ejusque efficaciam ex repetita sacramenti frequentatione acquisitam esse aliquando velut otiosam, et quasi occultam ob defectum occasionum externarum : parere autem insignes effectus, viresque exercere, ubi tentationes occurrunt. Quod non incongrue declarat Lugo exemplo : nam rebellantibus Mauris Granatensibus contra Regem Catholicum, apparuit in sacerdotibus eminens, et heroica constantia ad perferendum atrocissima supplicia : quam fuisse frequentis communionis optimum fructum creditum est, et verisimile prorsus apparet. Ex quibus satis apparet ad præmissam probationem. Et si quæ aliæ circa hanc materiam supersunt ; vel juxta doctrinam traditam dilui possunt, vel debent in proprium tractatum referri.

Fre[quen] comm[u]nion[is] fructu[s]

DUBIUM II.

An suscipientes sacramenta possint ea petere a ministris indignis?

Hæc est specialior, et magis practica difficultas, quæ circa subjectum sacramentorum occurrit, plurima tamen concernens spectantia ad alios tractatus, puta de charitate, de scandalo, et censuris. Tanta vero circa illam assurgit opinionum seges, ut animum pene obruat, et spissam de multitudine, et confusione obscuritatem extendat. Quæ inconvenientia ut vitemus, curabimus, quæ de re sunt, ordinate, et resolutorie proponere, impertinentibus, ac levibus, quantum fieri valet, rescissis. Sed ut id securius assequamur, et difficultas trahatur ad peculiaria puncta principaliora.

§ I.

§ 1.

Aliquæ observationes prælibantur.

23. In primis itaque notandum est, quod indignorum ministrorum nomine comprehendimus omnes existentes in peccato mortali : hi enim, saltem ubi consecrati sunt, et solemniter ministrant sacramenta, indigne agunt, et peccant graviter juxta doctrinam traditam disp. præced. dub. 4, § 1. Comprehendimus etiam omnes excommunicatos : his enim (licet alias coram Deo in gratia existant), prohibitum est jure Ecclesiastico sacramenta ministrare, priusquam a censura solvantur. Et hi sunt in duplici differentia : nam aliqui dicuntur tolerari, quos vitare non obligamur ; alii autem non tolerati, sive vitandi, quos vitare debemus. Et quidem olim, et tempore D. Thomæ omnes excommunicati, degradati, aut suspensi erant vitandi, seu non tolerati, ut constat ex jure Canonico, et ex his, quæ tradit S. Doctor in hac quæst. 64, art. 6, ad 2, illis verbis : « Si « minister ab Ecclesia non toleratur, pu- « ta cum degradatur, vel excommunica- « tur, vel suspenditur. » Sed modo post Concilium Constantiense, et Bullam Martini Quinti, solum dicuntur vitandi, et non tolerati, qui nominatim, sive specialiter, et publice sunt excommunicati, et similiter notorii Clericorum percussores, ita ut delictum nulla tergiversatione celari queat. Ita vero post illud Concilium disposuit prædictus Pontifex tum ad vitandum plura scandala, et peccata, in quæ homines ob dispositionem oppositam incidebant ; tum ad favendum fidelibus, qui pluribus circa hujusmodi convictum scrupulis implicabantur. Substantiam illius Bullæ referunt D. Antoninus 3 p. tit. 26, cap. 3, Cajetanus in fine tituli *de excommunicatione*, Sylvester verbo *Excommunicatio* 5, § 4, Sotus in 4, dist. 22, q. 2, art. 4, § *Tenor autem*, et alii.

Unde colligitur primo contra Navarrum cap. 25, num. 79, sacerdotes publice fornicarios, aut concubinarios non esse vitandos, sed toleratos, quousque per sententiam nominatim excommunicentur, et suspendantur. Oppositum probabat ille ex cap. *Si qui sunt* 8, dist. 1, ubi Pontifex prohibet interesse illorum Presbyterorum officiis, qui sunt in publico concubinatu. Et id plane senserat D. Thom. qui tum alibi, tum specialiter quodlib. 8, art. 11, asseruit : « Quicumque a fornicario publico audit « Missam, peccat mortaliter. » Sed tamen nostra illatio, et suppositio certa est post præmissam dispositionem Concilii Constantiensis, et Martini Quinti jam relatam : quam minime postea abrogavit Concilium Tridentinum, ut contra Navarrum docent omnes alii Doctores, Cajetanus, Sotus, Victoria, Nugnus, Cabrera, Ledesma, Adrian. Palacios, Suar. Valenc. et alii communiter, quos refert, et sequitur Prado q. 64, dub. 5, n. 7. Et ita plane censendum est juxta jus commune. Cum quo tamen recte cohæret prædictos publicos concubinarios esse jure particulari ipso facto suspensos a divinis, et reputari tanquam nominatim excommunicatos in aliquibus Diœcesibus, ut accidere in Namurcensi, Audemarensi et Atrebatensi recte observat Sylvius quæst. 64, art. 6, quæsito 3, § *Verum juxta*.

Excluditur. — *Prado.* — *Nota.* — *Sylvius.*

24. Colligitur secundo contra Sylvestrum loco supra citato non omnes publice, et notorie excommunicatos esse hodie vitandos, sive non toleratos. Oppositum asseruit ille ex eo motus, quod constitutio Martini Quinti sic postea declarata fuit in Concilio Basiliensi sess. 20. Quam declarationem approbavit Concilium Lateranense sub Leone X, sess. 12. Sed nihilominus nostram illationem, et suppositionem docent communiter alii Auctores, D. Antoninus, Sotus, Cajetanus, et alii plurimi apud Cabreram disp. 2. Et probatur efficaciter : quia Concilium Constantiense disposuit solos nominatim excommunicatos esse vitandos : non autem omnes publice, et notorie excommunicati sunt nominatim, sive expresse, aut specialiter excommunicati, ut ex terminis liquet : ergo non omnes publice, et notorie excommunicati sunt excommunicati non tolerati, sive vitandi. Accedit prædictum Concilium ea dispositione providisse scrupulis fidelium, qui de communicatione cum hæreticis, et aliis excommunicatis agitabantur : quod remedium vel nullum esset, vel parum proficeret, si obligaremur vitare omnes, et singulos publicos excommunicatos. Quod vero affert Sylvester ex declaratione Concilii Basiliensis, non urget : quia Nicolaus V solum approbavit, et confirmavit ex eo Concilio, quæ pertinebant ad distributiones beneficiorum, dispensationes, et absolutiones a

Sentent. Syvest. — *Rejicitur*

censuris, ut constat ex ejus Bulla ad finem illius Concilii, et ex Turrecremata (qui illi Concilio adfuit) lib. 2, *Summæ*, cap. 100. Nec majoris ponderis est, quod ex Concilio Lateranensi adducitur : nam talis declaratio, aut confirmatio non fuit ab Ecclesia recepta. Unde nec Cajetanus (qui illi interfuit), ejus meminit.

Turrecremata.

An irregulares sint vitandi.

Colligitur tertio nec omnes irregulares reputari non toleratos, aut vitandos ; sed eos præcise, qui publice, et nominatim denuntiati fuerint. Oppositum significarunt aliqui Auctores. Sed nostram resolutionem docent communiter alii. Nugnus in hac quæst. art. 6, in 2, parte, notabili 3, Serra ibidem dub. 2, post primam conclus. Cabrera dispu. 2, numero 5, Henriquez lib. 13, cap. 5, § 5, et alii. Probatur primo, quia Martinus V, solum disposuit vitandos, aut non tolerandos esse nominatim, et expresse excommunicatos, et notorios Clericorum percussores : tales autem non sunt omnes irregulares. Secundo, quia Martini concessio facta fuit in favorem fidelium : sed nihil fere commodi, aut favoris afferret, si ab irregularibus non possemus accipere sacramenta ; siquidem omnes excommunicati hoc ipso, quod celebrent, aut exerceant officium sui ordinis, fiunt statim irregulares : ergo præsumendum non est omnes irregulares esse hoc ipso non toleratos, sive vitandos. Tertio, quia irregularitas est pœna jure imposita : Martinus autem in sua bulla non comprehendit inter vitandos omnes, qui generali quodam jure pœna afficiuntur, sed eos præcise in quos specialiter, et nominatim sententia lata fuerit, ut constat ex ejus verbis : « Nemo deinceps a « communione alicujus in sacramentorum « administratione, vel receptione, aut aliis « quibusvis divinis officiis, vel extra, præ- « textu cujuscumque sententiæ, vel censuræ « Ecclesiasticæ, a jure, vel ab homine ge- « neraliter promulgatæ, teneatur absti- « nere, vel aliqua vitare ; nisi sententia, « aut censura hujusmodi fuerint vel contra « personam » nempe expresse, et nominatim : ergo nullus obligatur non suscipere sacramenta ab irregularibus, sicut nec ab excomunicatis, nisi tales sint nominatim, et expresse.

Nugnus. Serra. Cabrera.

Mart. V.

Recensentur alii indigni.

25. Deinde observandum est, quod præter Ministros indignos vel ratione status peccati, vel propter excommunicationem, et prohibitionem Ecclesiæ, potest dari aliud indignorum genus, eorum scilicet, qui administraturi non sunt verum, et validum sacramentum : vel quia carent potestate ad id requisita ; vel quia adhibituri non sunt ritum substantialem, sed alios potius ab Ecclesia proscriptos. Et quantum ad ministros hujusmodi omnes supponunt illicitum esse in quocumque casu petere ab illis sacramenta. Et quidem merito : tum quia susceptio sacramenti ab istis non esset vera susceptio sacramenti, sed fictitia, et non absque injuria verorum sacramentorum. Tum quia sic petens induceret ministrum ad actum intrinsece malum, et sacrilegum, quem ille (facta præmissa suppositione) non posset licite exercere : ergo hujusmodi petitio esset etiam peccaminosa. Quare hujusmodi ministris omissis, ad alios, de quibus supra, consideratio revocanda est.

Minist[ri] alii p[a]rati, a[ut] non.

26. Ut autem alii termini, quos titulus insinuat, et quibus deinceps utemur, melius intelligantur, advertere oportet, quod ex ministris indignis, de quibus agimus, aliqui non solent esse parati, aut se offerentes ad sacramentorum administrationem, sed rogari, aut excitari solent ab aliis sacramenta suscepturis. Aliqui vero solent esse parati, ut contingit in illis, qui publice sedent ad audiendas confessiones, aut qui se invitant, introducuntve ad celebrandas Missas. Et inter hos ministros paratos recensendi sunt Parochi respectu subditorum : quia debent esse parati ad ministrandum eisdem petentibus sacramenta. Deinde nota susceptores sacramentorum posse in tribus casibus, aut tribus modis illa petere ab indignis ministris. Primo in casu gravissimæ, aut extremæ necessitatis, ut baptismum, aut pœnitentiam in articulo mortis. Secundo cum notabili aliqua sui utilitate, utputa ad vincendas graves aliquas tentationes, ad lucrandum jubileum, ad componendum conscientiæ scrupulos, ubi alias, aut non ita commode reperitur minister, sicut est ille indignus, a quo petimus. Tertio absque gravi illa necessitate, et absque notabili petentis utilitate, sed pro hujus libito : ut cum quis posset absque incommodo susceptionem sacramenti differre, et cum valeret sacramentum ab alio ministro æque sibi utili accipere ; et tamen illud ab indigno petit ut forte sibi magis grato, aut familiari. Et juxta omnes præmissas distinctiones, et sensus potest, et debet discuti proposita difficultas.

Mult[i]plex [ex]tend[it] mot[i]vum.

difficultas. Sed quia excommunicatio addit supra peccatum, illudque, ut incurratur, supponit; propterea majoris claritatis gratia prius dicemus de petente a ministro indigno ratione status peccati, et deinde de petente ab indigno ratione excommunicationis.

Observatio notanda. Sed antequam ulterius progrediamur, præmittere oportet contra stultos aliquorum scrupulos neminem suscepturum sacramenta, obligari ad investigandum, vel inquirendum de probitate sacerdotis sacramenta administraturi, ne scilicet se exponat periculo petendi, aut suscipiendi sacramenta ab indignis. Ad hanc, inquam, investigationem, aut inquisitionem nemo obligatur; quin nec illi per se loquendo licite se ingerit. Tum quia nemo præsumitur malus, nisi constet. Tum quia non possumus temere de proximo judicare, sed magis debemus in dubio in favorem ejus censere. Tum denique quia auctoritas investigandi, et inquirendi circa probitatem proximi nulli particulari commissa est. Et sic observant in præsenti materia Bonacina disp. 1, quæst. 6, punct. 5, num. 5, Dicastillo disp. 3, dub. 3, n. 301, N. Franciscus cap. 8, punct. 2, n. 39, Mascarenhas disp. 4, cap. 7, in principio, et omnes alii, quos viderimus. (Bonac. Dicastil. N. Fran. Mascar.) Quinimo licet quis sciat ministrum paulo ante mortaliter peccasse, potest nihilominus petere ab illo sacramenta, præsumendo scilicet emendationem, quam ille brevissimo tempore adhibere potest per contritionem, vel per confessionem, ut sacramenta sancte ministret. Quod præter Auctores proxime relatos docent Suarez disp. 18, sect. 1, prope finem, Vazquez, Sayrus, Reginaldus, Coninckus, Pitigianus apud Dicastillum loco cit. et alii communiter. (Suarez, et alii.) Quare præsens difficultas solum procedit, ubi suscepturus sacramenta certo scit ministrum administraturum indigne fore sacramenta, vel propter statum peccati, in quo est, et perseverabit, vel propter impedimentum excommunicationis, qua ligatur.

§ II.

Tractatur difficultas in ordine ad petentes ab indignis propter peccatum.

Prima conclusio. 27. Dicendum est primo licitum esse petere, et recipere sacramenta a ministro peccatore, quando nostra interest ob justam, et rationabilem causam, sive ille sit proprius parochus, sive non, et sive sit paratus ministrare, sive non. Termini hujus conclusionis facile intelliguntur ex prænotatis num. præced. Illam autem docent Petrus de Ledesma cap. 6, *de sacramentis in genere* cap. 11, Nugnus quæst. 64, articul. 6, N. Franciscus capit. 8, punct. 2, conclus. 4, Sanchez lib. 7, *de matrimonio* disp. 9, numero 8, Suarez disput. 18, sectione 1, Vazquez *de pœnitentia*, quæstione 93, articulo 1, dub. 2, numero 24, Sayrus *de sacramentis* capit. 8, quæst. 1, articulo 2 et 3 et 5, Toletus lib. 1, capite 88, Bonacina plures referens disput. 1, quæst. 6, punct. 3, Mascarenhas disputatione 4, capite 7, conclusione 1, Bartholomæus ab Angelis, Coninckus, Pitigianus, Reginaldus, Valentia, Vivaldus, Naldus, et Chamerota, quos refert, et sequitur Dicastillo loco supra cit. num. 296. Idemque a fortiori tuentur Doctores referendi num. 29 et alii communiter. (Ledes. Nugnus. N. Fran. Sanch. Suarez. Vasq. Sayrus. Toletus. Bonac. Mascar. Dicastit.)

Ratio fundamentalis. Probatur ratione destruente simul motivum, quod pro parte contraria posset expendi: nam petens cum rationabili causa vel necessitatis, vel utilitatis sacramenta a ministro peccatore, nullo modo influit, aut concurrit ad peccatum, quod ille committit in ministratione indigna: sed ab hac tantum parte posset prædicta petitio esse illicita: ergo licitum est occurrente rationabili causa vel necessitatis, vel utilitatis petere sacramenta a ministro, quem scimus ministraturum esse in peccato. Suadetur major: tum quia petens ex rationabili causa utitur jure suo, atque ideo nullam ministro infert injuriam: tum quia petit rem de se honestam, et quam minister, si velit, potest sancte, et sine ullo peccato ministrare. Unde quod minister in eo casu peccet, adæquate reducendum est in ejus voluntariam indispositionem, sive in hoc, quod velit indigne ministrare, cum id vitare absolute queat vel nolendo tunc ministrare, vel se disponendo ad licitam administrationem. Nec momenti erit recurrere ad scandalum ipsius ministri ortum ex ipsa petitione: quoniam tale scandalum non est activum, sed passivum: nemo autem tenetur vitare scandalum passivum alterius, omittendo id, quod sibi necessarium, vel utile est ad salutem.

Confirmatur: quoniam ad vitandum

[…firmatio.] necessitatem corporalem non solum extremam, aut gravem, sed etiam inferiorem, aut notabilem, licitum est petere mutuum ab usurario, quem certo scimus non mutuaturum nisi cum usuris, et subinde graviter peccando. Similiter occurrente rationabili necessitate, aut utilitate licitum est petere juramentum ab eo, qui certo juraturus est per falsos Deos, aut pejeraturus. Et ita docent communiter Auctores. Ergo pariter, ubi occurrit similis necessitas, aut utilitas spiritualis, licitum est petere sacramenta ab eo ministro, quem scimus ministraturum fore in peccato, et subinde peccaturum. Patet consequentia tum a paritate, tum a fortiori : quia necessitas, vel utilitas spiritualis, est ordinis superioris ad necessitatem, et utilitatem corporalem ; et consequenter magis honestare valet prædictam petitionem. Eo vel maxime, quod sicut petens mutuum, aut juramentum petit de se rem licitam, et quæ potest licite exerceri ; sic etiam se habet petens sacramenta : et sicut petens mutuum, aut juramentum ex rationabili causa utitur jure suo, et pure permissive se habet ad culpam alterius, quam in prædicto casu vitare non debet ; ita etiam comparatur petens sacramenta a ministro, quem prævidet peccaturum, ut considerans præmissam proportionem facile recognoscet.

[…nda …clusio.] 28. Dicendum est secundo non esse licitum petere sacramenta a ministro peccatore, ubi non adest rationabilis causa vel necessitatis, vel utilitatis ; sed petens pro libito ab illo petit ; cum posset sine incommodo receptionem sacramentorum differre, vel illa æque bene, aut utiliter ab alio ministro petere. [Ledesm. …to. …rez. …stro …lao.] Ita Petrus de Ledesma loco supra relato, Sotus in 4, dist. 1, quæst. 5, art. 6 et lib. 6, *de justitia*, quæst. 1, art. 5, Suarez ubi supra, Castro Palao disp. unica punct. 15, [Fran. …vius …nad. …rsa] N. Franciscus loco cit. concl. 5, Sylvius quæst. 64, art. 3, quæsito 3, conclus. 1, in fine, Granados tract. 5, disp. ult. a num. 4, Aversa quæst. 64, sect. 11, […arr. …nac. …sq. …cast.] § *Melius tamen*, Navarrus, Bonacina, Vazquez, Sayrus, Reginaldus et Coninckus, quos refert, et sequitur Mascarenhas loco cit. num. 217, Dicastillo ubi supra num. 298, et alii num. seq. referendi. Probatur ratione satis efficaci : nam ita petens agit contra charitatem erga proximum : ergo non licet ita petere. Consequentia patet. Et antecedens suadetur : nam quilibet ex charitate tenetur vitare peccatum proximi, ubi commode potest : sed petens in tali casu potest commode vitare peccatum proximi ; siquidem potest non petere sacramentorum administrationem, et in non petendo nullum patitur notabile detrimentum : fit enim suppositio, quod non petit ex necessitate, aut considerabili utilitate, sed pro libito, ut præmisimus : ergo sic petens agit contra charitatem proximi. Et plane etiam agit contra divinum honorem, et contra reverentiam debitam sacramento : quandoquidem his providere poterat non petendo ; et caret rationabili titulo, ut petat, et oppositam injuriam, atque irreverentiam permittat. [Fundamentum.]

Nec proderit dicere præmissum discursum non evincere, ubi minister peccator est de se paratus ad ministrandum in peccato : quia tunc non inducitur ad illicitam administrationem. Nam contra hoc est : quia nec licet inducere alterum ad peccandum, nec permittere peccatum proximi, ubi sine incommodo illud vitare possumus. Quamvis autem in præmisso casu minister non induceretur a petente, ut ministraret, sed ipse paratus esset ad illicitam administrationem ; nihilominus petens facile, et sine incommodo valet vitare peccatum exercitum actualis administrationis, scilicet non petendo : ipso namque non accedente, aut petente, minister actu non ministraret. Ergo quamvis petens in eo casu non peccet, quia inducat ad administrationem ; peccat tamen, quia illam adminitrationem illicitam non vitat, cum facile, et sine incommodo queat. Idque confirmatur vulgari exemplo proxime insinuato ejus, qui absque necessitate, et utilitate petit mutuum ab eo, quæ scit non daturum sine usuris, et qui expostulat juramentum ab eo, quem cognoscit pejeraturum : hunc enim nemo excusat a peccato. Idem itaque dicendum est de illo, qui pro libito, cum facile, et eodem modo possit alium ministrum adire, et rogare, postulat sacramenta a sacerdote, quem certo scit peccaturum administrando. [Præcluditur effugium.]

Nec iterum proderit dicere hæc non habere locum respectu proprii parochi : nam hic ex officio tenetur ministrare subditis sacramenta, et ad id esse debet paratus ; quare si indigne ministrat, nulla culpa in subditum petentem, sed unice in parochi malitiam verti debet ; subditus enim utitur jure [Præciditur alia fuga.]

jure suo, quod habet exigendi sacramenta a proprio pastore. Id, inquam, nihil valet : quia non semper licitum est, attentis omnibus, uti jure suo, aut illa exigere ab aliquo, quæ ex justitia debentur; sed solum ubi usus, et petitio non opponuntur hic, et nunc legibus prudentiæ, et charitatis : ubi enim occurrit hæc oppositio, etsi utens, et petens non peccet contra justitiam, poterit tamen contra charitatem, et alias virtutes peccare. Hæc enim de causa non peccat contra justitiam. peccat tamen contra charitatem creditor, quando obligat debitorem ad solvendum, prævidens, quod solvendo incidet in extremam necessitatem, et alia gravia inconvenientia; cum ipse queat absque notabili incommodo exactionem illam differre. Sic etiam non peccat contra justitiam, qui petenti restituit proprium ejus gladium : et tamen peccabit contra charitatem, si certo sciat illum petere gladium ad se occidendum, et ipse possit hoc detrimentum proximi absque notabili sui incommodo vitare, gladium negando. Generaliter quippe verum est nos obligari ex charitate vitare peccatum proximi, ubi facile, sive absque notabili damno possumus. Hac igitur ratione licet subditus petens a suo parocho, ut sibi ministret sacramenta, quem scit commissurum grave peccatum in ministrando, non peccet contra justitiam ; peccat nihilominus contra charitatem, si absque incommodo valet illud peccatum vitare, vel non recipiendo tunc sacramentum, vel illud petendo ab alio sacerdote probo ejusdem scientiæ, et sibi æqualiter utili. Quo motivo ita convincimur, ut nullam, aut fere nullam videamus probabilitatem in opposita sententia.

Opposita Leandri sententia, et motiva. 29. Quam tamen tuetur Leander tract. 1, disp. 5. quæst. 10, asserens, quod « licet « petere sacramenta a ministro, quem scimus peccaturum, etiam extra casum necessitatis, aut majoris utilitatis, et quamvis ille paratus non sit ministrare. Pro qua sententia refert D. Thom. 2, 2, quæst. 73, art. 4 (de quo statim) Caietanum, Navarrum, Becanum, Baconium, et alios. Quod probat primo, quia in eo casu petens utitur jure suo, et petit, quod sibi utile est. Secundo, quia minister facile potest administrare sacramentum sine peccato, si velit : ergo administratio illa optime separari potest a malitia : ergo petens talem administrationem non petit rem ex se malam, aut necessario conjunctam cum malitia : ergo illa petitio ex se non est mala. Sic ille sub eadem forma.

Convelluntur. Sed hæc sunt satis debilia. Et in primis ille Auctor inconsequenter procedit, qui quæst. 11, immediate sequenti statuit illicitum esse petere sacramenta a malo ministro, quem scimus administraturum in peccato, ubi adest probus minister, qui possit sacramentum administrare. Et rationem reddit : quia tunc nulla causa rationabilis adest petendi sacramentum a ministro malo ; cum æque bene, ac utiliter ab alio bono ministro accipere possimus sacramenta. Hoc autem motivum militat omnino in casu nostræ assertionis ; siquidem fit suppositio, quod petens valet absque notabili aliquo incommodo ratione vel necessitatis, vel utilitatis, non petere a malo ministro, et in his terminis loquitur Leander quæst. 10. Ergo minus consequenter licere affirmat in una quæstione, et negat in alia. Auctores autem graves quos pro se refert, illi non favent, ut evidenter constat in D. Thoma, cui Caietanus, et alii subscribunt : nam in loco citato non agit S. Doctor de præsenti materia (quod notare debuit Leander,) sed de usura, nempe : « Utrum liceat pecuniam accipere mutuo « sub usura ? » Ea tamen tradit, quæ liquido confirmant nostram assertionem, et manifestant, quam sinistre pro opposita referatur. Sic enim habet : « Dicendum « est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris : licet « tamen ab eo, qui paratus est hoc facere, « et usuras exercet, mutuum accipere sub « usuris, propter aliquod bonum, quod est « subventio suæ necessitatis, vel alterius. « Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ « latrones peccant diripiendo, ad hoc, quod « non occidatur. » Et in resp. ad 2, habet : « Propter scandalum passivum non debet « alius a mutuo petendo desistere, si indigeat.» Ex quibus constat S. Doctorem minime asserere, quod liceat indifferenter, et pro libito mutuum accipere sub usuris, sed solum ex rationabili causa necessitatis, aut utilitatis. Unde prædicta doctrina magis confirmat, quod non licet absque necessitate, aut notabili utilitate petere sacramenta a ministro, quem scimus administraturum fore in peccato. Ad primum autem e ratione motivum constat ex supra dictis

Vindicatur D. Thom.

non semper licere (attentis omnibus) uti jure proprio, sed solum ubi ille usus non opponitur charitati, et aliis virtutibus : quod in præmisso casu non salvatur. Secundum probat dumtaxat petentem non peccare directe, et quasi influendo in peccatum alterius ; minime vero, quod non peccet indirecte contra charitatem, quatenus non vitat peccatum proximi, quod vitare facile posset non petendo, cnm sine necessitate, et utilitate petit.

ertia onclusio.

30. Dicendum est tertio culpam petendi sacramenta a ministro peccatore (sive ille sit paratus, sive non, et sive sit parochus, sive non) absque rationabili necessitate, aut utilitate (juxta dicta in præced. assertione) esse peccatum mortale. Hanc assertionem satis aperte insinuat D. Thom. quodlib. 10, art. 8, ubi ait : « Quicumque « sacerdos in peccato mortali existens ce- « lebrat, peccat mortaliter. Unde si cons- « taret mihi eum esse in peccato mortali, « et inducerem eum ad celebrandum, pec- « carem mortaliter. Et hoc est secundum « ipsum jus naturale : quia hoc est provo- « care eum ad peccatum mortale.» Quod ad minus verificandum est, ubi petenti non occurrit necessitas, vel gravis utilitas, ut sacerdos ille celebret. Et quamvis D.Thom. non videatur loqui determinate de malo ministro jam de se parato ad celebrandum, tamen nec illum excludit. Et eandem sententiam formaliter, aut in terminis æquivalentibus docent Conradus *de contract.* q. 47, Aragon 1, 2, q. 89, art. 6, dub. 2, concl. 3, Sylvester verbo *Usura* 7, quæst. 1, Molina tom. 2, *de justitia* disp 355.concl. 4, Valentia 2, 2, disp. 5, quæst. 21, punct. 4, N. Franciscus cap. 8, punct. 2, nu. 42, et 43, Valboa tom. 2, in cap. 26, *de jurejurando* num. 71. Eidem etiam sententiæ aperte favent, quin potius illam supponunt Scotus in 4, dist. 5, quæst. 2. art. 1, Adrianus quæst. 3, *de baptismo* art. 3, Nugnus in præs. art. 6, in secunda parte, difficult. 1, ubi Cabrera disp. 2, § 3, Serra dub. 2, concl. 2, in ultima illius parte, Prado dub. 6, num. 18, et alii plures.

Tho. — nrad. agon. lvest. olina. alent. — Fran. lboa. otus. rian. gnus. brera. erra. rado.

atio nda- enta- lis.

Fundamentum est illudmet, quod pro assertione præced. proposuimus : quoniam præceptum charitatis erga proximum, et fraternæ correctionis obligat graviter ad vitandum peccatum proximi, ubi facile, et absque gravi incommodo illud vitare possumus : nam et præceptum ipsum, et materia, grave quid sunt, et de se sufficiens ad peccatum mortale : sed qui sine necessitate, aut considerabili utilitate petit a malo ministro sacramenta (sive ille sit paratus, et sive sit parochus, aut non), quem scit certo peccaturum in administratione, facile, et sine gravi incommodo posset vitare illud peccatum, scilicet non petendo ; siquidem absque necessitate, et utilitate petit, ut supponitur : ergo petendo peccat mortaliter contra præceptum charitatis, et correctionis fraternæ. Nec in hoc occurrunt alia effugia, quam quæ n. 28, et sequent. præclusimus nempe petentem sacramenta in tali casu petere rem de se honestam, et quæ licite fieri potest : unde quod minister peccet, in solam ejus malitiam revocandum est, non vero in motionem aliquam petentis. Sed, ut diximus, hæc ad summum probant petentem in tali casu non peccare mortaliter, quia directe influat in peccaminosam sacramentorum administrationem : sed minime vitant, quod peccet saltem contra charitatem, quatenus non vitat peccatum proximi, cum facile, id est, sine incommodo possit, et debeat. Accedit has evasiones, si quid valerent, salvare petitionem in prædictis circumstantiis esse simpliciter honestam, et licitam, ac subinde nullo modo peccaminosam : cujus oppositum hic supponitur tam a nobis juxta doctrinam secundæ assertiouis, quam ab Adversariis, qui licet sic petentem excusent a peccato mortali, non tamen a peccato veniali.

Contraria aliquorum opinio.

31. Pro qua (quæ nostræ assertioni adversatur) sententia, referri solent Caietanus verbo *Usura*, cap. penultimo, Emmanuel Sa eodem verbo, nu. 5, Diana, et alii. Et hanc sententiam probabilem vocant N. Franciscus, et Valboa locis relatis, et Sanchez tom. 1 Summæ, lib. 3, cap. 8, nu. 23. Quæ (ultra motiva, aut potius effugia proxime insinuata), suaderi potest ex eo, quod assertio nostra inducit plurimos scrupulos dum suscepturo sacramenta imponit onus gravissimum obligationis, nempe sub peccato mortali, ut discutiat, an causa petendi sacramenta a malo ministro sit gravis, et justa, nec ne ? Cæterum hoc motivum levissimum apparet. Tum quia prædicta obligatio non statuitur absque urgenti fundamento. Tum etiam quia Adversarii non negant in prædicto casu obligationem sub peccato veniali non petendi sacramenta a malo ministro : ubi si non vulgaribus, tamen

Cajetan. Sa. Navarr. N. Fran. Sanchez.

Eorum evertitur motivum

tamen spiritualibus, et timoratæ conscientiæ occurrit idem scrupulus, ut facile consideranti constabit : quare sicut quod ipsi asserunt, non reputatur inconveniens ; ita nec reputari debet, quod a nobis asseritur. Tum præterea, quia ut supra monuimus num. 26, nemo tenetur requirere de probitate, aut indispositione ministri : sed magis omnes reputare justos, et idoneos, dum oppositum non constat : unde quandiu id certo non apparet, et quod certo minister peccabit in ministrando, absque scrupulo ullo possumus omnes rogare, ut ministrent. Tum denique quia facta etiam suppositione, quod certo sciamus ministrum ministraturum fore in peccato ; tamen causa, ut sine peccato petamus ab illo sacramenta, latissime patet : non enim revocatur ad solam extremam necessitatem, sed comprehendit etiam notabilem quamlibet petentis utilitatem, ut quod occurrat tempus lucrandi jubileum ; quod pœnitens urgeatur tentationibus ; quod non adsit alius confessarius æque doctus, et pœnitenti proficuus, etc. juxta dicta num. 26. Nullus itaque scrupulus, nulla oppressio in tali materia occurrunt. Quod autem quis absque justa causa, vel utilitate, sed pro suo libito roget hominem ministrare sibi sacramenta, quem certo scit non aliter quam peccaminose, et sacrilege ministraturum, sicut non possumus excusare ab omni peccato, ipsis annuentibus Adversariis : sic etiam non possumus excusare a peccato mortali, ut supra expendimus.

§ III.

Discutitur eadem materia in ordine ad petentes ab indignis propter excommunicationem.

Quarta conclusio communis. 32. Dicendum est quarto per se, et communiter loquendo illicitum esse, et peccatum grave petere sacramenta a ministro excommunicato non tolerato : posse tamen dari gravem adeo necessitatem, ut licitum sit sacramenta ab illo petere, et recipere. Conclusio quoad utramque partem est communis inter Doctores, quorum plures infra dabimus. Et prima pars constat certissime ex ipsa dispositione Ecclesiæ, quæ graviter prohibet communicationem circa spiritualia cum excommunicatis vitandis, seu non toleratis, juxta superius prænotata n. 23, ergo per se, et communiter loquendo peccat mortaliter, qui petit, vel accipit a prædictis sacramenta, utpote agens contra præceptum Ecclesiæ in re gravissima. Declaratur : quia tales excommunicati ea ratione vocantur vitandi, et non tolerati, quia fideles cum talibus communicare non possunt in sacrorum participatione : ergo communiter, et per se loquendo illicitum est ab illis accipere, aut petere sacramenta. Et propterea D. Thomas in præs. quæst. 64, artic. 6 ad 2, dixit : « Si vero « minister ab Ecclesia non toleratur (puta « degradatur, vel excommunicatur, vel « suspenditur), peccat, qui ab eo accipit « sacramentum, quia communicat peccato « ipsius. » Fundamentum prioris partis. D. Tho.

Nec refert, si opponas licitum esse fidelibus communicare cum excommunicatis non toleratis in eis rebus, quæ pertinent ad utilitatem vel fidelium, vel ipsorum excommunicatorum, utputa ipsos consulendo, vel eisdem dando consilium tam in rebus temporalibus, quam spiritualibus, juxta vulgarem versum, *Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse*, quem refert Glossa in cap. *Quod desideres, de sent. excommunicationis*, et docent communiter Doctores : atqui major utilitas provenit fidelibus ex usu, et receptione sacramentorum : ergo licitum est, quod fideles sacramenta petant, et recipiant ab excommunicatis vitandis. Id, inquam, nihil refert, et diluitur omittendo præmissas, ac negando consequentiam : nam quod fidelibus liceat vel non liceat in communicando cum excommunicatis, provenit ex jure Ecclesiastico : hoc autem permittit fidelibus communicationem cum excommunicatis vitandis circa ea, quæ recensentur in majori : non autem circa usum sacramentorum, quæ repræsentantur in minori, ut constat tum ex jure antiquo, tum ex novissima dispositione Concilii Constantiensis in Bulla Martini V ; quare ex eo, quod licitum sit fidelibus communicare cum excommunicatis vitandis in aliis rebus ; minime sequitur, quod ipsis liceat communicare cum eisdem in participatione sacramentorum, illa ab illis petendo, vel accipiendo. Ratio autem congruentiæ hujus disparis per Ecclesiam dispositionis videtur esse, quod communicatio in divinis, et præsertim in usu sacramentorum est res magni ponderis, et momenti, ejusque pri- Effugium. Præcluditur.

vatio aptissima ad puniendos, et coercendos nominatim excommunicatos : quod motivum non militat in aliis rebus inferioribus temporalibus, vel spiritualibus, pertinentibus ad notabilem utilitatem tam excommunicatorum, quam eorum, quos oportet cum ipsis agere.

Probatur altera assertionis pars. 33. Secunda etiam assertionis pars ostenditur quia aliquando contingit susceptionem sacramentorum a ministro excommunicato vitando, sive non tolerato esse vel simpliciter, vel maxime necessariam ad salutem, ubi scilicet nullus alius minister occurrit, qui valeat sacramenta ministrare: ergo minime credi, aut præsumi debet Ecclesiam in eo casu interdicere, quod fideles petant, accipiantque sacramenta a ministris excommunicatis vitandis : ergo licitum est in tali necessitate, quod fideles a prædictis excommunitatis petant, et recipiant sacramenta. Qui discursus, si bene perpendatur, probat etiam excommunicatos vitandos (qui alias nullo modo se debent istis ingerere), posse in tali casu, obligarique ad prædictam administrationem, ut scilicet proximo extreme periclitanti subveniant : quamvis si in peccato sint, debeant prius justificari eliciendo contritionem, ne scilicet ex consecratione, sive ex officio in statu peccati ministrent, juxta superius dicta disp. præced. dub. 3, § 1. Parum namque prodesset fidelibus in extrema, aut gravissima necessitate habere jus petendi sacramenta ab excommunicatis vitandis ; si e contra ipsi excommunicati non possent, aut deberent sacramenta in angustiis hujusmodi ministrare : quare oportet fateri hujusmodi facultates licite petendi, et licite ministrandi esse in prædicto casu quasi correlativas, et se inferentes.

Declaratur exemplis. Constabit autem amplius veritas hujus partis descendendo ad magis specialem casum, et sacramentorum considerationem : nam certum est, quod si baptizandus sit in mortis articulo, et nullus adsit minister nisi excommunicatus vitandus etiam hæreticus, potest ab eo petere baptismum : et licite baptizari : quia cum tale sacramentum sit necessarium ad salutem, Ecclesia non prohibet, et forte nec prohibere potest, quod excommunicati vitandi, aut etiam hæretici illud ministrent. Et ita statuitur in cap. *Si quem* 24, quæst. 1. Et D. Thom. in 4, dist. 5, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 5, inquit : « Si malus minister sit præcisus ab Ecclesia, tunc peccat ab eo recipiens sacramentum, nisi in necessitate, in qua posset etiam a Pagano, vel a Judæo suscipere. » (D. Tho.)

Idem proportionabiliter contingit in sacramento pœnitentiæ, si quis gravi peccato oneratus, et in articulo mortis constitutus non habeat alium sacerdotem, cui confiteatur, nisi hæreticum, aut excommunicatum vitandum. Tum quia præceptum confitendi est divinum, cui cedere debent aliæ dispositiones Ecclesiæ. Tum quia ipsa Ecclesia hanc facultatem satis aperte recognoscit, et largitur in Concilio Tridentino sess. 14, cap. 7, ubi hæc habentur : « In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt. » Tum denique quia licet sine illo sacramento in re suscepto, possit quis absolute justificari, et salvari per actum contritionis (quod etiam contingit circa baptismum), nihilominus difficile est illam habere, et raro pœnitens habet de illa securitatem : quare si huic soli remedio committeretur, ubi adesset minister licet excommunicatus, et vitandus, qui absolvere illum posset, magnis jactaretur scrupulis, et angustiis : et ideo credi non debet piam Ecclesiam in eo casu petitionem, et susceptionem sacramenti pœnitentiæ ab ullo ministro interdicere. Et sic sentiunt Suarez, N. Cornejo, Granados, Sayrus, et Bonacina, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 8, puncto 2, num, 18, Caietanus, Avila, Reginaldus, et Filliucius, quos refert, et sequitur Mascarenhas ubi supra num. 218, N. Philipus disp. 9, dub. 3, in 4, part. assertionis, Dicastillo ubi supra num. 305, Prado quæst. 64, dub. 5, num. 4, et alii satis communiter, (Concil. Triden. — Communis doctrina.)

Resolutionis extensio. 34. Quinimo eadem doctrina extendi solet ad alia etiam sacramenta, quæ tantæ necessitatis non sunt. Unde constitutum in articulo mortis, et nullum alium habentem ministrum, quam excommunicatum vitandum, posse ab illo petere sacramentum Eucharistiæ docent Sotus iu 4, dist. 13, quæst. 1, art. 4, Navarrus *in summa*, cap. 22, et alii apud N. Franciscum ubi supra num. 22. Quod probant : quoniam datur præceptum divinum de suscipiendo istud sacramentum; quod præceptum probabilissimum est urgere in articulo mortis : sed præcepta (Sotus. Navarr.)

divina

divina strictius obligant, quam prohibitiones, et præcepta juris humani Ecclesiastici: ergo non obstante generali prohibitione Ecclesiæ, potest homo in tali articulo, et necessitate constitutus petere Eucharistiam a quolibet ministro, licet sit excommunicatus vitandus : nec præsumendum est Ecclesiam suam prohibitionem ad eum articulum, et necessitatem extendisse. Et quidquid sit de prædicto Auctorum fundamento, contingens est hominem in articulo mortis constitutum non posse ullum aliud sacramentum recipere, nisi Eucharistiam ; per quam (si forte habeat peccatum mortale sibi occultum), susceptam cum bona fide, et attritione justificabitur, juxta doctrinam traditam disp. 7, § 2; ergo in prædicta suppositione potest homo Eucharistiam petere, et accipere a quocumque ministro, etiam excommunicato vitando, si alius non adsit. Idem sentiunt illi, et alii Auctores circa sacramentum extremæ-unctionis, quando existens in articulo mortis nequit aliud sacramentum recipere, et convenientissimum apparet suscipere extremam-unctionem, ut si forte infirmus sit attritus, fiat per eam coutritus, seu gratiam suscipiens : in illo namque eventu videtur prædictum sacramentum respectu talis infirmi simpliciter necessarium ad salutem. Extendunt etiam prædictam doctrinam ad sacramentum ordinis, si in aliqua provincia remotissima esset summa penuria sacerdotum, et ministrorum, et non daretur nisi unicus Episcopus : excommunicatus tamen nominatim denuntiatus : tunc enim ratione boni communis, et propter spiritualem fidelium salutem, quæ deficientibus ministris periclitaretur, licitum foret petere, et suscipere ordines ab Episcopo excommunicato non tolerato. Minorem adhuc reperiunt difficultatem circa sacramentum matrimonii : quia in eo sacerdos non habet rationem veri ministri, sed solum adest ut testis qualificatus juxta dispositionem juris Ecclesiastici. Unde si plurimum referret vel ad bonum spirituale, vel ad vitandum magnum damnum temporale celebrare matrimonium ; possent conjuges rogare sacerdotem nominatim excommunicatum, ubi nullus alius occurreret, ut adesset. Quæ omnia censemus satis probabiliter dicta. Et præter Auctores supra relatos videri possunt Avila de censuris 2 part. cap, 6, disp. 3, dub. 3, Serra quæst. 64, art. 6, dub. 2, concl. 4, Coninckus ibid. dub. 2, concl. 2, Castro Palao tom. 4. tract. 18, disp. unica, puncto 15, Aversa sect. 11, § *Primo ex alia parte*, et alii, qui in universum statuunt, quod si aliquis in articulo mortis constitutus, et sibi conscius peccati mortalis, non posset alia sacramenta recipere, nisi ea tantum, de quibus non extat divinum præceptum ; queat prædicta sacramenta petere, et suscipere a ministro non tolerato, ut forte per ea fiat ex attrito contritus, si solam attritionem habeat : pie namque credendum est id placere Ecclesiæ, ut summæ scilicet illi necessitati subveniatur. Quam sententiam cum retulisset Prado q. 64, dub. 5, illam minime improbavit.

Coninc. Palaus. Aversa. Prado.

35. Contra secundam hanc nostræ assertionis partem aliqua possent formari argumenta, et quædam proponuntur a Nugno loco citato, difficult. 3, utputa, quod in forma degradationis expresse declaratur neminem in aliquo tempore posse a tali homine recipere sacramenta. Præterea, quod cum fides sit fundamentum totius spiritualis, et supernaturalis ædificii, eo ipso quod aliquis sit infidelis, caret omni jurisdictione, et auctoritate ad ministrandum sacramenta : ergo nunquam licet sacramenta petere ab hæreticis. Denique (ut alia leviora omittamus), quod de hæreticis, et similibus personis minime præsumendum est habere legitimam intentionem ministrandi sacramenta (circa quæ etiam ut plurimum errant), ergo vanum est eis mediantibus sperare salutem : atque ideo in nullo casu licebit eos inducere ad ministrandum sacramenta. Objectiones.

Sed harum, et graviorum difficultatum circa conditionem ministri dilutio satis constat ex dictis disput. præcedenti dubio 3, ubi rem ex professo versavimus. Modo levi manu dispelluntur objecta. Ad primum respondemus illa, et alia, quæ in forma degradationis dicuntur, accipienda esse communiter, et per se loquendo ; excluso tamen casu extremæ, aut gravissimæ necessitatis in proximo, ut constat ex supradictis. Ad secundum dicendum fidem vocari fundamentum ædificii spiritualis, quia sine illa nequit homo justificari, et Deo placere. Cæterum sicut hoc non obstante potest infidelis habere aliqua bona spiritualia, v. g. characterem, et aliqua auxilia: sic etiam retinere valet potestatem ordinis, et jurisdictionem illi correspondentem, ut Dissolvuntur.

his in casu extremæ necessitatis utatur. Et plane Pontifex hæreticus, antequam deponatur, veram retinet jurisdictionem, ut tradunt communiter Doctores. Ad tertium respondetur examen circa legitimam intentionem ministri, si sit hæreticus, ad prudentiam pertinere. Et profecto si contingat illum non errare circa sacramentum, quo opus habemus, concipere possumus rationabilem spem, quod legitime ministrabit. Quia licet erret, si tamen profiteatur se ministraturum juxta ritum, et intentionem Ecclesiæ; eandem spem concipere valemus, præsertim si sit cognitus, familiaris, et amicus in naturalibus, ut non raro contingit illis, qui vivunt inter hæreticos. Denique quotiescumque adest sufficiens probabilitas (etiam in casu dubii circa utramque partem), quod ministrabit legitime; tutum, quin et melius est hominem ab eo petere sacramentum, quo extreme indiget, ut quantum fieri potest, propriæ saluti consulat. Sed ubi pensatis omnibus, nulla occurrit probabilitas, quod hæreticus utetur legitimis ritu, et intentione; peccabit mortaliter petens ab eo sacramenta; cum in tali suppositione nequeat ab illo sperare remedium veri sacramenti, sed hujus potius irrisionem cum gravi ministrantis peccato.

Quinta conclusio.

36. Dicendum est quinto, quod si consideremus excommunicatos toleratos, seu non vitandos præcise ut tales, id est, præscindendo ab eo, quod sint in statu peccati; licitum est petere, et recipere ab illis sacramenta, sive parochi sint, et parati, sive non sint; et sive petens habeat necessitatem, aut graven utilitatem, sive non habeat. Sensus hujus conclusionis satis constat ex hactenus dictis in hoc dubio; nam si excommunicatus toleratus sit simul in peccato, et in peccato ministraturus, comprehenditur sub tribus assertionibus § præcedenti propositis, et de illo pariter, ac de aliis peccatoribus discurrendum est. Unde illum modo consideramus præcise quantum ad impedimentum censuræ, cui subest excommunicatus toleratus: fieri enim potest illum esse publice excommunicatum, et tamen esse justum coram Deo. Et in hoc sensu affirmamus nullum esse peccatum mortale, vel veniale petere, et recipere ab eo sacramenta, etiam extra casum necessitatis, aut considerabilis utilitatis, sed occurrente præcise ordinaria convenientia non multum differendi susceptionem sacramentorum. In quo sensu nostram assertionem non obscure docet D. Thomas in hac quæst. 64, art. 6 ad 2, ubi ait: « Dicendum, quod « ille, qui ad sacramenta accedit suscipit « sacramenta a ministro Ecclesiæ, non in « quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ. Et ideo quan- « diu ab Ecclesia toleratur in ministerio, « ille, qui ab eo suscipit sacramentum, « non communicat peccato ejus, sed com- « municat Ecclesia, quæ eum tanquam « ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia « non toleratur (puta cum degradatur etc.) « peccat, qui ab eo accipit sacramenta, quia « communicat peccato ipsius. » Hæc S. Doctor; in quibus sicut absolute affirmat peccare suscipientem a ministro non tolerato; sic etiam absolute negat peccare illum, qui illa a ministro tolerato suscipit, nempe quantum est ex vi hujus conditionis, et præcisive ab alia consideratione status peccati, in quo forte sit. Eandem assertionem absolute docent Cajetanus in hoc art. 6 ad 2, Sylvester verbo *Baptismus* 3, num. 7, Paludanus in 4, dist. 5, quæst. 3, art. 1, ubi etiam Durandus quæst. 2, Richardus art. 3, q. 4, Sotus lib. 1, *de Justitia*, q. 1, art. 5, N. Cornejo tract. 5, disp. 10, dub. ult. Sanchez lib, 7, *de matrimonio* cap. 9, nu. 8, Suarez disp. 18, sect. 1, Sayrus lib. 2, cap. 8, q. 1, art. 5, in fine, Bonacina disp. 2, *de censuris*, q. 2, punct. 2, § 3, Granados controv. 3, tract. 5, disp. ult. num. 7, Navarrus *in Summa* cap. 14, num. 39, et cap. 17, nu. 262, Trullench lib. 1, cap. 3, dub. 4, num. 2, Dicastillo disp. 3. dub. 13, num. 306, Valencia q. 5, punct. 3, Sa verbo *Excommunicatio*, num. 35, Machado, Diana, Raynaldus, Layman, Præpositus, et Bauny, quos refert, et sequitur Leander tom. 4, disp. 7, q. 18, et alii.

D. Tho[mas]. Cajet[anus]. Sylve[ster]. Paluc[danus]. Dura[ndus]. Richa[rdus]. Sot[us]. Corne[jo]. Sanc[hez]. Suare[z]. Sayr[us]. Bon[acina]. Nava[rrus]. Valc[encia]. Lean[der].

Ratio fundamentalis.

Fundamentum est: quia nulla occurrit ratio, quare ab hujusmodi excommunicatis licitum non sit communiter, et per se loquendo petere sacramenta: ergo nullum est peccatum in eo, quod illa a prædictis petamus. Consequentia patet. Et antecedens suadetur: quia talis ratio non est status peccati in ministro; siquidem ab eo præscindimus, ut a principio observavimus; quin facimus oppositam suppositionem, quod talis minister sit in statu gratiæ, ut sæpe contingit. Nec talis ratio potest esse excommunicatio, qua ligatur minister: quia ex

ex dispositione Ecclesiæ, a qua proveniunt vis, et effectus censurarum, talis excommunicatio in ministro non vitando perinde se habet ad fideles pro petitione, et susceptione sacramentorum, ac si nullo modo esset, ut constat ex Bulla, *sive extravaganti*, Martini V, « post Concilium Constantiense, « in qua dicitur neminem in posterum « teneri ejusmodi excommunicatos vitare « in administratione, et susceptione sacra- « mentorum. » Sed certum est fideles posse petere, et suscipere sacramenta ab aliis ministris, qui excommunicati non sunt, ubi non supponuntur esse in statu peccati: ergo cum in præsenti fiat eadem suppositio, licitum eodem modo est petere, et suscipere sacramenta a ministris excommunicatis non vitandis: quippe non vitandi perinde se habent in ordine ad petitionem aliorum fidelium, ac si excommunicati non essent, sic declarante, et decernente Ecclesia.

37. Nec momenti erit, si dicatur, quod quamvis excommunicatus toleratus non supponatur existens in peccato, vel ab hoc fiat præcisio; nihilominus petens ab illo sacramenta ipsum inducit ad peccatum, vel saltem ejus peccatum non vitat, cum facile queat : nam excommunicatus etsi non vitandus peccat mortaliter ex hoc ipso, quod sacramenta administrat : quippe effectus excommunicationis majoris est, quod ea ligatus nequeat sacramenta ministrare. Id, inquam, non interest, sed facile confutatur : quoniam etsi excommunicatis non liceat se ingerere, aut offerre ad ministrandum sacramenta, et aliter gerentes peccarent; quia Martinus V nullum eis favorem directe indulgere voluit : nihilominus hoc ipso, quod aliis fidelibus dedit facultatem petendi, et suscipiendi sacramenta ab excommunicatis non vitandis, concessit saltem indirecte eisdem excommunicatis, quod rogati a fidelibus (supposito alias statu gratiæ) queant licite ministrare sacramenta. Nihil enim proficeret fidelibus posse a prædictis excommunicatis sacramenta petere, si ipsi rogati non possent licite sacramenta petentibus ministrare : impediretur namque fidelium libertas, et consolatio, quibus Concilium, et Martinus providere ea indulgentia voluerunt. Unde concedunt communiter Doctores excommunicatos toleratos, ubi rogantur a fidelibus, non peccare in ministrando ; licet simul consulant (quod nobis omnino congruens videtur), tales excommunicatos, ubi facile fieri valet, procurare absolutionem a censura, antequam sacramenta ministrent. De quo videri possunt Soto in 4, dist. 22, et Suarez disput. 11, *de censuris*. sect. 4. Cum igitur, ut ostensum est, excommunicati vitandi rogati a fidelibus non peccent ministrando sacramenta, quantum est ex vi prædictæ administrationis : minime sequitur, quod fideles petendo inducant illos ad aliquod peccatum, vel quod non vitent aliquod peccatum, cum facile queant; negatur enim suppositum, nempe dari peccatum aliquod in ipsa administratione. Nota ex Soto, et Suario.

38. Oppositam huic ultimæ assertioni sententiam significarunt plures Auctores, quatenus non aliter admittunt licere fidelibus petere sacramenta ab excommunicatis toleratis, nisi adhibitis aliquibus conditionibus, quas ipsi varie assignant : quidam, quod minister excommunicatus sit paratus; alii, quod sit parochus petentis ; alii vero, quod petenti occurrat necessitas, aut gravis utilitas suscipiendi sacramenta : alii denique, quod non sit alius minister ab excommunicatione liber, ut videri potest apud Pradum dub. 5, a numero 11, usque ad 18. Sed magis specialiter eidem assertioni opponitur N. Franciscus loco citato numero 29, cum sequent. qui censet petentem sacramenta ab excommunicato tolerato in casu nostræ assertionis peccare, non quidem mortaliter, sed venialiter. Et primum probat: quia Ecclesia permittit petere sacramenta ab hujusmodi excommunicato: unde sic petens nequit graviter peccare. Secundum vero probat: quia est aliqua dissonantia, atque irreverentia, quod aliquis petat sacramenta ab excommunicato ; cum illa possit æque bene a non excommunicato suscipere: atque ideo sic petens aliquod peccatum committit saltem veniale. Quod magis confirmat exemplo: nam qui cum excommunicatione minori ministrat sacramenta, non agit contra aliquam legem Ecclesiasticam, quæ talem administrationem prohibeat ; et nihilominus peccat venialiter propter improportionem, quæ reperitur in eo, quod qui nequit sacramenta suscipere, illa dispenset, ut discurrunt, et docent multi, quos refert, et sequitur Castro Palao *de censuris*, disput. 2, puncto 21, numero 10. Sic igitur licet excommunicatus toleratus, qui rogatus a fidelibus ministrat sacramenta ; non agat contra legem Ecclesiasticam, nec graviter

Sententia contraria.

Auctores, et motiva

Palaus.

peccet; agit tamen contra jus naturæ dictans, et manifestans dissonantiam in eo, quod excommunicatus sacramenta ministret, ubi alius non excommunicatus potest illa ministrare: atque ideo talis administratio est aliquod peccatum saltem veniale.

Eversio prædictæ sententiæ. Cæterum omnes prædictæ sententiæ, et earum motiva convelluntur juxta jam a nobis præmissum generale fundamentum: quoniam quod minister excommunicatus in ministrando peccet, nequit nisi ab una ex duabus radicibus provenire, videlicet quia vel est in statu peccati, vel per excommunicationem ab administrando impeditur. Sed ex una parte supponimus ministrum non esse in statu peccati, et saltem ab hoc præscindimus: et ex alia parte excommunicatus toleratus non impeditur excommunicatione, ut rogatus a fidelibus sacramenta ministret; cum Ecclesia (cujus est determinare excommunicationis effectus), concedat directe fidelibus petere sacramenta ab excommunicato tolerato, et permittat indirecte tali excommunicato, ut sacramenta ministret. Ergo nullum occurrit rationabile motivum, ut dicatur excommunicatum toleratum (quantum est ex vi hujus), peccare ministrando sacramenta fidelibus, a quibus rogatur. Qui discursus procedit, sive talis excommunicatus sit parochus petentis, sive non: et sive adsit alius minister, sive non; et sive petens egeat sacramentis, sive non, ut facile consideranti constabit. Quod vero intendit ultima sententia, videtur minus consequenter dictum: nam materia hæc administrationis sacramentorum de se gravissima est: atque ideo si semel administratio facta ab excommunicato tolerato est peccatum propter dissonantiam, et irreverentiam ad sacramenta: debet esse peccatum grave, sive mortale: cum autem ille Auctor recognoscat non esse peccatum mortale, minus recte asserit esse peccatum saltem veniale. Et rursus non aliunde probat esse mortale, nisi quia non est contra prohibitionem Ecclesiæ; probat vero esse veniale, quia est contra jus naturæ circa reverentiam sacramentorum: qui discursus apparet satis inefficax: quoniam quod nulli Ecclesiæ prohibitioni opponitur, potest carere malitia tam gravi, quam levi; sicut e contra quod opponitur juri naturæ potest habere malitiam tam levem, quam gravem: ergo non recte in his principiis fundatur ea differentia.

Quare ad argumentum respondemus nullam esse dissonantiam, aut improportionem in eo, quod excommunicatus toleratus, rogatus a fidelibus, ministret sacramenta; quia Ecclesia id permittit. Unde talis excommunicatio in tali casu, et in ordine ad talem effectum perinde se habet, ac si non esset: si autem non esset, nulla occurreret dissonantia, aut improportio in eo, quod talis homo in eadem occasione sacramenta ministraret. Ad confirmationem respondetur eodem modo negando minorem: nam eo ipso, quod Ecclesia non prohibet ligatum excommunicatione minori ministrare sacramenta; nulla est dissonantia in eo, quod ligatus tali excommunicatione sacramenta ministret: sed talis excommunicatio in ordine ad talem effectum ita se habet, ac si nullo modo esset. Et quod alii oppositum doceant, nostra non refert, qui non debemus concordare aliorum sententias, plerumque contradictorias. Quod vero ligatus excommunicatione minori peccet suscipiendo sacramenta, minus adhuc probat: quia Ecclesia prohibet hanc susceptionem, sed non prohibet administrationem. Excommunicatio autem non habet alios effectus vel jure naturali, vel jure Ecclesiastico, quam illos, quos Ecclesia vult eam habere.

QUÆSTIO

QUÆSTIO LXV

De numero sacramentorum in quatuor articulos divisa.

Deinde considerandum est de numero sacramentorum. Et circa hoc quæruntur quatuor. Primo etc.

ARTICULUS I.

Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute divina, et ex virtute passionis Christi : sed una est virtus divina, et una Christi passio : una enim oblatione consumavit in sempiternum sanctificatos. ut dicitur Hebr. 10 : ergo non debuit esse, nisi unum sacramentum.

Præterea : Sacramentum ordinatur contra defectum peccati : hic autem est duplex, scilicet pœna et culpa. Ergo sufficeret esse duo sacramenta.

Præterea : Sacramenta pertinent ad actiones Ecclesiasticæ hierarchiæ, ut per Dionys. patet : sed, sicut ipse dicit, tres sunt actiones hierarchicæ, scilicet purgatio, illuminatio, et perfectio : ergo non debent esse, nisi tria sacramenta.

Præterea August. dicit 19 contra Faustum, sacramenta novæ legis sunt numero pauciora, quam sacramenta veteris legis : sed in veteri lege non erat aliquod sacramentum, quod responderet confirmationi, et extremæ unctioni : ergo nec hæc debent numerari inter sacramenta novæ legis.

Præterea. Luxuria non est gravius inter cætera peccata, ut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt : sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum : ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum Matrimonii.

Sed contra videtur, quod sint plura sacramenta. Sacramenta enim dicuntur quasi quædam sacra signa : sed multæ aliæ sanctificationes fiunt in Ecclesia, secundum sensibilia signa sicut aqua benedicta, consecratio altaris, et alia hujusmodi. Ergo sunt plura sacramenta, quam septem,

Præterea : Hug. de Sancto Victore dicit, quod sacramenta veteris legis fuerunt oblationes, decimæ, et sacrificia : sed sacrificium Ecclesiæ est unum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes, et decimæ debent dici sacramenta.

Præterea : Tria sunt genera peccatorum, originale, mortale, et veniale : sed contra originale peccatum ordinatur baptismus, contra mortale autem, pœnitentia. Ergo deberet esse aliud præter septem, quod ordinetur contra veniale.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem, in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem Christianæ vitæ, et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta : vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et cætera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. In vita autem corporali, dupliciter aliquis perficitur. Uno modo, quantum ad personam propriam, alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit : homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter. Uno modo per se, acquirendo, scilicet, aliquam vitæ perfectionem : alio modo per accidens, scilicet, removendo impedimenta vitæ, puta ægritudines, vel aliquid hujusmodi Per se autem perficitur corporalis vita, tripliciter. Primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse, et vivere : et loco hujus in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Tit 3 : per lavacrum regenerationis, etc. Secundo, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, et virtutem : et loco hujus in spirituali vita, est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur, unde dicitur discipulis jam baptizatis Lucæ ultimo. Sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Tertio, per nutritionem, qua conservatur in homine vita, et virtus. Et loco hujus, in vita spirituali est Eucharistia : unde dicitur Joan. 6 : nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter, et spiritualiter impassibilem vitam : sed quia homo incurrit interdum, et corporalem infirmitatem et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate : quæ quidem est duplex : una quidem, est sanatio, quæ sanitatem restituit, et loco hujus in spirituali vita est pœnitentia, secundum illud Psal. 40. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per convenientem diætam et exercitium, et loco hujus in spirituali vita est extrema unctio, quæ removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam : unde dicitur Luc 5. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos. Et loco hujus in spirituali vita est sacramentum ordinis, secundum illud Hebr. 7 : quod Sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo, quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tam in corporali, quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturæ officium. Et his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis : confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur : eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum : pœnitentia contra actuale peccatum, post baptismum commissum : Extrema unctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia : ordo contra dissolutionem multitudinis : matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam vero accipiunt numerum sacramentorum per quandam adaptionem ad virtutes. et ad defectus culparum, et pœnalitatum, dicentes, quod fidei respondet baptismus, et ordinatur contra culpam originalem : spei Extrema unctio, et ordinatur contra culpam venialem : charitati Eucharistia, et ordinatur contra pœnalitatem malitiæ : prudentiæ ordo, et ordinatur contra ignorantiam : justitiæ pœnitentia, et ordinatur contra peccatum mortale : temperantiæ matrimonium, et ordinatur contra concupiscentiam : fortitudini confirmatio, et ordinatur contra infirmitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod idem agens principale utitur diversis instrumentis ad diversos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter virtus divina, et passio Christi operantur in nobis per diversa sacramenta, quasi per diversa instrumenta.

Ad secundum dicendum, quod culpa, et pœna diversitatem habent, et secundum speciem, inquantum sunt diversæ species culparum et pœnarum, et secundum diversos hominum status, et habitudines. Et secundum hoc, oportuit multiplicari sacramenta, ut ex dictis patet.

Ad tertium dicendum, quod in actionibus hierarchicis considerantur, et agentes, et recipientes, et actiones. Agentes autem sunt Ministri Ecclesiæ, ad quos pertinet ordinis sacramentum. Recipientes autem sunt illi, qui ad sacramentum accedunt, qui producuntur per matrimonium. Ac.

tiones autem sunt purgatio, illuminatio, et perfectio : sed sola purgatio non potest esse sacramentum novæ legis, quod gratiam confert : sed pertinet ad quædam sacramentalia, quæ sunt Catechismus, et Exorcismus. Purgatio autem, et illuminatio simul, secundum Dionys. pertinent ad baptismum, et propter recidivum secundario pertinent ad pœnitentiam, et Extremam unctionem. Perfectio autem quantum ad virtutem quidem (quæ est quasi perfectio formalis) pertinet ad confirmationem, quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.

Ad quartum dicendum, quod in sacramento confirmationis datur plenitudo Spirius Sancti ad robur : in extrema autem unctione præparatur homo, ut recipiat immediate gloriam : quorum neutrum competit veteri testamento Et ideo nihil potuit his sacramentis in veteri lege respondere : nihilominus tamen sacramenta in veteri lege plura fuerunt numero propter diversitatem sacrificiorum, et cæremoniarum.

Ad quintum dicendum, quod contra concupiscentiam venereorum, oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum : primo quidem, quia per hujusmodi concupiscentiam non solum vitiatur persona, sed etiam natura : secundo, propter vehementiam ejus, quæ rationem absorbet.

Ad sextum dicendum, quod aqua benedicta, et aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta : quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio : sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta, vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dœmonum, et contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perfectionem, et perceptionem, sicut consecratur altare, et vasa, propter reverentiam Eucharistiæ.

Ad septimum dicendum, quod oblationes, et decimæ erant tam in lege naturæ, quam in lege Moysi ordinatæ, non solum in subsidium ministrorum, et pauperum, sed etiam in figuram : et ideo erant sacramenta : nunc autem non remanserunt in quantum sunt figuralia : et ideo non sunt sacramenta.

Ad octavum dicendum, quod ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiæ, unde cum in quolibet sacramento novæ legis gratia infundatur, nullum sacramentum novæ legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur per quædam sacramentalia : quia per aquam benedictam, et alia hujusmodi : quidam tamen dicunt Extremam-unctionem contra veniale peccatum ordinari : sed de hoc suo loco dicetur.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO IX.

De numero, et ordine sacramentorum.

Absolutis omnibus, quæ pertinent ad perfectam notitiam nostrorum sacramentorum tam in se ipsis, quam in ordine ad proprias causas, effectus, et subjecta, pervenit tandem D. Thomas ad ultimam quæstionem, quam eo fine aperuit, ut numerum, et ordinem sacramentorum exponeret. Cui etiam considerationi præsentem disputationem dicamus, in qua nihil fere occurrit, quod longas controversias exposcat : illamque proinde paucis absolvemus.

DUBIUM I.

Quot sint sacramenta novæ legis?

Congruentior hujus dubii decisio pendere videbatur ex consideratione singulorum sacramentorum in se : ostendendo namque in particulari istud, aut illud esse, vel non esse sacramentum, facile constaret eorum numerus. Sed tamen nec incongrue hoc loco eam D. Thomas proposuit : pertinet namque ad complementum doctrinæ sacramentorum in communi, cui incumbebat. Quem ordinem imitamur, rem in communi tractantes, quæ evidentius alias constabit ex notitia singulorum sacramentorum in se.

§ I.

Asseritur veritas catholica.

1. Dicendum est sacramenta nostra esse septem, nec plura, nec pauciora. Hæc conclusio est immediate de fide propter duas expressas Conciliorum universalium diffinitiones. Nam Florentinum in decreto Eugenii IV, pro unione Armenorum statuit : « Novæ legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium. » Et Tridentinum sess. 7, can. 1, decrevit : « Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta ; aut esse plura, aut pauciora, quam septem, baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium ; aut etiam aliquod eorum non esse vere, et proprie sacramentum : anathema sit. » Hæc etiam fuit perpetua Ecclesiæ traditio, ut constat ex doctrina Patrum : quamvis enim eorum singuli prædictum numerum non assignent ; nihilominus ex omnibus talis numerus efficaciter colligitur : nullum enim recensuimus sacramentum, quod apud plures Patrum non sit, et dicatur sacramentum ; et nullum aliud assignabitur, quod in Patribus sacramentum proprie sit, et appelletur. De quo sermo redibit num. 4, ubi magis constabit Patres nostram assertionem docuisse. Scholasticos vero, et Theologos supervacaneum est recensere : cuncti namque (unum si excipiamus Durandum, qui negavit matrimonium

nium esse proprie sacramentum), constanter, et unanimiter cum Magistro in 4, dist. 1, et D. Th. in præs. art. defendunt numerum assignatum.

la- Fundamentum hujus veritatis haud obs-
im. cure constat ex dictis disp. 6, dub. 1, ubi ostendimus Christum esse immediatum nostrorum sacramentorum institutorem: stat autem in sacris litteris, adjuncta Ecclesiæ traditione, et Patrum doctrina: sed hic iterum pro re præsenti expendendum est. Prius vero observare oportet opus non esse ut aliquid juxta doctrinam Scripturæ sit, et dicatur proprie *sacramentum*, quod expresse appellatur *sacramentum* in Scriptura; sed sufficere, quod juxta Scripturam habeat esse, et conditiones rei significatæ per hoc nomen *sacramentum*. Quod facile ostenditur tum ad hominem contra hæreticos; nam illi aliqua sacramenta admittunt, utputa baptismum, et Eucharistiam; et nihilominus non producent Scripturæ locum, in quo baptismus, et Eucharistia dicantur signate sacramenta. Tum evidenti ratione: quoniam merito cuique rei applicatur nomen, cui convenit ratio per nomen significata: ergo ut aliquid juxta veritatem, Scripturæ dicatur vere sacramentum, sufficit, quod juxta Scripturam habeat rationem, quæ significatur vocabulo sacramenti. Quo supposito, sic formatur fundamentum: quoniam sacramenti vere, et proprie dicti ratio in eo consistit, quod sit signum sensibile gratiæ sanctificantis nos, ut constat ex dictis dip. 1, dub. 3, sive consistit in eo (ut cum hæreticis nunc magis conveniamus in vocibus), quod sit ritus, aut cæremonia, cui adjuncta est gratiæ promissio. Sed in sacra Scriptura recensentur septem, sive vocentur signa, sive ritus, aut cæremoniæ, quibus annexa est promissio gratiæ, aut in quorum usu gratia communicatur. Ergo juxta Scripturæ doctrinam septem sunt Ecclesiæ sacramenta. Cætera constant.

Minor autem ostenditur per singula discurrendo: nam in primis *baptismum* esse signum, aut ritum, cujus usui annectitur promissio gratiæ, fatentur ipsi hæretici, et
tth. Ad colligitur ex verbis Christi apud Matth.
os. 15. ult. *Baptizantes eos etc. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ex verbis Apostoli *ad Ephes.* 5: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* De *confirmatione* constat
t. 8. 19. Act. cap. 8, et 19, Apostolos dedisse constanter Spiritum Sanctum per impositionem manuum, quibuscumque manus imponebant. Qui effectus neque esset infallibilis, neque Apostoli eo ritu, signo, vel cæremonia tam constanter uterentur in ordine ad prædictum effectum; nisi ita a Christo institutum fuisset, haberetque adjunctam divinæ gratiæ promissionem. *Eucharistiam* etiam esse hujusmodi admittunt communiter hæretici, et probatur ex eo, quod
ejus institutio ex Christo liquet Matth. 26 Matth. 26. 1 ad Cor. 11.
et 1 Corinth. 11. *Accepit panen, et gratias agens fregit, et dixit etc.* quod vero habeat adjuncta promissionem gratiæ, constat
Joan. 6: *Qui manducat hunc panem, vivet* Joan. 6.
in æternum. Deinde *pœnitentiæ* tam ritum, quam annexam gratiæ promissionem habe-
mus Joan. 20: *Quorum remiseritis peccata,* Joan. 20.
remittuntur eis. Præterea quantum ad extremam unctionem expresse proponitur
ejus ritus, et promisso gratiæ Jacobi 5: Jacobi 5.
Infirmatur quis in nobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit remittentur ei. Ulterius sacramenti *ordinis* tam ritus, quam
gratiæ promissio constat 1, ad Timoth. 4: 1 ad Timoth. 4.
Noli negligere gratiam, que est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione
manuum Presbyteri. Et 2 ad Timoth. 1: 2. Ad Timoth. 1.
Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Tan-
dem ritus matrimoni habetur Matth. 19: Mat. 19.
Quod Deus conjunxit, homo non separet.
Promissio autem gratiæ ad Ephes. 5: *Sacra-* Ad Ephes. 5.
mentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et Ecclesia. Quibus verbis significat Apostolus matrimonium esse ritum repræsentantem conjunctionem spiritualem Christi cum Ecclesia, quæ fit per gratiam. Duplex namque conjunctio Christi cum Ecclesia considerari valet: alia secundum naturam, quæ facta est per Incarnationem; secundum quam Christus aliquomodo copulatur non soli tantum Ecclesiæ, sed toti generi humano: alia vero conjunctio est per gratiam, et charitatem, secundum quam Christus soli Ecclesiæ copulatur tanquam ejus sponsus. Porro utramque conjunctionem significat matrimonium, sed aliter, et aliter: nam primam significat in quantum est naturalis, et carnalis conjunctio inter virum, et mulierem: secundam autem, in quantum importat unionem spiritualem, sive per gratiam, quæ inter con-

juges fit: ad quod oportet, quod talis gratia ritui matrimonii sit promissa, et in ejus celebratione communicetur. Ergo septem, quæ hactenus recensuimus, sunt quidam ritus, et signa sensibilia, quibus juxta Scripturam promissio gratiæ connectitur. Non reperiuntur autem alii ritus, quibus gratia promittatur, neque ex divinis litteris assignari queunt. Sequitur itaque septem esse Ecclesiæ sacramenta, nec pauciora, nec plura.

Con-gruentiæ ratio ex D. Tho. 2. Ratio autem a priori prædicti numeri sacramentorum non est alia, quam Dei voluntas, sicut alias in his supernaturalibus ordinarie contingere diximus. Sed prædictæ dispositionis optima congruentia assignatur a D. Thom. in præsenti artic. 1, et desumitur ex analogia inter vitam spiritualem, et corporalem: ordinantur enim sacramenta ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundum ritum Christianæ vitæ: et congruit, quod spiritualis vita corporali aliquomodo respondeat. Unde sic formatur ratio: nam in naturalibus, seu corporalibus dupliciter homo perficitur: primo quoad propriam personam; secundo per ordinem ad communitatem. Et rursus quoad propriam personam duobus modis perficitur: uno modo per se, acquirendo perfectionem; altero autem modo per accidens, repellendo scilicet impedimenta perfectionis, et vitæ. Attendendo autem ad hujusmodi analogiam, et correspondentiam reperiemus congruentissime assignari septem sacramenta Ecclesiæ. Nam in primis considerando perfectionem hominis quoad propriam personam per se: primo perficitur per generationem, qua acquirit esse, et vivere. Et huic respondet in vita Christiana *baptismus*, qui regenerat hominem ad novam vitam, dando illi esse, et vivere spiritualiter. Secundo in vita naturali perficitur homo per augmentum, quo perducitur ad debitam quantitatem, et virtutem. Et huic in vita Christiana respondet *confirmatio*, per quam augmentum gratiæ, et robur accipimus. Tertio in vita naturali perficimur per nutritionem, quæ conservat esse reparando partes deperditas. Et huic in vita Christiana correspondet Eucharistia, quæ est verus cibus, et potus, ut dicitur Joan. 6, et animam nutrit. Præterea considerando perfectionem hominis secundum propriam personam per accidens; reperiemus hominem in corpore mortali esse obnoxium infirmitatibus, quare indiget medicina, et hæc duplex est. Nam in primis alia restituit sanitatem deperditam, uti se habet potio amara. Et huic in vita Christiana correspondet *pœnitentia*. Est etiam alia medicina, quæ confirmat valetudinem, tollitque morbi reliquias, uti se habet diæta, et exercitium. Et huic in vita Christiana correspondet *extrema-unctio*, quæ hominem corroborat removendo reliquias peccatorum. Denique considerando hominis naturalem perfectionem in ordine ad communitatem; reperiemus, quod dupliciter perficitur. Uno modo per potestatem regendi alios. Et huic in vita Christiana correspondet sacramentum *ordinis*, quo Ecclesiæ principes, sacerdotes, et ministri creantur ad alios fideles regendos. Altero modo perficitur homo in naturalibus in ordine ad communitatem, videlicet per facultatem gignendi, et propagandi individua. Et huic in vita Christiana correspondet sacramentum *matrimonii*, quod deservit ad generationem, et educationem filiorum tam in vita corporali, quam in spirituali. Sicut igitur perfectio vitæ corporalis ad septem illa capita, sive partes, et modos reducitur: sic etiam oportet, quod pro perfectione vitæ Christianæ dentur septem assignata sacramenta.

Quem D. Thomæ discursum pulcherrime digessit, abbreviavit, et velut canonizavit Concilium Florentinum loco supra cit. his verbis: « Novæ legis septem sunt sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, « Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, « Ordo, et Matrimonium. Horum quinque « prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso; duo ultima ad totius « Ecclesiæ regimen ordinata sunt. Per « baptismum enim spiritualiter renascimur. Per confirmationem augemur in « gratia, et roboramur in fide. Renati autem, et roborati nutrimur divinæ Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum « ægritudinem incurrimus animæ, per « pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam, et corporaliter (prout « animæ expedit) per Extremam-unctionem. Per ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter. Per « matrimonium corporaliter augetur. » Concil. Florentin.

3. Aliam etiam congruentiæ prædicti ordinis rationem addit D. Thom. per respectum Altera congruentia ex D. Thom.

pectum ad remedium peccati, et quidem optimam : nam ut a principio corporis observat, sacramenta ordinantur non solum ad perfectionem vitæ Christianæ, sed etiam in remedium contra defectum peccati. Ex quo etiam capite septenarius eorum numerus suadetur : nam baptismus ordinatur contra peccatum originale, quod est peccatum naturæ. Confirmatio contra infirmitatem peccati, quod in nuper natis post baptismum invenitur. Eucharistia contra proclivitatem animi ad peccandum. Pœnitentia contra peccatum actuale post baptismum commissum. Extrema-unctio contra reliquias peccatorum. Ordo contra confusionem, et dissolutionem multitudinis. Matrimonium contra concupiscentiam, et ne pereat natura. Per quæ septem remedia occurritur generaliter peccatis, et eorum effectibus.

Nec refert, si huic discursui opponas primo omne peccatum ad tria genera reduci : est enim vel originale, vel personale mortale, vel veniale : ergo si sacramenta ordinantur ad remedium peccatorum, non oportet esse septem, sed tria : quo motivo convincebatur Guillelmus de Rubion ad asserendum, quod sacramenta tria præcise formaliter sunt, ut refert Soto in 4, dist. 1, quæst. 6, art. 1, post respons. ad quintum. Nec quod opponas secundo luxuriam non esse peccatum aliis gravius: graviora quippe sunt, quæ virtutibus Theologicis opponuntur, ut tradit D. Thom. 2, 2, quæst. 154, art. 3; sed contra alia peccata non ponitur speciale sacramentum : ergo non oportet, quod ponatur speciale sacramentum contra luxuriam.

Non, inquam, referunt istæ objectiones. Nam ad primam respondetur nihil evincere : tum quia multiplicatio sacramentorum non debet attendi per coaptationem ad illa genera; siquidem manifestum est nullum sacramentum ordinari per se ad delendum præcise peccata venialia : quippe omne sacramentum causat per se gratiam, cujus tamen infusio pro deletione venialium non requiritur. Tum etiam quia concesso, quod omnia sacramenta revocarentur ad tria quædam genera universalissima, juxta similia genera communissima peccatorum, adhuc tamen sub illis generibus queunt sacramenta multiplicari in varias species usque ad numerum septenarium : sicut dubium non est genus peccati mortalis in plures species dividi. Unde D. Thom. in respons. ad 2, optime observavit, « quod « culpa, et pœna diversitatem habent, et « secundum speciem, in quantum sunt « diversæ species culparum, et pœnarum, « et secundum diversos hominum status, « et habitudines. Et secundum hoc oportuit « multiplicari sacramenta. » Secundam objectionem recte diluit S. Doctor in resp. 5, his verbis : « Dicendum, quod contra « concupiscentiam venereorum oportuit « specialiter remedium adhiberi per ali« quod sacramentum. Primo quidem, quia « per hujusmodi concupiscentiam non so« lum vitiatur persona, sed etiam natura. « Secundo propter vehementiam ejus, qua « rationem absorbet. » Quæ motiva non militant in aliis peccatis, licet specie gravioribus.

Alias congruentiæ rationes attigit D. Tho. tam in præsenti articulo in fine corp. quam in 4, dist. 2, quest. 1, art. 2, et lib. 4, *contra gentes* cap. 18, et alibi. Sed illas omittere duximus : nam si quærantur rationes ad demonstrandum conclusionem, nullæ reperientur; et si adhibeantur ad declarandum convenientiam prædicti numeri, præmissæ sufficiunt. Et omnibus aliis motivis præponi debet vel sola traditio Ecclesiæ Catholicæ admittentis septem sacramenta, quæ hactenus recensuimus. Nota.

§ II.

Satisfit argumentis contendentibus sacramenta esse pauciora.

4. Contra nostram catholicam assertionem duplex via procedi potest : alia, quæ intendat sacramenta Ecclesiæ esse pauciora; alia vero, quæ contendat esse plura. Primam arripiunt communiter hæretici moderni, cum hac tamen differentia, quod Lutherani confitentur tria sacramenta, nempe baptismum, Eucharistiam, et absolutionem, juxta sui seductoris doctrinam in lib. *de captivit. Babil.* ubi ait : « Neganda sunt mihi septem « sacramenta, et tria pro tempore ponenda, « baptismus, pœnitentia, panis. » Calvinistæ autem solum admittunt duo, videlicet baptismum, et cœnam Domini. De quibus et aliis circa hæc sectariorum erroribus videri possunt Valentia quæst. 6, punct. 2. Bellarminus lib. 2, *de sacramentis* cap. 2. Gravina tom. 1, *Præscriptionum, in analysi*

Sententia negans esse tot sacramenta.

Lutheranum

Calvinistæ.

methodica, verbo Bissacramentales, et verbo Confessionistæ novi, et alii, qui agunt contra hæreticos controversias. Proxime autem relati, ut suum errorem probent, utuntur communiter argumento sibi valde familiari, videlicet negativo, et in hunc modum opponunt : quoniam septenarius sacramentorum numerus in nullo Scripturæ loco, in nullo antiquorum Patrum testimonio invenitur assertus : ergo fictio quædam est a modernis Scholasticis inventa. Confirmatur : quia tantum abest, quod antiqui Patres dixerint sacramenta esse septem, quod potius, qui de sacramentis specialiter egerunt, expresse inferiorem numerum assignaverint, ut patet in Dionysio, Ambrosio, Irenæo, Cyrillo Hierosolymitano. et aliis : ergo dicere, quod sacramenta sunt septem, est contra apertam Patrum doctrinam.

Argumentum. Confirmatio.

Satisfit argumento. Ad argumentum respondetur, quod licet nullus peculiaris Scripturæ locus, aut nullum particulare Patrum testimonium recensuerit simul omnia septem sacramenta, quæ Ecclesia Catholica assignat; nullum tamen id veritati præjudicium affert : quia ad ejus defensionem sufficit, quod omnia prædicta sacramenta habeantur in diversis Scripturæ locis, et Patrum testimoniis. Et ipsi hæretici, qui admittunt duo, vel tria sacramenta, nullum exhibebunt locum Scripturæ, in quo illa duo, vel tria simul referantur. Quod autem Scriptura in diversis locis recenseat omnia sacramenta a nobis asserta, satis constat ex dictis nu. 1. Quod vero idem nnmerus frequentissime apud Patres occurrat, facile ostenderemus, nisi refugeremus prolixitatem in re non necessaria. Satis itaque erit ad confutandum hæreticorum assumptum duos Patres audire. Tertullianus cap. 40, *de præscriptionibus* meminit baptismi nomine *tinctionis*, confirmationis nomine *signationis in frontibus*, Eucharistiæ nomine *oblationis panis*, pœnitentiæ nomine *expiationis delictorum*, ordinis nomine *summi Pontificatus*, seu sacerdotii, et matrimonii nomine *nuptiarum* : ac denique cap. seq. significat Extremam-unctionem nomine *curationis ægrotorum*. Ubi uno, eodemque fere loco cuncta septem Ecclesiæ sacramenta antiquus iste Auctor recenset. Sed progrediamur ad alium majoris longe auctoritatis etiam apud hæreticos D. Augustinum, qui lib. 5, *de baptismo* cap. 20, numerat quatuor Ecclesiæ sacramenta, nempe baptismum, Extremam-unctionem, Eucharistiam, et pœnitentiam, his verbis : « Si ad hoc valet, quod dictum « est in Evangelio, ut per peccatorem sa- « cramenta non celebrentur, quomodo « exaudit homicidam deprecantem vel su- « per aquam baptismi, vel super oleum, « vel super Eucharistiam, vel super illos, « quibus manus imponitur? » nempe ad reconciliationem. Deinde in lib. 2, *contra litteras Petiliani* cap. 104, addit sacramentum confirmationis dicendo : « In hoc un- « guento sacramentum chrismatis vult « Petilianus interpretari : quod quidem in « genere visibilium signaculorum sacro- « sanctum est, sicut ipse baptismus. » Præterea lib. 2, *contra epist. Parmeniani* cap. 13, recenset sacramentum ordinis, eodem modo de illo, ac de baptismo loquens his verbis : « Utrumque sacramentum est, et « quadam consecratione utrumque homini « datur : illud, cum baptizatur : istud, cum « ordinatur. » Denique in lib. *de bono conjugali* cap. 18, et cap. 24, et lib. 11, *de nuptiis*, cap. 19, evidenter affirmat matrimonium esse in nova lege sacramentum. Liquet itaque D. Augustinum cuncta septem Ecclesiæ sacramenta recognovisse, asseruisse, atque probasse.

Tertullian. D. Aug.

Solvi confirmat. Confirmatio regerenda est in ipsos hæreticos, qui nullum Patrem producent vel negantem sacramenta Ecclesiæ septem esse, vel asserentem esse præcise duo, aut tria. Quod vero aliqui aliquorum sacramentorum meminerint, aliis vel suppresis, vel non relatis ; unde processit, quod non de omnibus, sed de his, aut illis juxta peculiarum suarum tractationem scopum agere intendebant : unde potuerunt asserere aliqua sacramenta, sine præjudicio tamen aliorum, quæ opus non habebant resensere. Sic D. Dionysius in lib. *de Ecclesiastic. hierarch.* non egit ex professo de sacramentis Ecclesiæ, sed de actibus hierarchicis, sive sacris officiis, quæ Episcopi, et sacerdotes solemniter, et cum quadam consecratione ministrant : quare solum egit de baptismo, confirmatione, Eucharistia, ordine, et obiter de pœnitentia, cujus iterum mentionem fecit in epist. *ad Demophilum*. Sic etiam D. Ambros. in libris *de sacramentis* non de omnibus agere statuit, sed de illis, de quibus instruendi erant proxime baptizati, confirmati, et ad Eucharistiam admissi : unde solum de illis ex professo egit ; quamvis incidenter ordinem, sive

sive sacerdotium insinuaverit. At dari insuper pœnitentiam, et confessionem sacerdotalem non solum recognoscit, sed probat etiam *in exhortatione ad pœnitentiam*, et in lib. 4, *de pœnitentia*, cap. 6, et 7. Similiter dicendum est de D. Irenæo, qui specialiter egit de Eucharistia lib. 1, cap. 9, ut errores cujusdam Marci circa illam confutaret. Sed nihilominus baptismi, pœnitentiæ, et aliorum sacramentorum meminit in aliis locis. Denique Cyrillus Hierosolymitanus agere proposuerat de illis tantum sacramentis, quæ ad fideles novellos pertinent, ut ipse profitetur : unde mirum non est, quod omnia expresse non recensuerit ; sed tamen neque illa negavit. Et notandum est istos, et alios Patres manifeste admittere plura sacramenta, quam ab hæreticis accipiantur : unde per ipsos, quod producunt, retunditur eorum calumnia, et impetus in catholicos.

cun- ar- men- um. 5. Arguitur secundo : quia sacramenta novæ legis sunt numero pauciora, quam sacramenta legis antiquæ, ut affirmat D. Augustinus lib. 19, *contra Faustum*, cap. 13 ; sed in antiqua lege non fuerunt sacramenta, quibus correspondeant confirmatio, et extrema unctio in lege nova : ergo confirmatio, et extrema unctio non sunt vera sacramenta : atque ideo non dantur tot sacramenta, quot recensuimus.

pon- io. Respondetur concedendo præmissas, et negando utramque consequentiam ; non enim legitime ab illis colligitur : tum quia non oportet, quod omnia sacramenta habeant correspondentiam ad aliquod ex sacramentis antiquis : tum quia sacramenta vetera independenter a correspondentia hujusmodi fuerunt multo plura propter multitudinem sacrificiorum, et cæremoniarum, ut merito affirmat D. Augustinus. Quod autem tunc non fuerint sacramenta, quibus respondeant confirmatio, et extrema-unctio, provenit ex eo, « quod in sacra- (ho.) « mento confirmationis datur plenitudo « Spiritus Sancti ad robur : in extrema « autem unctione præparatur homo, ut « recipiat immediate gloriam. Quorum « neutrum competit veteri testamento : et « ideo nihil potuit his sacramentis in veteri « lege respondere, » ut optime docet D. Thom. in præs. art. 1 ad 4.

um u- um. 6. Arguitur tertio : quia sacramenta fluxerunt de latere Christi sub figura sanguinis, et aquæ. Unde Glossa ordinaria super illud ad Rom. 5: *In similitudinem prævaricationis Adæ*, inquit : *Ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt sacramenta, per quæ salvata est Ecclesia.* Sed sanguis, et aqua significant Eucharistiam, et baptismum, ut D. Chrysostomus, N. Cyrillus, et alii Patres communiter exponunt : ergo sacramenta Ecclesiæ sunt tantum duo, nempe baptismus, et Eucharistia. Glossa.

Respondetur negando consequentiam : Diluitur. nam licet illa duo sacramenta expressius sub eis symbolis de Christi latere fluxerint; nihilominus cætera etiam ut sub eis contenta fluxerunt : eo quod baptismus est omnium janua, sive principium, Eucharistia vero cunctorum finis ob sui præstantiam super reliqua. Unde D. Thomas supra D. Tho. quæst. 62, art. 5, dixit : « Manifestum est, « quod sacramenta Ecclesiæ specialiter ha- « bent virtutem ex passione Christi : cujus « virtus quodammodo nobis copulatur per « susceptionem sacramentorum. In cujus « signum de latere Christi pendentis in « cruce fluxerunt aqua, et sanguis: quorum « unum pertinet ad baptismum, aliud ad « Eucharistiam : quæ sunt potissima sacra- « menta. » Sed addendum est probabilissi- Nota. mam etiam esse expositionem D. Ambrosii lib. 10, *in Lucam*, et D. Augustini tract. 120, *in Joan.* et aliorum, qui per *sanguinem* intelligunt pretium nostræ redemptionis, et per *aquam* baptismum (et sub illo cætera sacramenta) accipientem suam efficaciam e sanguine Christi. Quare Evangelista non dixit : *Exivit aqua, et sanguis*, quod postulabat ordo, si de baptismo, et Eucharistia sermonem faceret ; sed dixit, *Exivit sanguis, et aqua*, videlicet pretium passionis, ejusque per sacramenta effectus.

7. Arguitur quarto : quia multiplicatio nostrorum sacramentorum attenditur per correspondentiam ad perfectiones naturales, ut discurrit D. Thom. in hoc art. et expendimus num. 2 : sed in naturalibus non dantur duo media, quorum unum ordinetur ad nutriendum, et aliud ad augendum : ergo nec in supernaturalibus oportet dari duo sacramenta, nempe confirmationem ordinatam ad augendum, et Eucharistiam ordinatam ad nutriendum : et consequenter prædicta duo sacramenta non debent distingui, nec concurrere ad constituendum septenarium sacramentorum numerum. Probatur minor, tum quia nutritio, et augmentatio fiunt uno, et eodem Quartum argumentum.

cibo : tum quia valde probabile est, quod fiant etiam eadem potentia.

Solvitur. Respondetur fundamentum, ut confirmatio, et Eucharistia sint duo sacramenta realiter, et essentialiter diversa, non esse, quod in majori recensetur, sed solum Dei voluntatem, de qua certo nobis constat per doctrinam Scripturæ, et traditionem Ecclesiæ, ut num. 1, vidimus : et constat insuper ex eo, quod confirmatio, et Eucharistia habent materias, et formas diversas; et ex eo, quod confirmatio est sacramentum initerabile, cum imprimat characterem, Eucharistia vero repeti valet ob oppositam rationem. Præsuppositæ autem hujus ex tam solido fundamenta veritatis assignantur aliquæ congruentiæ, qualis est illa a D. Thom. proposita. Sed non oportet, quod ubi conclusio est de fide, et solum congruenter ostenditur, supponat alia fidei principia ; sed satis est, si declaretur, et suadeatur probabilibus motivis. Nemo autem negabit augmentationem, et nutritionem esse motus realiter diversos ; cum manifestum sit peracta, et cessante jam augmentatione, durare nutritionem : nec negabit (quod ex præmisso motivo colligitur) probabilissimum esse potentiam augmentativam, et nutritivam realiter inter se distingui tum ob diversitatem operationum proxime insinuatam : tum ob differentiam terminorum per se. Supposita itaque probabilissima hac distinctione inter augmentationem, et nutritionem, congruenter per analogiam ad illam declaravit D. Thom. diversitatem inter confirmationem, et Eucharistiam. Alia argumenta formari possent, quæ tentarent ostendere istud, aut illud sacramentum in particulari non esse vere, et proprie sacramentum : inde enim confiteretur non esse tot sacramenta, quot assignat Ecclesia. Sed hujusmodi argumentis congruentius in propriis sedibus circa singula sacramenta satisfit.

§ III.

Convelluntur objectiones intendentes sacramenta esse plura.

Sententia asserens plura sacramenta. 8. Alia via, qua impugnari potest nostra conclusio, consistit in assignando plura sacramenta, quam septem. Quod potest probari primo : quoniam licet in Scriptura, et Conciliis assignentur septem sacramenta, nullibi tamen statuitur non esse plura : ergo absque solido fundamento asserimus determinate septem, et non plura. Primum argumentum.

Respondet Nugnus in comment. ad art. 1, in solut. ad 1, quod licet in sacris litteris, et in Conciliis non habeatur expresse diffinita hæc propositio, « sacramenta non « sunt plura, quam septem ; nihilominus hoc ipso, quod statuant sacramenta esse septem, intelliguntur diffinire non esse plura. Vulgare quippe est tam in Scriptura, quam in Conciliis, quod ubi assignatur aliquis numerus, sicut excluditur numerus minor, sic etiam excludatur numerus major. Sed in priori hujus responsionis parte deceptus fuit prædictus Auctor, aut oblitus : nam Concilium Tridentinum sess. 7, can. 1 (quod ipse allegat § *conclusio est*), expresse diffinit sacramenta nostra esse septem, et non plura. « Si quis, *inquit*, « dixerit sacramenta novæ legis non fusse « omnia a Jesu Christo Domino nostro « instituta, aut esse plura, vel pauciora, « quam septem, videlicet baptismum etc. « anathema sit. » Unde manifestum est hanc propositionem, « Sacramenta Ecclesiæ « non sunt plura, quam septem, » reperiri expresse diffinitam in aliquo Concilio. In reliquo doctrina prædictæ responsionis optima est, et quæ evincit prædictam propositionem fuisse etiam (sicut est), de fide antecedenter ad diffinitionem Tridentini immediate relatam: quoniam ubi Scriptura et Ecclesia assignant numerum aliquem determinatum, sicut excluditur minor, sic etiam excluditur major ; et tam excessus, quam defectus veritati, et proprietati numeri determinati præjudicat. Hac de causa quia scriptura exprimit tres in natura divina personas ; sicut de fide est non esse pauciores, sic etiam est de fide non esse plures : unde in Concilio Lateranensi reprobata est quaternitas in divinis. Et quia Scriptura solum recenset esse hunc mundum, de fide est non dari alios nobis ignotos. Sic igitur quia Scriptura, et Ecclesia docebant Sacramenta Ecclesiæ esse septem: ex hoc ipso de fide erat non esse plura sacramenta : quod postea Tridentinum expressis verbis diffinivit. Responsio ex Nugno. Legitima solutio. Concil. Trident.

9. Arguitur secundo : quia sacramentum non est aliud, quam signum rei sacræ sanctificantis nos : sed signa rei sacræ nos sanctificantis sunt plura, quam septem : ergo Secundum argumentum.

ergo et sacramenta. Probatur minor : quia aqua benedicta, crux, sacræ imagines, et similia sunt signa rei sacræ sanctificantis nos : quæ signa manifestum est multiplicari ultra numerum septenarium. Unde ex. 1. videmus quod Alexander Primus epist. 1, aquam benedictam vocat sacramentum : et Aug. Div. Augustinus lib. 19, *contra Faustum*, cap. 14, signum crucis sacramentum appellat. onfirmatio. Confirmatur, nam ablutio pedum disan. 13. cipulorum facta a Christo Joann. 13, et nobis mandata illis verbis : *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, habet rationem veri sacramenti : datur ergo aliquod aliud sacramentum præter septem a nobis assignata. Suadetur antecedens : tum quia ille ritus institutus fuit immediate a Christo Domino, habuitque annexam promissionem gratiæ, sicut haud abscure colligitur ex illis verbis, *si non lavero te, non habebis partem mecum*, quæ a contrario sensu significat, *si lavero te, habebis partem mecum*, utique per sanctitatem, seu gratiam. Tum etiam et urgentius, quia prædicta ablutio sacramentum a Patribus appellatur, ut constat Amb. ex Divo Ambrosio lib. 3 *de sacramentis*, cap. 1, ubi acriter defendit usum lavandi pedes recenter baptizatorum, etiam contra consuetudinem Ecclesiæ Romanæ : et ex Div. Bern. Bernardo in serm. *de cœna Domini*, et ex Auctore sermonis de ablutione pedum apud D. Cyprianum, et aliis. Propter quæ testiemnitius. monia Kemnitius in 2, part. *examinis*, cap. *de numero sacramentorum*, pronuntiavit plura, quam septem fore sacramenta, si Patribus credendum esset. Sic parvipendebat ille spiritu hæretico Patrum auctoritatem, et nobis faciebat odibilem.

ccurritur argumento. Ad argumentum respondetur juxta doctrinam fusius traditam disp. 1, dub. 3, (ubi sacramenti diffinitionem proposuimus, et exposuimus), illud tantum esse vere, et proprie sacramentum, quod est signum sensibile gratiæ ut sanctificantis exercite subjectum in talis signi usu, et applicatione : ad quod opus est, quod talis gratia sit prædicto signo, ejusque usui infallibiliter repromissa : et quod re ipsa, quantum est ex parte signi, conferatur ex opere operato. Hoc autem non reperitur, nisi in illis, quæ recensuimus, septem sacramentis. Juxta quam doctrinam, concessa, aut distincta majori, neganda est minor. Et ad ejus probationem dicendum est aquam benedictam, signum crucis, et alia ejusmodi (quæ dicuntur sacramentalia, et sunt seq. disput. exponenda), significare quidem res sacras quasi speculative, et in actu signato; sed non practice, nec in actu exercito infallibiliter, quantum est de se : quia non habent adjunctam divinam promissionem de gratia sanctificante in eorum usu infallibiliter conferenda. Quæ responsio desumitur ex D. Thom. in præs. art. 1 ad 6, ubi ait : D. Tho. « Dicendum, quod aqua benedicta, et aliæ « consecrationes non dicuntur sacramenta, « quia non perducunt ad sacramenti effec« tum, qui est gratiæ consecutio. Sed sunt « dispositiones quædam ad sacramenta : « vel removendo prohibens, sicut aqua « benedicta ordinatur contra insidias dæ« monum, et contra peccata venialia ; vel « etiam idoneitatem quandam faciendo ad « sacramenti perfectionem, et perceptio« nem, sicut consecrantur altare, et vasa « propter reverentiam Eucharistiæ. » Patres autem, qui res hujusmodi vocant aliquando sacramenta, utuntur *sacramenti* vocabulo non strictissima, et propria acceptione, secundum quam loquimur in præsenti ; sed in alia latiori, et minus propria, juxta quam res sacræ, et habentes occultam aliquam significationem appellantur sacramenta, ut observavimus in procemio ad hunc tractatum, n. 3. Desumiturque ista interpretatio ex D. August. nam cum cer- D. Aug. tum sit nullum antecedenter ad baptismum dari sacramentum proprie dictum, quippe cum baptismus sit omnium janua : nihilominus S. Doctor cæremonias, et exorcismos Cathecumenorum, quæ baptismo præmittuntur, appellat sacramenta, ut constat ex lib. 4, *de symbolo*, cap. 1. Quin et generaliter de omnibus signis affirmat : « Cum « ad res sacras pertinent, sacramenta ap« pellantur, » ut loquitur epist. 5, *ad Marcellinum*.

Ex quibus ad confirmationem respon- Diluitur confirmatio. demus negando antecedens : neque enim Ecclesia Catholica unquam recognovit ablutionem pedum vel a Christo factam, vel nobis consultam habuisse, aut habere veram sacramenti rationem. Quin et D. Ambrosius (qui huic parti magis favere visus est defendendo, et laudando usum Ecclesiæ Mediolanensis in lavando pedes recenter baptizatorum) aperte fatetur Ecclesiam Romanam id in usu non habuisse : quæ tamen semper omnia vera sacramenta professa est. Unde idem Ambrosius ait :

D. Amb. « Hoc dico, non quod alios reprehendam « (*nempe Ecclesiam Romanam*) quorum typum, et formam in omnibus sequimur.» Et ulterius, « In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam.» Agebat itaque non de aliquo vero sacramento, sed de peculiari ritu, aut cæremonia, pro quibus commendandis abundavit in suo sensu. Sicut etiam modo Ecclesia Romana, et Græca, (servata concordia in sacramentis, atque eorum numero), variant in pluribus ritibus et cæremoniis. Ad primam autem antecedentis probationem, omisso Vazquio, qui disput. 139, cap. 2, per totum, illam nimis prolixe versavit, breviter respondetur ablutionem illam pedum discipulorum factam a Christo fuisse tum in signum humilitatis ipsius Christi, tum in signum purgationis faciendæ ante Eucharistiæ sumptionem. Sed tamen non est instituta in signum perpetuum cum repromissione gratiæ conferendæ in ejus usu : quod tamen ad veram rationem sacramenti requirebatur. Illa namque verba : *Non habebis partem mecum*, non promittunt gratiam, sed minantur Petro inobedientiæ pœnam. Si enim perseverasset in resistendo, et non obediendo ; peccasset mortaliter, et ab hæreditate cælestis regni excidisset. Illa etiam verba : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, non denotant talem lotionem valuisse ad remissionem peccatorum venialium (quamquam nec id sufficeret ad rationem sacramenti, de cujus ratione est afferre infusionem gratiæ, sine qua fieri valet venialium remissio) : sed solum significant, quod mundato a majoribus curandum est, ut lavetur a minoribus. Denique verba illa : *Exemplum dedi vobis ut et vos faciatis*, non continent absolutum præceptum faciendi hanc lavationem materialem ; sed consulunt humilitatem, et charitatem, nempe ut eo animo parati simus, ut nec lotionem pedum, nec vile aliud quid recusemus pro salute proximiorum. Ex quibus omnibus minime concluditur prædictam ablutionem esse signum practicum gratiæ, sive cujus usui repromissa sit hominum sanctificatio : quod tamen ad veram sacramenti rationem requirebatur. Ad secundam antecedentis probationem jam diximus, quid intenderit D. Ambrosius. Majorem posset facessere difficultatem D. Bernardus, ubi affirmat : « De remissione quotidianorum minime dubitamus: habemus ejus sacramentum pedum ablutionem. » Sed Bernardus sacramentum dixit, extenso hoc vocabulo ad quodlibet signum sacrum. Nec significavit eam ablutionem causare spiritualem munditiam, aut venialium remissionem (quamvis nec hoc ultimum ad veram rationem sacramenti sufficeret) : sed quod ea lotio significaverit Apostolis, quantumvis mundi essent, superesse leves maculas, quas expiari deberent. Et eodem modo explicandus est pseudo Cyprianus, quamvis tantæ auctoritatis non sit. Explicatur D. Bernar.

10. Arguitur tertio : quia martyrium est verum sacramentum : ergo datur aliud sacramentum præter septem a nobis assignata ; atque ideo sacramenta sunt plura, quam septem. Probatur antecendens : quia martyrium ex una parte causat gratiam et facit ex attrito contritum, ut docent communiter Theologi ; ex alia vero parte significat gratiam ; siquidem repræsentat passionem Christi, ex qua omnis gratia descendit : ergo martyrium habet tam in significando, quam in causando, quidquid requiritur ad veram rationem sacramenti. Tertium argumentum.

Respondetur negando antecedens : quia in sacramento causatur gratia ex opere operato, ut vidimus disp. 4, dub. 1; martyrium autem non causat gratiam ex opere operato, ut docent communiter Theologi contra Joannem Majorem in 4, dist. 4, quæst. 3, oppositum asserentem, cujus sententiam Nugnus infra quæst. 66, art. 12, appellat temerariam, et errori proximam : unde martyrium non est proprie sacramentum : sed comparatur per modum meriti, vel actus fortitudinis, et generalius per modum imitationis passionis Christi. Accedit martyrium non esse institutum per modum signi, nec constare verbis, nec habere ministrum ex institutione divina : quæ omnia satis manifestant sacramentum non esse : sed habere aliunde adjunctam gratiam ob excellentiam operis, passionis, aut imitationis. Unde D. Thom. quæst. seq. 11 ad 2, inquit : « Dicendum, quod sacramentum habet rationem signi. Alia vero duo » (nempe baptismus sanguinis, scilicet martyrium, et baptismus flaminis, seu pœnitentiæ) « conveniunt cum baptismo « aquæ, non quidem quantum ad rationem « signi, sed quantum ad effectum baptismatis : et ideo non sunt sacramenta. » Et Solutio. Nugnus. D. Tho.

artic.

artic. 12, in resp. ad 1, addit : « Dicendum, quod character est res, et sacramentum : Non autem diximus, quod baptismus sanguinis præeminentiam habet secundum rationem sacramenti, sed quantum ad sacramenti effectum. »

Quartum argumentum. 11. Arguitur quarto : nam D. Dionysius *de Eccles. hierarch.* cap. 6, part. 3, inter sacramenta recenset monasticam consummationem, sive consecrationem, aut professionem : datur ergo aliud sacramentum præter assignata a nobis. Et confirmatur : nam convenientissimum apparet Christum, qui est principalis auctor status religiosi, instituisse aliquod sacramentum perfectioni talis status peculiariter deserviens: et si res ita se habet, tale sacramentum debet in professione solemni consistere. Suadetur assumptum : quia in Ecclesia dantur status prælatorum, status conjugatorum, et status religiosorum : sed Christus pro priori statu instituit sacramentum Ordinis, et pro secundo statu instituit sacramentum Matrimonii ; ergo conveniens apparet, quod pro statu religiosorum instituerit aliquod sacramentum.

Responsio. Respondetur ad argumentum quod D. Dionysius professionem religiosam vocat sacramentum, producto vocabulo ad omnia sacra, ut sæpius in superioribus significavimus. Agit enim ibidem de actionibus hierarchicis, complectendo etiam religiosam professionem, qua quis Deo traditur mediantibus superioribus. Prædictas vero actiones hierarchicas vocat generaliter *sacramenta* non quia omnes vere sacramenta sint ; sed quia aliquid sacrum sunt, habentque ; ut num. præc. vidimus ex D. Augustino. Vocat autem Dionysius eam professionem consummationem, aut consecrationem : quia in illa homo Deo, quantum est de se, perfecte traditur, dicatur, et sacratur, ut ex pluribus aliis Patribus explicuimus tract. 20, disp. 1, dub. 7, n. 95. Ad confirmationem dicendum est in his, quæ ex sola Dei voluntate dependent, inefficax argumentum desumi ex solis congruentiis, aut paritate rerum : quidquid enim Deus vult, convenientissimum est ; et tamen vult unum et non vult aliud : atque ut affirmemus aliquid voluisse, debemus producere efficacia divinæ voluntatis indicia vel ab Scriptura, vel ab Ecclesiæ traditione. Nihil autem ejusmodi occurrit, ut dicamus Christum instituisse peculiare aliquod sacramentum pro statu religiosorum : neque enim reperimus, quod signum sensibile sit, quam formam habeat, quem vendicet ministrum, et multo minus, quod tali signo sit repromissa gratia danda ex opere operato. Unde quidquid fuerit de convenientia intentati hujuscemodi sacramenti, nullum datur fundamentum, ut dicatur fuisse de facto institutum.

12. Arguitur quinto : quia species sacramentales panis, et species sacramentales vini sicut sunt diversa signa, sic etiam sunt diversa sacramenta, habentia munia satis distincta. Deinde diversi ordines sunt diversa, et plura sacramenta ; cum habeant diversas materias, et formas, et causent differentes effectus, atque ordinentur ad distinctos actus, et munera. Si autem hæc omnia supputemus, excedunt plane numerum septenarium. Ergo fateri oportet sacramenta Ecclesiæ esse plura, quam septem. Quintum argumentum.

Respondetur argumentum unum evincere, quod a nobis conceditur, nempe non esse hactenus ab Ecclesia diffinitum, quod septem sacramenta sint species infimæ sive ulterius non divisibiles in alias species saltem partiales sacramentorum : sicuti concipi potest Eucharistiam dividi in cibum, et potum sacramentalem, et ordinem dividi in ordines peculiares. Nec tamen propterea destruitur septenarius sacramentorum numerus : quia cibus, et potus constituunt unum totale Eucharistiæ sacramentum per modum perfecti convivii : sicut etiam omnes ordines unum totale Ordinis sacramentum, quatenus omnes tendunt ad constituendum unum perfectum ministeriorum Dei, et huic fini subordinantur. Est igitur fides septem esse Ecclesiæ sacramenta, et temerarium, præsumptuosum, et errori proximum esset aliter numerare illa vel addendo, vel detrahendo : quia Ecclesia Catholica illum numerum determinate assignat. Cæterum illa septem esse species infimas, vel subalternas diffinitum non est, sed relinquitur Theologis explicandum : de quo in propriis sedibus de Eucharistia, et Ordine solet disputati. Videantur Nugnus ubi supra in resp. ad 2, Vazquez disp. citata num. 3, Suarez in hoc art. concl. 2, Gonet disp. 7, art. 1, n. 12, et alii. Responsio. Nota. Nugnus. Vasq. Suarez. Gonet.

DUBIUM II.

Quem ordinem habeant septem Sacramenta Ecclesiæ ?

Sub hoc titulo comprehendimus tres difficultates propositas a D.Th.in 2,et3, et 4 art.præsentis quæstionis,quibus tam illam, quam totum tractatum de sacramentis in genere finit. Ut autem illam cum majori claritate, et distinctione decidamus, animadvertendum est,quod triplex ordo inter aliqua considerari potest. Primus est *ordo generationis*, sive naturæ, secundum quem in executione unum prærequiritur ad aliud, et supponitur ad ipsum : quo pacto imperfectiora solent perfectiora præcedere, partes totum, et simplicia composita. Cui ordini se accommodat connaturalis modus comparandi scientiam : procedit namque ab imperfectis, et potentialibus (utpote notioribus quoad nos) ad magis perfecta, et actualia, ut D. Thomas observat 1, 2, quæst 94, artic. 4, et 2, 2, quæst. 189, artic. 4 ad 4, Secundus est *ordo perfectionis,* juxta quem unum est nobilius alio : quomodo finis est prior mediis, licet post illa in executione sequatur. Tertius est *ordo necessitatis,* secundum quem unum est magis necessarium, quam aliud : in quo sensu nobis magis necessaria sunt, possunt dici priora, atque intimiora respectu nostri. In omnibus itaque his tribus acceptionibus potest attendi ordo inter sacramenta. Sed omnes comparationes singillatim considerabimus.

Multiplex rerum ordo.

D. Tho.

§ I.

Ordo generationis inter sacramenta.

13. Dicendum est primo, quod ordine generationis, sive naturæ sic recte comparantur, et ordinantur sacramenta, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia,Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, et Matrimonium. Ita D. Thomas in præs. art. 2, cui consentiunt communiter Theologi in præs. et Scholastici in 4, sent. et Hugo de S. Victore lib. 2, *de sacramentis.* Unde ipse Angelicus Doctor propositis argumentis impugnantibus prædictum ordinem, dixit : « Sed con« tra est, quod communiter ordinantur ab « omnibus sacramenta,sicut prius dictum.» Probatur primo ab auctoritate : nam Concilium Florentinum, et Concilium Tridentinum prædicto ordine numerant, et recensent sacramenta, ut constat ex eorum verbis, quæ supra dedimus num. 1. Et Catechismus Roman. editus jussu B. Pii V inquit : « Primum numeratur baptismus « velut cæterorum janua, quo Christo « renascimur. Deinde confirmatio, cujus « virtute fit, ut divina gratia augeamur, et « roboremur. Tum Eucharistia, qua tan« quam cibo vere cœlesti spiritus noster « alitur, et sustinetur. Sequitur quarto loco « pœnitentia,cujus ope sanitas amissa res« tituitur, postquam peccati vulnera exce« pimus. Postea vero extrema unctio, qua « peccatorum reliquiæ tolluntur, et animi « vires recreantur. Sequitur ordo, quo pu« blica sacramentorum ministeria perpetuo « in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes « functiones exequendi potestas traditur. « Matrimonum, ut ex maris, et fœminæ « legitima, et sancta conjunctione filii ad « Dei cultum, et humani generis conser« vationem procreentur, et religiose edu« centur. »

Prima conclusio.

D Thom. Hugo de S. Vict.

Catech. Roman.

Secundo probatur ratione D. Thomæ in 1, et 2 art. hujus quæst. quoniam naturali ordine prior est unitas, quam multitudo, et subinde particulares homines sunt priores communitate ; siquidem hæc constat illis, sicut multitudo unitatibus : oportet igitur, quod sacramenta deservientia perfectioni particularium personarum sint ordine naturæ priora, quam sacramenta,quæ spectant ad bonum communitatis : sed quinque sacramenta, scilicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, et Extrema-unctio pertinent ad bonum particularium personarum ; alia vero duo sacramenta, nempe ordo, et matrimonium pertinent ad bonum communitatis, seu multitudinis : ergo illa quinque sacramenta sunt ordine generationis, et naturæ priora, quam ista duo. Ulterius ex pertinentibus ad perfectionem particularium illa, quæ spectant per se, debent ordine naturæ præcedere alia, quæ sunt per accidens, et perficiunt removendo impedimenta ; sicut naturaliter prior est sanitas, quam curatio : sed tria sacramenta, scilicet baptismus, confirmatio, et Eucharistia perficiunt per se particulares personas, quatenus deserviunt principaliter ad perficiendum positive ; alia vero duo sacramenta, nimirum pœnitentia, et Extrema-unctio perficiunt

Ratio D. Tho.

perficiunt illas personas, quasi per accidens, in quantum removent peccata, et eorum reliquias : ergo baptismus, confirmatio, et Eucharistia præcedunt naturali ordine pœnitentiam, et Extremam-unctionem. Denique descendendo ad tres classes proxime insinuatas, reperiemus, quod inter sacramenta deservientia ad perfectionem particularium personarum per se, sacramentum baptismi debet præcedere, ut dans primum esse in regeneratione spirituali : et debet sequi immediate confirmatio, quæ dat robur, augmentum, et perfectionem, ut homo in statu quasi virili constitutus accipiat Eucharistiam, quæ est panis perfectorum, et qua vita spiritualis alitur, et sustinetur. Sic ergo illa tria sacramenta ordinari debuerunt. Unde usus veteris Ecclesiæ erat, quod adultus baptizabatur coram Episcopo, deinde confirmabatur, et confirmatus suscipiebat communionem, ut
Dion. constat ex Divo Dionys. in lib. *de Eccles. hierarch.* cap. 2, parte 2. Facta vero comparatione inter duo sacramenta deservientia perfectioni particularium personarum per accidens, pœnitentia naturali ordine præcedit Extremam-unctionem : quia pœnitentia inchoat sanationem hominis quam consummat Extrema-unctio tollendo ægritudinis reliquias. Denique inter ordinem, et matrimonium non potest, aut debet attendi per se ordo generationis, cum non recipiantur in eodem subjecto, nisi per accidens. Quia tamen matrimonium ob minorem spiritualitatem est simpliciter imperfectius, propterea recensetur ultimo loco.

Objectio. 14. Sed opponens primo : nam Concilium Senonense recensens sacramenta, ante Eucharistiam proposuit ordinem. Et Concilium Coloniense pœnitentiam Eucharistiæ præmisit. Ergo ordo sacramentorum a nobis propositus non est undequaque legitimus, nec observandus. Et confirmatur :
Confirmatio. quia D. Dionys. in lib. *de Ecclesiast. hierarch.* prius proposuit Eucharistiam, quam confirmationem : nam de Eucharistia egit cap. 3, et de confirmatione cap. 4. ergo idem quod prius.

Dissolvuntur. Ad objectionem respondetur regerendo ejus vim, si quam habet : nam Concilium Florentinum, et Tridentinum recensuerunt sacramenta ordine a nobis præmisso : fuerunt autem illa, utpote Generalia majoris longe auctoritatis præ Coloniensi, et Senonensi, quæ Nationalia præcise sunt. Deinde quamvis ordo a nobis propositus sit velut naturalis, et qui per se loquendo observari debet ; nihilominus potest methodo arbitraria aliqualiter inverti, nimirum quando occurrit aliqua necessitas, vel ratio prius agendi de aliquo sacramento, utputa si magis impugnaretur ab hæreticis, contra quos scriptor, vel Concilium aliquod agit. Et forte hac de causa illa Concilia ita se gesserunt. Confirmationem optime diluit D. Thom.
D. Thom. in præs. art. 2 ad 3, his verbis : « Dicendum, quod nutrimentum, et præcedit augmentum sicut causa ejus, et « subsequitur augmentum sicut conservans hominem in perfecta quantitate, « et virtute. Et ideo potest Eucharistia « præmitti confirmationi, ut Dionys. facit « in lib. 1, de Eccles. hierarch. et potest « postponi, sicut Magister facit in 4 sent. » Qui de confirmatione agit dist. 7, et de Eucharistia in dist. 8. Sed tamen S. Doctor simpliciter præfert ordinem Magistri, ut constat ex corpore articuli, ubi in fine ait : « Inter alia vero tria manifestum est, quod « baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prius : et deinde confirmatio, « quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis : et postmodum Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem « finis. » Præferunt etiam illum ordinem communiter Scholastici, et Theologi recensentes sacramenta sicut proposuimus, et confirmationem Eucharistiæ præmittentes. Quod adhuc magis roborari potest ex eo, quod ea, quæ pertinent ad perfectionem per se, sunt priora illis, quæ conducunt ad perfectionem quasi per accidens, removendo scilicet defectus, aut impedimenta : sed augmentum viventis comparatur ad ejus perfectionem per se ; nutritio autem quamvis deserviat etiam ad perfectionem per se, nihilominus comparatur aliquomodo ad perfectionem per accidens, eo quod ordinatur ad reparandum partes, quæ actione caloris naturalis continuo deperduntur : ergo augmentum ordine naturæ est absolute prius, quam nutritio. Cum igitur confirmatio comparetur per modum augmenti, et Eucharista per modum nutritionis ; sequitur, quod ordine naturæ, quem modo attendimus, confirmatio præcedat Eucharistiam.

15. Oppones secundo : nam teste Apostolo 1, *ad Corinth.* 15, prius est, quod est Aliæ objectiones.

animale, deinde quod spirituale : sed per matrimonium generatur homo generatione naturali, quæ est animalis, per Baptismum autem regeneratur homo secunda generatione, quæ est spiritualis : ergo matrimonium præcedit ordine generationis baptismum. Oppones tertio, quod dispositio præcedit formam, seu finem : sed pœnitentia disponit hominem ad Eucharistiam : ergo pœnitentia Eucharistiæ præmittitur ordine naturali.

Satisfactio. Ad objectionem secundam respondemus matrimonium, secundum quod præcise ordinatur ad animalem vitam, esse tantum naturæ officium, et non habere rationem sacramenti : sed secundum quod habet aliquid spiritualitatis saltem in infimo gradu, sortiri sacramenti rationem : quo pacto debet præsupponere primam vitam spiritualem per baptismum : sicut generaliter quælibet perfectio, vel augmentum in aliquo ordine supponit primum in eodem ordine esse. Tertiæ objectioni recte occurrit D. Thom. in resp. ad 4, his verbis : « Dicendum, quod ratio illa recte procederet, si pœnitentia ex necessitate requireretur ut præparatoria ad Eucharistiam. « Sed hoc non est verum : nam si aliquis « esset sine peccato mortali, non indigeret « pœnitentia ad sumptionem Eucharistiæ. « Et sic patet, quod per accidens pœnitentia præparat ad Eucharistiam, scilicet « supposito peccato. Unde dicitur 2, Paralip. ult. Tu, Domine justorum, non posuisti pœnitentiam justis. » Unde liquet S. Doctorem in proponendo, et exponendo præmissum sacramentorum ordinem attendisse, ut decebat, ad ea, quæ sunt per se ; exclusis, quæ sunt per accidens. Et hinc facillime dilui queunt aliæ objectiones, quæ hic formari valerent : fundantur enim in variis respectibus, et combinationibus sacramentorum : sed sunt per accidens, et non evertunt ordinem jampræscriptum.

Nota. 16. Observare tamen oportet hunc sacramentorum ordinem, licet connaturalem, et per se, non esse tamen essentialiter, aut simpliciter requisitum. Nam sacramenta queunt absolute, et valide suscipi (licet non decenter) ante illamet sacramenta, quæ connaturaliter, et per se juxta ordinem hactenus explicatum præsupponunt. Potest enim quis valide ordinari ante confirmationem : potest matrimonium contrahere, priusquam susceperit Eucharistiam : potest hanc sacramentaliter suscipere, etiam supposito peccato, priusquam egerit, et receperit pœnitentiam : et sic de reliquis. Excipitur tamen ab hac communi regula sacramentum baptismi, quod omnibus sacramentis necessario præsupponendum est, ut valide suscipiantur : est enim baptismus cæterorum sacramentorum janua, per quam homo in Ecclesiam introducitur, et aliis fidelibus sub Ecclesia visibili aggregatur. Quare si quis aliquod sacramentum scienter, vel ignoranter ante baptismum susciperet, minime susciperet sacramentum ut sacramentum, aut sacramentaliter : nec istud ei proficeret ullo modo in ratione sacramenti. Unde si infidelis, aut cathecumenus etiam justus susciperet Eucharistiam, non illam manducaret sacramentaliter : nec Eucharistia uteretur ut sacramento, sed ut simplici cibo, ut colligitur ex D. Thoma infra quæst. 80, art. 3 ad 2, et prius insinuaverat Div. August. lib. 2, *de peccat. meritis* cap. 20, et tract. 96 in Joan. Et sic docent communiter Theologi contra Glossam in cap. *Veniens de presbytero non baptizato :* quæ errat in asserendo posse Eucharistiam utiliter suscipi ante baptismum. Videantur Soto in 4, dist. 39, quæst. unica, art. 2, Bellarminus lib. 1, *de baptismo*, cap. 8, Henriquez lib, 8, cap. 41, et alii. D. Tho. D. Aug. Refellitur quædam glossa.

§ II.

Comparantur sacramenta ordine perfectionis.

17. Dicendum est secundo Eucharistiam ordine perfectionis esse primum inter omnia sacramenta. Hæc conclusio supponit aliam veritatem, nempe non omnia sacramenta esse æqualis perfectionis, et dignitatis. Quæ veritas est immediate de fide, ut constat ex diffinitione Concilii Tridentini sess. 7, can. 3, decernentis : « Si quis dixerit hæc septem sacramenta ita esse inter « se paria, ut nulla ratione aliud sit alio « dignius, anathema sit. » Et suppositis aliis fidei principiis superius a nobis in hoc tract. stabilitis, hæc eadem suppositio facile ostenditur : quoniam sacramenta Ecclesiæ differunt non solum numero, sed specifice distinguuntur : quæ autem specie differunt, ita comparantur, quod unum excedit simpliciter aliud in perfectione essentiali ; habent enim se species sicut numeri, Secunda conclusio. Nota e Tridentino.

numeri, ut inductive potest ostendi : ergo ex sacramentis nostris unum est alio perfectius, et eorum aliquod est primum in perfectione. In hac itaque suppositione procedit nostra conclusio : quam docent D. Thomas in præsenti articul. 3, et cæteri communiter Patres, et Theologi.

Probatur primo ratione Div. Thomæ, nam sacramenta eo sunt digniora, quo aliquid perfectius continent : sed in Eucharistia continetur Christus substantialiter ; in aliis vero sacramentis solum continetur aliqua virtus, sive elevatio instrumentaria a Christo participata : ergo Eucharistia est sacramentum omnibus aliis sacramentis perfectius. Patet consequentia : nam melius simpliciter est tale per essentiam, quam tale per participationem. Quod fundamentum urgentissime roboratur ex Concilio Tridentino sess. 13, cap. 3, ubi sub hoc titulo : *De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua sacramenta*, inquit : « Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem. Verum illud in ea excellens, et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est : nondnm enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod præbebat. » In quibus verbis continetur tam assertio nostra, quam propositum pro ea fundamentum. Unde Nugnus in præs. non dubitat asserere contrariam nostræ positionem esse vel hæresim, vel saltem errorem in fide.

18. Probat secundo Divus Thomas eandem veritatem alia ratione : quia finis est nobilior his, quæ sunt ad finem : sed reliqua sacramenta ordinantur ad Eucharistiam sicut ad finem : ergo sacramentum Eucharistiæ est nobilius cæteris sacramentis : atque ideo habet esse primum omnium ordine dignitatis, et perfectionis. Minor, in qua sola poterat esse difficultatas, ostenditur : quoniam baptismus dat posse ad susceptionem Eucharistiæ juxta ea, quæ numero 16 dicebamus : confirmatio magis coaptat, quatenus corroborat fidem ad suscipiendum, et profitendum tantum mysterium : pœnitentia ad ipsum refertur, ut præparatio necessario præmittenda ex occasione peccati : Extrema-unctio concurrit ut utilis ad dignius communicandum, quatenus excludit peccati reliquias : ordo ad Eucharistiæ consecrationem omnino refertur : matrimonium denique, quatenus sacramentum est, repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ in hoc sacramento perficitur. Reliqua ergo sacramenta ordinantur, et referuntur ad Eucharistiam sicut ad finem. Unde merito Divus Dionysius capite 3, *de Ecclesiast. hierarch.* Eucharistiam appellat *sacramentum sacramentorum*. D. Dion.

Nec valet dicere hanc sacramentorum ordinationem attendi respectu Christi, qui est omnium finis, et in Eucharistia continetur. Sacramentum autem Eucharistiæ nec est ipse Christus, nec supponit pro Christo, sed pro speciebus ipsum continentibus. Unde non sequitur sacramentum Eucharistiæ esse finem aliorum sacramentorum. Id, inquam, non valet : quoniam licet sacramentum Eucharistiæ non sit Christus ipse ; nihilominus de intrinseca ejus ratione est continere in se Christum : et ordo ad Christum ut præsentem, et realiter contentum est de essentia talis sacramenti. Id autem tanta est in hoc sacramento perfectio, ut hinc habeat esse finem cæterorum sacramentorum. Unde non solum Christus in sacramento contentus, sed etiam sacramentum Christum continens est sacramentorum finis ; licet diverso modo, nempe Christus ratione sui, et Eucharistia ratione Christi, quem continet. Qua etiam ratione adoratio latriæ huic specialiter sacramento præ cæteris debetur, ut tradit Concilium Trident. loco citato cap. 5, his verbis : « Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctisssimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur institutum : nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei etc. » Præcluditur effugium. Concil. Trident.

19. Sed contra prædictam assertionem oppones primo : quoniam illud sacramentum est nobilius quod ordinatur ad majus bonum : sed matrimonium ordinatur ad Objectio

bonum commune multitudinis, Eucharistia vero ad bonum particulare sumentis : ergo cum bonum commune sit excellentius, quam bonum particulare ; sequitur, quod matrimonium sit sacramentum nobilius, quam Eucharistia. Nec satisfacit responsio D. Thom. ad 1, ubi ait : « Dicendum, quod « matrimonium ordinatur ad commune bonum corporaliter, sed bonum commune « spirituale totius Ecclesiæ continetur subs- « tantialiter in ipso Eucharistiæ sacra- « mento. » Non, inquam, satisfacit hæc responsio, sed impugnatur, primo : quia sacramentum matrimonii, in quantum tale, est aliquid supernaturale : ergo non potest ordinari sicut ad finem ad aliquid naturale, et corporeum : quare falsum est, quod D. Thom. in hac solutione supponit. Secundo, quia ordinis sacramentum ordinatur ad bonum commune supernaturale : ergo saltem ordo juxta præmissam D.Thom. responsionem erit sacramentum perfectius, quam Eucharistia.

Solutio D. Tho. impugnatur.

Responsio.

Respondetur prosequendo solutionem D. Thomæ, quæ optima est, et offert aliud pro assertione motivum : quoniam bonum commune per essentiam, et in se, est melius, quam bonum commune per participationem, et in effectibus. Bonum autem Ecclesiæ, in quod sicut in effectum alia sacramenta ordinari possunt, est bonum commune per participationem, et quantum ad effectus. Christus vero, qui substantialiter adest in Eucharistia, licet in se sit bonum aliquod singularissimum, est tamen in causando, et continendo, bonum totius Ecclesiæ per essentiam : ab ipso enim sicut a principio derivantur omnia bona. Quare Eucharistia ab hac etiam parte habet esse sacramentum præ cæteris nobilissimum. Ad primam ergo responsionsionis impugnationem dicendum est Div. Thom. non negare, quod matrimonium ut sacramentum ordinetur ad aliquid spirituale : sed tantum intendere occasione argumenti, quod bonum commune, in quod ordinatur matrimonium, non est spirituale, sed corporeum, conservatio scilicet naturæ humanæ, quam respicit matrimonium, ut est in officium naturæ. Bonum vero spirituale, in quod sacramentum matrimonii ordinatur immediate tanquam in peculiarem finem proximum, non est bonum commune, sed bonum particulare contrahentium. Ad secundam constat ex proxime dictis, quod licet ordo referatur ad bonum commune spirituale Ecclesiæ ; nihilominus cedere debet Eucharistiæ sacramento, quod in se continet bonum commune spirituale Ecclesiæ, et in quo est omnis bonitatis plenitudo.

20. Oppones secundo : nam falsum est omnia sacramenta comparari, et ordinari ad Eucharistiam sicut ad finem : ergo ab hac parte non habet Eucharistia præcedere in perfectione cætera sacramenta : atque ideo corruit secundum fundamentum ex D. Thom. propositum. Probatur antecedens : nam finis est posterior in executione, quam media : sed Extrema-unctio regulariter loquendo suscipitur post Eucharistiam : ergo extrema-unctio non comparatur ad Eucharistiam sicut ad finem, sed magis e contra res se habere videtur. Unde difficilis etiam redditur illa D. Thom. *Per pœnitentiam, et Extremam unctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi.* Si enim regulariter loquendo Extrema-unctio suscipitur post viaticum, sive communionem ; quomodo fieri valet, ut homo per Extremam-unctionem præparetur ad corpus Christi digne suscipiendum ?

Alia jecti

Dilui

Respondetur negando antecedens. Ad cujus probationem respondet Sylvius, quod cum pœnitentia tollat peccata, et Extrema-unctio peccatorum reliquias ; nequit non anima infirmi esse melius disposita ad suscipiendum sacramentum Eucharistiæ, ejusque effectum, si præparetur per talium sacramentorum susceptionem : quod et non amplius affirmat D. Thom. in verbis proxime relatis. Et plane antiquitus erat in usu, ut infirmi non raro ungerentur ante sacram communionem, ut constat ex cap. *Ab infirmis*, 26, q. 7, ubi dicitur . « Sacra « olei unctione inuncti secundum statuta « sanctorum Patrum communione viatici « reficiantur. » Ex quibus patet, quod licet hi, qui possunt, laudabiliter communicent, priusquam ungantur ; nihilominus licitum etiam est, quod infirmi communicent post Extremam-unctionem susceptam. Sed ut magis directe occurramus objectioni loquendo secundum ea, quæ magis regulariter contingunt, dicendum est, quod ex mediis præparantibus ad aliquem finem, aliqua disponunt, ut existat : et hæc præcedunt in executione finem : aliqua autem disponunt, ut melius esse habeat, et conservetur ; et ista post finem in executione succedunt. Liquet hoc ultimum in passionibus animalis,

animalis, quæ ordinantur ad ejus substantiam sicut ad finem : et tamen quia non præparant ad esse absolute ; sed ad esse melius ; non præcedunt in executione substantiam, sed ipsam subsequuntur. Liquet etiam in augmento, quod est propter suppositum sicut propter finem : et nihilominus post ejus esse succedit. Sic igitur omnia sacramenta ordinantur ad Eucharistiam sicut ad finem, ad illamque aliquomodo disponunt : sed tamen aliter, et aliter. Nam baptismus, et confirmatio ad ipsam præsupponuntur. Extrema vero unctio non antecedit ipsam ; sed tamen disponit, ut ejus effectus melius conservetur, et immediatius conjungatur ultimo simpliciter fini, qui est beatitudo.

ra io. 21. Opponcs tertio : nam sacramentum baptismi est simpliciter nobilius, quam Eucharistia : ergo falsum est sacramentum Eucharistiæ esse primum ordine dignitatis inter omnia sacramenta. Antecedens suadetur primo : quia sacramentum baptismi est magis necessarium ad salutem, quam Eucharistia, ut constabit ex dicendis § seq. ergo et nobilius. Secundo nam cum sacramenta novæ legis constituantur non solum in genere signi, sed etiam in genere causæ ; illud sacramentum debet censeri nobilius, quod causat nobiliorem effectum : sed baptismus causat nobiliorem effectum, quam Eucharistia : siquidem baptismus causat per se primam vitam spiritualem ; Eucharistia vero solum causat per se hujus vitæ augmentum : et constat primam vitam esse nobiliorem ejus augmento, ut in naturalibus potest inductive ostendi : ergo sacramentum baptismi est nobilius, quam Eucharistia.

ui- r. Respondetur negando antecedens. Ad cujus primam probationem, concesso antecedenti, neganda est consequentia, quæ illegitime ex eo deducitur : frequenter enim contingit unum esse magis necessarium, quam aliud, et tamen essse simpliciter ignobilius. Sic enim in naturalibus cibus est homini magis necessarius, quam scientia, et tamen hæc est simpliciter nobilior, quam cibus. Et ex opposito discurrendi modo fieret pœnitentiam esse simpliciter nobiliorem Eucharistia ; siquidem peccatori est magis necessaria : quod tamen nemo sanæ mentis dicet. Quin D. Thomas in præs. art. 3, in fine corp. comparando pœnitentiam, et Extremam-unctionem dixit : « Pœnitentia est majoris necessitatis, D. Tho.
« sed Extrema-unctio est majoris perfec-
« tionis. » Ex quibus liquet necessitatem, et perfectionem non commensurari inter se, ut excessus in necessitate sit etiam excessus in perfectione. Ad secundam probationem neganda est minor, quam non evincit inserta eidem probatio : quod enim Eucharistia non producat per se primam gratiam, sed illam in subjecto per se supponat, potius arguit ejus eminentiam : nam quia excellentissimum sacramentum est, requirit majorem ex parte suscipientis dispositionem ; et propterea præsupponit sanctitatem, quam augeat, nutriat, et conservet. Similitudo autem desumpta ex naturalibus non persuadet oppositum ob non obscuram disparitatem, quæ reperitur inter illa comparationis extrema : nam in prima productione vitæ naturalis producitur suppositum : in augmento autem solum producitur aliqua ejus pars, aut quid simile : unde in naturalibus fieri nequit, quod augmentatio sit ex parte effectus ita perfecta sicut generatio, aut primæ vitæ productio. In supernaturalibus autem tam prima vita, quam ejus augmentum est quædam accidentalis forma : unde ex vi hujus inferri non valet, quod productio primæ vitæ sit nobilior, quam ejusdem vitæ augmentatio : et consequenter non sequitur baptismum producentem in hoc ordine novam vitam esse nobiliorem Eucharistia augescente in eodem ordine talem vitam.

22. Juxta quam doctrinam resolvenda est quæstio, quam attigit Suarez in hoc art. 3, an videlicet Eucharistia sit perfectior cæteris sacramentis non solum in ratione sacramenti (quod satis constat ex dictis), sed etiam in ratione conferendi gratiam, sive in conceptu conferendi gratiam majorem. Et difficultas supponit, quod disput. 4, dub. 8, statuimus, nempe non omnia sacramenta conferre æqualem gratiam ; sed sacramenta diversæ speciei, stante etiam ex parte subjectorum æquali dispositione, conferre gratiam inæqualem. Et Suarez loco cit. § *De tertia* dicit rem esse incertam, et a D. Thoma non diffinitam, quod Eucharistia conferat, cæteris paribus, abundantiorem gratiam præreliquis sacramentis; quamvis fateatur D. Thom. magis insinuare hanc partem. Ipse vero in oppositam inclinat : quoniam cum sacramentum Eucharistiæ sit institutum per modum nutri-

Incidens quæstio.

Placitum Suarii.

menti, et ad continuam nutritionem, atque ideo ut multoties recipiatur, et quoties recipitur, augeat gratiam : inconveniens apparet, ut quotiescumque recipitur, causet de se, sive ex opere operato majorem gratiam, quam baptismus semel receptus, et quam ordo, et confirmatio.

Legitima resolutio. Sed quæstio resolvitur ex doctrina hactenus tradita præferendo partem affirmativam, ut loco cit. num. 128. Nam sacramenta novæ legis sunt vere causa gratiæ, isteque conceptus ad peculiarem illorum conditionem spectat : ergo sacrameutum novæ legis, quod est nobilius simpliciter in ratione sacramenti, est etiam nobilius in ratione causæ : cum igitur Eucharistiæ sit absolute nobilissimum omnium sacramentorum novæ legis ; sequitur, quod habeat inter omnia eandem eminentiam in ratione causæ conferentis gratiam, seu sanctitatem : et quia hanc eminentiam explicare nequit producendo gratiam sanctificantem specie diversam (id enim implicat ex parte facti); fateri oportet quod illam explicet producendo majorem sive abundantiorem gratiam quam cætera sacramenta; licet supponatur eadem dispositio ex parte subjectorum. Nec id in incerto reliquit D. Thomas, sed diserte (D. Tho.) asseruit in loco notissimo omnibus recitantibus divinum officium, nempe in opusc. 57, quo utitur Ecclesia pro solemnitate corporis Christi, ubi ait : « Nullum etiam sa« cramentum est isto salubrius, quo pur« gantur peccata, virtutes augentur, et « mens omnium spiritualium charismatum « abundantia impinguatur. » Si namque daretur aliud sacramentum conferens majorem gratiam ; illud profecto foret salubrius, quam Eucharistia. Sentiebat ergo Angelicus Doctor Eucharistiam (utpote in se continentem fontem gratiæ) conferre præ omnibus sacramentis gratiam copiosam. Et idem sentiunt Nugnus in præsenti articu- (Nugnus. Soto. Prado. Vasq. Granad. Bernal.) lo 3 ad 2, Soto, quem referet sequitur Prado quæst. 65, dub. 3, numero 6, Vazquez articulo 3, numero 4, Granados tract. 6, disput. 3, numero 5, Bernal disput. 20, sect. 2, § 1, et alii communiter. Inconveniens autem a Suario objectum tale non est ; sed beneficium commendans summam ergo nos Dei misericordiam, et liberalitatem, qui voluit quotidie posse accipi, quod tantum sumentibus prosit. Et in hoc magis emicat summi hujus sacramenti dignitas, quod etsi multoties suscipi queat; tamen semel susceptum vim habet de se conferendi majorem gratiam, quam sacramenta alia, quæ iterari non valent.

23. Reliquum est, ut prosequamur com- (Exten- asserti- nis) parationem inter alia sex sacramenta quantum ad ordinem, quem modo consideramus, perfectionis, et dignitatis : quod supposita doctrina hactenus tradita non longam discussionem exposcit. Tenendum igitur est prædicta sex sacramenta ita comparari, ut post primum dignitatis locum, quem Eucharistiæ tribuimus, secundum habeat ordo, tertium confirmatio, quartum baptismus, quintum extrema-unctio, sextum pœnitentia, septimum, et ultimum matrimonium. Ita plane docet D. Thom. (D. Th) in præs. art. 3, qui optime observat contingens esse illud, quod est simpliter aliis ignobilius, posse in aliqua ratione, aui consideratione præeminere : « nihil enim « prohibet, *inquit* in resp. ad 3, aliquid « esse secundum quid dignius, quod tamen « non est dignius simpliter. » Quod facile declaratur tum exemplo virtutum, in quibus quæ inferior est, solet in aliqua peculiari ratione cæteris præeminere : tum exemplo sanctorum, quorum nullus non habet excellentiam aliquam singularem, in qua, specialiter emineat, ut merito de singulis canat Ecclesia : *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi.* Nihilominus ex suppositione, quod sex sacramenta essentialiter, sive specifice distinguantur, necessarium est, quod observent excessum essentialem, et simpliciter talem, ut constat ex ratione proposita num. 17. Affirmamus itaque in hoc gradu perfectionis essentialis excessus habere ordinem assignatum.

Et probatur breviter discurrendo per (Funda- mentum) singula illa sex sacramenta. Et quod ordo teneat secundum locum post Eucharistiam, docet Div. Thom. illis verbis : « Aliorum (D. Tho) « autem sacramentorum comparatio ad « invicem potest esse multiplex. Nam in « via necessitatis baptismus est potissimum « sacramentorum. In via autem perfectio« nis sacramentum ordinis. » Et ostenditur : tum quia ordo inter omnia sacramenta proximius accedit ad sacramentum Eucharistiæ, quod est omnium perfectissimum : tum quia ordo refertur ad bonum commune spirituale, quod est nobilius particularibus bonis spiritualibus, in quæ cætera ordinantur.

Quod

Quod autem confirmatio teneat tertium locum, nempe post ordinem, et ante baptismum, docet D. Thom. illis verbis : « Medio autem modo se habet sacramen- « tum confirmationis. » Et suadetur ratione satis optima, quam proponit idem S. Doctor infra quæst. 72, art. 11 ad 2, his verbis : « Dicendum, quod sacramen- « tum baptismi est efficacius, quam hoc sa- em. « cramentum (*nempe confirmationis*), quan- « tum ad remotionem mali : eo quod est « spiritualis generatio, quæ est mutatio de « non esse ad esse. Hoc autem sacramen- « tum est efficacius ad proficiendum in « bono, quia est quoddam spirituale aug- « mentum de esse imperfecto ad esse per- « fectum : et ideo hoc sacramentum di- « gniori ministro committitur. » Comparanda itaque sunt duo sacramenta baptismi, et confirmationis, sicut eorum termini, sive effectus : effectus autem confirmationis est nobilior, quam effectus baptismi ; siquidem baptismus regenerat hominem in esse spirituali imperfecto, sive non perfecto ; confirmatio autem perducit hominem ad esse spirituale perfectum : ergo confirmatio est sacramentum perfectius, sive dignius, quam baptismus. Quod motivum valide, et luculenter fulciri valet ex his, quæ tradidimus tract. 19, disp. 5, dub. 3, § 9, ubi ostendimus melius quid facere, et magis Deum glorificare prædicatorem, aut magistrum spiritualem, qui doctrina sua, vitæque exemplo unum justum imperfectum ad magnam perfectionem perducit, quam qui plures a peccato convertit, tepidos, et imperfectos relinquens. Quod vero baptismus habeat tertium locum post Eucharistiam, ordinem, et confirmationem, præcellatque pœnitentiam, et extremam-unctionem, docet, et probat recte dem. D. Thom. illis verbis : « Sacramentum « vero pœnitentiæ, et extremæ-unctionis « sunt inferioris gradus a prædictis sacra- « mentis : quia sicut dictum est art. 1 or- « dinantur ad vitam Christianam non per « se, sed quasi per accidens, scilicet in « remedium supervenientis defectus. » Ex quibus satis patet quatuor sacramenta jam relata, nempe Eucharistiam, ordinem, confirmationem, et baptismum, quæ ordinantur ad vitam Christianam per se, præcedere dignitate alia duo sacramenta, quæ ordinantur ad prædictum finem per accidens, sive removendo prohibens.

Quod præterea comparando pœnitentiam, et extremam-unctionem, ista sit nobilius sacramentum, quam illa, et occupet quintum locum ordine dignitatis, docet et probat D. Thom. in verbis post relata Idem. immediate sequentibus : « Inter quæ tamen « extrema-unctio comparatur ad pœniten- « tiam, sicut confirmatio ad baptismum : « ita scilicet, quod pœnitentia est majoris « necessitatis, sed extrema-unctio est ma- « joris perfectionis. » Et ratio est illamet, quam paulo ante præmisimus, eundem perfectionis ordinem esse inter sacramenta, qui reperitur inter eorum effectus, sive fines : effectus autem extremæ-unctionis est nobilior, quam effectus pœnitentiæ ; siquidem hujus effectus est esse spirituale post peccatum, imperfectum tamen, vel non perfectum, aut abstrahens a perfectione ; effectus vero extremæ-unctionis est esse spirituale perfectum, excludens scilicet peccati gravis reliquias, et ipsa peccata venialia, atque hominem paratum reddens ad finalem gloriam, ut loquitur D. Thom. art. 1 ; ergo extrema-unctio est sacramentum simpliciter nobilius, quam pœnitentia, et subinde sibi vendicat quintum locum ordine dignitatis Quod denique pœnitentia habeat sextum locum, nempe post quinque relata, et antecedenter ad matrimonium, constat tum ex dictis, tum ex ratione insinuata a D. Thom. art. 2 ad 1, illis verbis : « Matrimonium secundum quod Idem. « habet aliquid spiritualitatis, est sacra- « mentum. Et quia minimum habet de « spiritualitate, ultimo ponitur inter sa- « cramenta. » Quod satis persuadet matrimonium esse cæteris sacramentis ignobilius, et reponendum in ultima sede. Præmissum itaque dignitatis, et perfectionis ordinem habent omnia sacramenta. Et quamvis aliquæ objectiones contra talem ordinem formari queant, non aliud concludent, quam excessum hujus, aut alterius sacramenti in aliqua accidentali perfectione : cum quo recte cohæret sacramenta habere perfectionem essentialem gradualem a nobis descriptam.

§ III.

Assignatur ordo necessitatis inter sacramenta.

24. Dicendum est tertio, quod secundum ordinem necessitatis primum locum Tertia conclusio.

habet baptismus, secundum pœnitentia, tertium ordo, et quartum matrimonium : reliqua vero sacramenta, nempe Eucharistia, confirmatio, et extrema-unctio non sunt necessaria simpliciter, sed solum secundum quid. Declaratur hujus assertionis sensus observando cum D. Thom. in præs. art. 4 : « Quod necessarium respectu finis (de quo nunc loquimur), dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest haberi finis : sicut cibus est necessarius vitæ humanæ. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita convenienter : sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. » Quam distinctionem magis explicuimus supra *in Comment.* ad art. 1, ubi S. Doctor inquirit: *Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem ?* quæ difficultas videtur coincidere cum illa, quam versat in præs. art. 4, sub hoc titulo, *Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis ?* Sed tamen differunt re ipsa : nam in priori solum investigat necessitatem sacramentorum in communi, et abstrahendo a peculiaribus illorum rationibus : sed in hoc loco descendit ad considerationem magis specialem de omnibus, et singulis, quæ de facto in Ecclesia sunt, sacramentis. In utroque autem excludit merito necessitatem sacramentorum absolutam, sicut necessarium est Deum esse : et agit de necessitate per respectum ad finem salutis, distinguens inter necessarium simpliciter, sine quo finis obtineri non potest, et necessarium secundum quid, sine quo finis obtineri valet, sed non ita congruenter. Unde satis constat, quid significemus in assertione.

[Explicatur ex D. Tho.]

[Suadetur.]

Et in præmisso sensu defenditur tam a D. Thom. in art. 4, quam ab omnibus ejus discipulis, et probatur quoad singulas ejus partes : nam in primis baptismus respectu omnium est medium necessarium ex institutione divina ad delendum peccatum originale : aliunde vero est janua ad susceptionem cæterorum sacramentorum, quæ baptismo non præsupposito nihil proficiunt : ut constat ex dictis num. 16 : ergo baptismus est primum simpliciter omnium sacramentorum attendendo ad ordinem necessitatis. Deinde pœnitentia est etiam medium necessarium respectu plurimorum ex suppositione, quod post baptismum mortaliter peccaverint : ergo ordine necessitatis pœnitentia habet secundum locum post baptismum. Præterea Ordo est sacramentum necessarium pro tota Ecclesia, ut scilicet habeat ministros convenientes ad ministrandum sacramenta, et peragendum divina : debet ergo ordine necessitatis tenere tertium locum post baptismum, et pœnitentiam. Denique matrimonium est etiam necessarium pro tota Ecclesia ad convenientem ejus propagationem, nempe ut homines decenter gignantur, et educentur : aliunde vero cum habeat minimum spiritualitatis inter sacramenta, debet juxta hunc necessitatis ordinem in ultimo loco post tria relata sacramenta constitui. Cætera autem sacramenta, Eucharistia, confirmatio, et extrema-unctio, licet sint valde utilia fidelibus, atque ideo necessaria secundum quid ; nihilominus non sunt necessaria simpliciter ad salutem, ut patet ab effectu : plurimi enim absque illorum susceptione salvantur. Habent igitur sacramenta nostra illum necessitatis ordinem, quem in assertione descripsimus. Et conformiter ad ejus doctrinam, quin ad methodum D. Thom. in hac quæst. processit Concilium Tridentinum in sess. 7, nam postquam in can. 3, diffinivit non omnia sacramenta Ecclesiæ esse æqualia, statim can. 4, immediate sequenti statuit : « Si quis dixerit sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria ; sed superflua, et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci ; licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. » Ex qua diffinitione colliguntur duo, quæ nostra assertio complectitur : primum omnia sacramenta Ecclesiæ esse necessaria pro fine salutis, vel simpliciter, vel saltem ad melius ; quod sufficit, ne dicantur superflua : secundum vero non omnia sacramenta esse respectu singulorum necessaria.

[Concil. Trident.]

[Object.]

25. Sed oppones primo : quoniam sacramentum matrimonii nullo modo est necessarium : ergo falsum est sacramenta nostra habere illum ordinem necessitatis, quem assignavimus. Probatur antecedens : nam si sacramentum matrimonii esset necessarium ; melius esset contrahere matrimonium, quam illud non contrahere : consequens est omnino falsum ; siquidem fides docet

docet melius esse castitatem servare, quam nubere, juxta illud Apostoli 1, ad Corinth. 7. *Et qui non jungit, melius facit:* ergo sacramentum matrimonii nullo modo est necessarium.

Ad ...nth.

...itur. Respondetur sacramentum matrimonii non dici a nobis necessarium pro singulis personis, sed pro tota communitate, ut satis liquet ex motivo, quo illam assertionis partem probavimus, et ex D. Thom. in hoc art. 4, ubi concludit : « Matrimonium « Ecclesiæ multitudinem per propagatio- « nem conservat. » Et in hoc sensu negamus antecedens. Ad cujus probationem respondemus juxta præmissam distinctionem, quod licet sacramentum matrimonii non sit melius respectu cujuslibet personæ, ut recte evincit probatio minori inserta ; nihilominus est melius, quin et simpliciter necessarium respectu totius multitudinis ut propagandæ, et conservandæ. Et hoc præcise ultimum in assertione statuimus. Addimus tamen, quod sicut sacramentum pœnitentiæ non est absolute melius respectu cujuscumque individui ; melius quippe foret non habere materiam remotam talis sacramenti, videlicet peccata : et nihilominus est melius, quia est necessarium simpliciter ex suppositione, quod aliquis graviter peccaverit : sic etiam fieri potest, quod etsi sacramentum matrimonii non sit melius absolute respectu cujuscumque individui ; nihilominus sit melius, quin et necessarium facta aliqua suppositione accidentali. Nam ex suppositione, quod quis velit vitam ducere conjugalem, melius est, quod celebret matrimonium non solum ut contractum præcise naturalem, ut fieri absolute posset, sed etiam ut sacramentum : quia tale sacramentum confert gratiam ad officia matrimonii.

...lia ...ctio. 26. Oppones secundo : nam D. Thomas in hoc art. sacramenti Eucharistiæ non meminit : ergo minus consone ad ejus mentem diximus Eucharistiam ordine necessitatis constitui post alia quatuor sacramenta, quæ dicuntur necessaria simpliciter vel respectu singularum personarum, vel respectu multitudinis. Confirmatur : quia sicut de baptismo dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei :* sic etiam de Eucharistia dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in* *vobis*, ut constat Joann. 6; sed ex prioribus verbis colligitur baptismum esse necessarium simpliciter : ergo ex posterioribus colligitur eadem necessitas Eucharistiæ : atque ideo minus recte affirmamus Eucharistiam non esse sacramentum necessarium simpliciter, sed solum ad melius esse. Joan. 6

...nfir- ...atio

Respondetur negando antecedens : quia licet D. Thomas in corp. art. non egerit de Eucharistia ; illius tamen fecit mentionem in resp. ad 2, ut statim videbimus. Et ex his, quæ in ea responsione docet, colligitur ordo necessitatis, quem respectu aliorum sacramentorum attribuimus Eucharistiæ. Confirmationem diluit S. Doctor loco citato his verbis : « Ad secundum dicendum, quod « illud verbum Domini est intelligendum « de spirituali manducatione, et non solum « de sacramentali, ut Augustinus exponit « super Joannem, » nempe tract. 26 et 27. Juxta quam doctrinam ad verificandum verba Christi, *Nisi manducaveritis* etc. non requiritur determinata sumptio sacramentalis Eucharistiæ, licet nec excludatur ; sed sufficit vel spiritualis. Unde non sequitur sacramentum Eucharistiæ esse in se, sive sacramentaliter sumptum necessarium ad salutem : quia spiritualis manducatio sufficere potest ad implendum illud, quod continetur in verbis Christi. Sed doctrina hujus responsionis continet gravem difficultatem, quam ex professo versabimus tract. seq. disp. 3, dub. 1. Interim videri potest Cano de pœnitentia part. 5 ad 5, ubi illum locum doctissime exponit. Diruuntur.

27. Oppones tertio : nam ideo aliqua sacramenta dicerentur necessaria simpliciter ad salutem, quia eorum sacramentorum contemptus esset peccatum, et impediret salutem : sed hoc est commune omnibus sacramentis : ergo omnia sunt necessaria simpliciter ad salutem : atque ideo vanum apparet constituere inter ea illum necessitatis ordinem, quem assignavimus. Major probatur : quia sine baptismo, et sine aliis sacramentis in re susceptis potest quis consequi salutem, dum non contemptus religionis Christianæ, sed sola necessitas impediat realem sacramentorum susceptionem : ergo sacramenta solum possunt dici ad salutem necessaria, quatenus illorum contemptus salutem impedit. Minor etiam suadetur : quia cujuscumque sacramenti contemptus impedit salutem ; ibi enim contemnitur Christiana religio : ergo præ- Altera objectio

dicta ratio communis est omnibus sacramentis.

Responsio. Respondetur negando majorem : sunt enim aliqua sacramenta, quæ independenter, et præcisive a contemptu habent ex institutione divina esse medium necessarium ad salutem, ut patet in baptismo, qui debet recipi in re, vel saltem in voto, ubi realis ejus susceptio impeditur : id vero minime commune est omnibus sacramentis, ut liquet in matrimonio, quod particulares nec in re, nec in proposito obligantur suscipere. Majoris autem probationem diluit optime D. Thom. art. 4 ad 3, his verbis : « Dicendum, quod licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius : non tamen est contemptus sacramenti ex hoc, quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis. Alioquin omnes, qui non accipiunt ordinem, et qui non contrahunt matrimonium contemnerent hujusmodi sacramenta. » Quod esse falsum et absurdum satis ex se constat.

D.Thom

APPENDIX

DISPUTATIO X.

De Sacramentalibus

De hac materia non agit D. Thom. in communi, nec pro illa specialem quæstionem aperuit. Nihilominus illam penitus non omisit, sed non semel attigit, ubi de ritibus pertinentibus ad singula sacramenta oportebat disputare, ut quæst. 65, art. 10 et quæst. 72, art. 12 et quæst. 83, fere per totam, ubi agit de ritu Eucharistiæ, et quæst. 87, art. 3. Sed quia in animo non habemus disserere in particulari de singulis ritibus, sed de aliquibus tantum principalioribus, quæ scilicet afferunt notabiliores controversias inter Theologos Scholasticos : propterea congruum duximus hanc disputationem addere, quæ deserviat notitiæ sacramentalium in communi, et ex qua facile queat derivari legitima intelligentia ad peculiares ritus circa singula sacramenta occurrentes. Quam in communi considerationem nobis insinuavit D. Thom. in hac ultima quæst. 65, art. 1 ad 6, ubi hæc generalia, et valde observanda tradidit : « Dicendum, quod aqua benedicta, et aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta : quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio. Sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta : vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum, et contra peccata venialia : vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perfectionem, et perceptionem, sicut consecratur altare, et vasa propter reverentiam Eucharistiæ. » Quibus satis declarat S. Doctor connexionem in communi sacramentalium ad sacramenta.

DUBIUM I.

Quæ dicantur sacramentalia, et quos habeant effectus ?

Si dubium istud, quantum res admittit, tractandum foret, satis diffusas agere oporteret cum hæreticis controversias : concernit enim plurima, in quibus dissident a Catholicis, negantes, et impugnantes ea, quæ sacramentalia vocamus. Sed quia, ut sæpius monuimus, studii nostri non est controversias hujusmodi scribere, sed dubia Theologica ; curabimus hæc breviter tradere, et gradum facere ad aliam difficultatem magis propriam dub. seq. discutiendam. Qui autem plura, aut magis diffusa voluerit, consulat scribentes contra hæreticos, Lindanum lib. 4, *Panopliæ*, cap. 97, Hosium *in confessione Catholica* cap. 86, cum sequent. Bellarminum lib. *de sacramentis in genere*, cap. 29, et illum (ex quo non pauci hauriunt), Venerabilem Doctorem nostrum Thomam Waldensem, qui rem hanc uberrime tractavit in tomo integro de sacramentalibus.

Linda[nus] Hosius. Bellarm[inus] N. Wa[ldensis]

§ I.

Explicatio dubii quoad primam ejus partem.

1. Sacramentalium vocabulo non aliud significant Theologi, quam cæremonias, quæ proxime, vel remote referuntur ad sacramenta, extra illorum tamen essentiam existunt. Pro cujus majori luce observandum est cæremoniam latissime acceptam, si ad primam vocis impositionem attendamus significare omnem cultum Dei externum, certo, et determinato ritu factum ad majorem Dei reverentiam. (Sive cæremoniæ vocabulum deductum fuerit a *Cære* oppido,

Quid sacramentalia ?

uid emo- iæ? oppido, ubi sacra Romana servata sunt tempore, quo Galli Romam diripuerunt, ut refert Valerius Maximus lib. 1, cap. 1, cujus etymologiæ meminit D. Thomas 1, 2, quæst. 99, art. 3. Sive derivetur a verbo *careo*, quasi idem sit cæremonia, quod cæremonia: eo quod plures cæremoniæ in carendo, et abstinendo positæ olim fuerint, ut volunt D. Augustin. lib. 2, *retract.* cap. 27, Macrobius lib. 2, Saturnal. cap. 3, et alii, ac magis probat Bellarmin. cap. citato in principio. Quod non multum in præsentiarum refert). In prædicta autem universali acceptione cæremonia comprehendit omnia sacra externa facta sub determinato ritu : sive sint sacramenta, sive sacrificia, sive oblationes, sive observantiæ : omnia quippe ista, aut si quæ sunt similia comprehendebantur in antiqua lege cæremoniarum vocabulo, ut exponit D. Thom. 1, 2, quæst. 101, art. 4. Sed cum nos in præcedentibus jam egerimus de sacramentis ; modo cæremoniarum appellatione non significamus sacramenta (sicut nec sacrificium, de quo alias), sed alios ritus, qui proxime, vel remote ordinantur ad sacramenta, et pertinent ad aliqualem professionem Christianitatis, ut signatio crucis, aspersio aquæ benedictæ, unctio baptizandi, exorcismus, consecratio templi, et alia ejusmodi.

(er. Tho. Aug. crobi. larm.)

Stulta hæreticorum calumnia.

2. Hæc autem omnia summo odio aversantur hæretici moderni, ut videre est in Calvino lib. 1, Instit. cap. 11, et in Herbrando Lutherano apud Valenciam 2, 2, disp. 16, quæst 11. Quorum unicum, aut principale fundamentum est, quod censeant omne opus non præceptum, si fiat cum intentione cultus sive ex animo, ut placeat Deo, esse malum : quippe Deus ipse Deuteron. 12, præcepit populo Judæorum, ut illa solum a se præcepta faceret, *nec addas quidquam, nec minuas*. Sed stultam esse istorum positionem nemo non dicet, qui advertat non ideo cultum debere dici malum, aut idolatricum, ut hæretici loquuntuur, quia mandatus non sit : multa enim sunt bona in omni virtutum genere, quæ Deus non præcepit, ut patet in voto, oratione, eleemosyna etc. Sic Abel laudabiliter obtulit de adipibus gregis sui, Genes. 4. Jacob erexit lapidem in titulum. Genes. 28. B. Virgo vovit perpetuam virginitatem. Quæ tamen Deus nusquam invenitur præcepisse. Nemo etiam cordatus obsequium sibi delatum repudiabit, eo solo titulo, quod a se præceptum non sit. Quin potius subditus, qui Principi non vult cultum deferre, nisi præcepto obligatus, parum obsequiosus, amans, et utilis reputatur, ut merito dixerit Christus Luc. 17: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Judæi etiam, quos nobis opponunt hæretici, instituerunt aliquos ritus, et aliqua facta, quæ Deus non præceperat, ut patet Esther 9, Judith 15 et 2, Machab. cap. 10. Porro inter Christianos Apostolus 1, *ad Corinth.* 7, commendat, consulitque abstinentiam conjugii ut Deo gratissimam ; quam tamen evidenter profitetur non esse præceptam a Domino. Denique ipsi Lutherani, et Calvinistæ suos ritus habent in obeundo ministerium novi Evangelii : quos tamen minime probabunt, aut ex verbo scripto ostendere valebunt fuisse a Deo mandatos. Ergo ex eo, quod cæremoniæ a Deo præceptæ non sint, minime sequitur eas esse malas, et cultum idolatricum. Locus autem Deuteronomii oppositum non probat : quia ex ipsa Scriptura constat, alios post Deuteronomium scriptos esse libros, in quibus alii occcurrunt ritus, seu cæremoniæ : quare relata verba solum præscribunt substantialem legis Mosaicæ variationem diminuendo, aut addendo.

(retundi tur.) (Luc. 17.)

Sacramentalia laudabiliter asserta

3. Relictis itaque hæreticis, certa fide tenendum est præter sacramenta a Christo immediate instituta, dari etiam sacramentalia, nempe, ut supra explicuimus, cæremonias, sive ritus sacros, ordinatos proxime, vel remote ad sacramenta, et pertinentes ad cultum catholicæ religionis : quos Ecclesia laudabiliter instituit, et in quibus, prout oportet, variare valet. Hanc veritatem supponit, et probat Concil. Trid. sess. 21, cap. 2, ubi ait : « Præterea declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut « in sacramentorum dispensatione, salva « illorum substantia, ea statueret, vel mu- « taret, quæ suscipientium utilitati, seu « ipsorum sacramentorum venerationi, pro « rerum, temporum, et locorum varietate, « magis expedire judicaret. Id autem « Apostolus non obscure videtur innuisse, « cum ait : Sic nos existimet homo, ut « ministros Christi, et dispensatores mys- « teriorum Dei. Atque ipsum quidem hac « potestate usum esse satis constat, tum in « multis aliis, tum in hoc ipso sacramento ; « cum ordinatis nonnullis circa ejus usum.

(Concil. Trident.)

« Cætera, inquit, cum venero, disponam. « Quare agnoscens sancta mater Ecclesia « hanc suam in administratione sacramen- « torum authoritatem etc. » Et suadetur amplius, tum exemplo Christi Domini, quem scimus ritus, et cæremonias aliquando adhibuisse : nam Joan. 6, curavit Chelidonium cæremoniis, quibus non egecat ; tetigit namque ejus oculos, linivit luto etc. et Marci 7, saliva tetigit linguam, et aures muti, et surdi. Et Matth. 26, et Luc. 22, oravit flexis genibus, et in terram procidendo. Et Spiritum Sanctum communicavit insufflando in Apostolos. Et Eucharistiam instituit, consecravitque gratias agendo, benedicendo, et oculos in cœlum elevando, et sic de aliis. Tum exemplo Apostolorum, quos certum est aliquos ritus instituisse : nam Actor. 15, congregati in Concilio præceperunt, ut Gentiles abstinerent a sanguine, et suffocato : quod Deus non jusserat nisi Judæis, quorum lex abrogata jam erat per Christum : et sic fuit nova, et pro eo tempore conveniens cæremonia. Ipsi etiam Apostoli ab exordio Ecclesiæ Sabbathum in Dominicum mutaverunt, ne videremur judaizare : quod est etiam quidam ritus. Et D. Epiphanius *in fine librorum contra hæreses* recenset aliquas cæremonias ab Apostolis introductas tanquam notas quasdam, quibus Ecclesia catholica discernitur ad omnibus sectis. Tum præterea ex ipsa continua praxi Ecclesiæ, quæ semper pugnavit pro sacris ritibus, utputa pro ritu diei, et tempore Paschatis apud Eusebium lib. 5, cap. 25, pro ritu baptismi apud eundum Eusebium lib. 6, cap. 3, pro delectu ciborum tempore jejuniorum, pro diebus festis, et similibus apud D. Epiphan. *hæres.* 46, et D. August. hæres. 53, pro communione laicorum sub una specie apud Æneam Sylvium lib. *de origine Bohemorum* cap. 35, et sic de aliis. Tum denique ex communi, et constanti Patrum doctrina ita sentientium, et sacras cæremonias propugnantium. Sufficiat referre D. Augustinum epist. 118, cap. 7, ubi ait : « Dominus non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, ut Apostolis, per quos « Ecclesiam dispositurus erat servaret hunc « locum. » Et lib. 18, *de Civitate*, cap. 18, inquit : « Certa fide tenenda sunt, non so- « lum quæ Scripturis expresse sunt tradita, « sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ « Catholicæ credenda accepimus, et quæ « definita sunt super fidei, et morum nego- « tiis per Cathedram Petri, vel per Conci- « lia legitime congregata. » Inter quæ dubium non est computari sacros ritus, seu cæremonias.

D. Epip. Euseb. D. Aug. Æneas Sylvius.

Magis probantur.

Confirmatur præmissum motivum ex pluribus, et gravibus utilitatibus, quæ hujusmodi ritus, sive cæremonias consequuntur. Primo, quod sicut procedunt ex pia affectione, et reverentia erga res sacras ; sic eandem devotionem conservant, et augent, ut docet D. Augustin. lib. 9 *confessionum*, cap. 6, et 7. Secunda, quod sicut Deus offenditur non solum actu interno, sed etiam externo, quo potest irreligiose tractari ; sic etiam colendus est utroque actu, et ad externum pertinent cæremoniæ. Tertia, quod prædicti ritus non solum juvant affectum, sed etiam intelligentiam : sunt enim aliquibus loco scripturæ, aut picturæ ad repræsentandum alia. Quarta, quod conducunt ad exercitium, et augmentum fidei : cum enim contra diabolum armamur signo crucis, aqua benedicta, et similibus ; ipso actu protestamus tantam esse Crucifixi potestatem, ut vel ejus solo signo, aut alia pia repræsentatione dæmones fugiant. Quinta, quod per Sacros ritus distinguamur a pluribus hæreticis : quamvis enim per sacramenta discernimur a Paganis, et Judæis ; nihilominus per illa non distinguimur ab omnibus hæreticis : quidam enim eorum non dogmatizant circa sacramenta, sed errant in aliis : distinguimur autem ab eis per proprios ritus Ecclesiæ Catholicæ. Unde Catholicorum est vel pro his, quæ minima videntur, pugnare usque ad sanguinem. In quo genere apud Tertullianum in lib. *de corona militis*, laudatur ille, qui mori maluit, quam cum cæteris militibus laurea coronari : quoniam apud Christianos tunc cæremonia erat id non facere, quod æthnicis erat commune. Hæc, et alia, quæ longum foret prosequi, commodo habet usus cæremoniarum sacrarum.

D. Aug. Tertullian.

Commendantur ulterius.

Addendum est motiva, quibus utilitas, aut necessitas sacramentorum probatur, militare etiam in sacramentalibus, sive in his ritibus. Oportuit enim (ut interim alia omittamus), hominem, qui corporeus est, et sensibili cognitione utitur, duci per signa sensibilia in notitiam rerum spiritualium ; et exerceri laudabiliter in quibusdam sensibilibus ad vitandum alia vana, et superstitiosa

titiosa exercitia : et his de causis instituta sunt sacramenta, per quæ tendit in cognitionem spiritualium, et in quibus laudabiliter exercetur, ut ostendimus *in Comment.* ad art. 1, quæst. 61. Cum autem sacramenta nec semper occurrant, aut omni loco exerceri queant ; congruum fuit statuere alios ritus sacros, qui multo plures sunt, et facile exerceri queunt, ut liquet in crucis signatione, in aquæ benedictæ usu, et in similibus. Et hos ritus vocamus sacramentalia quasi sacramentis addenda, et quæ velut in eosdem fines deserviant.

4. Ex dictis colliguntur aliquæ propositiones Catholicæ. Nam in primis sequitur Christum dedisse Ecclesiæ potestatem instituendi cæremonias. Quam authoritatem exercuerunt Apostoli, et eorum successores Pontifices, et Episcopi instituendo peculiares ritus, quos modo observat Ecclesia. Hoc satis probant hactenus dicta, et magis confirmat D. Augustin. Epist. 119, cap. 15, ubi regulam generalem, et optimam statuit, nempe : « Quæcumque bonis moribus non « repugnant, nec fidei ; et habent exhor- « tationem vitæ melioris, ubicumque insti- « tuta videantur, non esse improbanda, « sed laudanda, et sectanda. » Præterea sequitur hujusmodi potestatem instituendi cæremonias, aut sacramentalia pro tota Ecclesia pertinere ad Summum Pontificem : quoniam ad ipsum pertinet gubernatio totius Ecclesiæ. Pertinet etiam ad Concilium Generale cum dependentia ab approbatione Summi Pontificis ipsum confirmantis. Episcopi etiam possunt in suis Diœcesibus hujusmodi convenientes ritus instituere ; dummodo Summus Pontifex non contradicat : et ita fecerunt D. Chrysostomus, Basilius, Ambrosius, et alii multi : habent enim Episcopi potestatem regendi in omnibus suas Ecclesias, nisi a Papa restringatur. Discernere autem, et determinare in particulari, quæ cæremoniæ fuerint immediate ab Apostolis, quæ a Summo Pontifice, quæ a Conciliis Generalibus, et quæ fuerint introductæ per particulares Episcopos, et deinde extensæ ad Ecclesiam ; haud facile est, et parum refert ad nostrum institutum. Deinde sequitur Concilium Trident. sess. 7, can. 13, summo jure statuisse : « Si quis dixerit re- « ceptos, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ « ritus, in solemni sacramentorum admi- « nistratione adhiberi consuetos, in novos « alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem « immutari posse ; anathema sit. » Ubi sermonem facit de universalioribus ritibus, et communiter in tota Ecclesia receptis : et non negat immutari posse absolute, sed *per quemcumque pastorem :* nam tales ritus habent originem ab universali, et superiori potestate, contra quam non possunt disponere Episcopi, et pastores inferiores. Sed ob oppositam rationem posset Pontifex de plenitudine potestatis. Id tamen non faciet absque magna necessitate, et evidentissima utilitate : præsertim ubi ritus sunt antiquissimi, et creduntur ab Apostolis traditi. Denique colligitur esse **Quarta.** obligationem in conscientia observandi ritus, sive cæremonias Ecclesiæ. Unde Concilium Trident. canone citato statuit : « Si quis **Concil. Trident.** « dixerit receptos, et approbatos Ecclesiæ « Catholicæ ritus in solemni sacramento- « rum administratione adhiberi consuetos, « posse aut contemni, aut sine peccato a mi- « nistris pro libito omitti etc. anathema « sit. » Et ratio est : quia leges Ecclesiasticæ obligant in conscientia, ut docent communiter Theologi, et efficaciter colligitur ex Apostolo ad Rom. 13, in illis verbis : *Non est* **Ad Rom. 13.** *potestas nisi a Deo : quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et infra : *Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Eum igitur Ecclesia præcipiat ritus, et cæremonias : sequitur nos obligari ad hæc observanda. Quin et Cæsa Carena de officio **Carena** S. Inquisitionis part. 2, tit. 17, § 9, docet contemptores cæremoniarum, et rituum ut suspectos in fide puniendos esse per fidei judices.

§ II.

Altera pars dubii exponitur.

5. Si sacramentalium, aut sacrorum rituum usus nullum haberet effectum, eumque laudabilem ; vana profecto foret, et superstitiosa illorum institutio. Sed habet **Primus sacramentalium effectus** profecto præclaros. Nam in primis commune est omnibus hujusmodi ritibus ab Ecclesia approbatis significare aliquid latens, et sacrum, ut proportionabiliter in sacramentis contingit : quamvis horum institutio, et significatio sit ex Deo auctore

illorum vero ab Ecclesia, quæ in eorum pluribus supponit aliquam quasi naturalem aptitudinem ad ea, quæ intendit, significanda. Liquet hoc in ritibus, quibus specialiter in adoratione utitur, ut sunt genuflexio, prostratio, detectio capitis, elevatio manuum, osculatio, et similibus : quorum significationem exposuimus tract. præced. disput. 35, dub. 1, § 4. Sunt enim hæc adeo proportionata ad repræsentandum internam animi submissionem, et similes affectus, ut videantur signa eorum naturalia. Unde nulla fere invenitur natio adeo barbara, quæ eorum aliquibus non utatur. Quid enim omnibus Gentibus magis commune, quam v. g. tundere pectus ad significandum dolorem : elevare oculos, et manus in cœlum ad repræsentandum indigentiam, et desiderium superioris auxilii : inclinari, aut prostari ad manifestandum animi submissionem : osculari aliquid ad ostendendum erga illud amorem, aut reverentiam ? Hanc erga significationem erga res sacras, aliasque plures significationes magis ad placitum habent cæremoniæ, quibus Ecclesia utitur. Et prædictus effectus est plane honestus, atque laudabilis habito respectu tam tam ad Deum, qui spiritu, et corpore debet coli ; quam ad homines,quibus familiare est uti sensibilibus, ut numero 3 magis expendimus.

Secundus effectus. Præterea commune est omnibus his sacris ritibus, si legitime fiant, esse actus meritorios : quoniam opus Religiosum, sive a Religione imperatum, meritorium est : omnes autem hujusmodi ritus sunt actus Religionis, quippe qui ordinantur ad cultum Dei, sunt itaque meritorii. Excitant etiam prædicti ritus sensibiliter devotionem, ut experientia liquet,et Ecclesia in eorum institutione, et exercitatione intendit : atque ideo conferunt etiam ab hac parte ad promovendum sanctitatis augmentum. Et facile poterit quis alios similes communes effectus his ritibus assignare : quos etiam Ecclesia in eorum usu desiderat. Unde D. Th. infra quæst. 83, art. 3 ad 3, inquit : « Dicendum, quod Ecclesiæ, « et alia hujusmodi inanimata consecran- « tur, non quia sint gratiæ susceptiva ; sed « quia ex consecratione adipiscuntur quan- « dam spiritualem virtutem, per quam « apta redduntur divino cultui : ut scilicet « homines devotionem quandam exinde « percipiant, ut sint paratiores ad divina, « nisi hoc propter irreverentiam impedia- « tur. » (D. Tho.)

6. Ultra hos autem effectus, qui sunt omnibus sacris ritibus communes, assignari queunt etiam alii non ita communes, sed qui singuli peculiaribus sacramentalibus specialiter respondeant. Idque liquet ex ipso usu Ecclesiæ, quæ aliqua solet deputare ad divinum cultum absque ulla consecratione, aut benedictione : alia vero benedicit, et consecrat, sed non postulat peculiarem effectum, ut contingit, inquit Suarez disp. 15, sect. 4, § *Sed in hac re*, in benedictione candelarum. Alia autem benedicit Ecclesia orando, et postulando quosdam peculiares effectus, ut contingit in benedictione aquæ, et in consecratione templi. Et quæ hujusmodi sunt, obtinent peculiarem vim ad inducendum illos effectus : quoniam orationes Ecclesiæ, quam Deus ut sponsam diligit, habent apud ipsum vim impetrationis. (Quidquid fuerit de alia virtute physica, aut intrinseca in ipsis sacramentalibus, quam haud facile assignabimus). Unde quot, et quales effectus particulares habeant, ex ipsa benedictione, atque ex orationibus Ecclesiæ dignosci debet. Idque breviter, et quantum ad communem præsentis materiæ intelligentiam sufficit, hic ostendendum est. (Alii specialiores effectus. — Suarez.)

Sed ante alia pro omnibus his effectibus præmittere oportet eorum per sacramentalia consecutionem non esse omnino infallibilem : quia non fundatur in aliqua Dei speciali de talibus effectibus promissione (de hac enim non constat, nec quis eam facile ostendet) : sed in communi lege de efficacia orationis. Hæc autem non semper sortitur effectum, præsertim ubi pro aliis fit,ut in benedictione sacramentalium communiter contingit. Unde recte observavit N. Venerabilis Waldensis tom. 3, *de sacramentalibus* cap. 147, hunc modum, quo sacramentalia nostra inducunt suos effectus, non esse proprium legis gratiæ (cujus oppositum contingere in nostris sacramentis diximus disp. 4, dub, 2, et 4), sed esse communem aliis Ecclesiæ statibus, utpote fundatum in virtute orationis ejus, ut colligitur ex 2 Paralipom. 6, et 2, Machab. 3, et aliis locis Scripturæ, quæ ipse congerit. Quod approbat Suarez ubi supra, S. *Unde secundo*. Et sic etiam accipiendus est D. Thom. in verbis supra relatis, et cum adjungit : « Unde et quidam probabiliter dicunt, (Nota c… ca mo… dum causalitatis. — Wal… den… — Suarez.)

« dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ « consecratæ homo consequitur remissio« nem peccatorum venialium, sicut et per « aspersionem aquæ benedictæ, inducentes, « quod in Ps. 84, dicitur : Benedixisti Do« mine terram tuam, remisisti iniquita« tem plebis tuæ. Et ideo propter virtutem, « quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiri« tur, consecratio Ecclesiæ non iteratur. » Non enim per hujusmodi virtutem intelligit aliquid physicum, aut Ecclesiæ impressum, cum expresse asserat : « Hujusmodi « inanimata consecrantur, non quia sint « gratiæ susceptiva etc. » Sed intelligit virtutem divinam ibi assistentem, quatenus Deus propter speciales orationes Ecclesiæ in consecrando templum communicat ibi specialia auxilia ad remissionem venialium, et alios effectus ejusmodi.

7. Sex vero concipi, aut considerari possunt effectus sacramentalium. Primus communicatio gratiæ sanctificantis, et subinde remissio peccati mortalis. Secundus auxilia gratiæ actualis. Tertius remissio peccatorum venialium. Quartus remissio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. Quintus expulsio, aut cohibitio dæmonis, ne lædat. Sextus utilitas aliqua temporalis, ut sanitas, fructus terræ, remotio tempestatum, et similes. Et supponit communis Theologorum sententia, quod sacramentalia non habent vim causandi gratiam sanctificantem, nec expellendi peccatum grave. Tum quia nullum habemus solidum fundamentum, ut id asseramus. Tum quia prædicta virtus est propria sacramentorum, a quibus oportet sacramentalia longo intervallo distingui. Et res quidem proprie loquendo ita se habet. Sed cum numero præcedenti dixerimus efficaciam sacramentalium fundari in orationibus Ecclesiæ, et concurrere ad suos effectus per viam impetrationis ; nullum inconveniens videmus in eo, quod sacramentalia dicantur prædicto modo concurrere ad hujusmodi effectum sanctificationis : nam Ecclesia potest suis orationibus illum impetrare. Nec inde sequitur sacramentalia esse, aut dici posse sacramenta : nam de horum ratione est causare vere, et proprie, atque immediate gratiam, vel ejus augmentum, ut disp. 4, cum. seq. ostendimus : quod tamen non habent sacramentalia. Et plane si sacramentalia haberent hujusmodi virtutem, sicut Ecclesia non potest sacramenta instituere, quia non habet auctoritatem dandi principaliter gratiam ; sic etiam non posset instituere sacramentalia : cujus oppositum constat ex dictis § præced. Relicto itaque isto effectu.

An conferant auxilia?

Quod attinet ad secundum, collationem scilicet auxiliorum gratiæ actualis, tenendum est sacramentalia ad hujusmodi effectum prodesse. Unde D. Thom. *infra quæst.* 71, *art.* 3, agens de convenientia rituum, aut sacramentalium circa baptizandum inquit : « Aliud impedimentum « est intrinsecum, prout scilicet homo ex « infectione peccati originalis habet sen« sus præclusos ad percipiendum salutis « mysteria. Unde Rabbanus de institut. « Cleric. dicit, quod per salivam typicam, « et sacerdotis tactum sapientia, et virtus « divina salutem catechumeni operatur, ut « aperiantur ei nares ad percipiendum « odorem notitiæ Dei : ut aperiantur ei « aures ad audiendum mandata Dei : ut « aperiantur ei sensus in intimo corde ad « respondendum. » Quæ salutares operationes fiunt per communicationem auxiliorum actualium. *Et loco cit. ex quæst.* 83, docet templa consecrata habere specialem virtutem ad excitandum devotionem : quod etiam fit, quia ibi specialiter assistit virtus Dei conferentis auxilia, *ut homines sint paratiores ad divina.* Sed observandum est, quod sicut sacramentalia non habent vim proprie loquendo ad producendum gratiam sanctificantem, sic etiam nec illam vim habent ad producendum auxilia gratiæ actualis : tum quia hæc gratia non est minus supernaturalis, et proprius effectus Dei, quam illa. Tum quia sacramentalia non habent majorem virtutem, quam Ecclesia, ex cujus institutione sunt : Ecclesia autem non habet proprie loquendo virtutem producendi auxilia actualia, sicut nec ad immutandum physice corda hominum. Causant itaque sacramentalia prædicta auxilia per viam impetrationis, deferendo scilicet, et repræsentando in conspectu Dei orationes, quas Ecclesia fudit in eorum consecratione.

Remittunt venialia.

8 Tertius effectus est remissio peccatorum venialium, qui effectus tribuitur specialibus sacramentalibus, quæ videntur instituta in remedium venialium, et sunt oratio Dominica (ad quam reducitur tunsio pectoris significans internum animi dolorem, de qua dixit D. Augustin. *lib. de pæ-*

[Aug.] *nit.* cap. 2: « Pro levibus peccatis pectora « nostra tundimus, et dicimus: Dimitte « nobis debita nostra) » aspersio aquæ benedictæ, panis benedictus, confessio generalis, eleemosyna, et benedictio Episcopalis. Quæ hoc versu comprehenduntur:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, be-
[nedicens.

[Sylvius] Licet Sylvius *infra quæst.* 87, *art.* 3, censeat non magno fundamento hanc comprehensionem niti: nam aliqua ille versus continet, quæ non sunt sacramentalia, ut orationem Dominicam, quam certum est Ecclesiam non instituisse, et panem benedictum, qui olim dabatur cathecumenis, et aliis non communicantibus, non quidem ad remittendum peccata, præsertim in cathecumenis, qui communiter supponebantur esse in statu peccati usque ad baptismum ; sed ad significandum Eucharistiam. Modus autem, quo prædicta sacramentalia remittunt venialia importat specialem difficultatem, quam versabimus *dub. seq.* Et superius quantum ad alios effectus insinuatos, satis facilis est, videlicet per viam impetrationis, quatenus Ecclesia suis orationibus id a Deo consequitur, ut pie, et devote adhibentibus ea sacramentalia conferantur auxilia gratiæ, quibus detestentur venialia, et ab eisdem purgentur. Sed de hoc *loco citato.*

[Remittunt pœnam temporalem.] Quartus effectus est remissio pœnæ temporalis pro peccatis vel mortalibus, vel venialibus quoad maculam jam deletis adhuc debitæ, nil fere habet difficultatis, supposita alias doctrina catholica circa potestatem, quam habet Ecclesia ad applicandum ex thesauro suo aliquam satisfactionem, ratione cujus remittatur reatus ad pœnam, supra dispositionem, et satisfactionem propriam ejus, cui illa applicatio sit, ut docent communiter Theologi agentes de Indulgentiis. Et hoc modo potest Pontifex remittere pœnam temporalem, aut ejus partem homini utenti hoc, aut illo sacramentali, v. g. si intret templum consecratum, aut in illo oret, si deferat crucem, etc. Ubi planum est remissionem pœnarum in sacramentalibus fieri per modum indulgentiæ, ut fieri etiam solet in usu imaginum cerearum, quas vocamus *agnos,* et similium. An autem Ecclesia concesserit permanenter, et uniformiter hujusmodi indulgentiam, sive remissionem aliquibus sacramentalibus, utputa templo consecrato, latet nos, nec certo diffiniri potest; nec multum refert in præsentiarum.

9 Quintus effectus est expulsio, et cohibitio dæmonis, ne noceat. [Coercent dæmones.] Et quod sacramentalia habeant vim ad hujusmodi effectum, probatur discursu proxime insinuato. nam Ecclesia habet potestatem dæmones expellendi, et cohibendi, ut colligitur Matth. 10, Lucæ 10, et Marci 16: *In nomine meo dæmonia ejicient.* [Marci.] et constat etiam ex perpetua ipsius Ecclesiæ traditione. Unde Tertullianus *lib. ad Scapul.* cap. 2, inquit: [Tertullian.] « Dæmones non tantum respuimus, verum « etiam revincimus, et quodammodo tra« ducimus, et de corporibus expellimus. » Et Cœlestinus Papa *in epist. ad Episcopos Galliæ, cap.* 12, docuit « eos, qui ad rege« nerationis veniunt sacramentum, non « prius fontem vitæ adire, quam exorcis« mis, et insufflationibus Clericorum spi« ritus ab eis immundus abigatur. » [Cœlestin. Papa.] Et in Concilio Carthaginensi 4, can. 7, dicitur « Exorcistis dari potestatem ad imponen« dum manus super energumenos, » scilicet ut dæmones pellantur. [Concil. Carthagin. 4.] Cujus consuetudinis sicut et mirabilium ejus effectuum mentionem faciunt Patres antiqui, D. Justinus *in Dialog. contra Triphon.* D. Cyprianus lib. epist. 7, D. Augustin. lib. 10, *de civitate,* cap. Lactantius lib. 2, cap, 16 et alii plurimi. [D. Just. D. Cypr. D. Aug. Lactan.] Dubitari autem potest circa modum, quo sacramentalia expellant, aut cohibeant dæmones, ne noceant. Et quidem Nugnus in præs. dub. unico post. 4 art. concl. 5, sentit causalitatem sacramentalium in dæmones esse physicam. Sed verius censemus oppositum. Non quia repugnet res corporeas agere physice instrumentaliter in spiritus; cum ignis inferni sic concurrat ad torquendum dæmones, et sacramenta sic causent gratiam in anima, ut supra tradidimus disput. 4, dub. 4, et locis ibidem relatis. Sed quia fundamentum solidum non habemus ad id asserendum : quia non constat Ecclesiam habere virtutem, ut eas res, quas sacramentalia instituit, queat constituere instrumenta physica ad prædictum effectum : alias ipsa posset principaliter physice agere in dæmones ; quod est falsum. Tum quia licet id non implicaret, necessarium tamen non est ad salvandum communem sacramentalium in ordine ad hunc effectum doctrinam ; cum possit

possit aliter, et non obscure exponi. Primo quidem ob quasi connaturalem oppositionem inter dæmones, et aliqua sacramentalia, utputa signum crucis, et invocationem nominis Jesu : nam cum diabolus cognoscat se victum per Christum, et virtutem passionis ejus, horrescit, et fugit viso signo, et audito nomine ejus. Unde Lactantius lib. 4, cap. 27, inquit : « Sicut Christus, cum « inter homines ageret, universos dæmo« nes verbo fugabat ; ita nunc sectatores « ejus in nomine magistri sui, et signo « passionis ejus eos ab hominibus exclu-
.th. « dunt. » Et D. Athanasius in lib. *de Incarnat.* ait : « Signo crucis omnia magica com« pescuntur, et veneficia inefficacia fiunt. « Veniat, qui istorum experimentum fa« cere velit, et in ipsis præstigiis dæmo« num, et imposturis vaticiniorum, et in « miraculis Magiæ utatur signo crucis, « nomenque Christi invocet, et videbit « quomodo ejus rei metu, dmæones fu« giant, vaticinia cessent, magiæ, et vene« ficia conquiescant. » Contingit secundo hæc dæmonum expulsio per viam impetrationis, fundatæ non tantum in ministro, sed multo magis in sanctitate Ecclesiæ id petentis, et in cujus persona minister agit : quippe ratione hujus intercessionis Deus dæmones abigit, et compescit. Quin addit
Aug. D. Augustin. *lib.* 83, *qq. quæst.* 79 : « Nec « mirum, quod hæc signa valeant, cum a « bonis Christianis adhibentur ; quando « etiam cum usurpantur ab extraneis, qui « omnino suum nomen ad istam militiam « non dederunt, propter honorem tamen « excellentissimi Imperatoris valent. » Contingit tertio hæc expulsio per viam imperii (eo proportionali modo, quo dæmon superior potest ligare inferiorem) quia probabile satis est, quod sicut Christus imperabat efficaciter dæmonibus ; sic etiam dederit potestatem Ecclesiæ ad hujusmodi imperium, cui ipsi obedire cogantur. Quæ
dem. vis signanter relucet in quibusdam habentibus ad expellendos dæmones gratiam gratis datam, quæ reducitur ad gratiam miraculorum. Sed observat optime D. Augustinus loco immediate cit. occurrens tacitæ cuidam objectioni : « Cum autem non « cadunt his signis hujusmodi potestates, « Deus ipse prohibet occultis modis, cum « id justum, atque utile judicat vel ad « confundendum malos, cum eos oportet « confundi ; vel admonendos bonos, ut « proficiant in fide, atque ista non jactan« ter, sed utiliter possint, vel ad discer« nenda dona membrorum Ecclesiæ. »

10 Sextus effectus est aliqua utilitas temporalis, ut sanitas, aut remotio alicujus mali temporalis imminentis, puta per locustas, grandines, tempestates, et similia : ad quos effectus sacramentalia adhiberi, et prodesse solent. Concurrere autem possunt dupliciter : uno modo per viam impetrationis repræsentando orationes Ecclesiæ, quibus sacrantur : alio modo per viam adjurationis, quando scilicet in dæmones diriguntur, ne noceant : horum enim operatione solent excitari tempestates, advocari locustæ, aliaque animalia nociva, et damnificari tam corpora nostra, quam alimenta. Unde hic concurrendi modus in præcedentem effectum expellendi dæmones regerendus est : et de illo videri potest Soto lib. 8, de just. et jure q. 3, art. 3 Et hic incidenter refellendæ sunt calumniæ Calvini, et aliorum hæreticorum, qui irrident Catholicorum consuetudinem, quam habent benedicendi, et signo crucis muniendi fructus, et cibum, et potum. Non enim hæc facimus, quia credamus creaturas aliquas esse immundas ex se, vel quia putemus coinquinari physice a diabolo, sicut Manichæi, et Priscillianistæ hac falsa ducti opinione aversabantur carnes pecorum, avium, et piscium, ut refert D. Epipbanius hæresi 30, et Mahometus *in suo Alcorano cap.* 3, et cap. 12, censet vinum immundum, et similiter sanguinem, et suffocatum, et animal tactum a lupo. Sed benedicimus panem, aquam, sal, fructus, et similia : quia his, licet ex se bonis, solet diabolus uti in perniciem nostram : et ut imitemur Christum, qui benedixit panes multiplicandos : et ut sequamur monitum Apostoli 1, *ad Timoth.* 4, dicentis : *Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem.*

Conferunt ad bona temporalia.

Refelluntur hæretici.

Mahom.

1. ad Timoth. 4.

Advertendum etiam est, quod cum dicimur adjurare locustas, mures, grandines, et similes res vel inanimatas, vel irrationales ; adjuratio non ordinatur per se, et directe ad tales res, quippe quæ incapaces sunt illam intelligendi : sed dirigitur ad instar contestationis per interpositionem reverentiæ Deo debitæ ad illam creaturam intellectivam, quæ hujusmodi rebus præest, vel illas movet. Constatque proinde adjuratio talium rerum tum invocatione

Nota.

divinæ virtutis, ut usui harum rerum assistat; tum imperio erga dæmones, ne noceant, ut fusius, et optime tradit D. Thom. 2, 2, q. 90, art. 3, his verbis: « Dicendum, quod creaturæ irrationales « ab alio aguntur ad proprias operationes. « Eadem autem actio est ejus, quod agitur, « et movetur, et ejus, quod agit, et movet: « sicut motus sagittæ est etiam quædam « operatio sagittantis. Et ideo operatio « irrationalis creaturæ non solum ipsi at- « tribuitur, sed principaliter Deo, cujus « dispositione omnia moventur. Pertinet « etiam ad diabolum, qui permissione di- « vina utitur aliquibus irrationalibus crea- « turis ad nocendum hominibus. Sic ergo « adjuratio, qua quis utitur ad irrationalem « creaturam, potest intelligi dupliciter. « Uno modo ut adjuratio referatur ad ip- « sam irrationalem creaturam secundum « se: et sic vanum esset ipsam irrationa- « lem creaturam adjurare. Alio modo ut « referatur ad eum, a quo irrationalis crea- « tura agitur, et movetur. Et sic dupli- « citer adjuratur irrationalis creatura. « Uno quidem modo per modum depre- « cationis ad Deum directæ: quod pertinet « ad eos, qui divina invocatione miracula « faciunt. Alio modo per modum compul- « sionis, quæ refertur ad diabolum, qui « in nocumentum nostrum utitur irratio- « nalibus creaturis. Et talis est modus « adjurandi in Ecclesia exorcismus, per « quos dæmonum potestas excluditur ab « irrationalibus creaturis. »

Ex dictis facile colligitur sacramentalia causare ut plurimum (eo modo improprio, quo causant) suos effectus ex opere operato: causant enim communiter per viam impetrationis; non quia ipsa sacramentalia sint proprie loquendo impetratio, vel alius actus humanus, cum consistant communiter in rebus externis, et inanimatis: sed quia consecrantur orationibus Ecclesiæ, quas continent per modum signi, et coram Deo repræsentant in ordine ad effectus, pro quibus inducuntnr. Quare sicut sacramenta dicuntur agere ex opere operato, quia in virtute meritorum Christi agunt supra id, quod in se sunt, et supra dispositionem, aut meritum suscipientium: sic etiam proportionabiliter sacramentalia causant ex opere operato, quia in virtute orationum Ecclesiæ, et meritorum, quæ Ecclesia applicat, operantur aliquos effectus supra id, quod in se sunt, et supra dispositionem tam ministrorum, quam subjectorum. Non est autem sacramentalium effectus infallibilis, sicut est gratia sacramentorum: quia illorum virtus, ut supra diximus, non fundatur in promissione Dei, sed in efficacia solius orationis Ecclesiæ, quam habet tantum per viam impetrationis. Accedit etiam sacramentalia, ut effectus sortiantur, supponere utilitatem conditionate, nempe si expedit: et sæpe non expedit consequi illa beneficia, in qua consequenda sacramentalium usus dirigitur, ut liquet in expulsione dæmonis, in serenitate temporis, et similibus. Quod dicere etiam solemus vel de ipso sacro Eucharistiæ viatico, et magis adhuc de extrema unctione in ordine ad effectum consequendi sanitatem corporalem.

DUBIUM II.

Quo modo sacramentalia concurrant ad remissionem venialium peccatorum?

Occurrit specialis difficultas circa hunc sacramentalium effectum, cum ob rem ipsam, cum ob multitudinem opinionum diversimode illam exponentium. Quare congruum duximus illam seorsim versare. Sed quia plurima, quæ hoc loco possent occurrere, alibi ex professo tradidimus, nempe tract. 15, disp. 2, dub. 8, ubi egimus de remissione peccatorum venialium extra sacramenta, et independenter a sacramentalibus; propterea sufficiet illa in præsenti insinuare, atque in compendium redigere, præmittendo etiam nonnulla, quæ congruant expeditiori hujus dubii decisioni.

§ I.

Prælibantur aliquæ observationes.

11. Supponendum est primo remissionem peccatorum venialium non posse contingere absque aliqua intrinseca hominis mutatione per formam, aut quasi formam inhærentem. Id statuimus, loco cit. num. 305, nam implicat auferri peccatum ullum, quin auferatur aliquod ex principiis, a quibus in fieri, et conservari dependet: quandiu enim illa invariata manent, opus est manere eundem effectum: *quippe idem manens idem semper facit idem:* nulla autem

autem in hujusmodi principiis potest fieri variatio, quin detur mutatio ex parte hominis, e cujus voluntate peccatum tam in fieri, quam in conservari dependet: ergo peccatum veniale remitti non valet sine intrinseca aliqua hominis mutatione per formam, aut quasi formam inhærentem.

uiri- for- illis pu- ins. Ex quo fit (et supponendum est secundo) formam, per quam excludenda est macula peccatorum venialium, debere esse aliquid ex natura rei illis repugnans, atque eisdem incompossibile. Sic statuimus loco cit. num. 306, quoniam si illud intrinsecum non esset repugnans ex natura rei peccatis venialibus, et eisdem incompossibile; adhuc illo posito, permanerent peccata venialia: et ita vel delerentur per extrinsecam Dei condonationem contra id, quod immediate præmisimus; vel oporteret addere aliam formam, et sic usque in infinitum, quod est absurdum: remittuntur igitur peccata venialia per formam intrinsecam sibi incompossibilem, sicut in ablatione mortalium proportionabiliter contingit.

n suf- t sola atia itua- lis. Tertio supponendum mutationem intrinsecam per talem formam non salvari in sola communicatione gratiæ habitualis, (quæ alias, ut deleantur venialia, semper supponitur, cum ista excludi nequeant non exclusis mortalibus), nec cujuscumque alterius doni permanentis, et habitualis: sed necessario exposcere aliquam operationem elicitam ab homine, in quo peccatum veniale præexistit. Constat hoc ex dictis loco cit. num. 307. Tum quia prædicta gratia, et alia dona habitualia sunt compossibilia cum peccatis venialibus, ut liquet cum talia peccata post prædictam gratiam, et dona habitualia succedunt, et eisdem coexistunt. Tum quia cum macula peccati venialis non consistat in privatione gratiæ, vel alterius doni habitualis, sed in carentia voluntaria fervoris charitatis; excludi debet non per aliquid habituale, sed per restitutionem prædicti fervoris, quæ necessario importat aliquam hominis operationem. Tum quia ita perpetuo docet D Tho. Div. Thom. ut constat infra quæst. 87, art. 2 ad 1, ubi; « Remissio venialium est effectus gratiæ, per actum scilicet, quem « de novo elicit, non autem per aliquid « habituale. » Et ad 3: « Ad tollendum « maculam venialis peccati requiritur ali- « quis actus procedens ex gratia. » Et eodem modo loquitur art. 4 ad 2, et in 4, distinct. 16, quæst. 2, art. 3, quæstiunc. 1, et in qxæst. 7, *de Malo*, art. 11 ad 4, et alibi semper, ita ut agens de animabus Purgatorii loco immediate cit. in corp. asserat: « Oportet dicere, quod venialia « remittuntur eis post hanc vitam, etiam « quantum ad culpam, eo modo. quo re- « mittuntur in hac vita, scilicet per actum « charitatis in Deum repugnantem venia- « libus in hac commissis. » Unde suppositionem hanc de exigentia operationis, quæ venialia excludat, docent non solum Thomistæ, sed communiter etiam alii Theologi, quos allegavimus loco cit. num. 307, et 312.

In assignando autem hujusmodi actum satis variant, ut constat ex sententiis ibidem relatis, § 4. Quæ autem nobis magis arrisit, et modo magis probatur, est actum inducentem formaliter remissionem peccatorum venialium debere esse contritionem, vel amorem charitatis formaliter, aut virtualiter. Et addimus hoc ultimum: nam si reperiantur alii actus doloris, contritione in specie inferiores (ut de attritione dicitur), qui participent charitatis modum, et referantur in Deum super omnia dilectum; satis probabile est tales actus et esse venialibus, quæ detestantur incompossibiles, et illa formaliter excludere, ut ibidem insinuavimus num. 332. Quis actus ad id exigatur.

Requiri autem actum proxime assignatum probatur primo ex D. Thom. infra quæst. 87, art. 4, in corp. ibi: « Peccata venialia « non possunt remitti absque pœnitentia « formali, vel virtuali. » Et ad 2: « Licet « ad remissionem peccati venialis non « requiratur nova infusio habitualis gra- « tiæ; requiritur tamen aliquis actus gra- « tiæ, qui non potest esse in eo, qui sub- « jacet peccato mortali. » Alii autem actus, qui non sunt vel contritio, vel amor charitatis formalis, aut virtualis, possunt esse in eo, qui existit in peccato mortali. D. Tho.

Probatur secundo: quia ad remissionem venialis peccati requiritur aliquis actus eidem incompossibilis: nullus autem assignabitur hujusmodi, nisi vel contritio, vel amor charitatis: reliqui namque sicut cohærent cum mortali, sic etiam cum venialibus. Hæc vero, quæ nunc quasi per compendium non tam docemus, quam insinuamns, reperiet lector fuse, et nervose tradita loco citato quem omnino consulere debet.

latio- es ob- ervan- dæ. 12 Sequitur autem ex præmissis suppositionibus formam excludentem peccata venialia debere esse aliquam hominis operationem. Sequitur præterea prædictam doctrinam tenere non solum cum venialia remittuntur extra sacramenta, sed etiam quando illorum remissio per sacramenta fit. Quoniam sacramenta non causant remissionem peccatorum formaliter, sed effective: non enim sunt forma homini inhærens, sed sunt causa effectiva instrumentaliter talem formam producens. Sequitur ulterius sacramenta non remittere adhuc per modum efficientis peccata venialia immediate, sed mediate. Quoniam ut sacramenta effective causarent immediate remissionem peccatorum venialium, deberent efficere immediate formam, per quam ea remissio fit: quod non ita contingit. Id namque quod immediate producitur per sacramenta, est gratia, non autem aliqua hominis operatio: quod autem immediate, et formaliter expellit venialia, non est gratia, sed operatio, ut supra diximus. Quare sacramenta solum expellunt peccata venialia mediate, nimirum quatenus efficiunt gratiam, quæ excitat, et concurrit ad actus, quibus homo formaliter, aut virtualiter, dolet de venialibus, illaque efficaciter retractat: per hunc enim actum peccata venialia immediate, et formaliter excluduntur.

Tho. In qua doctrina perpetuus est D. Thomas: nam in 4, dist. 16, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 4, ait: « Dicendum, quod veniale « peccatum dimittitur per fervorem cha- « ritatis, qui explicite, vel implicite dile- « ctionem contineat. Et ideo illa, quæ nata « sunt de se excitare fervorem charitatis, « peccata venialia dimittere dicuntur. Hu- « jusmodi autem sunt, quæ gratiam con- « ferunt, sicut omnia sacramenta. » Et similia tradit dist. 12, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 1, et in hac 3 part. quæst. 79, art. 4, ubi explicans modum, quo sacramentum Eucharistiæ remittit peccata venialia inquit: « Res hujus sacramenti est « charitas, non solum quantum ad actum, « qui excitatur in hoc sacramento, per « quod peccata venialia tolluntur. » Videatur etiam quæst. 87, art. 2 et 3.

13. Hinc vero aliqua luce promovemur, et gradum facimus, ut explicare possimus modum, quo sacramentalia concurrunt ad delendum peccata venialia. Sed priusquam illum proponamus, refellendæ sunt duæ sententiæ omnino, et extreme oppositæ: quarum una minus, et alia plus, quam oportet, defert sacramentalibus in ordine ad prædictum effectum. Quidam enim dicunt sacramentalia solum illa dimittere objective, sive excitative, quatenus per modum objecti cogniti excitant animum ad aliquem actum honestum, per quem tolluntur venialia. Quidam vero sentiunt sacramentalia tollere immediate hæc peccata.

Sed prior sententia nimis abjecte de sacramentalibus sentit. Tum quia prædictus modus concurrendi objective, sive excitando ad actum honestum, quo deleantur venialia, commune est aliis rebus, quæ sacramentalia non sunt, ut picturis et sacris imaginibus. Tum quia ex opposito fieret sacramentalia non minus prodesse visa, aut cognita, quam in re suscepta: nam per hoc, quod cognoscantur, possunt movere objective: unde supervacaneum esset in ordine ad hunc effectum se aspergere aqua benedicta, et suscipere benedictionem episcopalem, sed sufficeret hæc cognoscere. Tum quia prædictum effectum excitandi devotionem, et delendi ea via peccata venialia operatur non solum v. g. aqua benedicta, sed etiam alia quævis aqua, quæ putetur benedicta: nam supposita hac apprehensione excitat ad eosdem motus: quare in ordine ad talem effectum nulla esset differentia inter aquam benedictam, et non benedictam: quod est absurdum. Posterior vero sententia peccat per excessum, et refellitur primo: quoniam sacramentalia non tollunt meliori, aut intimiori modo peccata venialia, quam sacramenta: hæc autem non excludunt prædicta peccata immediate, sed solum mediate, ut proxime vidimus, et latius ostendimus loco citato: ergo sacramentalia non tollunt peccata venialia immediate. Secundo quia sacramentalia non excludunt venialia formaliter per se ipsa; siquidem in se accepta sunt in diverso subjecto; sed illa expellunt effective, aut deprecative causando scilicet in aliquo genere formam, per quam immediate, et formaliter excluduntur: sic enim, aut nullo modo excludenda sunt, ut supra diximus: sed sacramentalia non causant immediate formam, per quam venialia excluduntur: ergo sacramenta non tollunt immediate venialia. Probatur minor: quia forma immediate expellens venialia est Refelluntur.

aliqua

aliqua hominis operatio, ut constat ex dictis: talis autem operatio cum vitalis sit, non causatur immediate a sacramentalibus, sed ab homine, in quo recipitur, et qui per eam vivit: ergo sacramentalia non causant immediate illam formam, per quam immediate, et formaliter excluduntur venialia.

li- tur ais- et oni unc- lilli- tis.

Tenendum itaque est sacramentalia in ordine ad excludendum venialia peccata habere aliquem concursum, sive influxum plusquam objectivum: sive talis influxus sit per modum efficientiæ, ut contingit in sacramentis; sive sit per modum impetrationis ex orationibus Ecclesiæ, quibus sacramentalia sacrantur, quemadmodum se habent in ordine ad plures alios effectus ut exposuimus dub. præced. § 2. Tenendum etiam est illum concursum non esse immediatum vel in passivam venialium exclusionem, vel in actum illum humanum, per quem formaliter excluduntur. Unde relinquitur, quod sacramentalia concurrant ad prædictam expulsionem mediate, causando scilicet principium talis operationis, nempe vel gratiam habitualem, vel auxilia, quibus talis operatio fit: sicut eodem modo sacramenta dicuntur ad prædictum effectum concurrere, ut vidimus num. præced. Nequeunt autem sacramentalia concurrere causando gratiam habitualem; alias essent vere, et proprie sacramenta: quippe quæ causarent, et significarent gratiam sanctificantem in eorum usu productam: id autem esse falsum et omnes docent, et constat ex dictis num. 3. Quare consequens est sacramentalia solum concurrere ad remissionem peccatorum venialium causando aliquo causalitatis genere auxilia peculiaria ad eliciendum operationes, per quas venialia formaliter remittuntur. Et hæc quidem sunt satis legitima, et manifesta corollaria doctrinæ iusius traditæ loco sæpius citato. Quare quod in præsenti superest discutiendum, et decidendum, est, an prædictus sacramentalium concursus sit physicus, vel moralis, et an dici debeat ex opere operantis, vel ex operato. Et licet circa hoc occurrant plures dicendi modi, curabimus veriorem resolutorie proponere, trahendo, quantum fieri potuerit, cæteros in concordiam, et præsertim duos principaliores, qui minus conciliari posse videntur.

§ II.

Explicatur veritas aliquibus assertionibus.

14. Dicendum est primo non implicare, quod sacramentalia concurrant instrumentaliter physice ad peccatorum venialium remissionem. Hanc assertionem tueri debent omnes Auctores asserentes sacramenta novæ legis hoc modo influere, quos dedimus disp. 4, dub. 4, § 1. Et probatur a paritate: quia non implicat sacramenta concurrere instrumentaliter physice ad remissionem peccati mortalis: ergo nec implicat, quod sacramentalia concurrant instrumentaliter physice ad peccatorum venialium remissionem. Antecedens constat ex dictis disp. cit. dub. 3 et 4. Consequentia vero videtur evidens: quia si non obstante, quod sacramenta sint res corporeæ, possunt participare aliquam virtutem spiritualem supernaturalem, per quam instrumentaliter physice agant in anima, producendo gratiam sanctificantem, per quam peccata mortalia formaliter excluduntur: ergo pariter non obstante, quod sacramentalia sint res corporeæ, possunt nihilominus participare similem virtutem, qua agant in anima, producendo in illa auxilia, per quæ saltem mediate excludantur peccata venialia.

Prima conclusio.

Fundamentum.

Confirmatur primo: nam de facto sacramenta prædicto modo concurrunt ad venialium exclusionem, nimirum conferendo non tantum gratiam habitualem, sed etiam auxilia, quibus homo excitatus, et motus elicit actus contritionis, et amoris charitatis, per quos immediate, et formaliter excluduntur venialia, ut diximus tract. 15, disp. 2, dub. 8, num. 330: ergo non repugnat res alias, quas sacramentalia vocamus, elevari eodem modo, ut eodem modo concurrant ad producendum eadem auxilia: atque ideo non implicat, quod instrumentaliter physice excludant peccata venialia saltem mediate, id est mediis actibus, qui procedunt ab eis auxiliis, et qui venialia formaliter expellunt. Confirmatur secundo, et declaratur amplius: quoniam ex una parte res, quæ assumuntur ad rationem sacramenti, non sunt minus materiales, quam res, quæ assumuntur ad rationem sacramentalium: ex alia vero parte gratia habitualis non est minus spiritualis, quam gratia auxilians: ergo si sacramenta pro-

Roboratur.

ducunt de facto instrumentaliter physice gratiam habitualem, nulla est implicatio in eo, quod sacramentalia prædicto modo concurrant ad auxilia, et eis mediantibus, et influentibus ad actus, per quos venialia formaliter excluduntur. Patet consequentia : nam talis implicatio deberet esse vel ex parte rei, quæ elevatur : vel ex parte rei, ad quam producendam, aut causandam elevatio sit.

Præcluditur effugium. Nec momenti erit, si dicatur Ecclesiam, cujus est instituere sacramentalia, non habere efficaciam ut eis possit communicare virtutem, aut elevationem physicam ad prædictos effectus. Id, inquam, nihil valet. Tum quia non est de essentia sacramentalium, quod instituantur immediate ab Ecclesia : possent enim retenta eadem specifica ratione a Deo immediate institui : Deus autem posset communicare illis virtutem instrumentariam physicam, sicut illam de facto communicat sacramentis. Tum etiam quia licet Ecclesia nequeat physice elevare sacramentalia, ut ipsa deinceps physice attingant auxilia, et eis mediantibus concurrant ad remissionem peccatorum venialium ; potest nihilominus suis orationibus impetrare, quod Deus sacramentalia ab eadem Ecclesia instituta, et assignata elevet virtute physica, ut influant physice in suos effectus. Nec enim in hoc ulla major repugnantia apparet, quam in eo, quod Ecclesia suis orationibus impetret alios effectus, quos ipsa physice efficere non valet, sed a solo Deo physice proveniunt, utputa gratiam sanctificantem, conversionem peccatorum, sanitatem corporum, miracula, et alia similia. Nulla itaque est contradictio in eo, quod sacramentalia Ecclesiæ concurrerent instrumentaliter physice ad venialium remissionem.

Secunda conclusio. 15. Dicendum est secundo sacramentalia de facto non concurrere instrumentaliter physice, vel alio efficientiæ genere ad remittendum venialia; sed solum concurrere per viam impetrationis. Hanc assertionem tuentur omnes, qui in universum negant sacramentalia causare remissionem venialium ex opere operato : quos dabimus numero 27. Probatur quoad omnes ejus partes : nam in primis cum sacramentalia

Motivum. excludere instrumentaliter physice peccata venialia, sit opus ex sola Dei voluntate dependens, quippe quod importat plura innaturalia, et supernaturalia, utputa quod sacramentalia eleventur per virtutem supernaturalem, et quod agant in animam ; ut prudenter, et rationabiliter id asseratur, non sufficit mera rei non repugnantia, quam numero præcedenti concessimus ; sed insuper desideratur aliquod urgens fundamentum vel ab auctoritate, vel ex ratione : nihil autem horum occurrit : ergo sacramentalia non concurrunt instrumentaliter physice ad delendum venialia. Probatur minor : quia nullum potest produci testimonium vel Scripturæ, vel Conciliorum, in quo asseratur sacramentalia dimittere venialia prædicto modo. Nulla etiam traditio Patrum id affirmat. Nulla denique illud evincit necessitatis ratio : quippe dimissio venialium per sacramentalia potest satis, congruenter aliter explicari : sicut etiam explicantur alii eorum effectus, v. g. remissio pœnarum, expulsio dæmonum, sanitas corporum, et similes, de quibus diximus § 2 dubii præcedentis.

Fulcitur. Et confirmatur præcludendo tacitam evasionem : nam quod sacramenta causent de facto gratiam, et alios effectus instrumentaliter physice, probatur urgentissimis fundamentis : quia nimirum de fide est, illa vere, et proprie causare, quod sine influxu eorum physico verificari non potest : et quia nisi ita causarent, non distinguerentur a sacramentis antiquis, nec forent illis excellentiora ; quod est absurdum, ut fuse expendimus disput. 4, dubio 4. Nihil autem simile in præsenti occurrit : quia de fide non est sacramentalia causare vere, et proprie remissionem venialium : nec ullum inconveniens est dicere, quod in modo causandi non differant a sacramentalibus antiquis, licet habeant copiosiorem effectum. Ergo sine convenienti fundamento deferretur sacramentalibus causalitas instrumentaria physica ad tollendum venialia. Accedit sacramentalia plurima esse, et frequentissime repeti, ut patet in signatione crucis, aspersione aquæ, benedictionibus Episcoporum, et similibus. Inverisimile autem apparet, quod toties producantur innumerabiles qualitates physicæ elevantes sacramentalia. Hoc autem inconveniens non occurrit in sacramentis, quæ nec toties repetuntur, nec eadem facilitate applicantur : et aliunde ordinantur ad effectus magis necessarios.

Quod vero sacramentalia non concurrant

ap

ti- tio ba- is.

ad prædictum effectum alio efficientiæ genere, suadetur : quoniam ultra efficientiam physicam non est assignabilis alia, quam moralis : nec datur efficientia moralis, nisi per modum meriti. Porro sacramentalia non sunt meritum, nec operatio humana ; sed quid extrinsecum, ut ex se liquet. Ergo nequeunt causare ulla efficientia morali. Quod autem in eorum usu, et applicatione soleat meritum reperiri, ut cum justus illis religiose utitur ; non probat ipsa influere moraliter efficiendo ; sed quod illis utens mereatur præmium talibus operationibus correspondens. Recolantur, quæ diximus disp. 4, dub. 2, ubi hoc et aliis motivis ostendimus sacramenta non esse causas efficientes morales.

16. Et inde facile colligitur ultima assertionis pars, nempe sacramentalia delere venialia per viam impetrationis. Tum a sufficienti dinumeratione : nam sacramentalia delent venialia, ut est communis Catholicorum assertio : sed non delent efficiendo illum effectum vel causalitate physica, vel efficientia morali, ut ostendimus : ergo eam remissionem causant per viam impetrationis. Tum etiam quia sacramentalia eodem proportionabiliter modo causant remissionem venialium, quo causant remissionem pœnarum : sed hanc causant non efficiendo physice, nec illam merendo. sed per viam impetrationis, ut diximus numero 8; ergo non physice, nec meritorie, sed per viam impetrationis causant remissionem venialium. Tumpræterea quia cum sacramentalia habeant esse per determinationem Ecclesiæ, quæ auctoritate pollet illa instituendi, et applicandi ; illam vim, illumque causalitatis modum intelligenda sunt habere, quæ Ecclesia ipsis attribuere potest : Ecclesia autem non potest dimittere peccata venialia influxu physico, immutando hominum animas ; atque ideo nec prædictum concurrendi modum communicare valet rebus, quas, prout vult, instituit sacramentalia : hæc igitur non excludunt causalitate physica venialia : e converso autem Ecclesia habet sufficientem virtutem, ut per modum deprecationis consequatur talem effectum, nempe orando, et illum appetendo : et sic se gerit, quando sacramentalia consecrat : ergo sacramentalia concurrunt ad remissionem venialium prædicto modo, videlicet per viam depredicationis, ut exhibentia, et repræsentantia Deo orationes Ecclesiæ.

Confirmatio. Confirmatur : quia ille modus causalitatis, aut concursus attribuendus est sacramentalibus, qui sufficit ad verificandum, quod causant remissionem venialium : nec enim oportet, ut supra dicebamus, eis attribuere omnem concursum non implicantem ; sed ad verificandum, quod sacramentalia causant remissionem venialium, sufficit ad eam concurrere per viam impetrationis, deferendo, et repræsentando orationes Ecclesiæ : ergo sacramentalia hoc modo ad prædictum effectum concurrunt. Minor liquet : nam quæ orando consequimur, causare dicimur : et ita Sancti orando causant effectus, quos impetrant, ut aliorum conversionem, sanitatem corporalem etc.: ergo ut sacramentalia vere dicantur causare venialium remissionem, sufficit, quod ad eam concurrant per viam impetrationis, sive in virtute orationum Ecclesiæ, quibus dedicantur, et in ratione sacramentalium constituuntur.

Tertia conclusio. 17. Dicendum est tertio, quod loquendo de remissione immediata, et formali peccatorum venialium, sacramentalia non causant talem remissionem ex opere operato, sed ex opere operantis. Sic docent omnes Auctores (et sunt plurimi), qui absolute et absque distinctione negant sacramentalia causare remissionem venialium ex opere operato, ut numero 27 videbimus. **Fundamentum.** Probatur ratione satis efficaci : nam quando forma, perfectio, aut effectus communicatur subjecto non supra, sed juxta ejus dispositionem ; non fit, nec communicatur ex opere operato, sed ex opere operantis : atqui remissio formalis et immediata peccatorum venialium, quæ per sacramentalia contingit, non fit supra, sed juxta dispositionem subjecti : ergo loquendo de remissione hujusmodi, sacramentalia non causant illam ex opere operato, sed ex opere operantis. Consequentia est legitima. Et major certa : quoniam tota differentia assignata a Theologis inter communicationem ex opere operantis, et communicationem ex opere operato, consistit in eo, quod in priori non communicatur forma cum excessu supra dispositionem subjecti, sed juxta commensurationem ad illam ; ut cum elicienti amorem charitatis communicatur gratia, et quando elicienti actum perfectæ contritionis ut quatuor communicatur gratia ut quatuor : e contra vero in secunda communicatur

forma cum excessu supra dispositionem subjecti, ut contingit in eliciente attritionem, cui communicatur gratia propter virtutem sacramenti, et in eliciente contritionem ut quatuor, cui communicatur in sacramento gratia ut sex : quia nec attritio de se disponit sufficienter ad gratiam, nec contritio ut quatuor ad gratiam ut sex : sed ea communicatio fit ex opere operato, sive ex meritis Christi applicatis per sacramenta. Et nisi hæc differentia observetur, tollitur propria ratio distinctionis inter communicationem ex opere operantis, et communicationem ex opere operato.

Minor autem, in qua poterat esse difficultas, probatur ex supra dictis : quoniam licet sacramentalia concurrant ad remissionem venialium, ut omnes supponimus ; nihilominus talis remissio non fit formaliter per ipsa sacramentalia, quæ quid extrinsecum sunt : nec fit formaliter per aliquod donum habituale, præcisive ab omni operatione, et per sacramentalia productum, aut communicatum : sed fit formaliter, et immediate per aliquam hominis operationem peccatis venialibus repugnantem, et incompossibilem, ut constat ex præsuppositis numero 12. Sed eo ipso remissio venialium, quæ in usu sacramentalium contingit, non fit supra, sed juxta dispositionem et conformiter ad illam; siquidem prædicta hominis operatio ex natura sua opponitur venialibus, et illa excludit : sicut ob eandem rationem non est supra, sed juxta conditionem gratiæ habitualis, quod expellat peccata mortalia. Ergo remissio formalis, et immediata venialium, quæ in usu sacramentalium contingit, non est supra, sed juxta subjecti dispositionem.

Roboratur. Confirmatur : nam si sacramentalia causarent ex opere operato formalem, et immediatam venialium remissionem ; talis remissio vel in toto, vel saltem in parte fieret supra dispositionem subjecti: si enim id excludatur, nulla est ratio, quare sacramenta dicantur influere ex opere operato in prædictum effectum: consequens est falsum : ergo et antecedens. Probatur minor : quia nec omnium peccatorum venialium, nec alicujus peccati venialis remissio fit absque forma intrinseca, quæ illa excludat : alios talis remissio fieret per condonationem extrinsecam, sicut contingit in remissione pœnarum ; quod est falsum, et a nobis rejectum loco cit. ex tract. 15, num. 305. Talis autem forma est aliqua hominis operatio peccatis vel in toto, vel in parte excludendis ab intrinseco, et ex natura sua incompossibilis, ut ibidem ostendimus num. 312. Nunquam ergo in usu sacramentalium contingit, quod remissio venialium vel in toto, vel in parte fiat supra dispositionem subjecti.

Confu tantu effugi 18. Nec refert, si dicas præmissum a nobis discursum probare etiam in remissione formali, et immediata, quæ per sacramenta fit, ut consideranti, et illis applicanti præmissum discursum facile constabit : absurdum autem, et durum dictu apparet, quod sacramenta non remittant venialia ex opere operato. Id, inquam, non refert : nam concedimus sequelam loquendo de remissione formali, et immediata per sacramenta : id enim evincit præmissus discursus, qui eo melior est, quo plura, et plurium decisionem comprehendit. Et quod prædicta doctrina absurda non sit, constat ex dictis tract. 15, disput. 2, numero 330, et magis constabit ex infra dicendis. Nec iterum refert, si opponas ex præmissa resolutione inferri vanum esse usum sacramentalium, quin et sacramentorum ad remittendum peccata venialia : siquidem affirmamus illum non fieri formaliter, et immediate nisi per actum hominis eisdem incompossibilem : prædictus autem actus sufficiens est, et esset ad delendum venialia, licet sacramentalia, nec sacramenta ad eum effectum concurrerent. Consequens vero est plusquam falsum, et nulla ratione potest sustineri, utpote non cohærens cum certa et communi Catholicorum in hac materia doctrina. Non, inquam, id refert, sed diluitur negando sequelam : quia licet remissio immediata, et formalis peccatorum venialium fiat per actum eisdem incompossibilem, qui eodem modo illa excluderet, licet non concurreret cum sacramentis, aut sacramentalibus ; nihilominus ista utilissima sunt ad prædictam remissionem : tum quia concurrunt ad auxilia, quibus prædictus actus fit : tum quia forte talis actus non fieret, si sacramentorum, aut sacramentalium usus non præcessisset. Potestque id magis declarari exemplo remissionis peccati mortalis, quæ non fit formaliter immediate per sacramenta, sed per gratiam habitualem ; quæ eodem modo expelleret tale peccatum, licet sacramentum non adesset, et gratia produceretur independenter ab

ab illo : et tamen sacramentum plurimum ad illam remissionem prodest : quia efficit de facto talem gratiam, et quia forte gratia non adesset, si non concurreret sacramentum. Sed hæc magis constabunt ex immediate dicendis.

...ria ...clu- ...o. 19. Dicendum est quarto, quod loquendo de remissione mediata, et causali peccatorum venialium, sacramentalia causant talem remissionem ex opere operato. Sic docent, qui absolute, et sine distinctione affirmant sacramentalia causare ex opere operato remissionem venialium : et illos dabimus numero 25. Probatur ratione : quia sacramentalia inducere mediate, et causaliter remissionem peccatorum venialium est causare auxilia moventia ad actus, per quos venialia immediate, et formaliter excluduntur : sed sacramentalia causant in proprio genere, videlicet per viam impetrationis, prædicta auxilia ex opere operato: ergo sacramentalia causant ex opere operato mediatam, et causalem peccatorum remissionem. Consequentia patet. Et major ostenditur : quia venialia excluduntur mediate, et causaliter per talia auxilia : ergo quod causat talia auxilia, causat mediatam, et causalem peccatorum remissionem. Minor autem suadetur: quia sicut Ecclesia potest suis orationibus impetrare prædicta auxilia : sic etiam sacramentalia habent vim illa impetrandi ex orationibus Ecclesiæ, quibus sacramentalia sacrantur, et quas Deo offerunt, et repræsentant, ut magis explicuimus numero 16; ergo sacramentalia in suo genere, id est, per viam impetrationis causant auxilia influentia in actus, per quos venialia immediate, et formaliter excluduntur.

...nfir- ...atio. Confirmatur primo : nam concedere omnino oportet, quod sacramentalia delent aliquomodo peccata venialia ex opere operato : atqui non causant ex opere operato formalem, et immediatam eorum remissionem, ut constat ex dictis num. præced. ergo saltem causant ex opere operato remissionem eorum mediatam, et causalem. Cætera constant. Et major probatur : quia communis, et vera Catholicorum sententia est sacramentalia quædam remittere peccata venialia, et ad hunc effectum ordinari : ad quam veritatem salvandam necessarium est fateri, quod sacramentalia influant aliquo modo ex opere operato in illorum remissionem. Si enim in eorum usu fieret venialium remissio omnibus modis ex opere operantis ; non magis proficerent sacramentalia, quam aliæ plures res, quæ sacramentalia non sunt, et in quarum pio usu, aut contemplatione solent venialia ex opere operantis deleri, ut in sacris imaginibus, et in lectione piorum librorum contingit. Cum autem hoc sit satis absurdum, utpote communi fidelium apprehensioni repugnans; nulla ratione negari debet, quod sacramentalia causent aliquo modo ex opere operato venialium remissionem.

Confirmatur secundo : quia eo proportionali modo sacramentalia causant ex opere operato remissionem venialium, quo illam causant sacramenta : non enim oportet, quod sacramentalia in hac causalitate præemineant, sed magis quod cedant sacramentis : sed sacramenta causant ex opere operato remissionem peccatorum venialium mediatam, et causalem, quatenus ex opere operato causant gratiam, et auxilia, quæ influunt in operationes, per quas venialia formaliter, et immediate excluduntur, ut explicuimus tract. 15, disp. 2, dub. 8, a num. 327 : ergo similiter sacramentalia causant ex opere operato mediatam, et causalem venialium remissionem, quatenus ex opere operato causant in suo genere per viam impetrationis auxilia, quæ influunt in actus formaliter, et immediate excludentes venialia. Alia.

20. Quæ omnia magis ex eo roborantur, quod D. Thomas semper, quantum videre potuimus, declarat prædicto modo concursum tam sacramentorum, quam sacramentalium ad remittendum venialia. Nam ultra testimonia nu. 12 relata, in quæst. 7, *de Malo*, art. 12, inquit : « Sunt quædam, « quæ causant remissionem peccati venia- « lis, in quantum inclinant voluntatem « ad ferventem charitatis actum secundum « tria prædicta: et sic per sacramenta novæ « legis venialia peccata remittuntur. » Producunt enim talia sacramenta gratiam, et auxilia, quibus voluntas inclinatur ad eum fervorem. Et in hac 3 part. quæst. 87, art. 3, sibi objecit in hunc modum : « Videtur, quod peccata venialia non re- « mittuntur per aspersionem aquæ bene- « dictæ, et episcopalem benedictionem, et « alia hujusmodi. Peccata enim venialia « non remittuntur sine pœnitentia, ut di- « tum est : sed pœnitentia per se sufficit ad « remissionem venialium peccatorum : Mens D. Thomæ.

« ergo ista nihil operantur ad hujusmodi « remissionem. » Et respondet : « Ad pri- « mum dicendum, quod omnia ista causant « remissionem peccatorum venialium, in « quantum inclinant animam ad motum « pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum « vel explicite, vel implicite. » Fit autem hujusmodi inclinatio per auxilia gratiæ, quæ sacramentalia consequuntur per viam impetrationis. Et ibidem in resp. ad 3, inquit : « Dicendum, quod per prædicta tol- « luntur quidem peccata venialia quantum « ad culpam, tum virtute alicujus satisfac- « tionis, tum etiam virtute Charitatis, cujus « motus per prædicta excitatur. » Prædicta vero excitatio non est a sacramentalibus mere objective. aut per modum objecti cogniti : hoc enim convenit pluribus aliis rebus, et jam supra a nobis rejectum est num. 13; sed fit a sacramentalibus per viam impetrationis, quatenus ex vi orationum Ecclesiæ, quibus consecrantur, impetrant homini pie illis utenti aliquod auxilium ad eliciendum Charitatis amorem. Denique idem S. Doctor eadem quæst. art. 2, generaliter statuit : « Ad hoc, quod pecca- « tum veniale tollatur, non requiritur. « quod infundatur aliqua habitualis gratia: « sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel Cha- « ritatis ad ejus remissionem. » Et in resp. ad 1: « Remissio peccatorum venia- « lium est effectus gratiæ, per actum scili- « cet, quem de novo elicit. » Et ad 3 : « Ad « tollendum maculam peccati mortalis « requiritur infusio gratiæ. Sed ad tollen- « dam maculam venialis peccati requiritur « aliquis actus procedens ex gratia, per « quem removeatur inordinata adhæsio ad « rem temporalem. » In quibus testimoniis, et aliis, quæ omittimus, manifestum est D. Thomam sentire, quod forma immediate expellens peccata venialia non est gratia habitualis, sed actus ex gratia procedens; gratia vero effective, et causaliter se habente ad prædictam remissionem: et rursus quod tam sacramenta, quam sacramentalia eatenus dicuntur causare remissionem venialium, quatenus inclinant voluntatem ad actum præmissum ; dicuntur vero ita inclinare, quia causant gratiam vel habitualem, vel actualem, sive auxiliantem, quæ est principium talis inclinationis. Et hæc est in summa sententia nostra, quam diversis assertionibus explicuimus.

21. Fiet autem magis perspicua conferendo inter se modum, quo sacramenta remittunt mortalia, et modum, quo sacramentalia remittunt venialia : qui partim conveniunt, et partim differunt. Etenim sicut ad hoc, quod sacramentum v. g. pœnitentiæ causet remissionem mortalium, requiritur aliquis actus ex parte suscipientis, quo prædictum sacramentum suscipiat: sic etiam ut aliquod sacramentale v. g. aqua benedicta causet remissionem venialium requiritur aliquis actus, quo quis pie, et religiose recipiat illud sacramentale. Et sicut posito illo actu cum sacramento pœnitentiæ, producitur sacramenti effectus, qui est gratia habitualis : sic etiam posito illo actu cum sacramentali, producitur sacramentalium effectus, qui est gratia actualis, sive auxilians, ad quam sequitur aliqua operatio venialibus repugnans. Et sicut formalis, et immediata remissio mortalium in sacramento pœnitentiæ non fit nec per sacramentum ipsum, nec per actum, qui ad ipsum suscipiendum disponit ; sed fit per gratiam habitualem, quæ ad prædicta sequitur ; sic etiam formalis, et immediata remissio venialis in prædicto sacramentali non fit per aquam benedictam, nec per actum, quo religiose suscipitur, sed fit per alium actum venialibus repugnantem, qui post prædicta succedit. Et in his quidem conveniunt, et similitudinem habent. Major expositio totius resolutionis.

Sed differunt in non paucis. Tum in eo, quod effectus immediatus sacramenti pœnitentiæ est gratia habitualis : effectus autem immediatus sacramentalis non est hujusmodi gratia, sed gratia actualis, sive auxilians. Tum etiam in eo et (sequitur ex præcedenti), quod sacramentum pœnitentiæ valide susceptum infert infallibiliter per se loquendo remissionem peccati mortalis : sacramentale vero licet pie susceptum non infert infallibiliter remissionem venialium. Nam habitualis gratia, quæ est effectus sacramenti, opponitur formaliter, et immediate peccato mortali : quare sacramentum pœnitentiæ valide susceptum, et talem gratiam producens inducit infallibiliter peccati mortalis remissionem. Sed gratia actualis, sive auxilians, quæ est sacramentalium effectus, non habet oppositionem formalem, et immediatam cum peccatis venialibus, sed solum mediatam, videlicet mediante aliqua operatione in quam voluntatem inclinant, ut proxime vidimus ex D. Thoma : et quia talis operatio est libera, potest omitti, et aliquando

aliquando omittitur : quare sacramentale valide, sive pie susceptum, causansque in suo genere primarium suum effectum, nempe aliquod gratiæ actualis auxilium, non infert omnino infallibiliter remissionem venialium. Tum denique in eo (et ex præcedentibus colligitur), quod ubi sacramentum pœnitentiæ remittit unum peccatum mortale, remittit etiam omnia mortalia, quæ in subjecto reperit : sed licet sacramentale remittat unum veniale, vel aliqua, non propterea remittit infallibiliter omnia, quæ in suscipiente tale sacramentale inveniuntur. Quoniam gratia habitualis habet essentialem oppositionem cum omnibus, et singulis peccatis mortalibus : quare eo ipso, quod sacramentum pœnitentiæ suum effectum, nempe talem gratiam producat, et excludat aliquod mortale ; pariter excludit ea omnia, quæ reperit in subjecto. Sed gratia actualis, quæ est sacramentalium effectus, non habet formalem, et immediatam oppositionem cum venialibus, nec illa excludit nisi mediante actu, ad quem eliciendum inclinat, et concurrit : talis autem actus potest inæqualiter respicere venialia, detestando scilicet quædam, et non detestando alia : et ideo fieri valet, quod sacramentale remittat unum, aut aliqua peccata venialia, quin remittat omnia, quæ in suscipiente inveniuntur : et sic frequentius contingit ob latentem et inordinatam animi adhæsionem ad aliqua temporalia.

Objectio. 22. Nec refert, si contra primam ex assignatis differentiis opponas nos minus consequenter dicere, quod sacramentalia causant in suo genere gratiam actualem, sive auxiliantem, non autem habitualem. Sacramentalia enim, ut supra statuimus, non concurrunt ad causandam vel gratiam actualem, vel ea mediante remissionem venialium, nisi per viam impetrationis fundatæ in orationibus Ecclesiæ, quibus sacramentalia sacrantur. Prædicto autem causalitatis modo concurrere etiam possunt ad habitualem gratiam : quippe nullum est inconveniens, quod orationes Ecclesiæ, et sacramentalia, ut eas repræsentant, impetrent, et consequantur gratiam hujusmodi. Ergo minus recte sacramentalium concursum restringimus ad solam gratiam actualem

Solutio. Respondetur negando assumptum, sive antecedens : nam cum agamus de venialium remissione per sacramentalia ; merito affirmamus horum concursum non dirigi ad consequendum habitualem gratiam, sed solum actualem, sive auxiliantem, quæ inclinet ad exercitam venialium detestationem. Et ratio est : quoniam venialium remissio supponit essentialiter remissionem mortalium, atque ideo et gratiam sanctificantem, per quam solam ista remittuntur. Unde illa, quæ tendunt ad remittendum præcise venialia, ut sacramentalia sunt, non ordinantur ad consequendam ullo modo primam gratiam habitualem ; sed eam in subjecto præsupponunt : atque ideo nec per viam impetrationis in illam influunt. Recolantur, quæ diximus loco cit. ex tract. 15, nu. 303, et videatur etiam D. Thom. in 4, dist. 16, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3, ubi ait : « Remoto priori « removetur posterius : nec posterius res- « tituitur, nisi restituto priori. Fervor « autem charitatis, cui veniale opponitur, « est posterior ipsa charitate. Unde quan- « diu charitas non restituitur, nec fervor « charitatis reparari potest : in qua repa- « ratione consistit peccati venialis dimis- « sio : sicut etiam in reparatione charitatis « dimissio mortalis. Et ideo non potest « veniale dimitti, cui mortale non dimit- « titur. » Hac itaque causa sacramentalia, cum ordinentnr ad venialium remissionem, non ordinantur ad consequendum gratiam adhuc per viam impetrationis ; sed talem gratiam supponunt in subjecto, quod fructuose prædictis sacramentalibus utitur. D. Th

Juxta præmissam itaque doctrinam duabus ultimis assertionibus digestam, et explicatam, veras ex parte reputamus duas principaliores opiniones infra referendas, et posse ad concordiam revocari. Nam quæ docet sacramentalia causare remissionem venialium ex opere operato, referenda est ad remissionem mediatam, et prout in causa : concurrunt enim sacramentalia ex opere operato ad gratiam actualem, sive auxiliantem, vi cujus elicitur actus venialia formaliter, et immediate remittens. Quæ autem negat sacramentalia remittere venialia ex opere operato, referri debet ad remissionem venialium sumptam formaliter in se ipsa : sic enim accepta fit per actum virtutis, qui est opus operantis, et habens de se sufficientem vim ad delendum venialia. Quæ duo satis constant ex supra dictis. Et nisi prædictæ opiniones ita Op num cord

temperentur, falsæ a nobis reputantur. Si autem inquiras, quid absolute dicendum sit, nempe sacramentalia remittere venialia ex opere operato? an e converso ex opere operantis? Respondetur neutrum absolute dici debere, sed sub præmissa distinctione, sicut in æquivocis solet contingere: nam in passiva venialium remissione datur aliquid, quod est opus operatum, nempe gratia auxilians ad retractationem venialium inclinans; et aliquid, quod est opus operans, scilicet operatio hominis venialia immediate excludens: quocirca non possumus absolute dicere, quod sacramentalia causent remissionem venialium ex opere operato; nec quod illam remissionem causent ex opere operantis. Sed dicendum est remissionem mediatam, et causalem fieri ex opere operato; remissionem autem formalem, et immediatam fieri ex opere operantis.

§ III.

Referuntur, et convelluntur adversantes opiniones.

23. Contra primam nostrarum assertionum referri possunt omnes Auctores relati disp. 3, num. 43, et 67, qui sentiunt implicare, quod sacramenta nostra concurrant instrumentaliter physice ad producendum gratiam, et similes effectus: facile enim convincitur eos idem a fortiori sentire de sacramentalium concursu. Motiva vero quibus utuntur, communia sunt: sed convulsa etiam fuerunt locis relatis. Nec aliquod novum in præsenti occurrit, cui opus sit satisfacere.

24. Contra secundam conclusionem nullum reperimus Auctorem, qui expresse tueatur sacramentalia concurrere instrumentaliter physice ad delendum venialia. Sed tamen Nugnus in præsenti post 4, conclus. § *Tertio dico*, asserit id esse satis probabile. Et probat: quia sic tribuitur major excellentia sacramentalibus. Sed hoc levi manu dispellitur: nam hæc, quæ dependent ex voluntate Dei, nec asserenda, nec extendenda sunt ob solam majorem rerum convenientiam, aut excellentiam; sed habito respectu ad manifestationem prædictæ voluntatis, quæ nobis revelatur per doctrinam Scripturæ, et traditionem Ecclesiæ: nihil autem simile occurrit, ut dicamus sacramentalia esse de facto causas physicas remissionis venialium: unde temere, aut minus sobrie illam causalitatem eis deferremus. Et plane si motivum oppositum quid valeret, probaret etiam sacramentalia remittere semper omnia venialia quoad culpam, et pœnam: id enim ex una parte non implicat, et ex alia magis affert sacramentalium excellentiam: at consequens nemo non videt esse falsum, et absurdum, et quod a nullo admittatur.

Melius posset argui pro prædicta sententia: nam sacramenta nostra sunt causæ instrumentales physicæ tum gratiæ, tum remissionis peccatorum tam mortalium, quam venialium, ubi ad hos effectus concurrunt: ergo idem dicendum est de sacramentalibus nostris in ordine ad venialium remissionem. Antecedens constat ex dictis disp. 4, dub. 4. Consequentia vero probatur: nam ideo asseruimus sacramenta nostra esse causas physicas, quia de fide est sacramenta nostra causare vere, et proprie tum gratiam, tum remissionem peccatorum; et quia vera, et propria sacramentorum nostrorum causalitas nequit salvari per solum concursum moralem; atque ideo exigit physicum illorum influxum: sed hic etiam discursus militat in sacramentalibus; siquidem communis Ecclesiæ doctrina est sacramentalia vere remittere venialia peccata: ergo si sacramenta causant physice gratiam, et peccatorum remissionem; idem proportionabiliter dicendum est de sacramentalibus in ordine ad venialia remittenda. Argumentum.

Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam: et disparitas haud obscure constat ex dictis num. 15. Ad consequentiæ autem probationem dicendum est præmissum illum discursum optime juxta subjectam materiam procedere in sacramentis, non autem in sacramentalibus. Tum quia de fide est sacramenta nostra non solum causare gratiam, et alios effectus, sed etiam causare vere, et proprie, ut ostendimus disp. cit. dub. 1, quæ vera, et propria sacramentorum causalitas salvari nequit absque influxu physico. Sed licet sit de fide, vel ad fidem pertineat, quod sacramentalia causant; non est de fide, quod causant vere, et proprie; nemoque producet testimonium, vel urgens aliquod motivum, quo id convincat: ad salvandum autem, Diruitur.

quod

quod sacramentalia causant, præscindendo a proprietate causalitatis, sive influxus, non requiritur determinate concursus physicus, sed alius quivis inferior sufficit, ut ex se liquet. Tum etiam quia non solum certum est sacramenta nostra causare vere, et proprie, sed etiam causare effective, et per modum instrumenti, ut constat ex Concil. Tridentino sess. 6, cap. 7, ibi: *Instrumentalis item sacramentum baptismi:* nequeunt autem sacramentum esse instrumenta nisi vel physice, vel moraliter: cumque esse nequeant instrumenta moralia vere, et proprie, ut late deduximus disp. cit. dub. 2, et 4, per legitimam consequentiam infertur ea esse instrumenta physice influentia in gratiam, et similes effectus. Sed in sacramentalibus nec apparenter occurrit hoc motivum: nam licet de eis dicatur, quod remittant venialia, causentque alios effectus: in nullo tamen gravis auctoritatis testimonio reperimus, quod sint instrumenta, vel quod effective causent: si autem res ita se habet, nulla ratione obligamur asserere illa esse instrumenta physica; sed satis est ipsis concedere, quod influant, aut concurrant per modum impetrationis. Tum denique quia sacramenta nostra sunt instrumenta Dei, et Christi per ipsa influentium: unde congruit, quod sicut Deus, et Christus influunt physice in genere causæ principalis, sic etiam sacramenta physice instrumentaliter influant. Sed sacramentalia, si instrumenta aliqua ratione dicenda sunt, non tam Dei sunt instrumenta quam Ecclesiæ illa instituentis: Ecclesia autem non influit principaliter physice in nostros actus nec in remissionem venialium, quæ illis mediantibus fit, sed influit præcise per sacramentalia moraliter mediis orationibus: quare sacramentalia non debent concurrere physice, sed solum inferiori modo per viam deprecationis. Unde liquet motiva, quæ suadent influxum nostrorum sacramentorum esse physicum, minime procedere in sacramentalium concursu.

Tertia opinio contraria. 25. Contra tertiam conclusionem referri possunt omnes Auctores, qui generaliter, et sine distinctione docent sacramentalia causare remissionem venialium ex opere operato. Ita Soto in 4, dist. 15, q. 2, art. 3, Martinus de Ledesma ibidem, quæst. 28, art. 3. Victoria *in Summa*, q. 109, Cano lib. 12, *de locis*, cap. 13, ad 9. Cajetanus, Valencia, et Henriquez, quos refert, et sequitur Candidus disquisit. 24, art. 35, dub. 3, Major in 4, dist. 23, quæst. 2, Nugnus loco relato num. præced. Joan. a S. Thoma quæst. 86, disp. 35, art. 2, sub titulo, *Quid de sacramentalibus dicendum sit?* Gonet *de pœnit.* disp. 4, art. 3, concl. 2, et alii. Quod valde probabile reputant Bellarminus lib. 2, *de sacramentis*, cap. 31, proposit. 3. Filliucius tract. 6, cap. 5, num. 129. Fagundez *de primo Ecclesiæ præcepto* lib. 4, Carriere *in Digesto fidei*, art. 22, quæst. in fine, et alii.

(Soto. Ledesm. Victor. Cano. Cajetan. Candi[dus] Majo[r] Nugn[us] Joan. S. Th[oma] Gonet Bellar[minus] Filliu[cius] Fagun[dez] Carri[ere])

Pro qua sententia arguitur primo: nam ideo asserimus sacramenta causare gratiam, et emundationem a peccato mortali; quia Concilia, et Patres absolute proferunt sacramenta sanctificare, et purificare animas: sed etiam absolute docent sacramentalia purgare a peccatis venialibus: ergo vel inconsequenter procedimus, vel debemus concedere, quod sacramentalia causant remissionem venialium ex opere operato. Probatur minor ex cap. *Aquam sale, de consecratione dist.* 3, in quo Alexander I, qui fuit quintus post D. Petrum Pontifex, inquit: « Aquam sale conspersam in populis benedicimus, ut ea cuncti « aspersi sanctificentur: quod omnibus sa« cerdotibus faciendum esse mandamus. « Si enim cinis vitulæ aspersus sanctifica« bat, atque mundabat; multo magis aqua « sale conspersa, divinisque precibus sa« crata populum sanctificat, atque mundat « etc. » Deinde ipsa Ecclesia, quando consecrat aquam sale mixtam, sic orat, *ut sumentibus sit salus mentis, et corporis*. In quibus manifestum est absolute significari, quod aqua benedicta sanctificat, sanat, et purgat animas: cumque hoc intelligi non possit de purgatione a peccatis gravibus; intelligendum est de venialium remissione: ergo de aqua benedicta: et subinde de cæteris sacramentalibus absolute dicitur, quod purgant a peccatis venialibus.

(Prim[um] argument[um]. Alex[ander])

Confirmatur primo: quia sicut sacramenta novæ legis differunt a sacramentis antiquæ in eo, quod vetera solum sanctificabant ex opere operantis, nostra vero sanctificant ex opere operato: sic oportet, quod sacramentalia antiqua, et nova similiter distinguantur: et consequenter, quod licet antiqua solum purgaverint a venialibus ex opere operantis; nostra illa dimittant ex opere operato. Confirmatur secundo:

(Co[nfirmatio] ...)

nam quod Christus dederit suæ Ecclesiæ potestatem instituendi sensibilia signa, in quorum usu tollantur peccata venialia ex opere operato, ex una parte non habet ullam implicationem ; et ex alia parte magis commendat excellentiam Ecclesiæ, et liberalitatem Christi : ergo oportet, quod ita sentiamus.

ri- gu- .

Ad argumentum posset quis respondere negando minorem: quia nullum, aut fere nullum gravis auctoritatis testimonium occurrit, in quo absolute dicatur sacramentalia dimittere peccata venialia. Et quæ ad suadendum minorem inducuntur, non multum valere videntur, sed regeri magis debent in opponentes tanquam excessive probantia : quia in illis absolute dicitur aquam benedictam sanare, et sanctificare : et tamen certum est sacramentalia non sanare, mundare, aut sanctificare absolute : id enim est proprium sacramentorum, quorum tantum est gratiam habitualem producere, quæ est sanctitas absolute ; sanatio vero, vel sanctificatio per sacramentalia solum est talis secundum quid. Quare sicut ubi prædicta testimonia agunt de sanctificatione, necessario explicanda sunt, atque trahenda ad sanctitatem secundum quid talem : sic etiam ubi loquuntur de emundatione, sive purgatione a peccatis. Et consequenter sicut ex prædictis testimoniis non infertur, quod sacramenta causent purgationem simpliciter dictam : sic ex eisdem non colligitur, quod causent causalitate simpliciter, sed solum causalitate secundum quid : et subinde talia testimonia apta non sunt ad evincendum, quod sacramentalia causent ex opere operato, et ad instar nostrorum sacramentorum. Sed longe melius respondemus, et a prædictis testimoniis expedimur concedendo juxta doctrinam supra traditam, quod sicut sacramenta causant ex opere operato gratiam habitualem, vel ejus augmentum : sic etiam sacramentalia causant ex opere operato gratiam actualem, sive auxiliantem : quamvis genus causalitatis sit diversum : sacramenta enim causant effective physice, sacramentalia vero solum causant moraliter per viam impetrationis. Quod vero sacramentalia non se extendant ad causandum ex opere operato ipsam formalem venialium remissionem, provenit ex eo, quod talis remissio non fit formaliter per gratiam habitualem, vel auxiliantem, sed per actum virtutis : qui actus ex una parte elicitur immediate ab homine, et ex alia parte habet de se vim sufficientem ad excludendum venialia ob sui cum illis incompossibilitatem, ut supra explicuimus : quocirca immediata, et formalis venialium remissio non fit ex opere operato, sed ex opere operantis.

Ad primam confirmationem respondetur sacramentalia nostra sufficientissime distingui ab antiquis ex hoc, quod nostra causant ex opere operato gratiam actualem, sive auxiliantem, influentem in actus, per quos venialia immediate, et formaliter excluduntur : quam perfectionem non habuerunt antiqua. Quod vero nostra non causent immediate, et formaliter vel illos actus, vel eam remissionem ; provenit ex radice jam assignata, nempe quod formalis, et immediata venialium remissio debet fieri per actum ex natura sua venialibus incompossibilem, atque ideo ex opere operantis : quippe quæ nunquam fiat, aut fieri possit supra dispositionem subjecti. Unde patet ad secundam confirmationem : nam et excellentia Ecclesiæ, et liberalitas Christi satis declaratur in eo, quod iste illi dederit potestatem instituendi signa sensibilia, in quorum pio usu conferatur gratia actualis inclinans in actus, eliciensque actus, per quos fit formalis, et immediata peccatorum remissio. Quod ita contingere concedimus : sicut (et ex præcedenti consequitur) quod talia signa ab Ecclesia instituta remittant mediate, et causaliter venialia. Sed formalis, et immediata prædictorum remissio fit consone omnino ad dispositionem subjecti per actus, quos elicit : atque ideo fit ex opere operantis.

Solvitur confirmatio I.

Diluitur secunda.

26. Arguitur secundo : nam si sacramentalia non remittunt peccata venialia ex opere operato ; non levia inconvenientia consequuntur. Sequitur enim primo nec vere, nec proprie dici, quod aqua benedicta, et similia sacramentalia causent remissionem venialium : quod est contra communem sensum fidelium. Probatur sequela : quia si talis remissio non fit per sacramentalia ex opero operato, fiet utique per actum contritionis, vel amorem charitatis, ut affirmamus : hujusmodi autem actus habent de se sufficientem vim ad delendum venialia : ergo sequitur, quod sacramentalia non remittant venialia vere, et proprie, sed se habebunt pure concomitanter, et quasi per

Secundum argumentum.

per accidens : eodem enim modo remitterentur venialia, licet illa sacramentalia non adessent. Sequitur secundo alia plura, quæ non sunt sacramentalia, dimittere venialia: quod etiam est contra communem sententiam, et derogat sacramentalium dignitati. Probatur sequela : quoniam plura alia præter sacramentalia queunt excitare, et excitant actus contritionis, et amoris, per quos dicimus fieri immediatam venialium remissionem, ut patet in sacris imaginibus: ergo si non alium concursum, nempe ex opere operato, sacramentalibus deferimus ; sequitur alia, quæ sacramentalia non sunt, causare eodem modo venialium remissionem.

Respensio. Respondetur nullum ex nostra sententia colligi inconveniens, quod tale vere sit, et cui satisfactum non fuerit in superioribus. Et dilutio eorum, quæ modo opponuntur, haud obscure constat ex dictis num. 18; sed ulterius respondemus ad primum negando sequelam : nam cum sacramentalia causent auxilia influentia in actus, per quos fit immediata venialium remissio ; non se habent ad talem remissionem mere concomitanter, aut per accidens ; sed vere causaliter, licet mediate. Et licet actus vel contritionis, vel dilectionis eodem modo excluderet venialia, quamvis sacramentalia non concurrerent; tamen re ipsa per sacramentalia fit, et forte non fieret, aut non ita bene fieret, si sacramentalia non concurrissent : hæc enim habent vim impetrandi auxilia ad eum requisita. Unde ad secundum negamus etiam sequelam : quoniam licet alia, quæ sacramentalia non sunt, queant ad similes actus excitare objective, sive per modum objecti cogniti : nihilominus non habent vim impetrandi fundatam in peculiaribus orationibus Ecclesiæ, quam tanquam sponsam diligit, et exaudit Christus. Hac autem vi pollent specialiter sacramentalia : quia Ecclesia illas orationes, quibus illa benedicit, et sacrat, ea intentione fundit, ut proficiant his, qui sacramentalibus utuntur, in ordine ad consequendum auxilia excitantia eosdem ad actus contritionis, vel amoris, per quos venialia formaliter excluduntur. Quare prædictæ preces manent ex tunc applicatæ, ut in earum virtute pius sacramentalium usus consequatur talia auxilia per viam impetrationis. Et ideo tam auxiliorum collatio, quam venialium remissio sunt in prædicto genere effectus sacramentalium. Quem concurrendi modum minime habent aliæ res, quæ sacramentalia non sunt. Et hinc satis patet ad utriusque sequelæ probationes : et constat etiam, quomodo etsi sacramentalia non causent ex opere operato immediatam, et formalem venialium remissionem ; nihilominus causent ex opere operato, sive virtute orationum Ecclesiæ mediatam, et causalem remissionem eorum, quatenus prædicto modo causant auxilia ad eam requisita : et constat denique sacramentalium usum vanum non esse, sed habere effectum aliis non sacramentalibus non communem.

27. Contra quartam, et ultimam nostrarum assertionum referri possunt omnes Auctores, qui generaliter, et sine distinctione docent sacramentalia non remittere venialia ex opere operato, sed solum ex opere operantis. Sic sentiunt ex Thomistis Paludanus in 4, dist. 16, quæst. 1, artic. 2, Turrecremata in cap. *Tres autem, de consecratione*, dist. 1, et in cap. *Aquam sale, de consecrat.* dist. 3, Petrus de Soto lect. 29, *de pœnitentia*. Sylvester verbo *Aqua benedicta*, quæst. 1, et 2, Sylvius infra quæst. 87, artic. 3, dub. unico, Arauxo ibi dub. 2, N. Franciscus tract. 6, cap. 5, num. 23, N. Franciscus punct. 9, num. 50, et alii. Quæ sententia est inter alios Theologos communis : illam enim docent D. Bonaventura in 4, dist. 21, art. 3, quast. 1, Richardus art. 3, quæst. 1, Durandus quæst. 3, Alensis 4, part. quæst. 15, memb. 3, art. 4, Abulensis 4, *Regum* 3, quæst. 39, Vasquez quæst. 87, art. 3, dub. 1, Suarez disput. 12, sect. 2, Lugo disp. 9, num. 51, Dicastillo *de pœnitentia*. disp. 2, dub. 18, num. 430, Castro Palao, Coninckus, Layman, Zerola, Pesantius, et Bonacina, quos refert, et sequitur N. Franciscus loco citato. Kellison quæst. 87, artic. 3, Aversa *de pœnitent*. quæst. 4, sect. 8, Ochagavia *de pœnit.* quæst. 22, num. 4, et alii plures.

Quarta sententia adversa. Palud. Turrec. Petrus de Soto. Sylvest. Sylvius. Arauxo. N. Fran. D. Bon. Richard. Durand. Alensis. Abulen. Vazq. Suarez. Lugo. Discast. Palaus. Aversa.

Pro qua sententia arguitur primo : quoniam venialia nequeunt, saltem de lege ordinaria, remitti, nisi per aliquam formam eisdem ex natura rei incompossibilem: ergo ut sacramentalia causarent ex opere operato remissionem venialium, deberent habere vim producendi talem formam : sed talem virtutem non habent: ergo non remittunt venialia ex opere operato. Minor subsumpta suadetur : quia sacramentalia non habent eam vim ex se, sive ex natura propria :

Primum argumentum.

sed nec illam habent ab Ecclesia; siquidem hæc conferre nequit ullam virtutem rebus, quas sacramentalia constituit: ergo sacramentalia non habent virtutem producendi formam ex natura rei incompossibilem cum venialibus. Confirmatur: quia cum sacramentalia agere ex opere operato sit supra eorum naturam; nequit affirmari absque gravi, et solido fundamento: id autem non occurrit: ergo sacramentalia non remittunt venialia ex opere operato. Probatur minor: quia licet traditio, et usus Ecclesiæ doceant sacramentalia causare remissionem venialium; nihil tamen determinat de modo, quo illam causant, et multo minus quod influant ex opere operato: ergo nullum habemus solidum fundamentum, ut hunc concurrendi modum sacramentalibus deferamus.

Confirmatio.

Solvitur argumentum.

Ad argumentum respondetur solum probare sacramentalia non causare immediate remissionem venialium ex opere operato; secus vero quod illam non causent mediate; et similiter solum suadere, quod non influant adhuc mediate per efficientiam physicam, secus autem quod non concurrunt per viam impetrationis. Quæ omnia satis constant ex supra dictis. Et in hoc sensu distinguendæ sunt argumenti propositiones, et concedendæ, aut negandæ. Ad probationem autem minoris, quatenus præmissæ responsioni posset refragari, dicendum est virtutem remittendi venialia non convenire sacramentalibus ex propria natura, sed ex institutione, aut quasi elevatione Ecclesiæ: quamvis enim Ecclesia nequeat hujusmodi rebus communicare virtutem physicam; id nihil refert: quia nec sacramentalia physice agunt. Potest tamen Ecclesia id efficere, ut sacramentalia concurrant ad remissionem venialium per viam impetrationis: quatenus suis orationibus (quibus in eorum sacratione utitur), id postulat a Deo, ut auxilia pro remissione venialium illis concedantur, qui pie sacramentalibus utuntur: id enim satis est, ut sacramentalia, cum adhibentur, causent talem remissionem per viam impetrationis, causando tamen, aut consequendo immediatius auxilia ad actus, per quos remissio formalis fit.

Solvitur confirmatio.

Ad confirmationem negamus minorem: oppositum enim constat ex dictis num. 19. Et ad probationem dicendum est, ex usu, et traditione Ecclesiæ docentis sacramentalia causare remissionem peccatorum venialium probabilissime, et satis efficaciter colligi, quod illa causent ex opere operato saltem mediate, et quantum ad auxilia pro actibus, quibus immediata, et formalis remissio fit: quia nisi id concedatur, sequitur vanum esse sacramentalium usum, et non magis prodesse, quam usum aliarum rerum, quæ sacramentalia non sunt: quod est absurdum, et usui ipsius Ecclesiæ adversatur. Quare vel ob solam, et servandam hujus usus reverentiam fateri oportet sacramentalia causaliter, et ex opere operato concurrere ad venialium remissionem: non quidem causando immediate remissionem formalem, sed causando immediate auxilia pro actibus, quibus illa fit. Quod præstant per viam impetrationis, sive in virtute orationum Ecclesiæ, per quas ad talem effectum dicantur.

Secundum argumentum.

28. Arguitur secundo: quoniam sacramentalia æqualiter se habent de se ad omnia peccata venialia: ergo si ex opere operato illa remittunt, sequitur, quod cum aqua benedicta remittit unum peccatum veniale, remittat etiam omnia: consequens est absurdum: ergo sacramentalia non causant remissionem venialium ex opere operato. Prima consequentia probatur: nam supposito, quod sacramentalia se habeant æqualiter ad venialia; non est ratio, quare remittant unum potius, quam aliud: aliunde vero quæ causant ex opere operato, causant infallibiliter suum effectum: sequitur ergo, quod cum aqua benedicta remittit unum peccatum, remittat etiam omnia. Falsitas autem consequentis vel ex eo liquet, quod inducit nimiam, et excessivam facilitatem remissionis venialium per sacramentalia, adeo ut qui se aspergunt aqua benedicta, dicere queant: *Peccatum non habemus*, contra id, quod docet Joan. in prima, cap. 1. Confirmatur et declaratur: nam quia sacramentum Pœnitentiæ remittit peccatum mortale ex opere operato; hoc ipso, quod remittat unum peccatum mortale, remittit etiam omnia: ergo pariter si aqua benedicta remittit venialia ex opere operato; sequitur, quod quando remittit unum peccatum veniale, remittat etiam omnia, quæ reperit in subjecto. Id vero esse falsum constat ex immediate dictis. Ergo non est concedendum, quod sacramentalia remittant venialia ex opere operato.

Confirmatio.

ad

sfit gu- nto. Ad argumentum respondetur negando primam consequentiam. Ad cujus probationem neganda est prima antecedentis pars: nam facile juxta doctrinam superius traditam assignatur ratio, quare etsi sacramentalia se, et de se æqualiter habeant ad venialia, possint remittere unum, vel aliqua, aliis non remissis. Ea vero ratio est, quod sacramentalia non causant ex opere operato immediatam, et formalem venialium remissionem; sed mediate, et causaliter, quatenus impetrant auxilia pro actibus vel contritionis, vel amoris charitatis, qui immediate, et formaliter venialia excludunt. Et quia hujusmodi actus queunt referri ad quædam venialia, et non ad alia, vel ad omnia: ideo fieri potest, quod in usu sacramentalium remittatur unum, aut alterum veniale, cæteris non remissis. Quam responsionem (confirmando simul doctrinam a nobis traditam) docet optime Div. Thomas quæst. 7, *de Malo* art. 12 ad 4, his verbis: « Quamvis sacramentalia æqualiter « se habeant ad omnia peccata venialia; ta- « men fervor ab eis excitatus non æqualiter « semper se habet ad omnia: sed quando- « que respicit aliqua in speciali, et contra « illa efficacius operatur. Et si in generali « respiciat ea, potest contingere, quod non « habeat eundem effectum in omnibus: eo « quod affectus hominis aliquando habi- « tualiter est inclinatus ad aliqua peccata « venialia committenda, ita scilicet, quod « si in memoria haberentur, non displice- « rent; vel forte si opportunitas adesset, « committerentur. Et raro contingit homi- « nes in hac mortali vita viventes ab « hujusmodi affectibus liberos esse. Et si « etiam homo ad horam per hujusmodi « remedia ab omnibus venialibus immu- « nitatem consequatur quantum ad culpam; « non tamen sequitur, quod sit liberatus « quantum ad totam pœnam; nisi forte sit « tantus fervor dilectionis, quod sufficiat « ad totius pœnæ remissionem. » Hæc S. Doctor: ex quibus liquet ex nostra sententia non colligi, quod venialia in sacramentalibus remittantur ea facilitate, quam argumentum repræsentat.

uitur onfir- atio. Unde ad confirmationem, omisso antecedenti, neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est, quod gratia, quam sacramentum pœnitentiæ causat ex opere operato: opponitur immediate, et essentialiter omnibus, et singulis peccatis mortalibus: quare fieri non valet, ut sacramentum Pœnitentiæ remittat unum peccatum mortale, quin cætera omnia remittat. Sed fervor charitatis, vel alius actus, qui mediate causatur ex opere operato per sacramentalia, et qui expellit immediate venialia, non habet eandem, aut tantam cum omnibus, et singulis venialibus oppositionem, ut proxime vidimus: potest enim quædam detestari, et non omnia: et ideo non sequitur, quod si sacramentale v. g. aqua benedicta remittit unum peccatum veniale, remittat etiam necessario, et infallibiliter omnia. Quæ diversitas magis explicari, et confirmari potest attendendo ad naturam prædictarum formarum independenter a sacramentis, et sacramentalibus, et a modo causandi ex opere operato: nam gratia habitualis, per quam mortalia formaliter excluduntur, ejus naturæ est, ut cum nullo mortali possit coexistere, ut ostendimus tract. 15, disp. 2, dub. 4; quare eo ipso, quod talis gratia excludat unum mortale, excludit etiam omnia. Actus autem vel contritionis, vel dilectionis non habet tantam oppositionem cum venialibus; sed potius, quantum est ex specie sua, potest cum illis consistere. Quare ut illa expellat, debet ad illa referri cum formali, aut virtuali eorum detestatione, sive retractatione. Et quia ista ad venialium detestationem extensio potest inæqualiter fieri, magis scilicet, aut minus, et aliqua respiciendo, et non omnia; ideo contingere valet, ut quædam venialia remittantur, cæteris non dimissis. Et potest etiam contingere, ut prædictus actus sit ita perfectus, et extensus, ut omnia simul venialia excludantur, sicut expresse concedit D. Thom. infra D. Tho. quæst. 70, art. 4 ad 2, ubi occurrens argumento desumpto ex 1 Joan. 1: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, inquit: « Dicendum, quod illud « verbum non est intelligendum, quin « aliqua hora possit homo esse absque « omni reatu peccati venialis: sed quia « vitam istam sancti non ducunt sine « peccatis venialibus. » Videantur dicta tract. 15, disp. 2, dub. 8, nu. 330, cum seq. ubi hæc fusius explicuimus.

29. Arguitur tertio: nam sacramentalia in tantum concurrunt ad remissionem venialium, in quantum excitant actum vel contritionis, vel dilectionis, per quem venialia formaliter, et immediate excludun- Tertium argumentum.

tur: sed sacramentalia non causant prædictum actum ex opere operato: ergo nec mediate causant ex opere operato remissionem venialium. Consequentia videtur manifesta. Et major constat ex doctrina a nobis supra tradita. Minor autem probatur: tum quia prædictus actus, utpote vitalis, debet ab anima hominis sacramentalibus utentis vitaliter, et principaliter provenire: si autem proveniret a virtute sacramentalium ex opere operato; homo sacramentalibus utens illum vitaliter, et principaliter non efficeret, sed se haberet passive ad illum, sicut passive se habet ad cætera, quæ sibi communicantur ex opere operato: ergo sacramentalia non causant ex opere operato prædictum actum. Tum etiam quia si talem actum causarent ex opere operato, illum causarent infallibiliter, sicut contingit in his, quæ ex opere operato virtute sacramentorum fiunt: consequens est falsum, ut liquet experientia; siquidem vel nos aspergentes aqua benedicta, vel suscipientes benedictionem Episcopalem, aut similia, non sentimus in nobis prædictum actum: ergo sacramentalia non causant illum ex opere operato.

Solutio. Respondetur sacramentalia concurrere ad actum prædictum, non mere excitative, aut per modum objecti cogniti, nec effective physice, ut supra diximus; sed mediate per viam impetrationis, quatenus in virtute orationum Ecclesiæ, quibus sacramentalia benedicuntur, et sacrantur, habent consequi ex divina misericordia gratiam actualem, et auxiliantem, quæ proxime in prædictum actum influit, ut satis in superioribus explicuimus. Concedendo itaque majorem in præmisso sensu, negamus minorem. Et ad primam ejus probationem iterum neganda est minor: quia cum sacramentalia non causent immediate ex opere operato talem actum, sed gratiam actualem, qua fit: non sequitur hominem sacramentalibus utentem se habere passive ad prædictum actum; sed quod passive se habeat ad talem gratiam, quæ est immediatus effectus sacramentalium ex opere operato per viam impetrationis: ea vero gratia posita, vitaliter, et principaliter elicit actum, potens illum non elicere. Unde ad secundam probationem neganda est sequela: nam cum prædictus actus non sit effectus immediatus sacramentalium: non succedit semper, nec infallibiliter. Sed effectus immediatus, qui est gratia actualis pro tali actu, semper, et infallibiliter datur his, qui pie sacramentalia suscipiunt: sic enim præsumere possumus, et debemus tam de efficacia orationum Ecclesiæ, quam de misericordia, et amore Dei erga illam. Quod vero posita illa gratia actuali, aliquando non succedat operatio; provenit ex eo, quod talis gratia non necessitat, sed inclinat ad operandum: et quia talis actus debet esse liber, qui proinde possit non esse, et aliquando non sit. Et hæc doctrina urgenter potest confirmari, et dirigi in opponentes, qui negare non possunt venialia, quando dimittuntur per sacramenta, dimitti ex opere operato: et tamen vel intra sacramenta non dimittuntur, nisi per actus, qui vitaliter, et principaliter sunt ab homine, et qui non fiunt infallibiliter, sed multoties impediuntur per distractionem, et alias causas. Sicut ergo Adversarii ob prædicta motiva non negant sacramenta concurrere ad remissionem venialium ex opere operato: sic etiam ob illa (si consequenter loquantur) negare non debent, quod sacramentalia concurrant ex opere operato ad prædictum effectum. Resolutio vero nostra eo præferri debet, quo procedit cum majori uniformitate, et universalitate tam in sacramentis, quam in sacramentalibus circa venialium remissionem: licet illorum concursus sit effectivus physice, horum autem solum per viam impetrationis, et in virtute orationum Ecclesiæ. Alia argumenta, quæ formari possent, minoris momenti sunt, et quibus satis constat ex dictis tam hoc loco, quam in eo sæpius relato ex tract. 15. Et hæc de tota materia sacramentorum in genere dicta sufficiant.

LAUS DEO.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN HOC TOMO XVII CONTINENTUR

In quo prior numerus paginam, postremus vero marginales numeros designant.

R

S

BRUXELLIS. — TYPIS A. VROMANT.